UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01362887 0





Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/bullarumdiplomat07cath

BULLARIUM

ROMANUM

HEcl
B.

BULLARUM
DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS
A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX
APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

AUSPICANTE

EMO AC REVMO DNO S. R. E. CARDINALI

FRANCISCO GAUDE

33073
21/8/94

TOMUS VII
a PIO IV (an. MDLIX) ad PIUM V (an. MDLXXII)

AUGUSTAE TAURINORUM
SEB. FRANCO ET HENRICO DALMAZZO EDITORIBUS
MDCCCLXII

D
500
A37
1851
v.7

Huiusce operis Editores Taurinenses, Legum beneficio se uti velle, pro additionibus notisque declarant, ita ut, sine eorum facultate, aliquid praelo iterum committere liceat memini.

LECTORI BENEVOLO

TAURINENSES ROMANI BULLARII EDITORES

SALUTEM

Nunquam arbitrati fuissemus septimum Magni Bullarii volumen tam infausto omine nobis esse inchoandum: nunquam credidissemus in tanta rerum conversione firmissimo nos praesidio destituendos, solatio ac perfugio orbandos. Princeps eminentissimus Franciscus Gaude S. R. E. Cardinalis amplissimus, operis nostri nedum patronus ac parens, verum etiam laborum particeps studiorumque fautor, diro morbo correptus, postridie idus decembris an. M. DCCC. LX, mortem iustorum obiit, magno luctu afficiens qui Eum non solum colebant, sed et amore et honore prosequebantur. In quo profecto Viro tam multa hominis tantaque in religionem et rem litterariam merita extiterunt, ut Cuius famae celebritas in omnium ore versatur, turpe omnino sit Eius hic a nobis illustre nomen silentio praeteriri. Cuius tamen res gestas amplificandae religionis gratia (inter quas non ultimum sibi locum vindicant erga nostram editionem Bullarii impensiores curae) quum primum poterimus referre

in animo est. Faxit interea Deus ut, quam Princeps optimus tanti operis prosequendi consilium dedit, tam nobis ea res bene ac feliciter eveniat.

Haec prima et maxima, at non unica hinc luctus dolorisque, illinc morae cunctationisque nobis caussa. Etenim et noster prosperarum adversarumque rerum socius laborumque consors Sebastianus Franco, alter editorum, mediae sed integrae aetatis homo, quo nullus nobis devinctior alter, immaturo leto diebus paucis raptus est. Ipse, moribus antiquis, vir propositi tenax, nihil praeter turpitudinem timuit; aegrotans dolores tulit patienter; in morte, uti speramus, invenit vitam beatam. In hoc casu quo afflicti iacuimus, comprimenda fuit nobis vox et oratio: dolori namque, dum recens saevit, occurrendum non est, ne illum ipsa solatia irritent et accedant; nam in morbis quoque, ut ait Seneca (*De Consolatione ad Helviam*, cap. I), nihil est perniciosius quam immatura medicina. Prememus nihilominus, ita nos Deus adiuvet, alto corde dolorem, nihilque posthac de studio et de perseverantia remittemus tuendae editionis nostrae dignitatis. Cuius sane rei, Lector benevole, argumentum tibi praebemus septimum hocce volumen in vulgus edendo. Illud acta capit Maximorum Pontificum Pii IV et Pii V, quorum alter coelitibus est adscriptus. Quae multa et illustria cum sint, tum Christianorum reipublicae bono et quieti mirum in modum consulunt; quaeque in altera et fere tota tertia parte IV tomi Mainardianae editionis habentur; quarum illa Eminentissimo D. D. Carolo Alberto Cardinali Guidobono Cavalchino, haec Eminentissimo D. D. Ioanni Baptistae Cardinali Spinola, Romae an. M. DCC. XLV et sequenti prodiere dicatae. Ambae inter se iunctae copulataeque, iustae molis VII Taurinensis editionis volumen condunt, in quo conflando diu adlaboravimus ut ex nostra officina, quoad fieri posset, accuratissime emendatum vulgaretur.

Utere, candide Lector, labore nostro, quem ad Sanctae Romanae Ecclesiae decus augendum lubentissime suscepimus, fortique animo, Deo iuvante, persequemur; quemque ii omnes adamabunt, fovebunt, amplectentur, quibus sequentia Sancti Irenaei verba manent alta mente reposita: *Non oportet quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia tenere: quum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime contulerint omnia, quae sunt*

veritatis; ut omnis quicumque velit, sumat ex eo potum vitae. Haec enim est vitae introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones; propter quod oportet devitare quidem illos; quae autem sunt Ecclesiae, summa cum diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem.

Augustae Taurinorum, kalendis maii, an. M. DCCC. LXII.

HENRICUS DALMAZZO et Soc.

INDICULUS

SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN TOMO VII

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.

(Vide *Adv.* praepositam indiculo tomi X).

Adv. *Plures in hoc tomo reperiuntur Bullae absque data quas omnes recensere nimis longum foret.*

Datum A. D.		*Pag.*
IULIUS II.		
8 Novembris 1504	Quia nobile est	461
LEO X.		
1 Septembris 1508	Romani Pontificis	461
IULIUS III.		
20 Martii 1554	Cupientes fraudibus	64
20 Martii 1554	Cupientes camerae	642
PIUS IV.		
5 Februarii 1561	Romanus Pontifex	80
7 Februarii 1562	Ad Rom. spectat Pont.	153
7 Iunii 1562	Altitudo	161
6 Octobris 1562	Cum nos dudum	187
28 Iunii 1563	Aliàs emanarunt	199
4 Septembris 1563	Cum sicut accepimus	257
26 Februarii 1564[1]	Benedictus Deus	211
20 Aprilis 1564	Cupientes	154
26 Aprilis 1564	Nuper siquidem	105
15 Maii 1564	Cum, sicut nobis	121
6 Octobris 1564[2]	Superna providentia	285
20 Maii 1565	Licet dudum	189

1 At si legas 1563, est in ordine suo.
2 Forsan legendum 1563.

Datum A. D.		*Pag.*
PIUS V.		
15 Augusti 1566	Indefessa	456
4 Septembris 1566	Cum nos nuper	458
28 Novembris 1566	Cum Illius vicem	477
28 Novembris 1566	Ad Romanum Pontificem	478
(Absque data[3])	Cupientes litium	479
(Absque data[4])	Quia sicut accepimus	480
12 Decembris 1566	Cum, gravissimis de causis	496
29 Maii 1567	Cum, sicut nobis	601
16 Augusti 1567	Ex supernae	581
19 Iulii 1568	Cum, sicut accepimus	689
19 Octobris 1569	Hodie in consistorio	758
(Absque data[5])	Nuper certis rationabilibus	787
1 Februarii 1570	Decori et honestati	450
10 Iunii 1570	Etsi Apostolica Sedes	738
16 Iulii 1570	Decet Romanum Pontificem	488
1 Februarii 1571	Ex debito	857
3 Iulii 1571	Tanta est	912
13 Septembris 1571	Dudum postquam	467
23 Septembris 1571	Ad hoc nos Deus	586
14 Februarii 1572	Cum nuper	952
5 Martii 1572	Ad Rom. spectat Pont.	883

3 Post ann. 1566.
4 Post ann. 1566.
5 Post 21 octobris 1569.

PIUS QUARTUS

PAPA CCXXVI

Anno Christi MDLIX

An. C. 1559 Die vigesimasexta decembris, anno MDLIX, electus est in Romanum Pontificem Ioannes Angelus, tituli S. Priscae cardinalis Medices, Mediolanensis, qui Pius quartus voluit appellari; et sacra thiara redimitus est die VI sequentis ianuarii. Sedit in pontificatu, temporibus Caroli V et Ferdinandi I imperatorum, annos V, menses XI, dies XV, et IV habitis promotionibus, XLVI creavit cardinales. Mortem obiit die X decembris, anno MDLXV, et sepultus est in basilica Vaticana; ac postmodum corpus translatum est ad ecclesiam S. Mariae de Angelis in Thermis. Vacavit Sedes dies XXVII.

I. An. C. 1559

Iurisdictio gubernatoris almae Urbis procedendi contra mercatores cambia sicca et illicita contrahentes [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Cum, sicut accepimus, non sine maxima animi nostri displicentia, etiam post publicationem cuiusdam proclamatis sive banni de expresso mandato nostro facti, et commissione venerabilis fratris nostri N. Hieronymi, episcopi Martoratensis, tunc al- Causa huius constitutionis.

1 Contra eosdem procedit hodie in omnibus articulis huius bullae A. Camerae, ut habetur in Pauli V constitutione *Eximiae*. De gubernatoris Urbis iurisdictione vide Leonis X constitutionem IX, *Etsi*, tom. V, pag. 614.

mae Urbis nostrae gubernatoris, in locis consuetis publicati, avaritiam, omnium malorum pessimum genus, inter dilectos filios almae Urbis nostrae praedictae mercatores adeo serpsisse atque in dies serpere, ut iam illorum unicuique brevi et modico tempore proximi iactura ditescere, in pecuniis curialibus eiusdem Urbis et praecipue Cisalpinis ad cambium et recambium (ut vulgo dicunt) mutuandis, facillimus pateat aditus. Ita ut, Dei timore postposito, animarumque suarum salutis ac christianae caritatis et evangelicae eruditionis, qua bona nobis a Deo collata indigentibus, nihil lucri inde sperantes, caritative mutuare monemur, penitus immemores, non solum ad pretium eisdem mercatoribus a Summis Pontificibus nostris praedecessoribus retroactis temporibus toleratum, suas pecunias ad cambium et recambium huiusmodi curialibus praedictis dederint, verum etiam in praesentiarum illas ad longe maiorem et nimis excessivam penitusque usurariam ac christianam profitentibus religionem sacris canonibus interdictam atque damnatam summam dare conantur; unde evenit ut plurimi dictae Urbis curiales, hic necessitate coacti, easdem pecunias sub tam gravi foenore accipientes et pro illorum amicis mercatoribus praefatis fideiubentes, ac se in ampliori forma Camerae Apostolicae obligantes, tum ob varia itinerum pericula, tum etiam aeris diversis in locis intemperiem, pecunias, ut praemittitur, acceptas eisdem mercatoribus tempore convento reddere nequeuntes, maxima cum illorum iactura, ad eorumdem mercatorum importunitatem, pluries, ut aiunt, recambiare coacti, et nonnulli etiam carceribus inhumaniter, cum illorum ingenti tum corporis et bonorum, tum etiam honoris et famae detrimento, diuturno tempore detenti fuerint.

§ 1. Nos igitur, cupientes, pro nostri pastoralis officii debito, praemissis, quantum cum Deo possumus, via celeri remedium aliquod adhibere, eorumdemque mercatorum insatiabilis usurae pravitati, eorumque animarum saluti et mercantilis exercitii fidelitati, curialiumque praedictorum tam enormibus laesionibus atque incommoditatibus paterno affectu opportune consulere, motu simili, *etc.*, dilecto filio dictae Urbis nostrae moderno gubernatori ut, ad Camerae Apostolicae commissarii generalis necnon partis laesae querelam seu instantiam, omnibus et singulis mercatoribus Romanam Curiam sequentibus in posterum, a die datae praesentium, sub maioris excommunicationis latae sententiae ac duorum millium ducatorum auri in auro, eidem Camerae irremissibiliter applicandorum, ipso facto incurrendis poenis, a dictae Urbis curialibus quibuscumque, ratione quarumcumque obligationum, etiam in ampliori forma Camerae, tam principali quam accessorio et fideiussorio respective nominibus factarum et deinceps quomodolibet fiendarum, pro pecuniis ad cambium et recambium huiusmodi sic usurarie et malo modo acceptis et accipiendis, ac in partibus non solutis aut non solvendis, ultra summam convenientem, quae mercatoribus realibus, qui vera cambia realia et non sicca faciunt, de iure et stylo mercantili vere deberetur, hic in Curia petere, exigere, aut eosdem curiales via iuris, obligationum, etiam in forma dictae Camerae celebratarum et celebrandarum, vigore seu praetextu, cogere seu cogi aut excommunicari, *etc.*, vel alias quomodolibet in eorum personis et bonis molestari seu inquietari facere audeant vel praesumant, districtius, sub poena quae in constitutionibus Marchiae contra usurarios statuitur, et aliis suo arbitrio moderandis poenis, inhibeat. Necnon quascumque obligationes, etiam in praefata forma Camerae, occasione quarumcumque partitarum pe-

Facultas gubernatoris coercendi mercatores Urbis exercentes cambia illicita et infligendi pœnas hic expressas, et contentas in constitut. Marchiae contra usurarios.

cuniarum ad cambium et recambium huiusmodi a praedictis mercatoribus cum eisdem curialibus quomodolibet factas, et quas mercatores ipsi a praedictis curialibus, tamquam principalibus seu fideiussoribus, hic in Urbe, post dictum bannum dumtaxat, repetierunt et exegerunt et recuperarunt, ac pro non solutis exigere et recuperare intendunt, cum cambia huiusmodi sicca vel non realia a sacris canonibus prohibita sint, usurarias, pravas, iniquas, detestabiles, interdictas et damnatas, ac quascumque obligationes, etiam in forma praefata Cameræ Apostolicæ, post dictum bannum dumtaxat, desuper, illarum occasione, factas, nullas et invalidas existere auctoritate nostra decernat et declaret; totamque summam principalem per eosdem mercatores exactam et recuperatam, iuxta formam dictorum bannimentorum, ex nunc ipso facto eidem Camerae Apostolicae; parti vero laesae id quod ultra praedictam summam principalem in cambiis et recambiis *etc.* a dictis mercatoribus irremissibiliter exigendam, recuperandam et restituendam, applicet, et eosdem mercatores, iuxta constitutiones prædictas Marchiæ, condemnet.

Et contra eosdem summarie *etc.* procedendi.

§ 2. Cum potestate eosdem mercatores et eorum quemlibet omnesque alios et singulos, sua communiter vel divisim quomodolibet interesse putantes, in dicta Curia et extra eam citandi, ac quibus et quoties inhibendum erit, etiam sub excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, etiam pecuniariis, eiusdem gubernatoris arbitrio moderandis et applicandis, inhibendi; inobedientesque et rebelles quoscumque in sententias, censuras et poenas huiusmodi incidisse et incurrisse declarandi, aggravandi, reaggravandi et interdicendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio. Nec non super praemissis omnibus summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii seu tela iudiciaria, singulis diebus et horis, praeterquam in honorem Dei feriatis, procedendi; dictosque mercatores et eorum quemlibet ad exhibendum quoscumque libros, etiam rationum, via iuris et sub eisdem censuris et poenis compellendi, ceteraque alia faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et exequendi, quae in praemissis omnibus et circa ea omnia necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna, committimus et mandamus.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Praemissis ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis, consuetudinibus, capitulationibus et pactis, necnon obligationibus, etiam in dicta forma Camerae, etiam iuramento *etc.*, vallatis, ac Palatii, Curiae ac mercatorum et huiusmodi stylo, necnon partitis, libris et rationibus ac computis desuper quomodolibet factis et quibusvis licentiis forsan dictis mercatoribus per quoscumque, etiam nostros maiores officiales, etiam Urbis gubernatores, concessas, quas contra expressam mentem nostram factas esse declaramus, ceterisque in contrarium quomodolibet facientibus, non obstantibus quibuscumque, mercatorum et curialium huiusmodi nomina, cognomina et qualitates, et pecuniarum et creditorum quantitatem, aliorumque hic forsan de necessitate exprimi necessariorum tenores, continentias, formas et compendia pro plene et sufficienter expressis habentes.

Sola signatura sufficit.

§ 4. Praesentisque nostri motus proprii solam signaturam, absque illius registratura, sufficere et ubique fidem facere, tam in iudicio quam extra, attento quod in Urbe.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Et iuxta illius formam et tenorem per quoscumque iudices *etc.*, sublata *etc.*, iudicari *etc.* debere. Nec de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae defectu ullo unquam tempore notari aut impugnari posse, illiusque copiæ, per unum ex nostris cursoribus cum originali auscultatae, et mercatoribus aliisque per-

sonis et iudicibus praesentatae, vim validae et efficacis inhibitionis habeant, ac si originale hoc praesentatum foret, quacumque regula sive constitutione in contrarium forsan edita nequaquam obstante.

Papae subscriptio.

Placet, motu proprio. I.

II.

Francisco II, regi Francorum, confirmat et concedit ad vitam ius nominandi ad ecclesias, monasteria et prioratus nonnullos regni, Delphinatus, comitatus Viennensis, Valentinensis etc., iuxta tamen statuta in concordatis inter Franciscum I regem et Leonem X Papam [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Francisco Francorum regi christianissimo, salutem et apostolicam benedictionem.

Francisci regis erga Romanam Ecclesiam merita recenset.

Sinceritas fidei et devotionis affectus, quos, a die tuae ad regale fastigium assumptionis, erga Romanam Ecclesiam et hanc sanctam Sedem Apostolicam, diversos abusus tempore tuorum, tam in ipso regno quam ducatu Britanniae et provincia Provinciae ac certis aliis locis tuo temporali dominio subiectis, praedecessorum, in earumdem Ecclesiae et Sedis praeiudicium attentatos, ac auctoritatem et iurisdictionem Romani Pontificis ac Ecclesiae et Sedis huiusmodi in ducatu Provinciae et locis praedictis plenarie restituendo, illasque alacriter defendendo et conservando, aliasque, de nobis et dictis Ecclesia ac Sede vicariis [2] modis bene merendo, iugiter praestitisti, nos quodammodo impellunt ut quae clarae memoriae Francisco avo et similis memoriae Henrico genitori tuis, Francorum regibus, a dicta Sede concessa fuerunt, etiam tibi favorabiliter concedamus.

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

2 Forsitan legendum *variis* (R. T.).

Leo X pragmaticam sanctionem invalidans regi Franciae ius nominandi concessit ad cathedrales et metropolitanas ac monasteria 1.

§ 1. Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Leo Papa X, praedecessor noster, ex certis tunc expressis rationabilibus causis, de fratrum suorum consilio et unanimi consensu, ac certa eius scientia et potestatis plenitudine, inter alia, per suas literas statuerat et ordinaverat quod ex tunc de cetero, perpetuis futuris temporibus, loco certae constitutionis in regno Franciae vigentis, quae pragmatica vocabatur, ac omnium et singulorum capitulorum in ea contentorum, cathedralibus et metropolitanis ecclesiis in dicto regno et Delphinatu ac comitatu Viennensi et Valentinensi tunc et pro tempore, etiam per cessionem in manibus ipsius Leonis praedecessoris et successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium sponte factam, vacantibus, illarum capitula et canonici ad electionem seu postulationem futuri inibi praelati procedere non possent; sed, illarum occurrente vacatione, rex Franciae pro tempore existens unum gravem magistrum seu licentiatum in theologia, aut in utroque seu altero iurium doctorem, aut licentiatum in Universitate famosa et cum rigoroso examine, ac in vigesimo septimo suae aetatis anno ad minus constitutum et alias idoneum, infra sex menses a die vacationis ecclesiarum earumdem computandos, eisdem praedecessori et successoribus suis Romanis Pontificibus seu dictae Sedi nominare, ac de persona per regem huiusmodi nominata per praedecessorem et successores seu Sedem huiusmodi provideri; et si contingeret praefatum regem personam taliter non qualificatam ad dictas ecclesias sic vacantes nominare, per praedecessores et successores seu Sedem praedictam de persona sic nominata eisdem ecclesiis minime provideri deberet, sed teneretur idem rex, infra tres alios menses a die recusationis personae nominatae non qualificatae sol-

1 Vide concordata Leonis X, t. V, pag. 664 et seq.

licitatori nominationem non qualificatam prosequenti consistorialiter factae intimandae computandos, alium supradicto modo qualificatum nominare. Alioquin ecclesiae sic vacanti per praedecessorem et successores seu Sedem huiusmodi de persona, ut praefertur, qualificata, necnon ecclesiis per obitum apud Sedem praedictam vacantibus semper, nulla dicti regis praecedente nominatione, libere provideri posset: decernens electiones contra praemissa attentatas, ac provisiones per eum et successores seu Sedem huiusmodi aliter factas, nullas et invalidas existere: consanguineis tamen praefati regis ac personis sublimibus ex causa rationabili et legitima, in nominatione ac literis apostolicis exprimenda, nec non religiosis Mendicantibus Reformatis, eminentis scientiae et excellentis doctrinae, qui, iuxta sui Ordinis regularia instituta, ad gradus huiusmodi assumi non possent, sub prohibitione praemissa minime comprehensis; sed de eorum personis dictis ecclesiis pro tempore vacantibus, ad dicti regis nominationem, per praedecessorem et successores seu Sedem huiusmodi libere provideri posset; monasteriis vero et prioratibus conventualibus et vere electivis, videlicet in quorum electionibus forma capituli *Quia propter* servari et confirmationem electionum huiusmodi solemniter peti consueverant, in regno, Delphinatu et comitatu huiusmodi tunc et pro tempore, etiam per similem cessionem, vacantibus, illorum conventus ad electionem seu postulationem abbatis seu prioris procedere non possent, sed idem rex, illorum occurrente huiusmodi vacatione, religiosum eiusdem Ordinis in aetate viginti trium annorum ad minus constitutum, infra simile tempus sex mensium a die vacationis monasteriorum et prioratuum huiusmodi computandorum, praedecessori et successoribus aut Sedi huiusmodi nominare, et de persona per regem huiusmodi monasterio vacanti nominata per praedecessores ac successores et Sedem huiusmodi provideri; prioratum vero personae ad illum per eundem regem nominatae conferri deberet; si vero idem rex presbyterum secularem aut religiosum alterius Ordinis vel minorem viginti trium annorum seu alias inhabilem praedecessori aut successoribus seu Sedi praedictis infra dictum semestre nominaret, talis nominatus recusari et nullatenus sibi provideri deberet; sed rex ipse, infra trimestre a die recusationis supradicto modo intimandae computandum, alium supradicto modo qualificatum eidem monasterio seu prioratui tunc vacanti nominare, et de persona ad monasterium nominata illi providere; ad prioratum vero nominato prioratus ipse per eosdem praedecessores et successores aut Sedem praedictam conferri deberet: alioquin, dictis novem mensibus effluxis, nulla seu de persona minus idonea et modo praemisso non qualificata facta nominatione, ac etiam de vacantibus apud Sedem praedictam semper vel nulla dicti regis expectata nominatione, per praedecessorem et successores seu Sedem praefatos monasteriis provideri; prioratus vero personis ut praefertur qualificatis dumtaxat conferri libere possent. Electiones autem et illarum confirmationes necnon provisiones per praedecessorem et successores ac Sedem huiusmodi, contra praemissa pro tempore factas, nullas, irritas et invalidas esse decreverat; non intendens per praemissa in aliquo praeiudicare capitulis ecclesiarum et conventibus monasteriorum et prioratuum, privilegia a Sede praedicta proprium eligendi praelatum obtinentibus, quominus ad electionem ipsorum episcoporum et abbatum ac priorum, iuxta privilegia eis concessa, libere procedere possent, iuxta formam in eorum privilegiis contentam; et si in eorum privilegiis forma aliqua expressa non foret,

tunc formam concilii generalis dicti capituli *Quia propter* servare tenerentur, dummodo de privilegiis illis concessis huiusmodi per literas apostolicas seu alias authenticas scripturas doceretur, omni alia specie probationis in eo adempta. Et volens quod, si dictus Franciscus rex literas ipsius praedecessoris super statuto et ordinatione praedictis tunc confectas, ac omnia et singula in eis contenta inviolabiliter observari cum effectu non faceret, eaedem literae et inde sequuta quaecumque cassa et nulla, nulliusque roboris vel momenti forent.

Clemens VII simile privilegium concessit Francisco I regi, exceptis monasteriis, quae per generales Ordinum gubernari solent.

§ 2. Et piae memoriae Clemens Papa septimus, etiam praedecessor noster, ad tollendum certa tunc expressa inconvenientia, et ex certis aliis tunc expressis etiam rationabilibus causis, de fratrum suorum consilio et assensu, privilegia capitulis metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum ac conventibus monasteriorum, praeterquam eorum quae per generales suorum Ordinum regebantur seu regi consueverant, et prioratuum conventualium electivorum regni, Delphinatus et comitatus praedictorum, eligendi sibi praelatum concessa, quamdiu dictus Franciscus rex vitam duceret in humanis, ad hoc ut canonici ecclesiarum et religiosi monasteriorum ac prioratuum conventualium electivorum huiusmodi se tales virtutibus et moribus praestare studerent ut mererentur in archiepiscopos et episcopos ecclesiarum et abbates monasteriorum et priores prioratuum huiusmodi, illorum occurrente vacatione, ab eodem Francisco rege eidem Clementi praedecessori et Romano Pontifici pro tempore existenti nominari, per suas literas suspenderat, et eidem Francisco regi, quamdiu viveret dumtaxat, personas idoneas ac iuxta concordata praedicta qualificatas ad ecclesias et monasteria, praeterquam ea quae per dictos generales regebantur seu regi consueverant, nec non prioratus huiusmodi pro tempore vacantia Clementi praedecessori et Romano Pontifici pro tempore existenti praefatis, modo quo supra in concordatis praedictis, nominandi licentiam et facultatem concesserat, decernens ex tunc electiones et postulationes ac illarum confirmationes et admissiones nec non nominationes contra praemissa attentatas, ac provisiones, commendas et alias dispositiones per Clementem praedecessorem et Romanum Pontificem seu Sedem praedictos pro tempore factas ac inde secuta quaecumque nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari.

Confirmatur postea Henrico II regi a Paulo III.

§ 3. Et postmodum cum dictus Henricus rex, eodem Francisco rege ab hac luce subtracto, recolendae memoriae Paulo Papae III, similiter praedecessori nostro, statim non solum per suas literas significasset, verum etiam per suum tunc apud ipsum Paulum praedecessorem et dictam Sedem oratorem exponi fecisset quod causae, propter quas praefatus Clemens praedecessor privilegia praedicta suspenderat, ac eidem Francisco regi, quamdiu viveret, ad ecclesias et monasteria ac conventuales et electiones [1] prioratus, privilegia praedicta habentia, personas idoneas, ut praefertur, nominandi licentiam et facultatem concesserat, etiam tunc durabant, seu quod durare possent verisimiliter formidabatur; et propterea ab eodem Paulo praedecessore instanter requisivisset ut, ex eisdem causis privilegia praedicta de novo ad vitam suam suspendere, ac sibi, quamdiu viveret, personas idoneas ac iuxta statutum Leonis praedecessoris huiusmodi qualificatas ad ecclesias et monasteria, necnon conventuales et electivos prioratus regni, Delphinatus et comitatus praedictorum, privilegio proprium eligendi praelatum su-

1 Legimus *electivos*, ut infra (n. 7.).

fulta, pro tempore vacantia eidem Paulo praedecessori et Romano Pontifici pro tempore existenti aut eidem Sedi, modo in statuto et ordinatione Leonis praedecessoris huiusmodi contento, nominandi licentiam et facultatem concedere vellet; ipseque Paulus praedecessor causas in literis Clementis praedecessoris huiusmodi expressas per nonnullos S. R. E. cardinales diligenter examinare et considerare fecisset, et eas si [1] in facto consisterent graves, et ad suspensionem ac licentiae et facultatis concessionem huiusmodi urgentes invenisset, volens de earum subsistentia plenius informari, et ne interim aliqua ex inconvenientibus in literis Clementis praedecessoris huiusmodi narratis subsequerentur, opportune providere; privilegia capitulis metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum et conventibus monasteriorum, non tamen eorum quae per generales suorum Ordinum regebantur seu regi consueverant, ac conventualium et electivorum prioratuum regni, Delphinatus et comitatus praedictorum, eligendi sibi praelatum concessa, ad annum a die obitus praefati Francisci regis seu assumptæ per dictum Henricum regem regni Franciae administrationis computandum, vivae vocis oraculo suspenderat: decernens ex tunc electiones et postulationes ac illarum confirmationes et admissiones contra praemissa attentatas, ac dicto tempore durante factas et inde secuta quaecumque nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti fore: ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari; et successive, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, privilegia, capitulis et conventibus praedictis, ut praefertur, concessa, ad annum ut praemittitur computandum, iuxta suspensionem per ipsum Paulum praedecessorem vivae vocis oraculo, ut praefertur, factam, per quasdam de novo suspenderat, ac eidem Henrico regi ad eundem annum dumtaxat personas idoneas, ut praefertur qualificatas ad ecclesias et monasteria, tam vacatura, quam etiam ex tunc [1], non tamen ea quae per eorum generales regebantur seu regi consueverant, necnon prioratus huiusmodi pro tempore vacantia, eidem Paulo praedecessori et Romano Pontifici pro tempore existenti seu Sedi praedictae, modo et forma praemissis, nominandi licentiam et facultatem concesserat, decernens electiones et postulationes ac illarum forsan subsecutas confirmationes et admissiones contra praemissa a die obitus eiusdem Francisci regis seu assumptae administrationis regni huiusmodi citra attentatas et in posterum attentandas, et provisiones, commendas et alias dispositiones per Paulum praedecessorem et Romanum Pontificem seu Sedem praedictos, a dicta die citra et eodem anno durante factas et faciendas, ac inde secuta quaecumque nullius roboris vel momenti fore; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari; et deinde annum praedictum ad tres per alias primo, et successive ad alios duos, a fine anni et trium mensium praedictorum respective computandos, per alias, et postremo ad totum mensem decembris anni millesimi quingentesimi quadragesimi octavi tunc proxime futuri per reliquas suas in forma brevis literas motu simili extenderat et prorogaverat.

Indultum huiusmodi nominationum prorogatum a Iulio III Papa, diversis desuper expeditis brevibus.

§ 4. Et successive similis memoriae Iulius Papa tertius, similiter praedecessor noster, volens de subsistentia causarum huiusmodi informari, et ne interim ecclesiae et monasteria ac prioratus, sub singulis literis praedictis comprehensa, si vacarent, diutinae vacationis exponerentur incommodis, providere, privilegia capitulis metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum ac

[1] Forte *etiamsi* legendum loco *ea si* (R. T.).

[1] Legimus: *tam vacantia, quam etiam ex tunc vacatura* (R. T.).

conventibus monasteriorum, non tamen eorum quae per generales suorum Ordinum regebantur et regi consueverant, ac prioratuum conventualium et electivorum regni, Delphinatus et comitatus praedictorum eligendi sibi praelatum concessa, ad quatuor menses ex tunc computandos per quasdam suspenderat, et praefato Henrico regi ad eosdem quatuor menses dumtaxat personas idoneas ac iuxta statutum et ordinationem Leonis praedecessoris huiusmodi qualificatas ad ecclesias et monasteria regni, Delphinatus et comitatus praedictorum, non tamen ea quae per dictos generales regebantur seu regi consueverant, necnon prioratus huiusmodi pro tempore vacantia eidem Iulio praedecessori et Romano Pontifici pro tempore existenti, modo in statuto et ordinatione Leonis praedecessoris huiusmodi contento, nominandi licentiam et facultatem concesserat; decernens ex tunc quascumque electiones et postulationes ac illarum confirmationes et admissiones, dicto quadrimestri durante attentandas, et provisiones, praefectiones, commendas ac alias dispositiones per eundem Iulium praedecessorem et Romanum Pontificem ac Sedem praefatos faciendas et inde secuta quaecumque nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti fore, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari; et postremo suspensiones ac licentiae concessiones, per dictum Iulium praedecessorem, ut praefertur, factas, nec non decretum super inde adiectum, ac super illis confectas literas huiusmodi ad alios duos menses a fine dictorum quatuor mensium computandos per alias eius in forma brevis literas extenderat et prorogaverat. Cum ipse Iulius praedecessor, tam per eiusdem Henrici regis literas quam per suum tunc apud ipsum Iulium praedecessorem et dictam Sedem oratorem, de praemissis omnibus informatus, causas in literis Clementis praedecessoris huiusmodi expressas adhuc tunc subsistere comperisset, habita semper super his cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, matura discussione et diligenti examine, ac de eorum consilio et unanimi consensu, privilegia capitulis metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum ac conventibus monasteriorum, non tamen eorum quae per generales suorum Ordinum regebantur seu regi consueverant, ac prioratuum conventualium et electivorum huiusmodi eligendi sibi praelatum concessa, a die ultima dicti mensis decembris citra, iuxta literarum Clementis huiusmodi formam, semper suspensa remansisse; necnon electiones et postulationes contra praemissa pro tempore attentatas et factas nullius roboris vel momenti fuisse et fore, decernens et declarans privilegia capitulis metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum et conventibus monasteriorum, non tamen eorum quae per generales suorum Ordinum regebantur et regi consueverant, et prioratuum conventualium ac electivorum regni et Delphinatus ac comitatus praedictorum eligendi sibi praelatum concessa, quamdiu ipse Henricus rex vitam duceret in humanis, per eius literas suspendit; et eidem Henrico regi, quamdiu viveret dumtaxat, personas idoneas ac iuxta statutum et ordinationem Leonis praedecessoris huiusmodi qualificatas ad ecclesias et monasteria regni, Delphinatus et comitatus praedictorum, non tamen ea quae per dictos generales regebantur seu regi consueverant, necnon prioratus huiusmodi pro tempore vacantia, eidem Iulio praedecessori et Romano Pontifici pro tempore existenti modo in statuto et ordinatione Leonis praedecessoris huiusmodi contento nominandi licentiam et facultatem concessit:

decernens ex tunc quascumque electiones et postulationes ac illarum confirmationes et admissiones, necnon nominationes contra praemissa attentatas et in posterum attentandas, ac provisiones, praefectiones, commendas et alias dispositiones per Iulium praedecessorem et Romanum Pontificem ac Sedem praefatos faciendas, ac inde sequuta quaecumque nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti fore, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari, prout in singulis literis praedecessorum huiusmodi plenius continetur.

Franciscus rex Pio Pontifici per litteras et oratorem exponit adhuc subsistere causas, propter quas capitulorum et monasterior. privilegia eligendi sibi praelatos suspendi debeant, sibiq, suis praedecessoribus concessum ius nominandi, confirmari petit.

§ 5. Cum autem postmodum, dicto Henrico rege ab hac luce subtracto, per venerabilem fratrem nostrum Philibertum, episcopum Engolismensem, oratorem tuum apud nos, qui recolendae memoriae Paulo Papa quarto, similiter prædecessore nostro, sicut Domino placuit, de medio sublato, divina favente clementia, ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, destinatum, nobis exponi feceris causas, propter quas praefatus Clemens praedecessor privilegia praedicta suspenderat et eidem Henrico regi, quoad viveret, ad ecclesias et monasteria ac conventuales et electivos prioratus, privilegia praedicta, ut praefertur, habentia, personas idoneas nominandi licentiam et facultatem concesserat, adhuc durent; tuque, pro filiali obedientia qua nos et dictam Sedem prosequeris, dictas literas, modo et forma quibus concessa fuerunt, inviolabiliter observare, ac in regno, Delphinatu et comitatu praedictis observari facere, et pro illarum observatione tuas patentes literas similes eis, quas praefatus Henricus rex ad dictum Iulium praedecessorem transmiserat, quarum tenorem de verbo ad verbum, signis et characteribus omissis, praesentibus inseri fecimus, infra sex proxime futuros et infra alios sex ex tunc immediate sequentes menses de literarum praedecessoris huiusmodi in dictis regno et Delphinatu ac comitatu usu et viridi observantia plenam fidem facientibus, alias tuas patentes literas ad nos et Sedem eandem transmittere intendas, et propterea a nobis instanter requisieris ut privilegia praedicta ad vitam tuam suspendere, ac tibi, quoad vixeris, personas idoneas ac iuxta statutum Leonis praedecessoris huiusmodi qualificatas ad ecclesias et monasteria necnon conventuales et electivos prioratus regni, Delphinatus et comitatus prædictorum, privilegio proprium eligendi praelatum suffulta, pro tempore vacantia, nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti aut Sedi praedictæ, modo in statuto et ordinatione Leonis praedecessoris huiusmodi contento, nominandi licentiam et facultatem concedere vellemus.

Iisdem itaque subsistentibus, Pius huiusmodi ius Francisco secundo regi ad eius vitam concedit et confirmat;

§ 6. Nos, qui, de praemissis omnibus informati, causas in literis Clementis praedecessoris huiusmodi expressas adhuc subsistere comperimus, volentes inconvenientibus praedictis occurrere, ac sperantes quod tu, sicut hactenus fecisti, in nominandis personis ad ecclesias et monasteria ac prioratus huiusmodi sis semper prae oculis Deum habiturus, et conscientiam tuam laesurus non sis, habita super his cum fratribus nostris eiusdem S. R. E. cardinalibus matura discussione et diligenti examine, ac de eorum consilio et unanimi consensu, singularum literarum praedecessorum huiusmodi veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, ac privilegia capitulis metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum ac conventibus monasteriorum, non tamen eorum quae per generales suorum Ordinum reguntur et regi consueverunt, ac prioratuum conventualium et electivorum huiusmodi eligendi sibi praelatum concessa, a die ultima dicti mensis

decembris citra, iuxta literarum Clementis praedecessoris huiusmodi formam, semper suspensa remansisse, necnon electiones et postulationes contra praemissa pro tempore attentatas et factas nullius roboris vel momenti; nominationes vero personarum idonearum, ut praefertur, qualificatarum ad ecclesias et monasteria, non tamen ea quae per eosdem generales reguntur seu regi consueverunt, necnon prioratus huiusmodi, quae hactenus vacarunt, per te a die obitus dicti Henrici regis eidem Paulo IV praedecessori ac nobis et Romano Pontifici seu Sedi praefatae, modo in statuto et ordinatione Leonis praedecessoris huiusmodi contentis, factas, perinde ac si personas ipsas ad ecclesias et monasteria ac prioratus huiusmodi, ut praefertur, nominandi licentia et facultas per Paulum IV praedecessorem huiusmodi tunc concessa fuisset, validas et efficaces fuisse, esse et fore, decernentes et declarantes privilegia capitulis metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum ac conventibus monasteriorum, non tamen eorum quae per generales suorum Ordinum reguntur et regi consueverunt, ac prioratuum conventualium et electivorum regni, Delphinatus ac comitatus praedictorum, eligendi sibi praelatum concessa, quamdiu vitam duxeris in humanis, dicta auctoritate, tenore praesentium, ac ex scientia, consilio et assensu prædictis, suspendimus, et tibi, quamdiu vitam duxeris in humanis dumtaxat, personas idoneas ac iuxta statutum et ordinationem Leonis praedecessoris huiusmodi qualificatas ad ecclesias et monasteria, non tamen ea quae per dictos generales reguntur seu regi consueverunt, necnon prioratus huiusmodi regni, Delphinatus et comitatus praedictorum pro tempore vacantia nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, modo in statuto et ordinatione Leonis praedecessoris huiusmodi contento, nominandi, eisdem auctoritate et licentia ac consilio et assensu, licentiam et facultatem concedimus.

Electiones, si per capitula et monasteria fieri contingat, nullas esse declarat.

§ 7. Decernentes ex nunc quascumque electiones et postulationes ac illarum confirmationes et admissiones, necnon nominationes contra praemissa attentatas et in posterum attentandas, ac provisiones, praefectiones, commendas et alias dispositiones per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem et Sedem praefatos faciendas, ac inde sequuta quaecumque nulla et invalida nullinsque roboris vel momenti fore, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat;

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis, quae singuli praedecessores praefati in singulis eorum literis praedictis voluerunt non obstare, quae, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro repetitis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contenta in statutis Leonis X servari mandat, et super eorum observantia literas patentes per regem dari.

§ 9. Volumus autem quod statutum et ordinationes Leonis praedecessoris huiusmodi ac alia in singulis literis praedictis ac praesentibus contenta, ac per ipsum Henricum regem promissa et in patentibus literis praedictis contenta, in omnibus et per omnia, iuxta illorum tenores, plenarie et cum effectu in regno et Delphinatu ac comitatu praefatis ac alias, ubi opus fuerit, observare, ac observari facere, et infra sex proxime futuros tuas patentes literas ratificationis et acceptationis omnium et singulorum, tam in statuto et ordinatione Leonis praedecessoris quam in patentibus literis praedictis contentorum; et infra alios sex menses ex tunc immediate sequentes [tuas patentes literas ratificationis et acceptationis omnium et singulorum, tam in statuto et ordinatione Leonis praedecessoris quam literis patentibus praedictis contentorum praedictorum] [1] in regno et Delphinatu ac comitatu praefatis obser-

[1] Duplicata fortasse sunt verba inter signa [ ] contenta (R. T.).

ventur et in viridi observantia existant, plenam fidem de huiusmodi observantia per eas faciendo, ad nos et Sedem eamdem trasmittere omnino tenearis; alioquin, primo et ultimo dictis sex mensibus elapsis, ac inde toties quoties illa aut eorum aliqua, ut praefertur, non observari aut in viridi usu non esse, sed ex eis aliquid detrahi contigerit, praesentes literas ac omnia et singula privilegia et indulta praedicta, ac inde sequuta quaecumque, resoluta, revocata, cassa, extincta et annullata, necnon irrita et inania ac nullius efficaciae, roboris vel momenti sint et esse censeantur, prout nos illa, in huiusmodi eventum, ex nunc, prout ex tunc et e contra, eisdem auctoritate, tenore et scientia ac consilio et assensu, revocamus, cassamus, annullamus et irritamus, ac revocata, cassata, annullata ac irrita et inania fore et esse, sicque iudicari debere; etiam irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Tenor litterarum Henrici II regis super observantia concordat. Leonis X.

§ 10. Tenor vero patentium literarum Henrici regis huiusmodi sequitur et est talis: Henricus, Dei gratia Francorum rex, universis praesentes literas inspecturis, salutem. Cum postquam nos, defuncto clarae memoriae Francisco Francorum rege christianissimo, genitore nostro, cui per felicis recordationis Leonem X et Clementem VII seu alios Romanos Pontifices nonnulla nominandi ad ecclesias cathedrales et monasteria seu alia ecclesiastica beneficia certo modo qualificata, in regno Franciae ac certis aliis dominiis necnon ducatu Britanniae et provincia Provinciae consistentia, extra Romanam Curiam pro tempore vacantia, privilegia et indulta ad eius vitam certis modo et forma concessa fuerant, apud sanctissimum dominum Iulium III, Pontificem Maximum ad praesens regnantem, pro similibus privilegiis et indultis, instaremus et a Sanctitate Sua illa nobis, prout dicto genitori nostro concessa erant, nostra vita durante pariter concedi peteremus, pro parte eiusdem sanctissimi domini nostri, tam nostris apud Sanctitatem Suam agentibus, quam nobis per eius nuncios fuerit significatum ut, cum in dicto regno Franciae ac Delphinatu et comitatu Viennensi et Valentinensi, ultra et praeter et forsan contra tenorem concordatorum dudum inter dictum Franciscum regem, genitorem nostrum, ac Leonem X et Sedem Apostolicam praefatos initorum, nonnulla in diminutionem et praeiudicium ecclesiasticae libertatis et auctoritatis sanctae Apostolicae Sedis attentata esse et continuo attentari reperirentur, pro nostra erga dictam Sedem devotione, attentata huiusmodi impedire et prohibere, ac ut Sua Sanctitas dictaque Sedes, iuxta dicta concordata, pleno suo iure et auctoritate uti et frui valeat, providere fecerimus; unde re omni particulari in scriptis nobis tradita et ad nostram notitiam deducta, tam de iuris debito, quam volentes Sanctitatem Suam dictamque Sedem Apostolicam non minori, quam in privilegiis et indultis nobis concedendis praedictis benevolam et gratam nobis esse speramus, gratitudine et benevolentia prosequi, in praemissis taliter providendum duximus. Sit ergo notum quod nos, pro obedientia filiali qua Sanctitatem Suam prosequimur, ex plena nostra scientia, plenaria potestate et auctoritate regia, tenore praesentium, diximus et declaravimus, dicimus et declaramus nostram praecipuam voluntatem et intentionem fuisse et esse non transgredi nec terminos nec sensus dictorum concordatorum: itaque per praesentes declaramus nos omnino velle servare et servari per nostros officiarios ac subditos praefata concordata, iuxta illorum tenores, iuxta quos tenores deinceps non intendimus nominare ad aliquod monasterium, quod

sit caput Ordinis, neque ad dignitates in cathedralibus aut collegiatis seu conventualibus ecclesiis, nec ad monasteria monialium, neque ad ecclesias et monasteria apud dictam Sedem vacantia; ipsis autem concordatis et privilegiis, quae illorum vigore concessa sunt, non intendimus uti seu illa habere locum in Britannia, neque in provincia Provinciae, etsi dictus Britanniae ducatus sit in nostra regia corona unitus, sed tantum in dicto regno Franciae et Delphinatu et aliis locis in eisdem concordatis nominatim expressis et specificatis, mandantes nostris dilectis et fidelibus consiliariis nostrum consilium privatum tenentibus, quatenus ipsi nostras praesentes declarationes et voluntates receptas et admissas manuteneant, custodiant et observent, ac manuteneri, custodiri et observari, ac, vocatis et adhibitis advocatis et procuratoribus nostris fiscalibus, in eorum authenticis et publicis libris et registris scribi et annotari faciant, eisque praefatum dominum nostrum Papam sanctamque Sedem Apostolicam ac eius officiarios, commissarios et deputatos plene et pacifice gaudere et uti permittant, absque eo quod illis aliquam desuper molestiam, perturbationem ullumve impedimentum inferant; et si quae post praefatas approbationes et registrationes contra praemissa facta sint vel fuerint, e vestigio et absque dilatione amoveant, eademque praemissa plene et integre expedita in pristinum et debitum statum restituant seu restitui faciant; et ne qua fiat difficultas aut contraventio in observatione praesentis declarationis, et ut recidantur lites et controversiae, quae in earumdem observatione aut interpretatione possent emergere, de plenitudine regiae nostrae potestatis atque auctoritatis, commisimus et committimus per praesentes dictis nostris consiliariis, nostrum secretum et privatum consilium tenentibus, cognitionem omnimodam controversiarum, contentionum ac litium, quas super dictis observatione et interpretatione praesentium posthac continget exoriri. Idque privative quoad omnes alias nostras iurisdictiones, cuiuscumque dignitatis et auctoritatis existant, quibus nos eadem regiae potestatis plenitudine interdiximus et interdicimus per praesentes omnem cognitionem, iudicium et decisionem dictarum controversiarum, prout dictum est, movendarum; sic enim nobis fieri placet; in cuius testimonium praesentibus literis nostrum sigillum appendi iussimus. Datum apud Sanctum Germanum, die vigesima nona mensis iulii, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo, regni autem nostri quarto.

Nulli ergo omnino hominum *etc.* Clausulae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo nono [1], quartodecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 ianuarii 1560, pontif. anno I.

III.

Iurisdictio cardinalis protectoris et iudicis causarum archihospitalis pauperum infirmorum incurabilium de Urbe [2].

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Ad caritatis et misericordiae opera Christi pauperibus in archihospitali incurabilium S. Iacobi in Augusta de Urbe, quae maxima et continua sunt, sine detrimento vel intermissione exercenda, aequum est providere ut illud ac pro eo famulantes a noxis, quantum potest, liberentur. Exordium.

1 Error hic typographi irrepsit. Die namque XIV kal. febr. anni MDLIX nondum renunciatus fuerat Pontifex Maximus cardinalis Medices: legendum itaque ann. MDLX (R. T.). 2 Huius archihospitalis institutionem et privilegia attende in constitutione XVI Leonis X, *Salvatoris*, tom. V, pag. 659.

Causa istius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, archihospitale ipsum, ob lites et quaestiones, quibus ad diversa Urbis tribunalia, occasione locationum, censuum, donationum, haereditatum, legatorum et diversarum aliarum rerum eiusdem, tam agendo quam defendendo, iugiter implicitum existit, quamplurima damna et incommoda patiatur; et impensae litis valores rei, de qua ex tempore agendum, saepenumero exuperent.

Advocatio causarum coram quocumque iudice verten., archihospitale S. Iacobi incurabilium de Urbe et eius officiales quomodolibet concernentium, et earum commissio cardinali pro tem, ore protectori, qui summarie cognoscat,

§ 2. Nos, archihospitale ipsum, in quo piissima caritatis et misericordiae opera, pauperibus Christi continuo impendi spectantur, ab huiusmodi dispendiis, quantum possumus, sublevare volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas causas inter dictum archihospitale sive dilectos filios custodes, officiales ac ministros societatis eiusdem archihospitalis et quascumque alias, etiam singulares, personas, universitates, societates et loca, coram sanctae Romanae Ecclesiae camerario, regente, praesidente et clericis Camerae Apostolicae, necnon vicario, gubernatore, senatore Urbis, illiusque primo et secundo collateralibus, ac appellationum causarum Curiae Capitolii eiusdem Urbis capitaneo et aliis quibuscumque iudicibus ordinariis et delegatis et causarum Palatii Apostolici auditoribus ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, nunc et pro tempore pendentes, super quibuscumque locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommissis, testamentis, exequutionibus, revocationibus, bonis, rebus, iuribus et actionibus, archihospitale et societatem, officiales, litis consortes et alios praedictos, tam coniunctim quam divisim ac tam active quam passive concernentibus et ad archihospitale et societatem quomodolibet spectantibus, in quacumque instantia, inter illos necnon alia aeque vel magis pia loca, universitates et collegia, quomodocumque privilegiata, seu viduas, pupillos et alias personas, etiam exemptas, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis et naturae existant, etiam praemissis expressis maiores, quarum omnium statum et merita, ac iudicum et collitigantium nomina et cognomina et qualitates ceteraque etiam de necessitate exprimenda, praesentibus haberi volumus pro expressis, in statu et terminis, in quibus reperiuntur, dummodo instructae non sint, harum serie ad nos advocamus; et dilectum filium nostrum Bartholomaeum, tituli Sanctae Crucis in Hierusalem, presbyterum cardinalem, della Cueva nuncupatum, modernum et pro tempore existentem protectorem eiusdem archihospitalis, iudicem ordinarium et perpetuum ad praedictas necnon quascumque alias, similes vel dissimiles, causam et causas civiles, criminales et mixtas, ad archihospitale et societatem huiusmodi pertinentes, tam per eos quam contra eos, et inter eos ac personas, universitates, collegia seu loca, etiam privilegiata et exempta, tam active quam passive, pro tempore movendas, iuxta ordinariam iurisdictionem seu facultatem, tam gubernatori quam regenti Camerae Apostolicae seu vicario praefatis et eorum cuilibet attributas, ac, prout rerum qualitas exegerit seu postulaverit, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, summarie, simpliciter et de plano et sola facti veritate inspecta, et absque aliquorum terminorum substantialium observatione, aut alicuius registri confectione, per se vel alium seu alios, audiendas et fine debito terminandas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, per praedicta constituimus et deputamus.

§ 3. Et ad hunc effectum illi, etiam

Cum facultate citandi et inhibendi in Curia et extra.

per alium seu alios quoscumque, tam in Romana Curia quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi prius, etiam summarie, de non tuto accessu, citandi et monendi; eisdemque et praedictis et quibuscumque aliis eiusdem Urbis curiarum iudicibus et personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quibus et quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, quibus sibi sive ab eo pro tempore deputando auditori videbitur, inhibendi; et in eventum non paritionis, contra inobedientes ac rebelles, ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi, illarumque aggravationem et alia, iuxta stylum et morem dictarum curiarum in similibus servari solitos, ac alias, prout sibi videbitur, procedendi; sententiamque sive sententias debitae executioni demandandi sive demandari faciendi; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias aliaque iuris et facti opportuna remedia, appellatione postposita, compescendi, auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, omniaque et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exequendi plenam et liberam licentiam seu facultatem concedimus.

Annulla io processus aliorum iudicum.

§ 4. Decernentes archihospitale, societatem ac eius officiales et personas huiusmodi, ex nunc deinceps, occasione praemissorum, alibi quam coram Bartholomaeo cardinali et pro tempore protectore praedicto conveniri, aut ad alios conveniendum constringi non posse. Ac processus, sententias et decreta, per alium seu alios, tam ordinarios quam delegatos, in causis praedictis quomodolibet pro tempore formatos, latas et facta, cum inde sequutis quibuscumque, nulla, irrita et inania nullinsque roboris vel momenti fore.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Praesentes quoque literas, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus et exemptionibus similium vel dissimilium gratiarum, etiam per nos aut successores nostros Romanos Pontifices et Sedem praedictam vel eius legatos et per regulas Cancellariae Apostolicae pro tempore factas, etiam in favorem fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis penitus et omnino exceptas esse et censeri, nec eisdem praesentibus per quascumque literas et etiam quasvis regulas generales et speciales et derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione, in se continentes, derogari posse; et si illis ullo unquam tempore ex aliqua, etiam quantumvis necessaria et urgenti, causa derogari contingat, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil omisso, insertus, et huiusmodi derogatio consistorialiter facta et per trinas et distinctas literas, eundem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, administratoribus sive custodibus, gubernatoribus, rectoribus et oeconomis archihospitalis et societatis huiusmodi legitime intimata et innovata fuerit, eorumque ad id expressus accedat assensus, derogationem huiusmodi nemini suffragari.

Decretum irritans.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam praedictae sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate fungente, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus praemissis et fe-

Clausulae derogatoriae.

licis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus apostolicis, necnon fabricae praedictae et hospitalium, ecclesiarum, monasteriorum et aliorum quorumcumque locorum et ordinum, etiam exemptorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis, conservatoriis, exemptionibus et literis apostolicis eisdem ac dilectis filiis populo Romano, necnon iudicibus, curiis et tribunalibus eorumque personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, etiam scientia et potestatis plenitudine similibus, ac alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; necnon reformationibus, etiam noviter factis, ac paribus motu et scientia approbatis, etiam disponentibus quod causae huiusmodi ad forum seu Curiam Capitolii reassumi debeant, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per regulas [1] generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse ac eisdem motu et scientia et potestatis plenitudine derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque; aut si praedictis vel quibusvis aliis, coniunctim vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca, curias et tribunalia ad iudicium trahi non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; ac quibuslibet aliis privilegiis, indultis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa aut totaliter non inserta, iurisdictionis ipsius protectoris explicatio impediri valeat quomodolibet vel differi, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Fides transumptorum.

§ 8. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula loca, quibus illis pro tempore opus fuerit, deferre, volumus et praedicta auctoritate decernimus quod illarum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo protectoris vel societatis huiusmodi seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel curiae, etiam saecularis, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII mensis ianuarii MDLX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 ianuarii 1560, pontif. anno I.

IV.

Moderatio constitutionis Pauli IV, editae contra religiosos apostatas, aut male translatos, vel extra claustra vagantes.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sedis Apostolicae solertia, dum ad salutare quorumdam remedium extructa in eo-

1 Legimus *clausulas* (R. T.).

rum detrimentum vergere conspicit, ne quod illis profuturum maturitate summa prodiisse comperitur, noxium incauto ministerio efficiatur, celeris provisionis opem offerre [1] consuevit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Paulus IV edidit constit.

§ 1. Dudum siquidem postquam felicis recordationis Paulus Papa IV, praedecessor noster *etc.* [2].

In executione autem dictae constitutionis Pauli IV multae lites ortae fuerunt, ex causis hic expressis.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, licet singulae literae praedictae a zelo religionis eiusdem praedecessoris emanarint, nihilominus, cum, post illarum publicationem, per ordinarios locorum ad earum executionem procedi coeptum foret, maximi in omnibus regnis et provinciis rumores, lites et contentiones ac gravia scandala multipliciter exorta fuerint, cum, propter maximum ipsorum apostatarum et translatorum numerum, tum etiam ex quo multi praetenderent vel praetendebatur damnari in dictis literis omnes fere uniformiter, nulla inter causam et causam, ac lepram et lepram differentia et distinctione habita, damnabantur, cum tamen plerique eorum praeviis dispensationibus et indultis ac licentiis ab eorum superioribus et a Sede Apostolica, ex iustis et rationabilibus causis concessis, muniti forent, et nihilominus quamplures ex eis, zelo conscientiae aut poenitentia ducti, literis praedictis parere, et ad monasteria, a quibus egressi fuerant, redire sese paratos exhiberent, sed ab eorum superioribus nullatenus reciperentur, sicque, ob earumdem literarum rigorem, magnis confusionibus involuti, ac miseriis et calamitatibus oppressi, omnibus remediis destituti, ac perpetuis censuris innodati, eiboque spirituali et temporali privati remanerent, ita quod vel fame perire aut in extremam desperationem adduci cogerentur; aliique christifideles, ob magnam dictorum apostatarum multitudinem, vix eorum conversationem effugere, et exinde excommunicationis incursum evadere possent, et propterea verisimile sit quod, si Bonitati Divinae eiusdem praedecessoris vitam paulo ulterius prorogare placuisset, ipsemet literas suas huiusmodi zelo caritatis, ut par erat, ad iustam moderationis formam et aequitatem reduxisset.

Ideo hic Pontifex absolvit omnes apostatas et translatos in saeculo vagantes a censuris et poenis incursis ob non paritionem dictae constit. Pauli IV;

§ 3. Nos igitur, pro pastoralis officii nostri debito, omnibus ius et iustitiam, ut decet, ministrare, neminique iniuriam inferre, aut quemquam suis iuribus ac legitimis defensionibus privare aut alias indebite molestare volentes; sed singulorum christifidelium animarum saluti ante omnia prospicere cupientes, singularum literarum praedecessoris huiusmodi tenores, ac si de verbo ad verbum inserentur, praesentibus pro expressis habentes; habita super his cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, super hoc negotio specialiter deputatis, deliberatione matura, motu simili ac ex certa scientia nostris et de simili potestatis plenitudine, omnes et singulos apostatas seu translatos in dictis literis comprehensos et adhuc in saeculo vagantes, cuiuscumque Ordinis fuerint, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti ac aliis sententiis, censuris et poenis, quas, ob non paritionem literarum praedictarum seu alias quomodolibet incurrerunt, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse absolvimus et liberamus.

Et super irregularitate per eosdem contracta dispensat;

§ 4. Necnon super irregularitate per eos, contra tenorem dictarum literarum missas celebrando seu alias se divinis immiscendo, forsan contracta, dummodo in contemptum clavium id non egerint, misericorditer in Domino dispensamus, ac absolutos et liberatos ac dispensatos fore censemus.

Et dictam Pauli IV constit. ad formam iuris et sacrarum con-

§ 5. Singulasque literas praedictas ac in eis contenta et inde sequuta quaecumque ad formam iuris et sacrarum

1 *Afferre*, Cherub. (B. T.). 2 Omittitur relatio bullae Pauli IV, quoniam eam habemus in tom. VI, pag. 538, *Postquam*, num. XXIII.

stitutionum reducit;

constitutionum reducimus et reducta fore, sicque ab infrascriptis et quibusvis aliis iudicibus ac praedictis auditoribus et cardinalibus, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere, ac quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Advocat etiam ad se omnes causas, contra eosdem coram quibuscumque iudicibus introductas, easque summarie et iuxta dispositionem iuris et sacrarum constitt. cognoscendas committit vicario Urbis et respective ordinariis locorum et superioribus monasteriorum etc.:

§ 6. Et nihilominus omnes et singulas lites et causas hactenus coram quibusvis ordinariis vel delegatis iudicibus, etiam in Romana Curia, introductas, et in quacumque instantia contra dictos apostatas vel translatos vel alias inter quasvis personas praemissorum occasione pendentes, etiam si instructae sint, ad nos advocamus; ac causas tam ad nos advocatas, in statu et terminis quibus reperiuntur, reassumendas, necnon quam et quas quaecumque personae ecclesiasticae et regulares ac etiam saeculares, necnon conventus, collegia et universitates, dicta occasione, sua in praemissis, communiter vel divisim, interesse putantes, contra dictos apostatas vel translatos aut alios quoscumque, active vel passive, civiliter vel criminaliter, ac realiter et personaliter vel mixtim habent et movent, aut habere vel movere valent et intendunt, cum omnibus et singulis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, quoad professos videlicet in alma Urbe et eius districtu et alios in ea praesentes, dilecto filio nostro Iacobo, tituli Sanctae Mariae in Cosmedin, presbytero cardinali, Sabello nuncupato, nostro in dictis Urbe et districtu vicario generali seu eius locumtenenti; extra Curiam vero, ordinario loci ac superiori monasterii, in quibus prima et originaria professio per quemlibet ex apostatis et translatis praedictis emissa asseritur, necnon obtinenti primam dignitatem in ecclesia cathedrali seu metropolitana, vel alii superiori loci huiusmodi seu antiquiori canonico pro tempore residenti, per eos coniunctim, visis in primis et diligenter inspectis et examinatis dispensationibus, facultatibus, licentiis et indultis per eosdem apostatas et translatos quomodolibet obtentis, ac processibus desuper habitis et causis in eis allegatis mature discussis, ac prout iustum et aequum fuerit verificatis et probatis, summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, ac sola veritate inspecta, appellatione postposita, audiendas, cognoscendas et iuxta iuris et sacrarum constitutionum dispositionem fine debito terminandas committimus et mandamus.

Facultatem eisdem iudicibus concedit ut summarie procedant etc.

§ 7. Ac eisdem iudicibus omnes et singulos praedicta occasione citandos, etiam per edictum publicum, constito, etiam summarie et extraiudicialiter, de non tuto accessu, citandi; necnon illis et aliis quibus, ubi, quando et quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis eorum arbitrio imponendis, moderandis et applicandis, etiam per edictum publicum [1] simile inhibendi; necnon quoscumque apostatas et translatos huiusmodi, qui sine canonica dispensatione aut licentia in saeculo vagari reperti fuerint, ad monasteria, a quibus exiverunt, aut alia regularia vel alia honesta loca, prout melius, pro ipsorum animarum salute, eis visum fuerit, super quo ipsorum iudicum conscientiam oneramus, reverti seu intrare faciendi et compellendi; ac quaecumque alia, quae per eos in praemissis statuta et ordinata fuerint, debitae executioni demandandi; ac quascumque executiones per quosvis iudices ordinarios vel delegatos in vim literarum praedecessoris huiusmodi alias contra iuris formam factas, causa cognita, retractandi et annullandi et in pristinum statum reducendi; contradictores quoslibet

1 Cherub. et Matth. omittunt *publicum* (R. T.).

et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendi; necnon censuras et poenas praedictas incurrisse declarandi, atque illas, legitimis desuper habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravandi; interdictum ecclesiasticum, prout iuris fuerit, apponendi, et auxilium brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi; ceteraque in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exequendi, plenam et liberam concedimus facultatem.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis literis praedecessoris ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, indultis et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, quotiescumque et per quoscumque, ac quibuslibet et ex quibusvis causis, necnon intuitu, consideratione, contemplatione et ad instantiam quorumvis, aut etiam motu, scientia ac plenitudine similibus, etiam quod nonnulli ex dictis Ordinibus professores se de causis eis per Sedem ipsam delegatis, nisi sub certis modo et forma ibidem contentis, intromittere minime teneantur, concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad praemissa dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Apostatae et translati absoluti poenitentiam a confessoribus iniungendam facere debent.

§ 9. Volumus autem quod singuli apostatae et translati huiusmodi, ut praefertur, absoluti, poenitentiam per eorum confessorem sibi pro excessibus praedictis iniungendam facere omnino teneantur; quodque, antequam sententiae seu declaratoriae per supradictos iudices a nobis deputatos ferendae paruerint, a celebratione missarum et quocumque altaris ministerio omnino abstineant.

Apostatae et translati dispensationes et indulta iudicibus praesentare et causam expedire debent intra sex menses, alias in censuras antea incursas reincidunt

§ 10. Volumus autem quod, infra sex menses a die publicationis praesentium, ipsi apostatae seu translati licentias eorum ac dispensationes et indulta supradictis iudicibus praesentent, et sententiam declaratoriam desuper ab eisdem promulgari, ac causam realiter et cum effectu totaliter expediri faciant; quo termino elapso, et causa, ut praefertur, non expedita, dicti apostatae et translati in easdem censuras et poenas, in quibus ante publicationem praesentium erant, reincidisse eo ipso censeantur, nisi per ipsos iudices steterit, aut alio legitimo impedimento, per ipsos iudices arbitrando, dicti apostatae et translati detenti fuerint.

Exemplorum fides.

§ 11. Ceterum, quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca, in quibus eis utendum erit, deferri, volumus similiter, et praedicta apostolica auctoritate statuimus atque decernimus illarum transumptis, sive impressis sive manuscriptis, dicti vicarii sigillo et illius seu publici notarii subscriptione munitis, eamdem prorsus fidem ubique locorum, in iudicio et extra, adhibendam fore, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo, tertio nonas aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 aprilis 1560, pontif. anno I.

V.

Contra detinentes ioculia et alia quaecumque bona ad Sedem Apostolicam spectantia, ac scientes et non revelantes 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Pastoralis officii auctoritas nos admonet et ordo rationis exposcit ut circa ea

1 De materia posui concord. in Pauli IV constitutione XVI, *Incumbentia*, tom. VI, pag. 525; et signanter contra non restituentes scripturas, vide in Sixti V constitutione *Non sine*, ubi notabo.

potissimum versemur, per quae res et bona Romanae Ecclesiae, praesertim usui et ornatui Romani Pontificis pro tempore existentis et sacri Palatii Apostolici deputata, ab impiorum insultibus et rapinis praeserventur, et ab eis ausu sacrilego aut alias quomodolibet abinde asportata et distracta, nostrae operationis ministerio, cum animarum salute eorum, qui, caeca cupiditate ducti, in non parvam sanctae matris Ecclesiae iniuriam et ipsorum animarum perniciem, Dei timore postposito, ea surripere seu sibi appropriare aut istinc divertere ausi fuerint, eidem Romano Pontifici pro tempore existenti restituantur, et taliter in praemissis provideatur quod ceteris cedat in exemplum.

Causa istius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, tam tempore infirmitatis diversorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ex qua, sicut Domino placuit, ab humanis decesserunt, quam exinde diversarum sedium vacantium, quamplura etiam pretiosa iocalia, ornamenta et alias [1] ad eumdem Romanum Pontificem pro tempore existentem et Cameram Apostolicam spectantia et pertinentia, tam ex dicto Palatio quam aliis quibusvis locis ablata et distracta fuerint, et a diversis, eorum protervia invalescente, detineantur, in nostrum et eiusdem Pontificis pro tempore existentis non solum detrimentum, sed etiam Sedis Apostolicae ignominiam et ipsius auctoritatis diminutionem, necnon illa detinentium animarum perniciem atque periculum non modicum.

Confirmatio poenarum impositarum contra occupatores bonorum Camerae Apostolicae.

§ 2. Nos, huiusmodi inconvenientibus et animarum periculis, quantum in nobis est, obviare, et alias in praemissis, prout par est, providere volentes, motu proprio et ex certa scientia, omnes et singulas censuras et poenas ecclesiasticas per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros contra talium perpetratores ac alios bonorum apostolicorum usurpatores, raptores, receptores et possessores, ac detinentes et non restituentes, ac scientes et non revelantes, sub quibusvis verborum formis, promulgatas, quarum et literarum apostolicarum desuper confectarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et innovamus, ac ad infrascriptos extendimus et ampliamus.

Praeceptum restituendi omnia bona dictae Camerae.

§ 3. Et nihilominus, motu et scientia similibus, omnes et singulas tam saeculares quam ecclesiasticas ac etiam militarium [1] et Ordinum quorumcumque religiosas, etiam quacumque episcopali, archiepiscopali et patriarchali seu superiori ecclesiastica, etiam cardinalatus honore, ac etiam comitali, marchionali aut ducali dignitate fungentes, ac alias mundanas personas, nullas penitus excipientes, cum dignitas, qualiscumque sit, in peccatis nemini excusationem praebere debeat, quae iocalia, ornamenta, aurum, argentum monetatum et non monetatum, gemmas, margaritas, lapides pretiosos, quocumque nomine nuncupatos, pecunias, vestes, pannos, et tam manuscriptos quam quosvis alios libros, scripturas, necnon equos, mulos, mulas, imagines aureas argenteasque ac aeneas et marmoreas, ac supellectilia et alia quaecumque res et bona, mobilia et immobilia, spiritualia et profana, cuiuscumque generis, qualitatis et quantitatis seu pretii existentia, pro usu et commoditate Romani Pontificis pro tempore existentis et ornamento Palatii huiusmodi deputata ac ad eumdem Romanum Pontificem pro tempore existentem spectantia et pertinentia, tempore infirmitatis cuiusvis Romani Pontificis praedecessoris nostri, ex qua postmodum decessit, ac etiam dictae Sedis propterea vacantis, necnon per

[1] *Et alias res et bona usui praefato deputata, et alias ad eumdem* etc., Cherub. (R. T.).

[1] Cherub., *militiarum* (R. T.).

annum ante obitum et vacationem huiusmodi ex dicto Palatio et alias undecumque et quocumque asportarunt, subtraxerunt et occultarunt, seu praetenso titulo donationis vel remissionis, quietantiæ, vel alio quovis praetextu detinent, seu sciunt ea per alios possideri et usurpari et detineri, aut occupata fuisse et ad eorum manus pervenisse, requirimus et monemus, eisque districte praecipiendo mandamus quatenus, infra sex dierum spatium, quorum duos pro primo, duos pro secundo et reliquos duos dies pro tertio et peremptorio termino, eis et eorum cuilibet pro canonica monitione assignamus, omnia et singula iocalia, ornamenta, aurum, argentum, gemmas, margaritas, lapides pretiosos, pecunias, vestes, pannos, libros, equos, mulos, mulas, imagines, supellectilia et alias res et bona huiusmodi dilecto filio Francisco Odescalco, dictae Camerae praesidenti, cum effectu restituant et consignent; et si donationem vel remissionem aut quietantiam desuper sibi factam praetendant, illam seu illas videndas, ut decet, et examinandas exhibeant et producant, ac illorum raptores, usurpatores seu detentores vel occupatores scientes revelent.

Poenae non restituentium, scientiumque et non revelantium.

§ 4. Alioquin, lapsis diebus huiusmodi, omnes et singuli praefati, episcopali vel archiepiscopali aut patriarchali ac etiam cardinalatus honore seu dignitate praediti, interdicti ingressus ecclesiae poenam, alii vero excommunicationis et maledictionis aeternae sententiam, quam alias in eos in his scriptis ferimus, et a quibus, nisi a nobis et eodem Romano Pontifice pro tempore existente ac satisfactione praevia, praeterquam in mortis articulo constituti, relaxationis et absolutionis beneficium obtinere non possint, eo ipso incurrant; et si pontificali aut cardinalatus honore seu dignitate praediti, sub interdicto huiusmodi per octo dies praefatos sex immediate sequentes permanere, alii vero inferiores ab eis eamdem excommunicationis sententiam animo, quod absit, indurato sustinere non formidaverint, ex tunc elapsis dictis octo diebus, pontificali et etiam cardinalatus honore seu dignitate praediti, a regimine ecclesiarum eis commissarum eo ipso suspensi, ac tam ipsi, si alia beneficia ecclesiastica obtineant, quam inferiores ab eis, omnibus et singulis monasteriis, prioratibus, dignitatibus, administrationibus, canonicatibus et praebendis ceterisque beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus ac Ordinum quorumcumque regularibus, quae in titulum vel commendam seu administrationem aut alias quomodolibet, etiam ex quibusvis concessionibus seu dispensationibus apostolicis, obtinent, ac etiam officiis Romanae Curiae per eos obtentis; saeculares vero feudis, vicariatibus, dominiis et aliis iuribus ac privilegiis quibuscumque eis per Romanam Ecclesiam aut Sedem praefatam seu alios quoscumque, etiam quacumque alia auctoritate, etiam imperiali vel regali, eis concessis, etiam eo ipso privati existant, et ad similia beneficia, feuda, privilegia, vicariatus, dominia et iura obtinenda, necnon ad quoscumque actus legitimos exercendos inhabiles ac etiam intestabiles similiter eo ipso fiant; possintque beneficia, officia ac vicariatus et feuda aliaque iura huiusmodi, tamquam vacantia, absque alia declaratione desuper facienda, a nobis et Sede praefata, ac aliis, ad quos pertinet illa concedere et dare, libere impetrari. Scituri quod si ipsi aut eorum aliqui, suae salutis immemores, in praemissis morosi fuerint, seu praemissa adimplere non curaverint aut contempserint, hoc eis pro gravi crimine et delicto imputabitur, et, iustitia mediante, contra eos ad graviores et tales poenas,

absque ullo respectu, procedetur, quod illorum coercitio eis perpetuo cedat ad noxam et aliis in exemplum, absque spe alicuius veniae inde consequendae; si vero se humiles et ad satisfaciendum aut confitendum promptos exhibuerint, cum omni mansuetudine et respectu excipientur, et ex eorum spontanea restitutione seu confessione eis salutaris misericordiae et gratiae amplexus exuberanti Sedis praefatae in singulos poenam [1] pietate provenient. Ac singulas donationes eis desuper factas, prout iustitia suadebit et ordo dictaverit rationis, admittemus. Ac, ut praefertur, scientes et revelantes, ultra coeleste praemium, a nobis condignam mercedem et retributionem recipient, cum eorum omnium grata satisfactione.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis praefatis, necnon donationibus, concessionibus et aliis dispositionibus de bonis, rebus et aliis praemissis, etiam cardinalibus et aliis praedictis, etiam per dictos praedecessores aut eorum aliquos ex quacumque causa factis et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu et scientia paribus, concessis, confirmatis et innovatis, quibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter et expresse derogamus, et quoad hoc eis nolumus aliquatenus suffragari, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Vis publicationis.

§ 6. Volumus autem quod cum primum praesentes literae, quarum transumptis, manu notarii publici subscriptis, sicuti ipsis originalibus literis, fidem plenam adhiberi debere decernimus, in valvis basilicae Principis Apostolorum de Urbe et ecclesiae Lateranensis ac acie Campi Florae etiam de Urbe per unum ex cursoribus nostris affixae fuerint, perinde singulos, quos concernunt, quoad praemissa omnia, arctent, ac si eaedem praesentes literae eis singulariter et personaliter insinuatae et intimatae fuissent.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLX, tertio nonas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 3 aprilis 1560, pontif. anno I.

VI.

Exemptio monialium et sororum cuiuscumque Ordinis regularium a decimis, subsidiis aliisque oneribus.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

De statu ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, curae nostrae divina dispositione commissorum, paterna diligentia cogitantes, ad ea per quae illorum ac personarum, praesertim foeminei sexus, in illis sub regulari castimonia Altissimo famulantium, statui et opportunae subventioni valeat salubriter provideri, ipsaeque personae, semotis perturbationibus universis, in pacis et quietis amoenitate divinis officiis liberius vacare valeant, libenter attendimus, ac in iis nostri pastoralis officii partes favorabiliter impartimur.

§ 1. Hinc est quod nos, motu proprio,

1 *In singulos ipsorum pietate* etc., Cherub. (R. T.).

Exemptio a solutione decimarum et subsidiorum ac aliorum onerum.

non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, omnes et singulas abbatissas, priorissas, ministras, moniales et sorores quorumcumque monasteriorum, domorum et regularium locorum monialium et sororum, quorumvis Cisterciensis, Praemonstratensis, Sanctae Clarae, necnon Sancti Benedicti, et Sancti Augustini, ac Tertii Ordinis Sancti Francisci et aliorum quorumvis Ordinum, etiam sub cura et regimine, ac secundum regularia instituta fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum et Eremitarum eiusdem Sancti Augustini degentium, in Lombardia et quibuscumque aliis Italiae partibus consistentium; ipsaque monasteria et domos et loca (deductis quatuordecim ducatis auri de Camera pro victu cuiuslibet monialis seu sororis) alios redditus non habentia, eorumque possessiones et alia quaecumque bona mobilia et immobilia a quarumcumque decimarum et subsidiorum ac aliorum onerum quomodolibet nuncupatorum, per nos et Sedem Apostolicam seu eius legatos et nuncios aut quoscumque alios, quavis auctoritate fungentes, etiam pro expeditione contra Turcas vel fidei tuitione ac fabrica basilicae Principis Apostolorum de Urbe, aut quavis alia urgentissima causa pro tempore impositorum, solutione, ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, in perpetuum prorsus eximimus et liberamus.

Prohibitio commissariis et aliis exactoribus.

§ 2. Et nihilominus omnibus et singulis collectoribus, subcollectoribus ac commissariis, necnon quibuscumque aliis, ad decimarum et subsidiorum huiusmodi exactionem deputatis et pro tempore deputandis, in virtute sanctae obedientiae et sub nostrae indignationis ac excommunicationis latae sententiae poena, districtius inhibemus [1] abbatissas, priorissas, ministras, moniales et sorores, domos et monasteria et loca praedicta, etiam vigore quarumcumque literarum a nobis vel Sede praedicta pro tempore emanatarum, etiam si in eisdem contineatur quod ad quaevis exempta et non exempta domos, monasteria et loca se extendant, vel alterius cuiuscumque tenoris existant, ipsius Sedis sibi concessae facultatis, nisi de praesentibus earumque toto tenore ac de dictis Ordinibus et nomine eorum, quibus dictorum Ordinum cura, gubernatio et protectio pro tempore commissa fuerint, plenam et expressam ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, fecerint mentionem, ad solvendum decimas seu subsidia aut onera huiusmodi quovis modo cogere aut compellere, seu alias, praemissorum occasione, eas molestare seu inquietare praesumant.

Executorum istius constitutionis deputatio et facultates.

§ 3. Quo circa dilectis filiis Camerae Apostolicae locumtenenti ac almae Urbis nostrae vicario in spiritualibus generali, necnon universis et singulis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis, et etiam dilectis filiis eorum in spiritualibus vicariis generalibus, ceterisque ecclesiarum praelatis per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, eisdem abbatissis, priorissis, ministris, monialibus et sororibus in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque inviolabiliter observari faciant. Non permittentes eas ac domos, monasteria et loca huiusmodi per collectores aut subcollectores et commissarios praefatos seu quoscumque alios, contra earumdem praesentium tenorem, quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his haben-

1 *Inhibemus ne abbatissas.* Cherub. (R. T.).

dis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae

§ 4. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali de duabus diaetis edita, dummodo non ultra tres diaetas vigore praesentium ad iudicium non trahatur, et aliis constitutionibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam in forma brevis, aut aliis quibuscumque per Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam nos et Sedem praedictam, cum quibusvis irritativis, annullativis, revocativis, exceptivis, restitutivis, declarativis aut derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, etiam pluries ac alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si talia forent, quod, pro eorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides danda

§ 5. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis et manu alicuius notarii publici subscriptis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominicae MDLX, nonis aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 5 aprilis 1560, pontif. anno I.

VII.

Approbatio confraternitatis sub invocatione SS. Trinitatis, nuper in Urbe institutae ad hospitandum peregrinos ad Urbem devotionis causa accedentes; ac reficiendum pauperes convalescentes ex aliis hospitalibus dimissos; et tam illos quam istos salubriter in mandatis Domini erudiendos.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Illius, qui, pro dominici salvatione gregis, in ara crucis, in precium immolari non abnuit, quique, inter alia sibi beneplacita, opera caritatis exercere praecipit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, curis angimur assiduis et continua meditatione pulsamur, circa quaecumque pia opera, ex christifidelium devotione ordinata, ut firma perpetuo subsistant, omni studio intendere; et ut ad praemissa christifidelium vota facilius concurrant, fideles ipsos quibusdam spiritualibus et allectivis muneribus libenter prosequimur, ac eorum pia suffragia donis caelestibus confovemus, ut exinde reddantur divinae gratiae aptiores, et caritatis devotio in dies peramplius augeatur in eis.

Confraternitas SS. Trinitatis nuper in Urbe instituta fuit ad subsidium pauperum peregrin. et convalescentium.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum modernorum confratrum confraternitatis Sanctissimae Trinitatis in alma Urbe, de consensu bonae memoriae Philippi Archinti, episcopi Salutiarum, in dicta Urbe et illius districtu Sedis Apostolicae, dum viveret, vicarii generalis, alias in pauperum peregrinorum et convalescentium personarum subsidium institutae et erectae, nobis nuper exhibita petitio continebat, ipsi, relictis peccatorum sordibus, ad divinorum praeceptorum, quantum humana patitur fragilitas, observationem reducti, iramque divinam poenitentia et orationibus praecipue placari considerantes, ultima cuiuslibet mensis dominica

in unum congregati, peccata sua confessi, sacratissimum Eucharistiae sacramentum devote recipiant, factaque deinde processione, orationem in deputato oratorio inchoantes, et inter cetera, pro reipublicae christianae conservatione et augmento ac inter principes christianos universali pace, ac pro tempore Romani Pontificis et sanctae Romanae Ecclesiae illiusque praelatorum prospero statu, devote orantes, orationem ipsam, partitis inter se horis, triduo reddant continuam; et in ipsius confraternitatis hospitali, quod multis annis in domo conductitia tenuerunt et nunc in propria ad id, Dei liberalitate et benignitate, per eos empta tenent, quoscumque peregrinos ex quibusvis mundi partibus ad Urbem et hospitale huiusmodi, devotionis causa, confluentes, recipiant, et tribus ac quandoque pluribus diebus hospitentur et nutriant ac alias charitative tractent. Pauperes quoque convalescentes, qui dum ab infirmitate liberi quidem, sed debiles, ex aliis hospitalibus exeuntes, quo se recipiant et reficiant non habent, in eodem suo hospitali similiter recipiant, ac eos non solum corporaliter, donec robustiores evadant, pie alant, verum etiam rudes et ignaros interim, dum ibidem morantur, in mandatis Domini erudiant, cunctaque haec opera ex bonis sibi a Deo collatis, aliorumque christifidelium eleemosynis, cum ipsa confraternitas proprios redditus, ultra quindecim ducatos, non habeat, hactenus exercuerint et exerceant, exercereque perpetuo intendant; pro parte eorumdem confratrum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus, ut ipsi et alii christifideles sui interioris hominis reformationi intendere, et in piis et caritativis operibus praefatis, sine quibus coeleste regnum acquiri non potest, perseverare studeant, et ceteri ad ingrediendum dictam confraternitatem allicientur eo libentius et promptius quo spiritualibus donis se refici, animarumque suarum salutem facilius adipisci cognoverint, eorum animarum saluti pauperumque ac dictae confraternitatis successui consulere, ac ipsius confraternitatis erectionem huiusmodi illiusque statuta et ordinationes approbare et confirmare ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Et modo a Pontifice cum suis ordinationibus confirmatur.

§ 2. Nos igitur, qui divini cultus augmentum et animarum salutem et hospitalium quorumlibet salubrem directionem et in eis degentium pauperum subventionem nostris potissimum temporibus ubique vigere et augeri sinceris desideramus affectibus; quique dictorum confratrum tam salubria vota et pia opera plurimum in Domino collaudamus, ipsos et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ipsius confraternitatis erectionem et institutionem necnon ordinationes et statuta pro salubri eiusdem confraternitatis directione nunc et pro tempore edita, sacris canonibus non contraria, ac inde pro tempore secuta quaecumque, licita tamen et honesta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac rata et grata habemus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus.

Indulgentiaque conceditur visitantibus eius hospitale et ecclesiam in festis Trinitatis et S. Benedicti, et eleemosynas largientibus 1.

§ 3. Et insuper universis et singulis confratribus confraternitatis huiusmodi, nunc et pro tempore existentibus, aliisque christifidelibus utriusque sexus, etiam de dicta confraternitate non existentibus, qui ho-

1 Scias omnes indulgentias pro quibus porrigendae sunt manus adiutrices revocatas esse a Pio V.

spitale praefatum seu illius pro tempore ecclesiam vel cappellam, in eiusdem Sanctissimae Trinitatis et Sancti Benedicti cuiuslibet anni festivitatibus, devote visitaverint annuatim, et ibidem ter Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam devote recitaverint, et de bonis sibi a Deo collatis pro eorumdem convalescentium et peregrinorum manutentione, eorum arbitrio, aliquam eleemosynam porrexerint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam misericorditer in Domino, auctoritate et tenore praedictis, ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine concedimus et elargimur.

Orantibus et... tempore orationis indicendae a confraternitate,

§ 4. Illis vero qui, ultima cuiuslibet mensis dominica vel illam immediate sequenti, lunae sive martis aut aliis diebus, orationi per dictos confratres pro tempore fiendae et continuandae intervenerint, et illam per unam horam vel, si vires ad id non suppetant, breviori tempore continuaverint, pro reipublicae christianae conservatione et augmento, ac principum christianorum mutua et universali pace, nec non nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis ac Romanae Ecclesiae huiusmodi et illius pastorum felici et prospero statu pias ad Christum Iesum preces effundendo, quoties id fecerint.

Confratribus quoque 1.

§ 5. Necnon qui de gremio dictae confraternitatis esse pro tempore desideraverint, in ipsa eorum in confratres receptione et descriptione, dummodo omnes et singuli christifideles praefatis temporibus et diebus ipsis poenitentes et confessi sint et sacratissimum D. N. Iesu Christi Corpus receperint, centum annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis etiam misericorditer in Domino relaxamus.

§ 6. Praeterea eisdem ac omnibus et singulis aliis praefatis et eorum cuilibet, ut facilius et commodius ad praemissa se disponere possint, quod temporibus et diebus praefatis, praeterquam tempore Paschatis Resurrectionis eiusdem D. N. I. Christi, quemcumque saecularem vel cuiusvis, etiam Mendicantium, Ordinis regularem presbyterum in suum possint eligere confessorem, qui eos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi praefatae reservatis (nullis prorsus, praeterquam in bulla in die Coenae Domini legi solita contentis, exceptis), absolvere, et pro commissis poenitentiam salutarem iniungere possit et valeat, licentiam et facultatem impartimur.

Facultas eligendi confessorem 1.

§ 7. Et demum aliis quibusvis personis utriusque sexus christifidelibus ubilibet constitutis, quae eidem hospitali, pro eius ac convalescentium et peregrinorum praefatorum manutentione et sustentatione, aliquam eleemosynam eorum arbitrio quomodolibet porrexerint vel undecumque transmiserint, etiam quoties id fecerint, trecentos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis similiter in Domino relaxamus.

Eleemosynam praestantibus indulgentia datur 2.

§ 8. Praesentibus, quas sub quibusvis similium vel dissimilium indulgentiarum, gratiarum et facultatum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut derogationibus, etiam intuitu fabricae Principis Apostolorum de dicta Urbe aut Cruciatae Sanctæ, et ex quibusvis, quantumcumque urgentissimis causis, per nos et Sedem praedictam aut alios quoscumque, etiam motu proprio et alias quomodolibet, pro tempore factis, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas esse et censeri debere decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

Clausulae huius constitutionis praeservativae.

1 Vide quoad indulgentias id quod notavi in praecedenti nota.

1 Hanc limitavit Clemens VIII. 2 Vide mox citatam revocationem Pii V.

§ 9. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo pro tempore existentis protectoris dictae confraternitatis munitis, plenaria fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, prout originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Fides danda transumptis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, concessionis, elargitionis, relaxationum, impartitionis, decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Sanctio poenalis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo, tertio kalendas maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 aprilis 1560, pontif. anno I.

VIII.

Facultas praelatorum congregationis monachorum B. Mariae Montis Oliveti, Ordinis S. Benedicti, circa absolutionem et dispensationem monachorum ab irregularitate, quibuscumque casibus, quatuor [1] *exceptis, incursa* [2].

Pius Papa IV dilectis filiis generali et aliis abbatibus et visitatoribus congregationis Montis Oliveti, Ordinis S. Benedicti.

Votis vestris, per quae vestrarum et monacorum vestrorum animarum salus provenire dignoscitur, inducimur ut illis, quantum cum Deo possumus, benevolum favorem impartiamur.

Exordium.

1 Forsitan legendum *tribus* (R. T.).

2 Cetera quae istam congregationem concernunt vide in Clementis VI constitutione III, *Solicitudinis*, tom. IV, pag. 471.

§ 1. Hinc est quod nos volentes vos, qui, ut asseritis, ex iustis et rationabilibus causis, ad instar Sancti Augustini et Minorum Sancti Francisci seu aliorum Ordinum et congregationum, quoscumque monacos, a quacumque irregularitate (praeterquam ratione homicidii voluntarii, bigamiae et mutilationis membrorum) absolvere, et cum illis, ut, illa non obstante, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines promoveri possint dispensare desideratis, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis et cuilibet vestrum ut in foro conscientiae tantum omnes et singulos congregationis vestrae monacos, etiam ante legitimam aetatem ad aliquem ex sacris ordinibus promotos, a quacumque irregularitate per eos quomodolibet pro tempore (praeterquam ratione homicidii voluntarii, bigamiae aut mutilationis membrorum) contracta absolvere, et cum eis ut, illa non obstante, ad omnes, etiam [1] et presbyteratus ordines, alias tamen rite, promoveri, et postquam in illis promoti fuerint, etiam in altaris ministerio ministrare, ac missas et alia divina officia celebrare, ac quascumque administrationes et officia ipsius vestrae congregationis recipere [2], illaque gerere et exercere libere et licite valeant, dispensare, eosque in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant aut existere poterant, statum restituere, reponere et plenarie reintegrare libere et licite valeatis. Quodque confessor, quem quilibet vestrum pro tempore duxerit eligendum, vos et vestrum quemlibet, si forsan, quod absit, aliquam irregularitatem quomodolibet pro tempore incurreretis, absolvere et in statum pristinum restituere, ac ut administrationes et officia praedicta, ut praefertur, recipere et retinere etiam licite et libere [3] valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Facultas absolvendi et dispensandi, de qua in rubr.

1 *Etiam sacros*, Cherub. (R. T.). 2 *Recipere et retinere*, Cherub. (R. T.). 3 Legendum putamus *libere possitis, dispensare valeat etc.* (R. T.).

Derogatio quorumcumque in contrarium.

§ 2. Non obstantibus praemissis et apostolicis ac provincialibus et synodalibus constitutionibus et ordinationibus, ac vestri Ordinis et congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis [1] et literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et etiam iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV maii, millesimo quingentesimo sexagesimo, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 maii 1560, pontif. anno I.

IX.

Spolia personarum ecclesiasticarum, de eorum bonis, etiam ad favorem locorum piorum, absque Sedis Apostolicae licentia, disponentium, spectant ad Reverendam Cameram Apostolicam [2].

Pius Papa IV dilecto filio Francisco Odescalco, Camerae Apostolicae praesidenti ac spoliorum quorumcumque in universa Italia collectori nostro generali.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Grave nobis et molestum accidere solet, cum de personarum ecclesiasticarum actionibus, quae integritatis exemplo ceteris praestare debent, ea nobis deferuntur, quae et eorum famae sinceritatem denigrare et Camerae nostrae Apostolicae incommodum ac detrimentum afferre videntur; unde nos, ut malitiosorum pravis intentionibus occurrere valeamus, debita postmodum remedia in medium afferre et perniciosis fraudibus, prout ex universalis nostrae Curiae solicitudine tenemur, obviare cogimur.

Causa constitutionis.

§ 1. Cum itaque (sicut ex proborum et fide dignorum hominum relatione nuper accepimus) quamplures praelati, presbyteri et aliae ecclesiasticae personae diversarum provinciarum, locorum et dominiorum et praesertim regni Neapolis, nulla a nobis seu Sede Apostolica facultate testandi suffulti vel muniti, sed temeritate propria et forsan ad suorum importunam suggestionem impulsi, in eorum ultimis voluntatibus testamenta sua condendo, ac donationes seu legata aut codicillos faciendo, de bonis suis diversimode, licet id facere nullo modo possint neque debeant, disponere audeant; ipsaque bona, sub diversis confictis praetextibus et coloribus, hospitalibus ac piis locis et forsan cum promissionibus clandestinis quod eorum consanguineis vel affinibus aut aliis personis ab eisdem testatoribus nominatis, post illorum obitum, ab ipsis hospitalibus et locis de certa seu quota portione bonorum huiusmodi subveniatur, testari, relinquere, legare, codicillari non erubescant, in dictae Camerae grave damnum et praeiudicium maximum; dictae Camerae indemnitati opportune consulere, et inconvenientibus huiusmodi, pro officii nostri debito, congruum remedium adhibere volentes.

§ 2. Motu proprio et ex certa scientia

1 *Statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis*, Cherub. (R. T.).

2 Hoc idem statuit Paulus III, ut in eius constitutione XXXVIII, *Romani*, tom. VI, pag. 317. Haec tamen licentia non suffragatur curatis extra residentiam decedentibus, ut infra in constitutione *In suprema*. Sed curiales habent privilegium circa spolia, ut infra in Pauli V constit. *In eminenti*.

Prohibitio disponendi in ultimis voluntatibus de rebus ecclesiasticis, absque licentia Sedis Apostolicae.

ac matura deliberatione nostra, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, decernimus et declaramus omnia et singula testamenta, donationes in illis [1] vel mortis causa factas, codicillos, legata et quaecumque alia in ultimis voluntatibus per quoscumque ecclesiarum praelatos, etiamsi patriarchali, archiepiscopali vel episcopali praefulgeant dignitate, ac quorumvis monasteriorum, cuiuscumque Ordinis, abbates seu commendatarios, ac presbyteros et alias quaslibet ecclesiasticas personas praedictas et quascumque alias, quae ex bonis et redditibus ecclesiasticis et beneficiorum fructus percipiunt, absque nostra seu eiusdem Sedis speciali licentia et facultate quomodolibet, quae in futurum ab illis, quocumque praetextu, aut quaesito colore etiam in favorem hospitalium et aliorum piorum locorum huiusmodi, de dictis redditibus fieri, condi et testari seu relinqui aut quovis ultimae voluntatis titulo disponi contigerit, nulla, irrita, inania, invalida ac nullius prorsus roboris vel momenti fore et esse, ac nemini, neque etiam hospitalibus et piis locis praefatis, cum ad Cameram ipsam solum fraudandum, prout ex multis fraudibus desuper commissis et repertis nobis constitit, praemissa fieri clare appareat, ullatenus deinceps suffragari neque subsistere, aut testamentis suis huiusmodi quemquam iuvare aut tueri, nec effectum aliquem ulla ratione habere vel sortiri.

Iussio illas, uti spolia, exigendi per Cameram.

§ 3. Quinimmo te, de cuius probitate et fide specialem in Domino fiduciam obtinemus, bona quaecumque posthac in dictis testamentis relicta, tamquam spolia ad nos et eamdem Cameram spectantia et devoluta, per te vel subcollectores tuos deputatos iam vel deputandos libere exigere et recuperare, illorumque possessionem, absque vitio spolii, apprehendere, ingredi ac retinere posse et debere.

Annullatio dispositionum de cetero faciendarum de dictis bonis.

§ 4. Necnon, pro tollendis omnino fraudibus praedictis, quaecumque testamenta, donationes, codicillos, legata et alias quascumque ultimas voluntates, ut praefertur, in posterum faciendas et facienda, atque in eis contenta et inde secuta quaecumque, etiam quoad subsecutas dictorum bonorum possessiones et illorum apprehensiones huiusmodi, motu, scientia et deliberatione praedictis, ex nunc prout ex tunc revocamus, irritamus, cassamus et annullamus ac viribus prorsus evacuamus, pro revocatisque, irritis, cassatis, annullatis et penitus viribus omnibus evacuatis ubicumque, tam in iudicio quam extra, ab omnibus haberi debere volumus, decernimus atque mandamus.

Decretum irritans.

§ 5. Sicque per quoscumque, etiam sanctae Romanae Ecclesiae camerarium et alios cardinales ac clericos et praesidentes eiusdem Camerae, ceterosque iudices et commissarios ac alios, tam ecclesiasticos quam saeculares, quavis dignitate et auctoritate, etiam marchionali, ducali et regali fulgentes, in quibusvis causis et instantiis, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi ac decidendi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari atque decidi debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum, locorum, dominiorum regni Neapolis et quorumcumque aliorum regnorum ac hospitalium et praesertim pauperum incurabilium et aliorum piorum locorum cuiusvis civitatis, etiam Neapolis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus,

1 Legendum forsan *in illis inter vivos vel mortis etc.* (R. T.).

privilegiis quoque et indultis ac literis apostolicis, illis et quibuscumque aliis personis et locis, etiam actu hospitalitatem exercentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, per Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam aut alias, etiam per nos, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, etiam si in illis expresse caveatur quod testamenta clericorum, presbyterorum vel etiam praelatorum, facultatem testandi a dicta Sede minime habentium, in favorem hospitalium aut aliorum piorum locorum huiusmodi quomodolibet facta, valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant et executioni demandari debeant. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis et totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, illaque adversus praemissa nullatenus suffragari posse vel debere decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI maii, millesimo quingentesimo sexagesimo, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 maii 1560, pontif. anno I.

X.

Applicatio poenarum maleficiorum summam decem ducatorum non excedentium, alias fisco debitorum, archiconfraternitati Charitatis de Urbe [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

§ 1. Cum venerabilis archiconfraternitas Charitatis almae Urbis per felicis recordationis Leonem Papam decimum, praedecessorem nostrum, instituta fuerit, et in ipsa archiconfraternitate [2], in qua quamplures sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac archiepiscopi, episcopi et alii praelati et officiales Romanae Curiae, necnon forenses personae confratres existunt, non modica, sed maxima pia charitatis opera erga pauperes et mendicare erubescentes personas exerceat, etiam pauperum defunctorum corpora eorum expensis sepeliri faciendo, pauperes carceratos visitando, et per procuratorem pauperum nuncupatum eorum causas agendo et defendendo, ac victum eis tribuendo, in maximum eorundem pauperum et carceratorum auxilium.

Archiconfraternitas Charitatis a Leone X instituta ad pietatis opera quae hic recensentur exercenda.

§ 2. Et cum ad ipsa et maiora, quae in dies exerceri necesse est, charitatis opera facultates ipsius archiconfraternitatis sufficientes non sint, nos, volentes zelo charitatis eidem archiconfraternitati, ad hoc ut in ipsis operibus dicti confratres se ferventius exerceant, et quod ad praesens, ob dictae archiconfraternitatis facultatum tenuitatem, adimplere non valent, de cetero valeant, de alicuius subventionis auxilio providere, motu simili, omnes et singulas ac quascumque poenas, usque ad decem ducatos auri in auro de Camera, quorumcumque maleficiorum in alma Urbe nostra tantum commissorum et committendorum, fisco nostro et Camerae

Eidem applicantur poenae maleficiorum, *(de quibus in rubrica)*.

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic. — Huius confraternitatis erectionem vide in Leonis X constitutione XLII, *Illius*, tom. V, pag. 739.

2 Legimus *et ipsa archiconfraternitas* (R. T.)

Apostolicae aut thesaurario vel thesaurariis seu aliis ministris et officialibus nostris aut ipsius Camerae applicatas et applicandas, eidem archiconfraternitati, ita ut ipsi confratres vel modernus et pro tempore dictae confraternitatis protector et deputati aut eorum procuratores seu procurator ipsas poenas a supradictis et quibusvis aliis personis illas nunc et pro tempore habentibus, et ut rem propriam exigere, et de exactis quietare, ac in dicta et alia eis visa charitatis opera convertere libere et licite valeant, gratiose concedimus et elargimur, ipsasque poenas ex nunc ipsi archiconfraternitati perpetuo applicamus et applicatas esse volumus, decernimus et declaramus.

Eidem concedit tax imponenda barisellis aliisque exequutoribus.

§ 3. Et ut maiorem etiam utilitatem et fructum dicta archiconfraternitas consequatur, eidem confraternitati ac illius protectori et deputatis, nunc et pro tempore existentibus, taxam per eos omnibus et singulis eiusdem almae Urbis ac civitatum, terrarum et locorum praedictorum barisellis et aliis executoribus imponendam, quam ab eis exigere et de exactis quietare, ac ut praefertur convertere libere possint, etiam gratiose donamus, concedimus et elargimur, ac dictae confraternitati etiam perpetuo applicamus; ac quod nullus ex dictis barisellis et executoribus, se de cetero in eorum officio et exercitio in aliquo intromittere possit, nisi prius ab eisdem protectore et deputatis literas patentes habuerit, perpetuo statuimus et ordinamus.

Exequutores huiusmodi literarum deputati.

§ 4. Mandantes, in virtute sanctae obedientiae, dilectis filiis nostris Guidoni Ascanio, Sanctae Mariae in Via-Lata diacono cardinali, sanctae Romanae Ecclesiae camerario et almae Urbis vicario, gubernatori et senatori ac aliis quibusvis iudicibus et personis in ipsa Urbe constitutis, nunc et pro tempore existentibus, ac extra ipsam Urbem, legatis, vice-legatis, gubernatoribus, potestatibus, iudicibus, thesaurariis et aliis personis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, quatenus, visis praesentibus, omni mora et dilatione ac excusatione postpositis, donationem, concessionem et alia praemissa omnia et singula ab omnibus et singulis observari, ac suos plenarios effectus sortiri faciant realiter et cum effectu; contradictores *etc.* compescendo.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Urbis et civitatum, terrarum et locorum praedictorum statutis et reformationibus et decretis, etiam iuramento *etc.* roboratis, privilegiisque, indultis et literis apostolicis, supradictis et quibusvis aliis curiis et tribunalibus necnon thesaurariis et aliis personis, in praeiudicium seu contrarium praemissorum, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam motu proprio *etc.*, concessis et confirmatis, necnon quibusvis concessionibus et deputationibus dictis barisellis et exequutoribus ac aliis personis *etc.* quomodolibet, etiam per dictos Pontifices et nos dictaeque Sedis legatos, vice-legatos, gubernatores ac communitates et alias personas *etc.* quomodolibet factis et concessis, quibus omnibus et singulis in literis latissime extendendis, etiam si de illis *etc.*, tenores *etc.*, hac vice derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat ut petitur. I.

Praesentium sola signatura sufficit.

§ 6. Et de donatione, concessione, applicatione, statuto, ordinatione, decreto, mandato et derogatione ac omnibus aliis et singulis praemissis, quae hic pro repetitis et expressis habeantur perpetuo, in forma gratiosa latissime extendendis, et cum deputatione iudicum exequutorum et defensorum qui assistant *etc.* latissime extendenda; contradictores *etc.* per quas-

cumque poenas, etiam pecuniarias *etc.*, compescendo, easque aggravando *etc.*, interdictum imponendo. Et quod literae per breve nostrum expediri possint, seu sola praesentis signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula contraria non obstante.

Fiat. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, decimotertio kalendas iulii, anno I.

Dat. die 19 iunii 1560, pontif. anno I.

XI.

Confirmatio quamplurium gratiarum et immunitatum exemptionumque et privilegiorum fratrum militum conventus et hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, eiusque magni magistri, priorum et aliarum personarum a Pontificibus praedecessoribus concessorum, cum eorundem extensione, et aliorum concessione.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia praedecessorum suorum gestis, quae, suadentibus honestis causis, pro personarum ecclesiasticarum, praesertim regularium, pro fidei catholicae adversus Christi crucis inimicos defensione et conservatione iugiter laborantium commodo et utilitate providere [1] emanarunt, ut eo firmius perdurent quo saepius fuerint Apostolicae Sedis praesidio roborata, libenter suae approbationis robur adiicit, ea de novo concedit, aliasque desuper disponit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Martinus V cognitionem causarum subditorum hospitalis

§ 1. Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Martinus V, ex certa scientia, per suas [2] statuerat et ordinaverat quod quaelibet querelae, quaestiones, lites, causae et controversiae, quas ex tunc inter fratres et subditos hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, tunc praesentes et futuros, ex quibusvis occasionibus oriri et moveri contingeret quovis modo, cum omnibus suis incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, ac omni cuiusvis appellationis (praeterquam in defectus aut denegatae iustitiae vel illati perperam contra stabilimenta et consuetudines dicti hospitalis gravaminis casibus) remoto obstaculo, per pro tempore existentem magistrum et dilectos filios conventum dicti hospitalis, seu illos ex illis fratribus, quibus ipsi magister et conventus eas committerent, etiam usque ad tertiam definitivam sententiam inclusive, audirentur, necnon, iuxta laudabiles consuetudines et stabilimenta hospitalis huiusmodi et prout alias iuris foret, debito fine deciderentur; omnesque et singuli priores, praeceptores, baiulivi, castellani et fratres hospitalis praedicti, postquam de mandato seu auctoritate [1] contra eos intentandis causis, ad comparendum coram ipsis et commissariis per eos, ut praefertur, pro tempore deputatis, in locis quantumcumque ab eodem hospitali remotis citati forent, coram eisdem magistro, conventu et commissariis, prout contingeret, legitime comparere deberent et tenerentur, iuri et iustitiae, secundum stabilimenta, approbationes, usus et laudabiles consuetudines praefati hospitalis, parituri. Quodque illi ex prioribus, praeceptoribus, castellano emposta, baiulivis, fratribus et subditis praefatis, qui contra eorum aliquem super quibusvis querelis, rebus vel negociis, praeterquam in casibus praefatis, coram alio, quam praefatis magistro et conventu, ac per eos pro tempore datis commissariis, in causam traherent, et ad alium quam eosdem appellationes quascumque interponerent, causas huiusmodi prorsus perderent et

dedit M. magistro et conventui.

1 *Provide*, Cherub. (R. T.).

2 *Per suas literas*, Cherub. (R. T.).

1 *Seu auctoritate magistri et conventus praefatorum, in quibusvis ex praedictis contra etc.*, Cherub. (R. T.).

excommunicationis sententiam incurrerent, reque super qua contenderent privati existerent eo ipso.

Sixtus IV quascumque provisiones beneficorum ad solum M. magistrum spectare voluit.

§ 2. Et Sixtus IV, inter alia, omnes et singulas collationes, provisiones, uniones, annexiones et incorporationes, ac quascumque alias concessiones et dispositiones de praeceptoriis, cameris magistralibus nuncupatis, seu illarum fructibus, redditibus et proventibus, quibusvis personis, cuiuscumque status, ordinis vel conditionis existerent, quavis consideratione et sub quacumque verborum forma ac cum quibusvis clausulis derogatoriis, etiam motu proprio et ex simili scientia, ac cum expressa derogatione iurium magistri dicti hospitalis seu annuae responsionis illi faciendae, eatenus auctoritate apostolica factas, nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse etiam per suas declaraverat, et quatenus viribus subsistere dicerentur, revocaverat, cassaverat et irritaverat, ac illas et quas in futurum, etiam cum expressa derogatione literarum Sixti praedecessoris huiusmodi, fieri contingeret, pro infectis haberi voluerat. Ac monuerat et requisiverat omnes et singulos earundem camerarum magistralium detentores seu possessores, qui tunc erant aut pro tempore essent, praetextu concessionum, provisionum et dispositionum quarumlibet, quae ab alio quam pro tempore existenti magistro dicti hospitalis eatenus emanaverant et in futurum emanarent, etiam a dicta Sede, ut, infra certum tunc expressum terminum, camerarum per eos pro tempore detentarum seu possessarum huiusmodi possessionem vacuam, liberam et expeditam magistro dicti hospitalis aut illius legitimo procuratori traderent et assignarent, alioquin ex tunc prout ex ea die, in omnes et singulos, qui non parerent, seu ut non parerent suaderent, aut alias auxilium, consilium vel favorem praestarent, excommunicationis sententiam promulgaverat, a qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano Pontifice, nequirent absolutionis beneficium obtinere; et praeter sententiam excommunicationis huiusmodi, si dicti hospitalis fratres forent et excommunicationis sententiam huiusmodi per mensem animo sustinerent indurato, prioratibus, castellaniis, baiuliviis, praeceptoriis et officiis praefati hospitalis per eos tunc obtentis eo ipso privati, et inhabiles ad illa et alia in posterum obtinenda essent, possetque per magistrum et conventum praefatos de illis sic vacantibus per privationem huiusmodi libere disponi; liceret quoque magistro pro tempore existenti hospitalis huiusmodi, dicto termino decurso, per se vel procuratores suos possessionem camerarum earumdem propria auctoritate libere apprehendere, ac illarum fructus, redditus et proventus percipere, ac in suos et eius magistratus usus et utilitatem convertere et retinere, cuiusvis licentia super eo minime requisita.

Innoc. VIII Ordinem S. Sepulcri et militiam S. Lazari suppressit, et huic Ordini Hierosolymitano univit;

§ 3. Et Innocentius VIII, ex certis causis tunc expressis, inter alia, Sancti Sepulcri Dominici, Hierosolymitani Ordinis Sancti Augustini, et militiae Sancti Lazari in Bethleem et Nazareth, etiam Hierosolymitani Ordinis [1] Sancti Augustini, Pictavensis dioecesis, nuncupatam, et alia ab eis dependentia membra, cum suis pertinentiis, ac eorumdem Ordinum et militiae archiprioratum, prioratus et magistratus generales, ac in eorumdem Ordinum prioratibus, praeceptoriis, domibus et membris, illorumque, quibus denominabantur nomina, dependentias et pertinentias, de fratrum suorum consilio, per quasdam suppresserat et extinxerat, illaque omnia et singula per universum orbem existentia hospitali praefato pro illius membris, ac domum praedictam expresse

1 *Hierosolymitani Ordinis eorumque prioratus et praeceptorias, necnon domum de Montemorillon dicti Ordinis etc.*, Cherub. (R. T.).

pro membro prioratus Aquitaniae dicti hospitalis, de simili consilio, perpetuo univerat, incorporaverat, concesserat et assignaverat, ac voluerat quod tam qui in titulum quam qui in commendam illam tunc obtinerent, ad aliorum fratrum dicti hospitalis instar, iuxta tunc magistri et conventus praefatorum aut ab eis auctoritatem habentium providam moderationem, pro temporum qualitate, de eorumdem membrorum, quae sic obtinerent, proventibus, communi thesauro dicti hospitalis suffragia et onera exhiberent annuatim, ac magistri et conventus praedictorum mandatis obtemperarent, nec quovis modo, clam vel palam, illi, qui prioratus, beneficia et loca Ordinum suppressorum huiusmodi tenerent, eis cederent vel renunciarent, aut de eis donationem facerent, absque expresso consensu, licentia et auctoritate magistri et conventus præfatorum; et si secus facerent, irritum et inane nulliusque roboris esse decreverat, et nihilominus poenam privationis beneficiorum et excommunicationis latae sententiae eo ipso incurrere censerentur.

Nullamque exemptionem ab obedientia M. magistri et conventus, minusque a solutione iurium communis aerarii excusari voluit;

§ 4. Et de simili consilio, omnes et singulas exemptiones priorum, bailivorum, castellaniae empostae, praeceptoriarum et fratrum eiusdem hospitalis, tam a superioritate, iurisdictione, obedientia et correctione tunc magistri et conventus praedictorum ac aliorum praelatorum ipsius hospitalis, etiam cum eorum receptione in protectionem dictae Sedis, ita ut illi solummodo essent subiecti, et magistro ac conventui et praelatis praefatis parere et ad hospitale praedictum accedere non tenerentur, quam ab onere solutionis, eorumque communi thesauro praedicto et illius receptoribus, annis singulis, ratione prioratuum, bailiviarum, castellaniae empostae, praeceptoriarum et aliorum membrorum eiusdem hospitalis, quae obtinerent, solvere tenerentur; necnon quascumque speciales reservationes et conferendi mandata de prioratibus, bailiviis, castellania, praeceptoriis et membris praedictis quomodolibet et quacumque ratione vel causa, etiam impensorum per eos fidei et hospitali aut Sedi praefatis obsequiorum, aut alia inexcogitabili consideratione, ab Innocentio praedecessore et Sede praefatis, etiam cum motus proprii et certae scientiae aliisque favorabilibus et insolitis clausulis, concessas, etiam si in eis contineretur expresse quod per quascumque revocationes et derogationes ac literas et concessiones non censerentur revocatae, immo, illis non obstantibus, in suis remanerent robore et efficacia, perinde ac si revocatae non essent, nisi dum et quoties sub certis tunc expressis modo et forma ac verborum conceptione revocarentur, per alias suas, ex certa scientia, revocaverat, cassaverat et annullaverat, ac voluerat pro infectis haberi, et illis, quibus concessae erant, minime suffragari; liceretque magistro omnem eius superioritatem in eos sic exemptos exercere, ac receptoribus praedictis eos ad solvendum eis et dicto thesauro, quae pro tempore deberent, perinde ac si exemptiones ipsae numquam concessae fuissent, de simili consilio decreverat.

Beneficia etiam huius Ordinis nec affecta nec sub reservationibus comprehendi, et ad solum magistrum et conventum eorum collationes spectare voluit.

§ 5. Ac in perpetuum valitura constitutione, de eorumdem fratrum consilio, statuerat et ordinaverat quod ex tunc de cetero, perpetuis futuris temporibus, prioratus, bailiviae, castellania empostae, praeceptoriae et membra quaecumque dicti hospitalis, quae pro tempore qualitercumque vacarent, tam in Romana Curia quam extra eam, sub quibusvis generalibus vel specialibus reservationibus apostolicis factis et quas fieri contingeret de beneficiis ecclesiasticis, etiam apud Sedem praefatam pro tempore vacantibus,

utpote ad hospitalitatem et fidei tuitionem ordinata, nullatenus includerentur, nec reservata vel affecta existerent, sed hospitalium pauperum, quae sub reservationibus ipsis non includebantur, quoad id, sortirentur naturam; deberetque de illis per pro tempore existentem magistrum et conventum praefatos dumtaxat, et non alium, iuxta stabilimenta praedicta, fratribus dicti hospitalis provideri; et quas fieri contigerit, per ipsum Innocentium praedecessorem aut successores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes ac dictam Sedem vel eius auctoritate aut alia quacumque, de illis reservationes, provisiones, collationes, commendas, uniones et quascumque alias similes vel dissimiles dispositiones et exemptiones priorum, baiulivorum, praeceptorum et fratrum a magistri et conventus praedictorum obedientia et superioritate aut debitis per eos praefato thesauro responsionibus annuis et aliis iuribus, quacumque ratione vel causa, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, cum derogatione posteriorum literarum Innocentii praedecessoris huiusmodi, nullius penitus essent roboris vel momenti, et haberentur prorsus pro infectis, nec censeretur statuto Innocentii praedecessoris huiusmodi umquam derogatum per quascumque clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores et efficaciores, nisi dum et quoties ipsarum posteriorum literarum, de verbo ad verbum, vere et non per clausulas id importantes, inserto tenore, de simili sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, derogari contingeret, nec etiam tunc, nisi ad id magistri et conventus praedictorum expressus accederet assensus, et non aliter nec alio modo, censeretur que semper in huiusmodi, quae sic fierent de consilio praedicto, derogationibus apposita clausula quod effectum sortirentur de consensu magistri et conventus praedictorum, et non aliter nec alio modo; decernens collationes, provisiones, commendas, uniones, dispositiones et reservationes quaslibet, quas per alios quam magistrum et conventum praedictos de eisdem prioratibus, baiuliviis, praeceptoriis, castellania et membris, etiam apud Sedem ipsam pro tempore per cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem vacantibus, fieri contingeret, etsi per ipsum Innocentium praedecessorem et pro tempore existentem Romanum Pontificem fierent, illis, quibus sic fierent, nullum ius nullumve coloratum titulum tribuere possidendi, et eos, quoad omnes effectus, etiam constitutionis suae de triennali possessore non molestando, pro meris detentoribus sine titulo haberi et reputari; ac irritum et inane quicquid secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari.

Iulius II expectativas aliasque gratias praeventivas, sine consensu M. magistri et conventus, cassavit:

§ 6. Necnon Iulius II omnes et singulas expectativas, reservationes, antianitates, mandata de providendo, concessiones, coadiutorias sine consensu et omnes alias gratias et literas super prioratibus, baiuliviis, praeceptoriis, castellania empostae ac quibusvis aliis beneficiis dicti hospitalis quomodocumque et qualitercumque, absque magistri et conventus praedictorum consensu, quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis forent, etiam cardinalatus honore fulgentibus, ex quibusvis causis, etiam onerosis, eatenus concessas et concessa, etiam quasvis clausulas illarum ab huiusmodi revocationibus praeservativas in se continentes et continentia, similibus scientia et potestatis plenitudine, pro revocatis, cassatis et annullatis, perpetuo valituraе constitutionis edicto, per quasdam decreverat, et ordinaverat quod prioratus, ca-

stellania empostae et baiuliviae, praeceptoriae, rectoriae, administrationes, officia, domus et loca hospitalis huiusmodi, seu eorum aliquod vel aliqua, sub quibuscumque dictae Sedis vel legatorum eius literis, sub quacumque forma vel expressione verborum, etiam motu et scientia similibus, ac cum quibusvis urgentissimis, efficacissimis et derogatoriis clausulis, irritantibusque decretis, in genere vel in specie, quovis modo in antea concedendis, cadere seu comprehendi nullatenus deberent, nec illarum vigore per quempiam acceptari, aut alicui de eis provideri posset, sed illorum commissiones et omnimoda dispositio ad magistrum, conventum, priores et castellaniam empostae huiusmodi, iuxta consuetudines, usus et naturas dicti hospitalis et illi concessa privilegia et indulta libere pertinerent; quodque fratres dicti hospitalis inobedientes et male solventes, iuxta formam stabilimentorum hospitalis huiusmodi, privationis poenam incurrerent.

Coadiutorias et alias gratias non factas fratribus huius Ordinis revocavit;

§ 7. Et per alias omnes et singulas speciales reservationes, coadiutorum deputationes, regressus, accessus, concessiones, gratias et facultates in aliorum quam fratrum dicti hospitalis favorem, commodum et utilitatem, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, praeeminentiae vel conditionis forent, etiam si cardinalatus honore fulgerent, quavis etiam imperatorum, regum, reginarum, ducum vel aliorum principum consideratione vel intuitu, aut ex quavis quantumcumque grandi, inexcogitabili et urgentissima causa et respectu, per Sedem praefatam eatenus concessas et factas, quae ad finem commendae perpetuae vel temporalis tendere dignoscerentur, revocaverat, cassaverat et annullaverat, illaque cassa, irrita et inania nullinsque roboris vel momenti esse, nec illarum, etiam regressuum seu accessuum huiusmodi aut aliarum facultatum seu commendarum, etiam ex tunc prout ex diebus vacationis earumdem et, e converso, pro tempore factarum praetextu, aliqua ex praeceptoriis seu aliis beneficiis hospitalis huiusmodi acceptari vel assequi, aut ius in re vel ad rem cuiquam acquiri potuisse seu posse decreverat.

Causarum et litium totalem iurisdictionem Magistro Conventui tradit;

§ 8. Et per alias, motu simili literas Martini praedecessoris huiusmodi approbans ac innovans, omnes et singulas lites, causas, querelas et controversias inter fratres praefatos, coram quibuscumque causarum Palatii Apostolici auditoribus ac eorum locatenentibus necnon iudicibus, etiam cardinalibus, dicta auctoritate apostolica vel aliter deputatis, tam in dicta Curia quam, in quibuscumque mundi partibus pendentes, ad se advocans, illas et quas antea inter fratres eosdem et quoscumque alios super prioratibus, baiuliviis, castellania empostae, praeceptoriis aut beneficiis hospitalis huiusmodi moveri contingeret, per magistrum et conventum praefatos seu eorum commissarios, iuxta eiusdem hospitalis stabilimenta et approbatas consuetudines, decidendas remiserat, ac auditoribus, locatenentibus et iudicibus praefatis, ne in causis huiusmodi ad ulteriora procederent seu de illis vel aliis quibuscumque in futurum quoquomodo se intromitterent, inhibuerat, ac quicquid per eos contra inhibitionem huiusmodi, scienter vel ignoranter, contingeret attentari, irritum et inane decreverat.

Indulgentias eccl. Ordinis innovavit;

§ 9. Ac indulgentias, per quoscumque Romanos Pontifices visitantibus domos et loca ipsius hospitalis concessas, innovaverat.

Exemptionem a decimis et aliis oneribus quibuscumque, hactenus concessas approbavit;

§ 10. Necnon, motu et scientia similibus, omnia et singula privilegia, immunitates, indulgentias et exemptiones saecularium exactionum ac praerogativas et alias quascumque gratias, concessiones,

facultates, libertates et indulta terram mareque concernentia, dicto hospitali et illius Religionis prioratibus, bailiviis, castellaniae empostae, praeceptoriis, administrationibus, officiis, cappellis, oratoriis et membris ac magistro pro tempore existenti et conventui praefatis, necnon prioratus, baiulivias, castellaniam empostae, praeceptorias, ecclesias, oratoria, administrationes et membra praefata obtinentibus, per piae memoriae Clementem V, Bonifacium VIII, Calistum III ac praefatos Sixtum et Innocentium necnon quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, tunc suos, in genere vel in specie concessa, necnon libertates et exemptiones saecularium exactionum, per eos a regibus et principibus ac aliis christifidelibus obtentas, ac decimas, primitias, census, fructus, redditus, proventus, agros, possessiones, dominia, praedia, iuria, iurisdictiones aliaque mobilia et immobilia, sive in terra vel in mari existentia et ad hospitale, prioratus, baiulivias, castellaniam empostae, praeceptorias et membra huiusmodi in genere vel in specie spectantia, per reliquas suas literas, de apostolicae potestatis plenitudine, approbaverat, laudaverat, ratificaverat et confirmaverat, supplens omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerant in eisdem, ac omnia et singula ea ab universis christifidelibus, tam clericalis ordinis quam temporalis potestatis, saecularibus et etiam aliis regularibus personis, sub poenis et censuris in eisdem contentis, inviolabiliter observari voluerat.

Publicationem indulgent. concessit 1.

§ 11. Necnon omnibus et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et locorum ordinariis, eorumque officialibus atque vicariis, in virtute sanctae obedientiae et sub eisdem poenis, similiter iniunxerat ut quascumque indulgentias et peccatorum remissiones per eorum dioeceses et loca publica nunciari permitterent.

1 Ad hoc vide formam traditam a Concilio Tridentino, sess. XXI, *De Reform.*, cap. 9.

Leo X omnes concess. Martini V, Alexandri VI, Pii et Iulii II comprobavit;

§ 12. Ac Leo X, quondam Fabritii de Carreto, magistri dicti hospitalis, et praefatorum conventus, asserentium se a tunc immemorabili tempore citra in possessione vel quasi deputandi in singulis prioratibus unum vicarium cum facultate praeceptorias, bailivias et alias domos hospitalis huiusmodi conferendi, antianitates, tam speciales quam generales, dandi et concedendi, ac pensiones seu responsiones et onera, super domibus, praeceptoriis et aliis beneficiis dicti hospitalis imponi solita, a quibuscumque clericis, etiam saecularibus, illa in commendam obtinentibus, eorumque colonis et inquilinis, etiam laicis, eo modo quo a fratribus dicti hospitalis exigebantur, exigendi, et cum inhabilibus, ratione aetatis et defectus natalium, dispensandi, existere, supplicationibus inclinatus, singulas, non tamen Innocentii praedecessoris huiusmodi, ac omnes et singulas alias, tam ipsius Martini et recolendae memoriae Alexandri VI, Pii II et ipsius Iulii, quam aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum similiter praedecessorum nostrorum, tunc suorum, eisdem hospitali et magistro pro tempore existenti ac conventui et fratribus concessa et in illis contenta quaecumque, etiam quoad advocationem omnium causarum, etiam super prioratibus, praeceptoriis et aliis beneficiis hospitalis huiusmodi, etiam in eadem Curia pendentium, quas ad se tunc advocavit (exceptis tunc et pro tempore per appellationem a definitiva sententia, iuxta formam stabilimentorum praedictorum, introductis et pendentibus), per quasdam sub plumbo approbaverat, innovaverat et confirmaverat, ac perpetuae firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari debere decreverat, eique omnia de novo concesserat.

§ 13. Ac Fabritio et pro tempore exi-

Facultatemque M. magistro et conventui dedit vicarios in prioratibus deputandi, cum facultatibus hic enunciatis;

stenti magistro et conventui huiusmodi ut in singulis prioratibus ipsius hospitalis unum vicarium, cum facultate conferendi praeceptorias, baiulivias et alias domos hospitalis huiusmodi, deputare, antianitates, tam speciales quam generales, dare et concedere, ac pensiones seu responsiones et onera, super domibus, praeceptoriis et aliis beneficiis hospitalis huiusmodi imponi solita, a quibuscumque, etiam clericis saecularibus illa in commendam obtinentibus, eorumque colonis et inquilinis, etiam laicis, eo modo quo a fratribus dicti hospitalis exigebantur, exigere; et cum inhabilibus, ratione aetatis et defectus natalium, quoad prioratus, praeceptorias et alia beneficia dicti hospitalis dumtaxat, dispensare possent.

Literisque M. magistri et conventus credi iussit, quoad professionis emissionem etc.

§ 14. Ac quod verbis in ipsorum magistri et conventus literis, circa professionis emissionem, habitus susceptionem, debitorum et obsequiorum in partibus orientalibus praestationem, plena fides adhiberetur, facultatem concesserat. Et nihilominus quod ipse Fabritius et pro tempore existens magister et conventus praemissa omnia et singula, prout eatenus consueverant, sine contradictione alicuius, facere possent.

Eiusque literae antianitatis et provisiones eo ipso approbatae censeantur.

§ 15. Quodque quaecumque literae antianitatis seu provisiones a magistro pro tempore existente et conventu praefatis eatenus concessae, et in posterum concedendae, eo ipso confirmatae et approbatae censerentur.

Beneficiaque vacantia ut hic non devolvantur ad Papam.

§ 16. Et quod provisiones beneficiorum quorumcumque dicti hospitalis, quae per cessationem solutionis praefato hospitali vel inobedientiam dumtaxat vacassent, nunquam ad superiorem ipsum Leonem praedecessorem et Sedem praefatam devolvi censerentur, quoad hoc ut dictus magister pro tempore existens impediretur quo minus illa quandocumque libere conferre posset.

Alienationes non fiant.

§ 17. Quodque omnes et singulae donationes et alienationes bonorum immobilium dicti hospitalis seu eius locorum in posterum faciendae dumtaxat, ipso iure nullae nulliusque roboris vel momenti existerent.

Clausula *cum derogatione* non operetur ultra expressa.

§ 18. Et quod clausula *cum derogatione privilegiorum* dicto hospitali concessorum latissime extendenda et additione illorum pro expressis, tam in quibusvis commissionibus iustitiam concernentibus, quam in quibusvis gratiosis supplicationibus, tunc et pro tempore signatis, non operaretur, nec eius vigore, in causis seu literis apostolicis super ipsis supplicationibus conficiendis, privilegia ipsa, aliter quam in supplicationibus narrata essent, narrari possent, neque illis, si praetextu dictarum clausularum narrarentur, derogatum censeretur, statuerat et ordinaverat. Decernens sic per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii huiusmodi auditores, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari.

Expectativasque, reservationes, *etc.* concessas et concedendas ipse idem Leo X revocavit.

§ 19. Et per reliquas in forma brevis literas, motu simili, quascumque gratias expectativas, speciales et generales reservationes, etiam in mente sua et in nullius seu quarumvis personarum favorem, ac uniones, annexiones et incorporationes, suppressiones, extinctiones et applicationes, ac uniendi, annectendi, incorporandi et commendandi facultates et mandata, necnon coadiutorum deputationes, etiam de consensu, et alias concessiones et dispositiones de quibusvis prioratibus, baiuliviis, castellania empostae, praeceptoriis, cameris magistralibus et aliis beneficiis dicti hospitalis vacaturis, necnon specialium reservationum, unionum, annexionum, incorporationum, suppressio-

num, extinctionum, facultatum, mandatorum, coadiutoriarum, regressuum et accessuum ac aliarum dispositionum huiusmodi executiones, ampliationes, revalidationes, reintegrationes, repositiones, restitutiones, et super illis et eorum efficacia, et quod illorum revocationibus, modificationibus, suspensionibus, restitutionibus et ad ius commune reductionibus per Leonem praedecessorem et Sedem praefatos factis non includerentur declarationes, et intentionis mentis suae attestationes, quae quorumvis, etiam imperatoris, regum, reginarum, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, praelatorum, ducum, principum, marchionum, Universitatum Studiorum, iurium cessorum vel oblatorum, etiam pro sedandis litibus, aut servitiorum et obsequiorum Leoni praedecessori et Sedi praefatis, etiam pro fide catholica impensorum, et damnorum eis, etiam per infideles, illatorum, seu quavis alia, quantumcumque grandi, consideratione, pro quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, et quacumque ecclesiastica, etiam cardinalatus et mundana dignitate fulgentibus, etiam cum motus proprii et certae scientiae ac plenitudine potestatis et quibusvis praeservatoriis ac aliis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus et insolitis clausulis, a Leone praedecessore et Sede praedictis ac eius legatis, etiam de latere, et nunciis, etiam cum eorumdem legatorum potestate, quavis auctoritate eatenus quomodolibet emanaverant, quoad ea in quibus nondum vere fuerant effectum sortita expresse revocaverat, et voluerat illas et quas emanare contingeret in futurum, similes et dissimiles, speciales reservationes, uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes, nominationes, nominandique, reservandi et conferendi facultates, mandata, coadiutorum deputationes, regressus et accessus huiusmodi et super illis provisiones, ampliationes, reintegrationes, restitutiones, repositiones et declarationes, etiam cum expressa posteriorum literarum huiusmodi derogatione, etiam si in eisdem, quae emanaverant et in futurum emanarent, specialibus reservationibus, unionibus, annexionibus, incorporationibus, suppressionibus, extinctionibus, nominationibus, facultatibus, mandatis, coadiutoriis, regressibus, accessibus et eorum extensionibus, ampliationibus, revalidationibus, reintegrationibus, repositionibus, restitutionibus et declarationibus, ac si super illis confectis literis contineretur expresse quod in aliquibus specialibus seu generalibus revocationibus, suspensionibus, modificationibus et restrictionibus, quae pro tempore fierent, nullatenus includerentur, nisi de personarum, quas tunc concernebant, et in futurum concernerent, ac quarum consideratione emanaverant, et in posterum emanarent, nominibus, cognominibus, dignitatibus et officiis ac causis, propter quas eis concessae erant seu concederentur, expressa mentio fieret, idque ipsis [1] intimaretur per diversas literas sub diversis datis, cum certi temporis intervallo inter datas huiusmodi, et personarum earumdem in revocationibus huiusmodi expressus accederet assensus, intelligerenturque gratiae ipsae toties revalidatae et in pristinum statum repositae, quoties eas revocari, restringi et modificari contingeret; ac pro infectis et non concessis haberi et viribus omnino carere, etiam si per eas, quae emanarent, speciales reservationes et alias gratias viribus vacuatas huiusmodi, eisdem posterioribus literis, cum earum data insertione, specifice quomodolibet derogari videretur; et ne similes reservationes ac gratiae et priorum revalidationes, quas ab ipso Leone praedecessore, etiam cum posteriorum literarum huiusmodi ex-

1 *Ipsis personis*, Cherub. (R. T.).

pressa derogatione ac supradictis aliisque efficacioribus, fortioribus et insolitis clausulis, in posterum emanare contingeret, contra praemissorum tenorem, sortirentur effectum, sed quotiens emanarent, toties revocarentur, easque posteriores literas ac omnia et singula in eis contenta, ad id ut omnes et singulas speciales reservationes, uniones, coadiutorias, regressus et accessus ac alias gratias praedictas semper includerent, de qualibet die pontificatus sui repetierat et innovaverat; decernens repetitionem et innovationem huiusmodi eis, quorum interest, de singulis diebus dicti pontificatus, prout magis expediret, in omnibus et per omnia, perinde ac si eisdem diebus ab ipso Leone praedecessore actu emanassent, suffragari, et sic iudicari debere, ac quicquid secus attentari contingeret, irritum et inane decreverat.

Clemens VII omnia supradicta privilegia et gratias confirmavit, et familiares et famulos illis uti posse decrevit;

§ 20. Et cum nefandissimus christiani nominis hostis Turcarum tyrannus, validissima classe maritima maximoque exercitu terrestri paratis, insulam Rhodi, totius christianitatis specimen, acerrimis et multiplicatis conatibus invasisset, ac crudeli et inaudita obsidione affecisset, et tandem insulam et civitatem Rhodi huiusmodi vi et armis expugnasset, ac literae, libri et munimenta seu documenta antiqua privilegiorum et indultorum eis a dicta Sede concessorum periissent et deperdita fuissent, similis memoriae Clemens Papa VII, pariter praedecessor noster, motu et scientia ac potestatis plenitudine similibus, omnia et singula privilegia, iurisdictiones, facultates, immunitates, concessiones, indulgentias, libertates, praerogativas, gratias, exemptiones, favores et indulta dicto hospitali ac illius baiuliviis, prioratibus, praeceptoriis, domibus, hospitalibus, ecclesiis, cappellis, locis et membris, necnon magistro, baiulivis, prioribus, praeceptoribus, militibus, fratribus et personis ac eorum vassallis, subditis et servitoribus pro tempore existentibus, eatenus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, tunc suos, successivis temporibus, et demum per Leonem praedecessorem et Sedem praefatos, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessa, approbata et innovata, per quasdam approbaverat, confirmaverat et innovaverat, ac valida et efficacia existere, necnon perpetua roboris firmitate subsistere et inviolabiliter observari, ac magistro, baiulivis, prioribus, praeceptoribus, militibus, fratribus, personis, vassallis, subditis et servitoribus praefatis suffragari debere decreverat, ac omnia et singula, prout per Leonem et alios praedecessores ac Sedem praefatos concessa fuerunt, ita ut magister, baiulivi, priores, praeceptores, milites, fratres, personae, vassalli, subditi et servitores illis libere perpetuo uti possent de novo.

Iurisdictionemque etiam meri et mixti imperii in personas et bona Ord. M. mag. et conventui concessit;

§ 21. Necnon tunc et pro tempore existenti magistro et conventui hospitalis huiusmodi, iuxta illius stabilimenta et laudabiles consuetudines ac mores, in baiuliviis, prioratus, castellaniam empostae, domos, hospitalia, membra, loca et bona quaecumque, necnon quoscumque baiulivos, priores, castellanum empostae, praeceptores, fratres et personas hospitalis et Religionis huiusmodi ac illorum vassallos, subditos et servitores, ubicumque, tam citra quam ultra montes, tunc et pro tempore constitutos et commorantes, qui omnes eidem magistro et subdelegatis ab eo firmiter, tam personaliter quam realiter, omni exceptione cessante, et quocumque a Clemente praedecessore vel Sede praedictis obtento vel obtinendo indulto non obstantibus, parere et obedire tenerentur, plenariam et omnimodam, etiam meri et mixti imperii, iurisdictionem et superioritatem.

Facultatem inobedien. privandi, etc. dedit;

§ 22. Ipsique magistro contra rebelles et suis mandatis non obedientes, etiam vigore literarum apostolicarum, etiam in forma brevis ab ipso Clemente et successoribus suis emanatarum, servatis quatuor terminis ad docendum se paruisse et satisfecisse in loco conventus hospitalis huiusmodi, post legitime executam primam citationem, ad multam sive poenam personaliter, iuxta mores et stabilimenta praedicta, seu etiam privationem habitus aut beneficiorum, domorum et praediorum per eos obtentorum procedendi; vel etiam, si magis expedire videretur, beneficia, domos et praedia ipsa ad manus suas seu receptorum dicti hospitalis reducendi, et donec ipsi inobedientes contumaciam purgarent vel debita onera persolverent, sive saeculares aut alterius Ordinis regulares beneficia dicti hospitalis possidentes forent, pro suo arbitrio retinendi, illorumque fructus, redditus et proventus, arrendandi et percipiendi, necnon cameras magistrales praedictas ad se recipiendi, sive illas solitis pensionibus, pro suae voluntatis libito imponendis et moderandis, onerandi, et alias de illis, tamquam de præceptoriis et praediis mensae magistrali unitis et incorporatis, disponendi.

Procuratoremque in Romana Curia cum facultate beneficia etiam reservata etc., praeterquam in manibus Papae resignata, conferendi etc.;

§ 23. Ac in Romana Curia procuratorem generalem, cum generali vel speciali et limitata potestate et facultate, constituendi seu deputandi. Et in eadem Curia, per se seu dictum procuratorem ad id potestatem a magistro et conventu praefatis habentem, quaecumque eiusdem hospitalis beneficia, cuiuscumque qualitatis existentia, apud Sedem praedictam quomodolibet (praeterquam per resignationem in manibus suis et successorum suorum Romanorum Pontificum) pro tempore vacantia, iuxta ipsius hospitalis stabilimenta, libere conferendi. Et tam magistro quam conventui praefatis, etiam de illis de quibus eatenus dispositum fuerat de novo, ac aliis beneficiis huiusmodi, etiam tamquam privatis praediis, in titulum perpetui beneficii ecclesiastici, seu etiam ad nutum aut amovibiliter, uni vel diversis personis assignari solitis, etiam dictae Sedi reservatis seu alias affectis, aut ad Sedem ipsam devolutis, libere providendi et illa uniendi, dismembrandi et alias de illis disponendi, necnon antianitates, tam generales quam speciales, super eisdem beneficiis fratribus eiusdem hospitalis concedendi, ac resignationes dictorum beneficiorum recipiendi et admittendi, illaque resignantibus titulum seu denominationem ac omnes eorum fructus seu illorum partem, aut super illis quascumque pensiones annuas, quae etiam transirent ad successores in eis, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, etiam privationis in talibus apponi solitis, ad vitam vel ad tempus reservandi, concedendi, constituendi et assignandi; et quod, altero decedente, superstes in illius possessione succederet indulgendi, seu regressum ad illum concedendi.

Indulgentias publicandi et quaestuandi M. mag. et conventui licentiam dedit 1;

§ 24. Ipsique magistro et conventui privilegia, exemptiones et indulgentias eis et dicto hospitali concessa, ubique locorum, etiam absque alicuius ordinarii licentia, sub sigillo tamen prioris illius provinciae vel eorum conservatoris in ea degentis, publicandi, et quaestuandi seu eleemosynas et confraternitatum obventiones quaerendi et recipiendi.

Mortuosque in ecclesiis Ordinis sepeliendi etc. 2;

§ 25. Necnon coemeteria in eorum parochialibus ecclesiis habendi, ac quorumcumque christifidelium cadavera, etiam si excommunicati vel interdicti forent, dummodo interdicto causam non dedissent, salvo iure rectori parochiano debito, absque aliquo onere et solutione episcopo facienda, recipiendi et sepeliendi.

1 In hoc attende Concil. Trid., sess. XXI, *De Reform.*, cap. ult. 2 Et etiam hic, sess. XXV, *De Reform.*, cap. 15.

Legata recipiendi;

§ 26. Legata et donata, tam inter vivos quam qualibet ultima voluntate, exigendi et percipiendi.

Sacros ordines a quocumque episcopo consequendi 1;

§ 27. Necnon baiulivis, prioribus, praeceptoribus, militibus, fratribus et personis praefatis quaecumque ecclesiastica sacramenta, ac omnes, etiam sacros, ordines a quocumque mallent catholico antistite, gratiam et communionem dictae Sedis habente, nihil oblato vel soluto, recipiendi.

Arma gestandi;

§ 28. Et tam ipsis quam eorum familiaribus arma quaecumque et ubicumque locorum, pro sui defensione et hostium dictae Sedis offensione, gestandi.

Confessiones audiendi et sacramenta ministrandi;

§ 29. Necnon cappellanis eiusdem hospitalis baiulivorum, priorum, praeceptorum, militum, fratrum, personarum, vassallorum, subditorum et familiarium praedictorum confessiones audiendi, et poenitentiam salutarem eis iniungendi, ac Eucharistiae et alia sacramenta ecclesiastica ministrandi.

Interdicti tempore celebrandi 2;

§ 30. Necnon tempore interdicti (dummodo illi causam non dedissent), excommunicatis et interdictis exclusis, clausis ianuis et submissa voce, missas et alia divina officia celebrandi.

Novas praeceptorias ab ordinariorum superioritate exemptas erigendi;

§ 31. Necnon quibusvis christifidelibus, in quibusvis civitatibus, locis et dioecesibus praeceptorias, domos et hospitalia, sub dependentia et subiectione dicti hospitalis per illius fratres obtinenda, quae eisdem privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, concessionibus et indultis, quibus aliae dicti hospitalis praeceptoriae, domus et hospitalia utebantur, potiebantur et gaudebant, uterentur, potirentur et gauderent, assignata illis congrua dote, ordinariorum locorum et quorumvis aliorum licentia minime requisita, et nulla praeterea, in illis, ordinariis ipsis iurisdictione aut oneris imponendi facultate reservata, construi et erigi faciendi, plenam et liberam facultatem et auctoritatem concesserat.

1 Serva Concilium Trident., sess. VII, *De Reform.*, cap. 11. 2 Vide idem Conc., sess. XXV, *De Regular.*, cap. 12.

Donationes et alios damnosos contractus revocandi.

§ 32. Quascumque donationes, concessiones, locationes, investituras et alias alienationes censuum, redditurum, iurium, iurisdictionum et bonorum quorumcumque ad baiulivias, prioratus, castellaniam empostae, praeceptorias, domos, hospitalia, beneficia et loca hospitalis huiusmodi pertinentium, in illorum laesionem, iacturam vel detrimentum, etiam per personas dictae Religionis, etiam cum renunciationibus, pactis, iuramentis et poenis desuper impositis et adiectis, ac instrumentis et literis desuper confectis et confirmationibus forsan inde secutis, etiam de licentia dictae Sedis, absque tamen consensu seu expressa licentia magistri et conventus praedictorum, quacumque praescriptione seu longissima pacifica possessione et detentione non obstantibus.

Regressus quoscumque idem Clemens VII revocavit;

§ 33. Necnon quoscumque accessus, ingressus et regressus ac coadiutorias ad baiulivias, prioratus, castellaniam empostae, praeceptorias, domos, hospitalia et alia beneficia hospitalis huiusmodi, praeterquam ex causa onerosa et de consensu dictorum magistri et conventus, etiam per Clementem et praedecessores suos praefatos concessos, cassaverat, revocaverat, annullaverat et irritaverat, nulliusque roboris vel momenti fore et pro infectis haberi decreverat.

Adversus contractus lesivos in integrum restituit:

§ 34. Ac census, redditus, iura, iurisdictiones et bona alienata huiusmodi, ac etiam per quoscumque, etiam saeculares, occupata, usurpata et detenta, ad ius et proprietatem dicti hospitalis seu illius baiuliviarum, prioratuum, castellaniae empostae, praeceptoriarum, domorum, hospitalium et beneficiorum praedictorum reduxerat, illaque in integrum adversus concessiones, donationes et alias

quaslibet alienationes praedictas, necnon investituras, illarum praetextu, quomodolibet, quavis auctoritate factas et concessas, in integrum ac in pristinum et eum statum, in quo antea erant, restituerat, reposuerat et plenarie reintegraverat; illorumque detentores, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentes, ad illorum relaxationem per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia cogi et compelli posse voluerat; et similes alienationes de cetero, sub excommunicationis latae sententiae et privationis beneficiorum per eos obtentorum poenis, per contrafacientes eo ipso, absque aliqua declaratione, incurrendis, fieri prohibuerat, et si fierent, illas viribus omnino carere decreverat.

Lites omnes, in Romana Curia pendentes, M. magistro committit 1;

§ 35. Necnon omnes et singulas lites, etiam in dicta Curia et Rotae auditorio, super quibusvis dicti hospitalis beneficiis, inter quascumque personas motas et in quibusvis instantiis pendentes, in quibus conclusum non fuerat, ad se advocaverat, et illas eisdem magistro et conventui per eos, iuxta formam stabilimentorum et laudabilium consuetudinum praedictorum, et si eis videretur, tam in eadem Curia quam extra eam, in statu debito reassumendas et decidendas commiserat, eisque, quorum interest, etiam per edictum publicum locis publicis affigendum (constito tamen summarie de non tuto accessu ad eas), citandi, ac quibus et quoties opus foret, inhibendi, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, etiam contra condemnatos, etiam in Curia praedicta, tam realiter quam personaliter, exequi mandaverat.

Exemptionem a superioritate ordinariorum concessit;

§ 36. Et insuper hospitale ac illius baiulivias, prioratus, castellaniam empostae, domos, cameras, hospitalia et loca quaecumque, necnon magistrum, baiulivos, [2] empostae, priores, praeceptores, milites et personas, ac eorum subditos, vassallos, colonos et servitores, tunc et pro tempore existentes, etiam presbyteros curam animarum exercentes, quamdiu illam exercerent et in illorum obsequiis forent, ac illorum res, animalia, praedia, domos, molendina et bona quaecumque, quae obtinebant et possidebant, ac in futurum canonice obtinerent et possiderent, sub B. Petri et dictae Sedis atque sua protectione susceperat, ac ab omni iurisdictione, correctione, onere, statutis, bannis, dominio, superioritate et potestate quorumcumque patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et praelatorum, necnon quorumcumque temporalium dominorum, quavis potestate, etiam imperiali, regali et ducali, fulgentium, ac universitatum et illarum regentium etiam, praeterquam dicti hospitalis ordinariorum, tam spiritualium quam temporalium, ubicumque, tam citra quam ultra montes et mare, constitutorum, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentium, illorumque vicariorum et officialium, locatenentium et iudicum, tunc et pro tempore existentium quorumlibet.

Exemptionemque a solutione quorumcumque onerum dedit;

§ 37. Necnon a solutione et exactione passagii, arreragii, gabellae, datii, tractae, collectae, procurationis, iucundi adventus, iurium, etiam synodalium, censuum et decimarum, etiam novalium, etiam hortorum, pratorum, piscationum, et molendinorum, ad quae cuilibet accessus nullatenus, directe vel indirecte, prohiberi posset, et terrarum, quas per se ipsos vel alios eorum nominibus, etiam colonos, arrendatarios et emphyteutas, excolebant, et de quibus fructus percipiebant, et cuiusvis alterius oneris personalis seu mixti, ab ordinariis ubicumque et ex quacumque causa impositi vel imponendi, pro tempore liberaverat et exemerat, ac sibi et dictae Sedi immediate subiecerat;

1 Hoc vide etiam hic inf. 2 Legendum probabilius *castellanum empostae* (B. T.).

illosque et illa, etiam si in quibuscumque statutis, literis, constitutionibus et regulis, etiam per Clementem praedecessorem et Sedem praedictos pro tempore editis, nominatim, specialiter et expresse gravarentur seu onerarentur, semper liberos, immunes et exemptos ac exceptos et ipsi Clementi praedecessori immediate subiectos esse decreverat. Ita quod archiepiscopi, episcopi, praelati, ordinarii, vicarii, officiales, locatenentes et iudices praefati, etiam ratione delicti vel contractus, seu rei de qua ageretur, ubicumque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipsa consisteret, nullam in eos vel ea iurisdictionem, correctionem, visitationem, superioritatem, dominium, partitionem, exactionem seu potestates exercere, aut excommunicationis aliasve sententias, censuras et poenas promulgare, aut etiam, ratione personarum vel rerum, animalium ac bonorum suorum, ad aliquam solutionem pontium, fontium, furnorum, murorum seu etiam aliarum ecclesiarum, quam dictae Religionis, etiam si forsan eatenus per abusum seu alterius privilegium aut negligentiam, etiam per longissimum tempus, taliter observatum non fuisset, quae omnia, etiam praescriptiones, nullo pacto, saltem in posterum, quo minus huiusmodi exceptionibus uti possent, obstare voluit, et decrevit eos coarctare; aut alii quicumque, cuiuscumque ecclesiasticae vel mundanae dignitatis aut praeeminentiae, status vel conditionis existerent, etiam locis et terris sanctae Romanae Ecclesiae, etiam immediate subiectis, et ad instantiam cuiuscumque principis seu communitatis, sub excommunicationis latae sententiae et quadrupli, ultra damna et expensas, restitutionis poenis, per contrafacientes eo ipso incurrendis, eos, in iudicio et extra, super praemissis et eorum usu seu possessione vel quasi, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare, impedire, vexare aut alias quomodolibet impetere praesumerent, deberent seu etiam valerent.

In patronatus ex fundatione et dotatione et tertiam partem eorum et tunc facultatem redimendi Ordini concessit;

§ 38. Et insuper statuerat et ordinaverat quod ius patronatus et praesentandi personas idoneas ad baiulivias, prioratus, praeceptorias, hospitalia, membra, alia beneficia et loca hospitalis huiusmodi, nisi ratione fundationis aut dotationis saltem ad tertiam partem illorum fructuum, quo casu liceat magistro et conventui praefatis, si dicta eorum beneficia et loca hospitalis huiusmodi a dicto iure patronatus liberare vellent, aut dotantibus bona restituere, seu illorum pretium persolvere, ac ex tunc baiulivias, prioratus, praeceptorias, hospitalia, membra et beneficia huiusmodi conferre.

Pensiones saltem quarum fructibus etiam per Sedem Apostol., absque [illegible] se [illegible] as [illegible] [illegible] [illegible]

Religionis, dimittere et transferre, seu illarum cassationi consentire tenerentur; alioquin beneficia et pensiones huiusmodi, nisi illa possidentes et illas percipientes infra dictum tempus habitum susciperent, et professionem regularem ipsius Religionis emitterent, lapsis mensibus ipsis, vacarent, ac cassae et extinctae essent et esse censerentur eo ipso.

Quicumque per fratres in conservatores electi, teneantur constituti, prout si conservatores deputati fuissent.

§ 41. Ac quod quaecumque personae in dignitate ecclesiastica et ubilibet constitutae, per eosdem baiulivos, priores, praeceptores et fratres ac eorum singulos pro tempore eligendae, sub excommunicationis latae sententiae poena, ipsos adversus inferentes eis iniurias seu gravamina vel damna, in personis rebus et bonis, manutenere, conservare, et quamcumque iurisdictionem exercere; necnon sententias, censuras et poenas ecclesiasticas contra rebelles ac inobedientes cum effectu promulgare; necnon omnibus facultatibus et concessionibus, quibusvis conservatoribus eis per quascumque literas apostolicas eatenus deputatis quomodolibet concessis, uti, potiri et gaudere deberent in omnibus et per omnia, perinde ac si per easdem literas conservatores et iudices deputati fuissent.

Cappellanos Ord. tantum eius parochialibus deservire et per ordinarios gratis ad hoc recipi praecepit;

§ 42. Et quod presbyteri, qui in dicta Religione professionem non emisissent, nisi de expressa licentia vel consensu magistri seu priorum, praeceptorum vel fratrum, quos id tangeret, ad deserviendum parochialibus et aliis ecclesiis aut cappellis ipsius Religionis nullatenus admitterentur; sed, in quibuscumque parochialibus et aliis ecclesiis ac cappellis hospitalis huiusmodi, cappellani eiusdem Religionis per locorum ordiniaros, sub eadem excommunicationis latae sententiae poena, si contrafacerent eo effectu incurrenda, ad requisitionem seu praesentationem dictorum baiulivorum, priorum, praeceptorum et fratrum, absque aliqua exactione et oneris impositione, recipi et admitti deberent.

Habitum suscipientes, et non alios, privilegiis Ordinis gaudere voluit;

§ 43. Quodque illi dumtaxat fratres privilegiis praedictis gauderent, qui a praefato magistro seu de eius licentia habitum suscepissent et professionem emisissent, seu de habito suscipiendo et professione huiusmodi emittenda infra certum tempus arctati fuissent, nullusque baiulivorum, priorum, praeceptorum et fratrum praedictorum, absque mandato seu licentia praefati magistri aut saltem sui prioris seu procuratoris ipsius hospitalis in dicta Curia existentis, privilegiis praefatis in eadem Curia uti valeret, nec illa, absque huiusmodi licentia vagantibus suffragarentur.

Manus violentas in confugientes ad ecclesias Ordinis iniici prohibuit;

§ 44. Ac manus violentas in eos, qui ad ecclesias seu domos eiusdem Religionis pro sua salute confugerent, per quempiam iniici, sub excommunicationis latae sententiae poena, prohibuerat.

Literis suis nonnisi ut hic derogari posse idem Clemens VII voluit;

§ 45. Decernens literis praedictis et in eis contentis quibuscumque, etiam per quascumque literas apostolicas, etiam quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione, in se continentes, nullatenus derogari posse nec derogatum censeri, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, ac huiusmodi derogationes consistorialiter factae, et per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, magistro et conventui praefatis legitime intimatae et insinuatae forent, ac ipsorum magistri et conventus ad id expressus accederet assensus; et aliter factas derogationes nemini suffragari; ac magistrum et conventum praefatos ad parendum literis derogatoriis huiusmodi et decretis, super illis processibus, ac illorum executoribus et subexecutoribus

eorumque mandatis et monitionibus minime teneri, et literarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec ratione resistentiae huiusmodi censuris ecclesiasticis, per eosdem executores et subexecutores latis, innodari posse.

Decretum irritans apposuit;

§ 46. Et sic, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, tam in dicta Curia quam extra eam pro tempore deputatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter circa praemissa iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus, super praemissis omnibus vel eorum aliquo, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari.

Alexandri V, Gregorii IX, Bonif. VIII, Clement. V, Innocent IV et Calisti III exemptionem a decimis et cetera confirmavit et ampliavit;

§ 47. Necnon literas, etiam piae memoriae Alexandri V, Gregorii IX, Bonifacii VIII, Clementis etiam V, Innocentii IV et Calisti III, Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, tunc suorum, eidem hospitali, etiam super decimis ex eorum terris, possessionibus et animalibus non solvendis, concessas, per alias suas literas approbaverat; ac quod terras et possessiones, ad quantumcumque longum tempus, non tamen in perpetuum feudum seu emphyteusim, concessas, observari debere decreverat.

Latum omnium personarum Ordinis M. magistro et conventui cognitionem dedit, duobus exceptis casibus:

§ 48. Et per alias, motu simili, omnes et singulas causas, tam inter priores, baiulivos, castellanum empostae, praeceptores, fratres et milites hospitalis huiusmodi quam etiam pro communi thesauro praedicto agentes, tam ratione prioratuum, baiuliviarum, praeceptoriarum et domorum hospitalis huiusmodi quam etiam bonorum et pecuniarum, etiam dicti thesauri, seu delictorum, etiam si ex adverso aliqui clerici saeculares vel regulares aut laici existerent, et active seu passive in dictis causis quomodolibet, in quacumque instantia, intervenissent; et cum opportuna derogatione stabilimentorum, usuum, morum, consuetudinum et privilegiorum dicti hospitalis, etiam ab eodem Clemente praedecessore concessorum, etiam praetextu iuratae perhorrescentiae (dummodo non ex causa denegatae iustitiae aut perperam observatorum stabilimentorum processissent) commissas et in futurum, etiam cum similibus derogationibus, pariter committendas, ad se, in terminis, in quibus reperirentur, etiam executivis, advocaverat, illasque in eisdem terminis per magistrum ac conventum praefatos, in eorum consilio ordinario sive in generali capitulo, ut moris erat, et eorum stabilimenta ac consuetudines exigebant, ipsaque privilegia expostulabant, cum omnibus et singulis illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, tam coniunctim quam divisim, etiam sine aliqua registrorum in huiusmodi causis factorum exhibitione et productione, cognoscendas seu reassumendas et fine debito terminandas, prout tunc magistro dicti hospitalis videretur expedire, commiserat et mandaverat. Inhibens ex tunc iudicibus et partibus extra conventum et suos iudices, contra formam stabilimentorum praedictorum, litigantibus, ne ex tunc de cetero in dictis causis quomodolibet procedere praesumerent, decreto irritanti desuper adiecto.

Expectativas et omnes gratias praeventivas, etiam aliis quam personis hospitalis super illius beneficiis concessas, etiam per Sedem Apostolicam revocavit, et illis non obstantibus, M. magistrum et conventum de illis disponere posse declaravit.

§ 49. Et per reliquas suas in forma brevis literas, omnes et singulas speciales et generales, etiam mentales, reservationes, expectativas, mandata de providendo, concessiones, coadiutorias, uniones, etiam perpetuas, necnon alias praeventivas gratias et literas apostolicas super prioratibus et castellania empostae, baiulivatibus, praeceptoriis, rectoriis, domibus, locis et membris ac aliis beneficiis dicti hospitalis, quovis modo nuncuparentur, etiam in Castellae et Legionis ac Valentiae regnis, ac principatu Catalauniae, quomo-

documque et qualitercumque, etiam cum quibusvis fortissimis et insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis ac inhibitionibus, quibusvis, etiam non dicti hospitalis, personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiae forent, etiam cardinalatus honore fulgentibus et functuris, etiam ex quibusvis iustissimis et urgentissimis causis, quam per Clementem praedecessorem et Sedem praefatos, tam in genere quam in specie, concessas et concessa, et quasvis, etiam praeventivas et restitutorias ac præservativas, clausulas in se continentes et continentia, eorumque omnium vim et effectum revocaverat, cassaverat et annullaverat, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac nemini suffragari posse neque debere, nec per eas cuiquam in prioratibus, castellania empostae, baiulivatibus, praeceptoriis, dignitatibus, domibus, locis et membris ac aliis beneficiis hospitalis huiusmodi, vel ad illa ius acquiri potuisse vel posse, neque coloratum titulum possidendi, sed, illis non obstantibus, magistrum et conventum praefatos, coniunctim vel divisim, iuxta consuetudines et stabilimenta huiusmodi hospitalis, de castellania empostae, baiulivatibus, praeceptoriis, domibus, locis et membris ac aliis beneficiis hospitalis huiusmodi libere disponere potuisse et posse, et sic iudicari debere; ac quidquid secus super his attentari contingeret, irritum et inane decreverat.

Paulus III concess. Pontif. praedecessorum, praesertim quoad perceptionem antiquarum decimarum, confirmavit;

§ 50. Similis memoriae Paulo Papæ III, similiter praedecessori nostro, pro parte tunc magistri ac priorum, baiulivorum, praeceptorum, militum et fratrum dicti hospitalis exposito quod antea eisdem magistro, prioribus, praeceptoribus et fratribus a dicta Sede concessum fuerat ut in parochiis et locis, in quibus veteres decimas percipiebant, novalium decimas pro ea parte, qua veteres percipiebant, similiter perciperent (licet de concessione huiusmodi, cum eorum munimenta in praedicta expugnatione periissent, ut praefertur, docere non possent), praefatus Paulus praedecessor, magistri, priorum, baiulivorum, praeceptorum, militum et fratrum praedictorum in ea parte supplicationibus inclinatus, concessionem, facultatem, cassationem, revocationem, annullationem, irritationem, reductionem, restitutionem, repositionem, reintegrationem, commissionem, mandatum, liberationem, exemptionem, derogationem, statutum et alia per Clementem VII concessa et gesta, necnon suppressionem, extinctionem, applicationem, approbationem, concessionem, assignationem, absolutionem et translationem per Innocentium VIII, ac facultatem seu indultum percipiendi decimas novalium pro ea parte, qua veteres decimas percipiebant; necnon omnia et singula, tam per praefatos Alexandrum, Gregorium, Bonifacium, Clementem V, Innocentium IV, Calistum, Leonem et Clementem VII, quam etiam similis memoriae Ioannem XXII, Martinum V, Alexandrum V, Pium II, Paulum etiam II, Alexandrum VI et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores suos ac Sedem praefatam, eidem hospitali et illius prioratibus, baiuliviis, praeceptoriis, domibus, hospitalibus, ecclesiis, cappellis et aliis locis ac membris, necnon pro tempore existentibus magistro, prioribus, baiulivis, praeceptoribus, militibus, fratribus et personis ac eorum vassallis et servitoribus eatenus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessa, approbata et innovata, ac cum inhibitionibus et decretis, necnon omnibus et singulis aliis in eis contentis clausulis, singulas praedecessorum praedictorum desuper, tam sub plumbo quam in forma

brevis, literas confectas, ex certa scientia, per suas sub plumbo confectas literas, approbavit, confirmavit et innovavit, ac valida et efficacia existere et perpetua roboris firmitate subsistere, suosque effectus sortiri.

Exemptionem a solutione decimarum servari iussit;

§ 51. Ac etiam, quoad possessiones, terras et bona, quae per quantumcumque longum tempus (quod nonagintanovem annos, seu trium vitam intelligi seu censeri debere decrevit et declaravit), non tamen in perpetuum feudum seu emphyteusim, catenus concessa fuerant et in futurum concederentur, inviolabiliter, ita quod ipsi priores, praeceptores et fratres, necnon coloni, arrendatarii et firmarii, pro possessionibus, terris et bonis, etiam ad nonagintanovem annos seu trium vitam, non tamen in perpetuum feudum seu emphyteusim, ut praefertur, pro tempore concessis, necnon suis et aliis in illis pro tempore natis aut nascituris animalibus, a solutione quorumcumque datiorum seu decimarum vel aliorum onerum, iuxta tenorem literarum Clementis VII, praedecessoris huiusmodi, immunes et exempti perpetuo existerent, per quoscumque, quavis dignitate et praeeminentia praefulgerent, etiam sub sententiis, censuris et poenis in eis contentis, perpetuo observari; necnon magistro, prioribus, baiulivis, praeceptoribus, militibus, fratribus, personis, vassallis, subditis et servitoribus praefatis suffragari debere decrevit; omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerant in eisdem, supplevit; ac praemissa omnia et singula, prout per singulos praedecessores et Sedem praefatos decreta, concessa, prohibita, statuta, ordinata, innovata et gesta fuerant, in omnibus et per omnia perpetuo concessit, decrevit, prohibuit, statuit, ordinavit et fecit.

§ 52. Illaque, etiam ad hoc ut magister et singuli priores, baiulivi, praeceptores, milites et fratres hospitalis huiusmodi, pro eorum libito voluntatis, parochiales ac etiam sine cura ecclesias vel earum vicarias seu cappellanias perpetuas aut cappellas vel altaria seu alia beneficia simplicia, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem, ratione prioratuum, baiuliviarum, praeceptoriarum, etiam camerarum magistralium nuncupatarum, hospitalium, domorum et aliorum beneficiorum dicti hospitalis per eos pro tempore obtentorum, de iure, statuto, consuetudine, fundatione aut privilegio vel alias quomodolibet spectantia et pertinentia, et ab ipsis baiuliviis, praeceptoriis, domibus, hospitalibus et aliis beneficiis dependentia seu illis annexa, quae dudum fratribus saltem cappellanis eiusdem hospitalis, et ab eisdem magistro, prioribus, baiulivis ac praeceptoribus et aliis praedictis conferebantur, a longo tamen et forsan longissimo tempore citra, de cuius initio memoria hominum forsan non existebat, per ipsum magistrum, priores, baiulivos, praeceptores, milites et fratres, per abusum aut ex defectu fratrum cappellanorum vel aliarum personarum eiusdem hospitalis ad id idonearum, clericis seu presbyteris saecularibus collata aut conferri, et per ipsos presbyteros vel clericos saeculares obtineri solita, etiam fratribus hospitalis huiusmodi, praesertim cappellanis nuncupatis, qui, ut asserebatur, a presbyteris seu clericis, nisi quoad gestationem crucis vel habitus dicti hospitalis ad pectus, non differebant, immo privilegiis clericorum saecularium, iuxta forsan eorum privilegia et consuetudines, gaudere solebant, si ad id alias idonei et habiles reperirentur, conferre, ac alias de illis providere et disponere; ipsique fratres, quibus beneficia huiusmodi conferri contingeret, illa si sibi alias canonice conferrentur aut ipsi

Parochialibus et aliis ecclesiis Ordinis cappellanos eiusdem deputari concessit, quibuscumque non obstantibus

eligerentur, praesentarentur vel alias assumerentur ad illa, et instituerentur in eis, recipere, et in titulum, etiam quoad viverent, retinere respective, libere et licite valerent, extendit et ampliavit; eisque concessit et pariter indulsit, ac cum eis super hoc legitime dispensavit; necnon magistrum, priores, baiulivos, praeceptores, milites, fratres, personas, vassallos, subditos et servitores praedictos illis omnibus, iuxta illorum continentiam et tenorem, perpetuo uti, potiri, frui et gaudere libere et licite posse decrevit, prout in singulis literis praedecessorum huiusmodi plenius continetur.

Pius autem IV, Pontifex iste, ex causis hic expressis, privilegia et gratias per Martinum V et alios praedecess. hospitali et militiae S. Ioannis Hierosolymitani eiusque personis et rebus concessas, iuxta Leonis X, Clementis VII et Pauli III concessiones et iuxta constitutionem nuper in curia regum Aragonum editam, confirmat:

§ 53. Nos igitur, cupientes ut Religio hospitalis huiusmodi, cuius fratres, nullis parcendo periculis, contra piratas, Turcas et alios Christi nominis hostes dimicare, ac pro salute christiana honestam mortem oppetere non cessant, et quaquaversum classis christianorum in infideles dirigitur, vocati se illi adiungunt, primosque congressus fortiter sustinent, sicuti novissime, in expugnatione terrae Africae 1, priscam virtutem ostendentes, omnium primi illius muros conscenderunt, saluberiter dirigatur et amplietur, dilectos filios Ioannem de Valeta 2, modernum magistrum, ac priores, baiulivos, praeceptores, milites, fratres et personas hospitalis huiusmodi ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existerent, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad Ioannis de Valeta magistri aut baiulivorum, priorum, praeceptorum, militum, fratrum vel personarum praedictarum seu aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, statuta, ordinationes, declarationes, revocationes, cassationes, irritationes, voluntates, monitiones, requisitiones, promulgationes, suppressiones, extinctiones, uniones, incorporationes, concessiones, etiam facultatum assignationes, decreta, annullationes, advocationes, remissiones, inhibitiones, iniunctionem, moderationem, repetitionem, renovationem, approbationes, confirmationes, suppletiones, restitutionem, repositionem, commissionem, mandatum, susceptionem, liberationem, exemptionem, subiectionem, prohibitionem, extensionem, ampliationem, indultum et dispensationem Martini, Sixti, Innocentii, Iulii, Leonis, Clementis et Pauli praedecessorum huiusmodi, necnon omnia et singula privilegia, iurisdictiones, facultates, immunitates, concessiones, indulgentias, libertates, praerogativas, exemptiones, gratias, favores et indulta hospitali, baiuliviis, prioratibus, castellaniae, praeceptoriis, domibus, conventibus seu monasteriis, ecclesiis, cappellis, locis et membris, necnon pro tempore existentibus magistro, baiulivis, prioribus, castellano, praeceptoribus, militibus, fratribus et personis ac eorum vassallis, subditis et servitoribus, per praedictos et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem praedictam, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, hactenus quomodolibet concessa, approbata et innovata, necnon cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis singulas eorumdem praedecessorum, tam sub plumbo quam in forma brevis literas, prout per antecessores nostros Leonem X, Clementem VII et Paulum III concessa, confirmata et approbata fuerunt, et constitutionem eorum nuncupatam, in novissime celebrata curia regum Aragonum, ut ac-

1 *Aphrodisium*, vulgo *Africa*, incolis *Mahadia*, urbs Africae maritimae a Carolo V expugnata. *V.* Baudrand, *Lexicon geographicum* (R. T.). 2 Iohannem de la Vallette Parisot (R. T.).

cepimus, editam, qua inter alia caveri dicitur expresse quod, pro evitandis litibus et discordiis, quae saepius in praeceptoriis dicti hospitalis suscitari solent, in praeceptoriis et beneficiis hospitalis huiusmodi ad manus iudicum ad id competentium apprehensis, in tenuta et possessoriis ac aliis articulis et processibus, qui coram iudicibus saecularibus tractari possunt, illi obtinere debeant, qui, per magistrum et conventum hospitalis huiusmodi provisi, eorum bullas et executoriales regias habuerint et reportaverint, iuxta literarum ipsius Ioannis praedecessoris continentiam et tenorem.

Statuta et ordinationes capituli generalis anni MDLVIII, approbat,

§ 54. Et insuper omnia et singula stabilimenta, ordinationes et decreta in capitulo generali novissime celebrato edita, praesertim de festis apostolorum duplici officio celebrandis, et responsione ac novis impositionibus, iuxta formam stabilimentorum et privilegiorum eorumdem factis, super prioratibus ac aliis beneficiis et locis dicti hospitalis, ad sublevandum illius onera. Et de illegitimis in fratres milites eiusdem hospitalis neutiquam cooptandis, nisi ex comitum aut superiorum genere, nec etiam illis, nisi a patre, avo et proavo paterno per seriem illustribus prognatis. Necnon divisiones animalium, quae in praeceptoriis decedentium praeceptorum reperiuntur, pro una praeceptoriis ipsis, et pro alia medietatibus, vel etiam aliquando in totum, aerario publico in certos casus applicandis. Ac poena in non solventes responsiones et impositiones aerario. Necnon commutatione solutionis iurium ratione mortuariorum et vacantium. Et dilatione divisionis bonorum et spoliorum, mortuo magistro praefato. Et annumeratione certarum praeceptoriarum, quae magistratui sunt perpetuo unitae. Ac forma licentiarum exercendi militiam saecularem per fratres cum poenis in contrafacientes. Et provisione adversus malos administratores bonorum. Necnon acceptatione administrationis communis aerarii per magistrum praefatum factam ad requisitionem sexdecim capitularium, et reliqua, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis haberi volumus, apostolica auctoritate, tenore præsentium, approbamus, confirmamus et innovamus.

Et ad hospitale Ord. nunc insula Meliten. consistens, extendit;

§ 55. Ac ad hospitale praedictum, ad praesens in Melitensi et non in Rhodi insula consistens, illiusque magistrum, baiulivos, priores, praeceptores, fratres et personas ac alia infrascripta extendimus et ampliamus; eaque omnia valida et efficacia existere et perpetuam roboris firmitatem obtinere suosque effectus sortiri, ac ab omnibus, quavis dignitate et præeminentia fulgeant, etiam sub sententiis, censuris et poenis in eis contentis, perpetuo inviolabiliter observari decernimus.

Causarum omnium cognitionem M. magistro et conventui concedit;

§ 56. Necnon causas, sub literis Martini et Clementis praedecessorum huiusmodi comprehensas, ac omnes et singulas lites et querelas, sive in dicta Curia, tam in auditorio nostro quam per commissiones, sive extra eam, super quibusvis dicti hospitalis beneficiis ac bonis et pecuniis thesauri et fratrum quorumcumque seu super eorumdem delictis, etiam si ex adverso aliqui clerici saeculares vel regulares aut laici existerent, et active seu passive, iuxta alias formas stabilimentorum et privilegiorum praedictorum, in dictis causis quomodolibet et in quacumque instantia intervenissent, hactenus motas, in quibus tamen non conclusum sit, et in futurum, quovis praetextu, movendas, in quibusvis instantiis pendentes, quarum status et merita etiam praesentibus haberi volumus pro expressis, ad nos advocamus, ac illas eisdem magistro et conventui per eos, iuxta formam dictorum stabilimentorum et lauda-

bilium consuetudinum praedictorum, in statu debito reassumendas et decidendas, committimus, eosque, quorum intererit, citandi et, quoticns opus fuerit, inhibendi, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, tam in curia praedicta quam extra eam, facultatem concedimus. Necnon illorum sententias et rem iudicatam per priorem ecclesiae dicti conventus, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, contra condemnatos, etiam in Curia praedicta, tam realiter quam personaliter, exequi mandamus, ita quod alibi quam in dicto hospitali aut extra illud, ex magistri et conventus commissione, iuxta stabilimenta et usus huiusmodi, cognosci et terminari nequeant.

Appellari a iudicibus hospitalis ad M. magistrum et conventum, et ab illis ad capitulum generale permittit et non aliter;

§ 57. Nec a sententiis per iudices dicti hospitalis pro tempore latis ad alium quam magistrum et conventum praedictos seu iudices ab eis deputatos, in quavis instantia, neque a sententiis per ipsum magistrum et conventum latis, alio quam ad ipsum generale capitulum, sive per ipsius hospitalis fratres sive per ipsos subditos et vassallos quoquomodo appellari possit, immo usque ad tertiam sententiam in eodem conventu procedere teneantur.

Sententias et mandata M. magistri nullo praetextu impediri posse decernit;

§ 58. Et similiter quod omnes sententiae per eosdem magistrum et conventum latae, omnes item commissiones, citationes, collationes, bullae et omnia denique eorumdem rescripta, ad omnes suae iurisdictionis subditos ac reliquos, etiam quorum intererit causas, lites seu querelas coram ipsis pertractari, directa, exequi, et a nullis locorum et terrarum dominis, etiam ducali aut regali dignitate fulgentibus, aliqua ratione expectandi consensus, seu alio quovis quaesito colore, in eorumdem executione impediri possint, servato tamen in eis exequendis datarum ordine, ita quod eorum ultima primis anteferri nequeant.

Facultatemque contra omnes clericos saeculares et regulares, seu laicos, Ordinis debitores, procedendi concedit;

§ 59. Ac quod contra clericos saeculares seu laicos, prioratus, baiulivias, praeceptorias, domos et alia beneficia hospitalis huiusmodi occupantes, seu illi aut eius communi thesauro seu fratribus, occasione responsionum annuarum, vacantium, mortuariorum, annatarum, passagiorum, arreragiorum seu alias quomodolibet debentes, sive agant sive conveniantur, etiam in quavis instantia ad causam veniant, magister et conventus praefati, modo et forma quibus contra ipsius hospitalis fratres procedi consuevit, libere procedere, et eos prioratibus, baiuliviis, praeceptoriis, domibus et aliis beneficiis huiusmodi, iuxta alias formam privilegiorum praedictorum, privare valeant, concedimus et indulgemus.

Conservatores Ordinis tam fratres quam eorum servitores tueri debere iubet;

§ 60. Necnon personas in dignitate ecclesiastica ubilibet constitutas, et quoscumque locorum ordinarios ac eorum vicarios et officiales, necnon canonicos metropolitanarum et cathedralium aliarumque ecclesiarum praelatos et rectores, per eosdem baiulivos, priores, praeceptores et fratres ac eorum singulos pro tempore eligendos in conservatores, qui, quamdiu exercuerint dictum officium, a nemine quo minus illud exerceant, sub aliquo praetextu, impediri vel molestari possint, deputamus. Ita quod ipsi sic electi, sub [1] excommunicationis latae sententiae, per eosdem priores, baiulivos, praeceptores et fratres ac eorum singulos, adversus inferentes eis aut eorum servitoribus et familiaribus iniurias seu gravamina vel damna in personis, rebus et bonis, seu exigentes ab eis vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas aut alia onera, defendere et praeservare, ac omnem eorum iurisdictionem exercere. Necnon sententias, censuras et poenas ecclesiasticas contra rebelles et inobedientes cum effectu promulgare, ac omnibus facultatibus, conservatoribus dicti hospitalis et illius personarum, per quascumque li-

1 *Sub poena*, Cherub. (B. T.).

teras apostolicas quomodolibet concessis, uti, ac privilegia prioribus, baiulivis, praeceptoribus et fratribus praefatis pro tempore concessa eis observare facere debeant et teneantur.

Iura omnia exigi mandat;

§ 61. Ac iura mortuariorum et vacantium, necnon arreragiorum, passagiorum et aliorum quorumcumque, ita ut quaevis personae, cuiuscumque ecclesiasticae dignitatis existentes, beneficia hospitalis huiusmodi pro tempore obtinentes, illa solvere omnino teneantur et adstricti sint, ac ad id, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac alias, iuxta eorumdem privilegia, privationis et apprehensionis, etiam beneficiorum, ad manus suas remediis cogi possint, solvi mandamus.

Ordinari a quocumque antistite, et extra tempora, concedit 1;

§ 62. Necnon exemptionem et liberationem praedictas, ita quod magistri, baiulivorum, priorum, praeceptorum et dicti hospitalis fratres cappellani a quocumque catholico antistite, sub Romanae Sedis obedientia constituto, sacros ordines, etiam extra tempora a iure statuta, tribus diebus festivis, suscipere, et in quibusvis, tam saecularium quam regularium, ecclesiis, absque alicuius licentia, etiam in altari portatili, celebrare possent.

Exemptionem a decimis, subsidiis etc. elargitur,

§ 63. Nec omnino aliquis ex praedicti hospitalis fratribus, donatis, servitoribus, vassallis et colonis in prioratibus, baiulivatibus, commendis, domibus, membris aut aliis quibusvis beneficiis, praediis sive grangiis, quomodocumque a dicto hospitali dependentibus, in quibuscumque locis, sub quorumcumque patriarcharum, episcoporum, universitatum, hospitalium, rectorum ecclesiarum limitibus et iurisdictione constitutis, decimas aut canonicam portionem seu caritativum subsidium aut quartas nuncupatas seu alias quascumque collectas vel contributiones, tam ex antiquis eorum culturis quam recenter cultis novalibus, alicui quovis modo solvere teneatur, a quibus omnibus exactionibus, atque etiam tam novo subsidio, dilecto filio nostro Philippo, Hispaniarum regi, in suis regnis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concesso, quam canonica portione seu quarta nuncupata in Franciae regnis nuper imposita, necnon a quibuscumque aliis facultatibus, regibus huiusmodi et aliis principibus concessis vel concedendis in futurum, omnia dicti hospitalis loca, ut praefertur, necnon ecclesiarum quomodocumque a dicto hospitali dependentium fabricas libera et liberas, exempta et exemptas, sicut per praedecessores nostros Romanos Pontifices fuisse, ita modo esse declaramus et volumus.

Privilegium extrahendi bladia, pecunias etc. absque datio tributi;

§ 64. Addentes quod praefati magister et conventus, priores, baiulivi, praeceptores aut quicumque alii ex dicti hospitalis fratribus, per quoscumque locorum aut terrarum dominos, tam spirituales quam temporales, etiam si regali dignitate praefulgeant, etiam in terris sanctae Romanae Ecclesiae (sicut alias per suas olim Paulus III, praedecessor noster, concesserat), ab extractione frumenti, hordei et vini, olei, leguminum et quorumvis fructuum atque etiam pecuniarum, ex prioratibus, baiulivatibus, commendis, membris, domibus, grangiis aliisve praedicti hospitalis locis provenientium, nullo unquam modo impediri possint, quo minus praefata omnia, pro sua possessorum voluntate, in quaecumque fidelium loca, ab omni pedagio, datio seu tracta, quae dicitur, libera et exempta, valeant asportare, et bona, etiam patrimonialia, magistri, baiulivorum, priorum, praeceptorum et fratrum ac aliarum personarum huiusmodi, tam acquisita quam in posterum acquirenda, aut illis quovis modo, etiam ex concessione apostolica vel magistrali, pertinentia, ex die emissae per eosdem magistrum,

1 Hoc moderatur Conc. Trid., sess. VII, *De Reform.*, cap. 11.

baiulivos, priores, praeceptores, fratres et personas professionis, ut praefertur, ab omnibus decimis et aliis oneribus libera, immunia et exempta existant.

Priores et praeceptores infra limites suae iurisdictionis veros ordinarios declarat.

§ 65. Et ipsi magister ac conventus, necnon prior ecclesiae aliique priores et praeceptores intra limites suarum iurisdictionum et administrationum veri ordinarii, iuxta formam stabilimentorum et privilegiorum praedictorum, existant et esse censeantur. Ac beneficia ecclesiastica ad praesentationem seu collationem baiulivorum, priorum, praeceptorum et hospitalis huiusmodi suffragari debere decernimus. Ita quod presbyteri saeculares illa ad praesens in commendam seu alias quomodolibet obtinentes, commendae huiusmodi cedere aut illa alias dimittere nequeant, nisi de consensu eorum, ad quos praesentatio seu collatio spectat, et in favorem dicti hospitalis seu personarum, quae habitum per fratres cappellanos eiusdem hospitalis deferri solitum suscipiant, et professionem per eos emitti solitam emittant: nec illa deinceps ipsi, nisi infra sex menses a die intimationis habitum ipsius Religionis susceperint et regularem professionem infra alios sex menses emiserint, possidere possint; et si secus fiat, aut cessionem seu resignationem huiusmodi ac de dicti Ordinis beneficiis, etiam in manibus nostris, in futurum fieri contingat, huiusmodi cessiones, resignationes et provisiones nullius sint roboris vel momenti, nisi in illis expresse dicatur *et de consensu magni magistri*, et de illis, iuxta formam privilegii dictae Religionis, provideatur.

Indulgentias Ordini concessas approbat;

§ 66. Ac quascumque indulgentias et peccatorum remissiones hactenus eis per praedecessores nostros concessas, et praesertim Sixti IV, de plenaria indulgentia, semel in vita et in mortis articulo, pro eis eorumque servitoribus et ministris pugnantibus; ac Honorii III, de alia plenaria pro his, qui eis manus porrexerint adiutrices; ac Clementis VII et suorum praedecessorum, de quadraginta annis et totidem quarantenis, ac septima parte iniunctae poenitentiae pro visitantibus eorum ecclesias et oratoria, ubicumque existentia, et manus porrigentibus adiutrices in singulis secundis, quartis et sextis feriis quadragesimae et capite ieiuniorum, ac festi sancti vocabuli dictarum ecclesiarum; necnon Clementis V, quoad facultatem super votis (Terrae Sanctae et castitatis duntaxat exceptis) ac super usuris, rapinis et male ablatis vel acquisitis, quorum domini certi non reperiuntur, et indistincte relictis in ultimis voluntatibus pro substentatione pauperum, ac super divinis officiis et horis canonicis omissis, componendi et absolvendi; ac Urbani, etiam praedecessoris, quoad confratrias dicti Ordinis pro colligendis eleemosynis semel in anno admittendas et aliis confratribus non postponendas, confirmamus et approbamus.

Beneficia Ordinis non in titulum perpetui beneficii, sed ad nutum concedi iubet;

§ 67. Et insuper, cum prioratus, baiuliviae, praeceptoriae, domus et alia beneficia hospitalis huiusmodi eorumque bona omnia praefato hospitali inserviant, et quodammodo unita sint, et pro tempore existens magister et conventus hospitalis huiusmodi plenam in ea iurisdictionem habeant, prioratus, baiulivias, praeceptorias, domos, conventus, monasteria et alia beneficia huiusmodi de cetero ex personis illa obtinentibus vacare non posse, sed, cedentibus vel decedentibus illorum pro tempore possessoribus, ea uni seu pluribus, non in titulum perpetui beneficii ecclesiastici, sed tamquam manualia, ad nutum seu amovibiliter, iuxta formam stabilimentorum et privilegiorum praedictorum, concedi et assignari debere.

Rem iudicatam, M. magi-

§ 68. Et per quamcumque rem iudicatam magistro et conventui praefatis, nisi

stro et conventui non citatis non praeiudicare decernit;

ipsi specialiter ad causam vocati fuerint, super iurisdictione praedicta et sua civili eorum possessione praeiudicari aut praeiudicatum censeri non posse, sed eos semper, re iudicata huiusmodi non obstante, super possessorio huiusmodi agere et de spolio dare posse.

Personas Religionis in causis ipsius testes, si is deficientibus, recipi mandat;

§ 69. Ipsosque magistrum, priores, baiulivos, praeceptores, milites, fratres, personas, vassallos, subditos et servitores, in ipsius hospitalis et religiosorum causis, in omni iudicio et contra quoscumque, ubi aliae probationes non existant, etiam iuxta formam stabilimentorum et privilegiorum praedictorum, in testes adhiberi.

M. magistro priores necnon quoscumq. fratres delinquentes ubique capere posse concedit;

§ 70. Necnon magistrum et conventum, quoscumque et singulos priores, baiulivos, castellanum empostae, suorum prioratuum, baiuliviarum et castellaniae fratres seu religiosos delinquentes vel inobedientes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et praeeminentiae existentes, etiam si quavis, etiam apostolica, exemptione fungerentur, in quocumque loco, quantumvis privilegiato, et quavis, etiam imperatoris, regum seu aliorum principum, etiam ecclesiasticorum, curia, per se aut suos officiales et ministros capere et incarcerare, ac captos a se vel eorum nomine liberare, et ad hospitale praedictum per magistrum et conventum praedictos, iuxta eorum constitutiones et stabilimenta puniendos, sub debita custodia transmittere et transmitti facere libere et licite posse. Ac, tam ecclesiasticos quam saeculares officiales et locorum potestates, ad eisdem magistro et conventui, prioribus, baiulivis et castellano in praemissis assistendum, ac auxilium, consilium, favorem et iuvamen praestandum, sub excommunicationis et aliis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, teneri et obligatos fore.

§ 71. Necnon praesentium et quorumcumque privilegiorum apostolicorum eis hactenus concessorum et in posterum concedendorum transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, aut curiae ecclesiasticae munitis, plenam et eam, quae praesentibus adhiberetur, fidem, in iudicio et extra, adhiberi debere decernimus.

Transumptis huius bullae et privilegior. credi iubet;

Eius et mandatorum M. magistri et conventus publicationem omnes arctare decernit;

§ 72. Ac volumus quod, tam praesentium quam aliarum quarumcumque literarum apostolicarum, seu earum transumpti, ac mandatorum magistri et conventus praedictorum publicatio et affixio, in singulis prioratibus, baiulivatibus, praeceptoriis, membris et beneficiis dicti Ordinis factae, perinde arctent, ac si contra contentos sub eisdem personaliter factae essent, facta in primis diligentia de illis personaliter reperiendis in dictis locis.

Habitum extra conventum suscipientes, aut beneficia, etc. possidentes, infra annum non comparentes in conventu, privari posse concedit;

§ 73. Et nihilominus statuimus ac dictis magistro et conventui perpetuo concedimus quod si quisquam priorum, baiulivorum, praeceptorum, militum et fratrum dicti hospitalis crucem vel habitum, extra dictum conventum a Romano Pontifice vel de eius licentia receptum, gestans, intra annum, postquam illam susceperit, aut sibi de prioratu vel baiulivia, praeceptoria, officio vel beneficio hospitalis huiusmodi provisum vel alias in eius favorem dispositum fuerit; ac quicumque alius dicti Ordinis beneficium vel pensionem obtinens aut fructus percipiens, quandocumque pro servitiis Religionis aut alias evocatus, seu in solutione iurium communis aerarii morosus fuerit, coram dictis magistro et conventu personaliter non comparuerit, et obedientiam aliaque iura debita eisdem magistro et conventui non praestiterit, eo elapso, habitu, dignitate, administratione et beneficio ac quocumque honore et officio, iuxta alias formas stabilimentorum et privilegiorum praedictorum, eo ipso careat, privatusque cen-

seatur, seu, si videbitur, privari possit. Nec ulla huius statuti derogatio aut exemptio, realis vel personalis, seu alia gratia praeservativa, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, quomodolibet pro tempore facta seu concessa, contra praemissa valeant, nec magister et conventus praefati illis parere teneantur; sed, illis non obstantibus, de prioratu, baiulivia, praeceptoria, dignitate, officio vel beneficio, sic aut per privationem huiusmodi vacante, iuxta stabilimenta et alia praemissa, libere disponere; aut illa alias per eum vel eos, ad quem seu quos antianitatis vel alio iure pertinet, acceptari possint.

Praedicti certo tantum modo derogari posse declarat;

§ 74. Decernentes praesentibus et in eis contentis omnibus, nonnisi eisdem modo et forma, quibus in literis Leonis, Clementis et Pauli praedecessorum praedictorum concessum est, nullatenus derogari posse nec derogatum censeri.

Clausulam sublativam apponit,

§ 75. Et sic in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, tam in dicta Curia quam extra eam pro tempore deputatos (sublata eis et eorum cuilibet quavis alias circa praemissa iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus, super praemissis omnibus et singulis, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executore deputat;

§ 76. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Toletanensi et episcopo Parisiensi ac pro tempore existenti Curiae causarum Camerae Apostolicae regenti seu generali auditori, per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte magistri, priorum, baiulivorum, praeceptorum, militum et fratrum praedictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, praesentes literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos ipsæ praesentes literae concernunt, illis pacifice gaudere. Non permittentes eos desuper contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, contradictores et rebelles quoslibet per censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas, ac alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; ac quoscumque, quorum intererit, etiam per edictum publicum, locis publicis affigendum, constito summarie de non tuto accessu, citando; ac quibus et quoties inhibendum fuerit, etiam simili edicto ac sub eisdem poenis et censuris, inhibendo; ipsasque censuras et poenas ecclesiasticas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat.

§ 77. Non obstantibus praemissis ac dicti Bonifacii praedecessoris, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praefata deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus diaetis in concilio generali edita, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac quibusvis privilegiis, indultis et literis apostolicis, etiam ordinariis praefatis et quibusvis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus, locis et personis, cu-

iuscumque dignitatis, status vel conditionis existentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus eorum, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo, kalendis iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 iulii 1560, pontif. anno I.

XII.

De residentia episcopali, residentiumque privilegiis et non residentium poenis [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Causa istius constitutionis.

De salute gregis dominici nobis ex alto commissi attentius cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quae grex ipse, continua suorum cum eo residentia pastorum, praeservetur a noxiis, et in devium prolabens, ad rectitudinis tramitem reducatur; ut pastores ipsi residentiam ipsam, prout tenentur, commodius facere, ac circa ipsius gregis curam libentius ac ferventius invigilare, et illum ab errorum praecipitiis praeservare, ac in fide orthodoxa et devotione nostra continere valeant, opem et operam efficaces impendimus, prout, rerum et temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Episcopi absentes redeant ad eorum ecclesias.

§ 1. Hinc est quod nos, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, universos et singulos venerabiles fratres nostros episcopos, archiepiscopos, primates et patriarchas ab ecclesiis et dioecesibus suis absentes, in virtute sanctae obedientiae ac sub interdicti ingressus ecclesiae poena, eo ipso, absque alia declaratione, incurrenda, districte praecipiendo monemus ut, omnibus postpositis, quanto citius, in Romana Curia videlicet moram trahentes, intra unum; extra eam vero, in Italia, intra duos; extra vero Italiam existentes, intra quatuor menses a die publicationis praesentium, in locis infrascriptis faciendam, computandos, se itineri committere et legitimis itineribus ad ecclesias seu dioeceses suas proficisci et sese personaliter conferre, ac ibidem, ut tenentur, residere et pastorale officium exercere debeant.

Inobedientes et non residentes poenas hic expressas incurrant 1.

§ 2. Si quis autem a patriarchali, primatiali, metropolitana seu cathedrali ecclesia, sibi quocumque titulo 2, nomine seu iure commissa, quacumque ille dignitate, gradu et praeeminentia praefulgeat, legitimo impedimento seu iustis et rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando, abfuerit, quartae partis fructuum unius anni, fabricae ecclesiae et pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum poenam ipso iure incurrat. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum, similiter applicandam, eo ipso amittat. Crescente vero contumacia,

1 In constitutione *In suprema*, quibus alias quoque poenas imposuit, ibi videas.

1 Quas poenas imposuit Concil. Trid., sess. VI. *De Reform.* cap. 1. 2 *Causa* etc. Can. et Decr. Conc. Trid. (Romae 1845) (R. T.).

ac[1] severiori sacrorum canonum censurae subiiciatur, metropolitanus suffraganeos episcopos absentes; metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiae ipso iure[2] incurrenda, infra tres menses, per literas vel nuncium, Romano Pontifici denunciare teneatur; qui in ipsos absentes, prout cuiusque maior aut minor contumacia exegerit, suae supremae Sedis auctoritate animadvertere, et ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

Obedientes et residentes potiuntur privilegiis infrascriptis, ut videlicet citari non possint ad comparendum in Romana Curia, nisi de commissione Papae,

§ 3. Eosdem autem patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos mandatis nostris parentes, et apud suas ecclesias seu in earum dioecesibus personaliter residentes, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes ut liberius et commodius eorum officio fungi valeant, eis et eorum cuilibet, ut quando resederint, etiam praetextu quorumcumque delictorum et excessuum atrociorum, etiam hæresis et laesae maiestatis criminum, per eos quomodolibet commissorum, ad comparendum personaliter in Romana Curia per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, nisi vigore specialis commissionis, manu nostra vel Romani Pontificis pro tempore existentis signatae, trahi aut citari non possint nec debeant; atque aliter factas citationes et censuras in eis appositas ac inde secuta quaecumque, nulla et irrita ac nullius roboris et momenti fore, ac eos minime afficere aut arctare statuimus et ordinamus.

Exemptique sint a solutione decimarum, etc.

§ 4. Necnon eos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis decimis, subsidiis et aliis oneribus, ordinariis et extraordinariis, quomodolibet nuncupatis, per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes ac Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac etiam consistorialiter, etiam ad instantiam regum et principum, quomodolibet et ex quavis, etiam quantumvis urgentissima, iustissima ac pia et necessaria, causa, etiam pro defensione fidei catholicae, ratione dictarum ecclesiarum nunc et pro tempore impositis, illorumque solutione, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex simili scientia, penitus et omnino eximimus et liberamus; nec ad id a dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus sanctae Romanae Ecclesiae camerario, necnon Camerae Apostolicae thesaurario, praesidentibus et clericis, ac decimarum, subsidiorum et aliorum onerum huiusmodi collectoribus et subcollectoribus seu exactoribus et commissariis ad id pro tempore deputatis, etiam vigore quorumcumque privilegiorum, indultorum et literarum, etiam praesentibus derogantium, ac illarum totum tenorem de verbo ad verbum exprimentium, eis quomodolibet concessorum et concedendorum, cogi seu compelli, et, ob non solutionem huiusmodi, aliquas sententias, censuras et poenas incurrere posse decernimus. Illisque et quibusvis aliis, in virtute sanctae obedientiæ et sub nostrae indignationis, necnon excommunicationis aut suspensionis ac privationis suorum officiorum et beneficiorum, quae obtinent et pro tempore obtinebunt, eo ipso incurrendis poenis, ne eosdem episcopos, archiepiscopos, primates et patriarchas sic in dictis ecclesiis vel earum dioecesibus residentes, quamdiu in illis resederint, ut praefertur, ad solutionem decimarum, subsidiorum et onerum praefatorum cogere; ac propter illorum non solutionem excommunicationis aut alias sententias, censuras et poenas promulgare quoquo modo audeant seu praesumant, districtius inhibemus.

1 *Ut severiori* (*l. s. c.*) (R. T.). (2) *Eo ipso* (*l. s. c.*) (R. T.).

Iurisdictionem quoque habent contra clericos saeculares et etiam regulares extra claustra degentes quomodolibet exemptos.

§ 5. Et insuper eisdem episcopis, archiepiscopis, primatibus et patriarchis sic ut praemittitur residentibus, ultra privilegia et indulta, eis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam et generalia concilia et Cancellariae Apostolicae regulas concessa, quae in suo robore permanere volumus, tamquam a dicta Sede delegatis, in quibuscumque civilibus, criminalibus vel mixtis causis, contra quoscumque clericos saeculares particulares, ac etiam extra eorum monasteria seu regularia loca degentes regulares, quomodolibet exemptos, auctoritate nostra procedere et causas ipsas cognoscere fineque debito terminare, ac quidquid terminaverint exequi et observari facere; ipsosque exemptos pro tempore delinquentes iuxta eorum excessus et delicta punire, corrigere et omnem iurisdictionem in eos exercere, omniaque alia et singula, in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, quae nosmet facere, exercere et exequi possemus, in omnibus et per omnia facere, exercere et exequi libere et licite valeant, plenam et liberam licentiam ac facultatem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

A decretis ante definitivam, et ubi agitur de correctione morum appellatio non admittitur.

§ 6. Decernentes ab eorum ordinationibus, interlocutionibus et decretis ante definitivam sententiam vel vim definitivae habentem, et ubi agetur de morum correctione, nullatenus, etiam ad nos et Sedem Apostol., appellari posse, et nihilominus per appellationes quascumque contra praesentium tenorem quomodolibet interpositas minime causas devolvi, aut etiam per quasvis inhibitiones, etiam cum quibusvis censuris et poenis eis a quibusvis iudicibus ordinariis vel delegatis forsan faciendas, illarum ulteriorem cognitionem et expeditionem et, ubi de morum correctione agetur, etiam legitimam executionem minime impediri, aut censuris et poenis huiusmodi ligari aut irretiri censere.

Decretum irritans.

§ 7. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque metropolitanos aut alios iudices et commissarios, etiam Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis aliter iudicandi, interpretandi aut definiendi potestate, iudicari, definiri aut interpretari debere, nec non irritum et inane quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum istius constitutionis deputatio et facultates.

§ 8. Mandantes venerabilibus fratribus nostris Feltrensi et Pisauriensi ac Ameriniensi episcopis per apostolica scripta, motu simili, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte eorumdem episcoporum, archiepiscoporum, primatuum et patriarcharum seu alicuius eorum desuper requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eadem auctoritate nostra illos et eorum singulos omnibus et singulis praemissis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per eosdem camerarium, thesaurarium, praesidentes et clericos necnon collectores et subcollectores et exactores et commissarios praefatos seu quoscumque alios quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per similes censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato, etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis au-

ctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis Camerae praefatae statutis, decretis et declarationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, necnon privilegiis, indultis, exemptionibus, etiam Mari Magno aut alias nuncupatis, conservatorum deputationibus et eorum ac aliis inhibitionibus, quibus dicti episcopi, archiepiscopi et patriarchae deferre minime teneantur, sed illis reiectis ac non obstantibus, in dictis causis, ut praefertur, procedere, et illas iure debito terminare possint; ac literis apostolicis eisdem Camerae camerario, thesaurario, praesidenti et clericis ac collectoribus et subcollectoribus et commissariis, ac exemptis, necnon regibus et principibus praefatis, ac dilectis filiis archipresbytero et capitulo ecclesiae nostrae Lateranensis, necnon hospitali nostro S. Spiritus in Saxia de Urbe et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu et scientia similibus, concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et quae adversus praemissa nemini suffragari posse volumus, contrariis quibuscumque; aut si patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 10. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula, in quibus fides forsan facienda foret, loca deferri, volumus et eadem auctoritate decernimus quod earum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius curiae ecclesiasticae vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et alibi, ubi opus fuerit, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptorum fides.

§ 11. Quodque publicatio praesentium, cum dimissione copiae in valvis basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae ac in acie Campi Florae, eosdem praefatos et eorum singulos, etiam a dicta Curia absentes, sic ut praefertur monitos, arctet et afficiat, perinde ac si praesentes literae eis ac eorum cuilibet personaliter intimatae forent. Forma et effectus publicationis.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo, pridie nonas septembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 septembris 1560, pontif. an. I.

XIII.

Reductio ad terminos iuris communis bullae Pauli IV, editae super alienationibus et locationibus bonorum ecclesiasticorum, quoad causas pendentes et futuras; et licentia revidendi iam decisas [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Provida Romani Pontificis circumspectione [2], ea quae certis suadentibus causis emanarunt, ex aliis non minus attendendis Exordium.

1 Hanc bullam Pauli IV habes in tomo VI, pag. 496, *Iniunctum*, n. III, ibi videas quae dixi.

2 *Circumspectio*, Matth. (R. T.).

rationibus, ad rationis tramitem reducit, prout, rerum qualitate digesta, salubriter conspicit expedire.

Paulus IV edidit constitutionem.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Paulus Papa IV, praedecessor noster, ex certis tunc expressis et nobis notis causis, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicæ potestatis plenitudine *etc.* 1.

Lites autem et quaestiones multae ortae sunt, et quam plurimi de rigorosa executione dictæ constitutionis Pauli IV conquerebantur.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, occasione dictarum literarum et motus proprii huiusmodi, diversae lites, quaestiones et controversiae ortae, ac diversa gravamina, laesiones, perturbationes et incommoda diversis personis generata et illata, ac literae et motus proprii huiusmodi rigorosae executioni demandata fuerint, in earumdem personarum animarum molestiam non modicam, plurimorum ad nos querelae delatae fuerint et in dies deferantur, conquerentium potissimum de rigore vel potius iniustitia literarum et motus proprii praedictorum, praesertim facta interpretatione, prout a nonnullis dicitur esse facta, quod contra illos non possit opponi legitima praescriptio temporis neque compensatio, vel etiam pro melioramentis competens retentio et pro fructibus bona fide perceptis et consumptis excusatio, neque fori declinatio minusque appellatio aliave iuris communis remedia, et quod alienationes factae a Romano Pontifice solemnitatibus alias a iure requisitis, et etiam ad commodum et favorem et ex necessitate sanctae Romanae Ecclesiae non valeant.

Ideo hic Pontifex illam constitutionem reducit ad terminos iuris communis, quoad causas pendentes et futuras;

§ 3. Nos, arbitrantes indemnitati ecclesiarum per anteriores canones esse abunde provisum, ac quietem et tranquillitatem singulorum christifidelium nostris potissimum temporibus sinceris exoptantes affectibus, ad tollendam omnem querelarum praedictarum occasionem, literarum et motus proprii praedictorum veriores, necnon processuum desuper formatorum et sententiarum latarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, necnon quarumcumque litium desuper forsan motarum et pendentium status ac merita 1, ac nomina et cognomina iudicum et collitigantium praesentibus pro expressis habentes, volentes, consideratione etiam dilectorum filiorum populi Romani, ubi propter literas et motum proprium praedictum novitates nullae factae esse dicuntur, literas et motum proprium huiusmodi, quoad pendentes et futuras causas, ac si umquam 2 emanassent, ad ius commune et terminos et viam iuris communis, ex certa nostra scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, omnino reducimus, revocamusque, cassamus et annullamus, ac viribus vacuamus.

Quo vero ad eas causas, absolvit condemnatos a censuris, et causas mandat revideri secundum iuris communis dispositionem.

§ 4. Quo vero ad eas causas, in quibus 3 literarum et motus proprii praedictorum ad sententiae prolationem est processum, illos, contra quos est sententiatum, si sint propterea censuris ecclesiasticis irretiti, a censuris huiusmodi absolvimus; concedimusque et volumus quod, etiam si ab eisdem sententiis non appellaverint, aut interpositae per eos appellationes desertae remanserint, ac etiam ad earumdem sententiarum executionem processum fuerit, possint nihilominus, firma remanente executione iam facta, pro eorum et cuiusque eorum libito voluntatis, super sententiarum executionumque huiusmodi et quorumcumque inde secutorum iniustitia et nullitate, coram suis competentibus ordinariis sive specialiter delegatis iudicibus agere et expediri in causis, quae ipsis, secundum iuris communis dispositionem, posthabitis bulla et motu proprio praedictis, procedi et sententiari et definiri debeat, ita ut, si huiusmodi sententias, cum inde secutis, a dictis ordinariis vel iudicibus specialiter delegatis per viam 4 nullitatis vel iniustitiae revocari contigerit, etiam quod unica sen-

1 Omittitur residuum narrativae, quia bullam habes loco supra citato.

1 *Materia*, Matth. 2 *Numquam*, Cherub. et Matth. 3 *In quibus vigore* etc., idem. 4 *Per vim*, Cherub. (R. T.).

tentia sit in favorem priorum possessorum, executioni demandetur, firma manente appellatione, quoad caput devolutivum.

Decretum irritans.

§ 5. Et ita per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata *etc.*; irritum quoque *etc.*, iudicari et definiri.

Forma et effectus publicationis.

§ 6. Praesentiumque (quas vim legis in perpetuum habere volumus) solam signaturam sufficere, et postquam per cursores in locis consuetis more solito publicatae fuerint, statim omnes afficere, et earum transumptis, unius ex dilecti filii nostri in alma Urbe vicarii iudicibus manu subscriptis, eiusdemque vicarii sigillo obsignatis, non minus quam ipsis originalibus credi et fidem adhiberi decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac quibusvis renunciationibus et de non contraveniendo obligationibus desuper factis, etiam iuramento, quod quoad hoc relaxamus, vallatis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis decretis, etiam motu proprio et scientia similibus quomodolibet concessis *etc.* Quibus omnibus et singulis in literis latissime extendendis, etiam si de illis *etc.*, tenores *etc.*, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Fiat, motu proprio. I.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, tertio idus septembris, anno I.

Publicatio.

Anno a Nativitate Domini MDLX, indictione III, die vero XXIV mensis septembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae IV anno I, retroscriptae literae affixae et publicatae fuerunt in acie Campi Florae ac basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae valvis seu portis, tamquam locis ad similia facientibus, iuxta ipsarum literarum tenores, per nos Iacobum Carra et Nicolaum de Matthaeis, cursores.

Ioannes Magnus, magister cursorum.

Dat. die 11 septembris 1560, pont. an. I.

XIV.

Forma contrahendi in Statu Ecclesiastico societates officii nuncupatas [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Paulus IV tradidit formam contrahendi societates officiorum nuncupatas, ut in eius constitut. *Inter ceteras.*

Cum, sicut accepimus, felicis recordationis Paulus Papa IV, praedecessor noster, certis tunc expressis causis motus, quod nullus, tam in Curia quam in tota ditione ecclesiast., officialis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis et praeeminentiae existeret, tunc et pro tempore aliquam societatem super aliquo seu aliquibus ex officiis ad tunc suam seu Sedis aut Camerae Apostolicae seu camerarii, vicecamerarii, poenitentiarii maioris et causarum Palatii Apostolici auditoris dispositionem quomodolibet pertinentibus, quae vendi consueverunt, per eum obtinentes, pro tempore cum aliqua alia persona seu personis, communi, collegio seu universitate, nisi praecedente signatura ab eo seu Romano Pontifice pro tempore existente obtenta, in qua pacta et conventiones partium exprimi deberent, pro cuius expeditione et certa advocatione medium pro centenario quolibet scutorum seu ducatorum cogeretur solvere, inire praesumeret, et societates aliter quam sic initae non valerent, et earum praetextu agi non posse, et forsan alia tunc expressa sua constitutione, motu proprio, sub Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno In-

1 Aliam ediderat dispositionem Paulus IV in eius constitutione VIII, *Inter ceteras*, tom. VI, pag. 505, prout aliam quoque edixerat Leo X, die XVI ianuarii 1514, sed Leonis bullam, veluti in totum antiquatam, volens praetermisi.

carnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimoquinto, nonis octobris, pontificatus sui anno I, statuerit et ordinaverit, prout in ea latius continetur et habetur.

Hic Pontifex ex causis hic relatis eam revocat 1;

§ 1. Nos, considerantes, sicut fideli relatione percipimus, quod ex huiusmodi constitutione multae et diversae tam nostrae almae Urbis quam ditionis ecclesiasticae et extra eam personae, quae aurum 2 pecunias in societatibus officiorum huiusmodi contrectare solitae erant, ea prohibitione, uti re nova territae, earum societates, quae in notabili numero et ingenti pecuniarum summa existebant, statim disdixerunt et revocarunt, ad exactionemque pecuniarum sic in societatibus datarum agere, et officiales eorumque fideiussores cogere coeperunt et enixe institerunt; quo factum est ut officiales ipsi et eorum fideiussores, tum etiam ob mala tempora quae intervenerunt, promptam non habeant quam restituerent pecuniam, nec ab aliis, propter huiusmodi constitutionis difficultatem, pecunias in societatem reperirent, eorum officia seu bona alia, viliori etiam pretio, vendere et alienare vel pecunias alias, sub gravioribus, etiam illicitis, usuris capere, vel potius, quod pluribus contigit, decoquere et ab Urbe aufugere et sic creditores defraudare omnino cogerentur; ob quod gravia damna et incommoda tam Urbi quam ipsis particularibus officialibus et personis illata fuerint, quae etiam hodie sustinent. Cupientes, quantum cum Deo possumus, his malis obviare pro tempore futuro, ac officiales ipsos et alios interesse putantes ab huiusmodi gravibus et damnatis usuris condebitis exactionibus liberare, supplicationibus dilectorum filiorum nostrorum populi Romani et conservatorum almae Urbis nostrae super hoc nobis porrectis inclinati, eisque instantibus et cum eis more pii patris benigne agere volentes, motu simili, ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, dictam constitutionem per dictum Paulum quartum, ut praemittitur, factam, cum omnibus in ea appositis clausulis, cuius tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis haberi volumus, cassamus, irritamus et annullamus, ac pro cassatis, irritis et annullatis haberi volumus, illamque viribus tempore futuro penitus evacuamus.

Novamque dispositionem inducit;

§ 2. Volentes et auctoritate nostra decernentes quod de cetero ipsis officialibus, super tamen eorum officiis, societates quascumque, cum pactis tamen licitis et honestis, prout et quemadmodum ante constitutionem praefatam solitum erat, etiam nulla a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente desuper expedita supplicatione seu signatura, non tamen ultra valorem officiorum super quibus illas fieri contingeret, ita quod, ad requisitionem secum societates contrahentium, teneantur in ipso contractu specialiter exprimere alias societates super eodem officio contractas, si quae sint; et si eas falso negaverint vel expresserint in toto vel in parte, poenam privationis officiorum ipsorum, super quibus societates huiusmodi contractae fuerint, sine tamen praeiudicio creditorum, quatenus aliunde illis satisfieri non possit, ipso iure incurrant. Et nihilominus, tam ipsi quam fideiussores desuper praestiti, ad satisfactionem societatum et debitorum desuper contractorum teneantur et obligati existant, facere et inire, ac pecunias recipere et contractus desuper celebrare, qui alias tamen legitime initi, validi et efficaces existant et executioni demandari debeant, libere et licite possint et valeant, licentiam et facultatem concedimus per praesentes.

1 Adverte quod non intelligitur revocata in vers. *Nos cupientes*, ut patet etiam ex lectura huiusmet bullae. 2 Legimus *earum pecunias* (R. T.).

§ 3. Dicta constitutione ceterisque in contrarium quomodolibet facientibus non obstantibus quibuscumque, praemissorum omnium et aliorum hic forsan necessario exprimendorum tenores pro plene et sufficienter expressis habentes.

Contrariis derogat.

Placet, motu proprio. 1.

XV.

De solemnitatibus observandis in venditionibus et locationibus bonorum et iurium Camerae Apostolicae.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Exordium.

Cum in alienationibus rerum ad ecclesias et fiscum pertinentium nonnulla sint a iure specialius disposita, ne ecclesiae et fiscus per malignitatem hominum gravius laedantur, eaque maxime in rebus ad Romanam Ecclesiam, quae ceterarum est caput, et eius Cameram Apostolicam pertinentibus, observari conveniat, quorum omissionem plerumque damnosam fuisse, experientia rerum magistra docente, compertum est.

Quae solemnitates observentur in alienationibus et locationibus bonorum camerali um.

§ 1. Ideirco nos, praefatae Romanae Ecclesiae eiusque Camerae Apostolicae indemnitati, ex nostri officii debito, consulere volentes, motu simili et ex certa scientia, hac in perpetuum valitura constitutione, statuimus et ordinamus ut de cetero in omnibus venditionibus, locationibus et alienationibus thesaurariarum, dohanarum, gabellarum aliorumque iurium, bonorum et redituum quorumcumque, tam in alma Urbe nostra quam in aliis provinciis, civitatibus et locis nostrae et S. R. E. ditioni subiectis, ad praedictam Cameram quomodolibet pertinentium, per eandem Cameram seu ab ea deputatos et deputandos ad quantumcumque longum seu breve tempus faciendis, debitae et de iure requisitae solemnitates, tam quoad publica edicta, cum expressione locorum et dierum in quibus haec fieri debebunt, emittenda, et licitationes et subhastationes, cum temporis a iure seu iudicis arbitrio statuti praefixione, nec non plus offerentibus deliberationes, quam quoad cetera circa rerum fisci alienationes disposita, observari debeant.

Aliterque factae nullae sint.

§ 2. Et aliter factae venditiones, locationes seu alienationes rerum huiusmodi non valeant, nulliusque roboris et momenti existant, sed per eamdem Cameram revocari, ipsaeque res sic alienatae cum fructibus inde perceptis repeti et aliis vendi seu locari possint et debeant; sicque per quoscumque iudices, etiam Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, iudicari et declarari debere, sublata eis aliter iudicandi et declarandi facultate, irritumque et inane quicquid secus a [1] quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Fraudulentae pactiones damnantur.

§ 3. Et ne in huiusmodi subhastationibus faciendis fraus aliqua fieri valeat, omnibus et quibuscumque res praefatas emere vel conducere volentibus, ne cum aliis quibuscumque pacta seu conventiones, ut illi minora pretia offerant et licitentur, seu aliquam super praemissis societatem seu conventiculam occultam in praeiudicium praedictae Camerae ineant, sub nullitatis et invaliditatis omnium per eos in praemissis, mediante fraude huiusmodi, gerendorum, ac excommunicationis maioris et decem millium ducatorum auri eidem Camerae applicandorum poenis, districtius inhibemus.

Executorum huius motus proprii deputatio.

§ 4. Mandantes dilectis filiis Guidoni Ascanio, S. Mariae in Via-lata diacono cardinali, nostro et S. R. E. camerario, ac praedictae Camerae praesidentibus, clericis, ut praesentes, quarum solam signaturam nostram, etiam absque datae appositione, regula Cancellariae nostrae forsan contraria non obstante, sufficere volumus, in libris Camerae registrent, ac in eisdem

1 *A quoquam, quavis* etc., Cherub. (R. T.).

literis contenta omnia et singula inviolabiliter observent et a quibuscumque aliis observari mandent et faciant cum effectu.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eidem camerario et clericis et Camerae Apostolicae quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores *etc.*, quoad praemissa specialiter et expresse derogamus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Placet, et ita motu proprio statuimus et mandamus. I.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, XVI kalendas octobris, anno primo.

Admissio in Camera Apostolica.

Registratae lib. XXXV, fol. CCLIII, die XV novembris MDLX admissae et registratae ex decreto Camerae collatae et concordatae.

Hieronymus de Tarano.

Dat. die 16 septembris 1560, pontif. anno I.

XVI.

Erectio ducatus Brachiani, pro Paulo Iordano Ursino et successoribus 1.

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Familiae Ursinae erga Sedem Apostolicam merita.

§ 1. Cum domus et nobilis familia Ursina inter antiquas almae Urbis nostrae domos et familias admodum illustris existat, Sedi et Romanae Ecclesiae praedictae semper devota fuerit: ex eaque non solum felicis recordationis Nicolaus Papa tertius multique eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales, sed multi quoque domicelli, priscae illius virtutis Romanae alumni, in egregios armorum duces evaserint, fortemque et memorabilem dictae Sedi operam, tam in bellicis quam in domesticis aliisque rebus, strenue navaverint, ac propterea et ex certis aliis animum nostrum moventibus causis, domum praedictam ac dilectum filium nobilem virum Paulum Iordanum Ursinum, Romanum, primarium eiusdem domus et familiae Ursinae virum, eiusque posteritatem specialis gratiae favore prosequi volentes, ex motu proprio *etc.* Brachianum *etc.*, in perpetuum et nobilem ducatum, cum iurisdictione, imperio et gladii potestate et privilegiis, praerogativis, signis et insigniis, ad perpetuum et nobilem ducatum pertinentibus, apostolica auctoritate et certa scientia, tenore praesentium, erigimus et instituimus *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo, VII idus octobris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 octobris 1560, pontif. anno I.

1 Ex Raynaldo Continuat. annal. opus posthum., tom. XXII. — *Brachianum* quod et *Arcennum*, nunc *Bracciano*, urbs est ditionis Pontificiae, decem milliaribus distans ab ora Tyrrheni maris Boream versus (R. T.).

XVII.

Iudices causarum beneficialium vel criminalium privationem beneficiorum concernentium, eorumque affines et familiares, beneficia illa impetrare non possint.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causa constitutionis.

Cupientes unicuique iustitiam, prout par est, aequa lance ministrari, et omnem delinquendi occasionem ab ipsius iustitiae ministris, praesertim iudicibus in beneficialibus ac etiam criminalibus privationem beneficiorum ecclesiasticorum concernentibus causis, tam a Sede Apostolica ac eius legatis et vicelegatis quam alias quomodolibet et a quibuscumque pro tempore deputatis, seu ad quos illarum cognitio, tam de iure quam de consuetudine, etiam ratione eorum, quae obtinent, officiorum et alias quomodolibet pertinet et pertinebit, seu quibus causae ipsae, tam apostolica quam alia auctoritate commissae sunt et pro tempore committentur, penitus re-

moveri, ac eorum fraudibus obviare et animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere.

Iudices causarum beneficialium, eorumque affines et familiares beneficia illa impetrare non possint.

§ 1. Ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, decernimus et declaramus quoscumque iudices, etiam S. R. E. cardinales necnon causarum Palatii Apostolici auditores seu locatenentes et utriusque vel alterius signaturae referendarios et quosvis alios, etiam archiepiscopali, patriarchali aut alia maiori dignitate, etiam legationis munere fungentes, ad audiendum, cognoscendum et decidendum causas super quibusvis ecclesiis, monasteriis, prioratibus et aliis beneficiis ecclesiasticis, tam in Romana Curia quam extra eam quomodolibet hactenus motas, etiam privationem eorumdem concernentes, et in futurum movendas, tam alia Sede [1] eiusque legatis seu vicelegatis praedictis, ac tam apostolica quam ordinaria aut alia auctoritate et a quibusvis in dicta Curia et extra eam vel alias ubilibet pro tempore deputatos, seu ad quos similium causarum decisio seu qualiscumque cognitio, etiam quomodolibet, ut praefertur, spectat et spectabit in futurum, aut quibus illas quovis modo audiendas, cognoscendas et decidendas et, ut praefertur, alias committi contigerit, necnon eorumdem cardinalium, auditorum, locatenentium, referendariorum et aliorum, ut praefertur, qualificatorum iudicum huiusmodi nepotes, consanguineos, affines, procuratores, sollicitatores ac domesticos vel familiares, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis fuerint, et etiam ex quorum sententiis privationes ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et beneficiorum huiusmodi aut alias emanaverint ac emanabunt, eorum per privationem eamdem aut alias quomodolibet occurrenda vacatione, nullo umquam tempore a nobis seu Sede aut aliis legatis praedictis vel quibusvis illorum ordinariis collatoribus impetrare, aut ab aliis impetrari, seu sibi conferri et de illis provideri facere quoquomodo posse seu debere, sed illos penitus ad illa in posterum obtinenda inhabiles fore et esse; ac quascumque impetrationes sic ab eis, etiam ut praefertur qualificatis, necnon collationes et provisiones ac quasvis alias dispositiones aut alias concessiones de ecclesiis, monasteriis, prioratibus et beneficiis huiusmodi, etiam per nos aut praedecessores nostros, etiam motu et potestatis plenitudine similibus, hactenus quomodolibet factas et in posterum faciendas, nullas, irritas et inanes nulliusque roboris et momenti existere, nullumque per illas eis ius quaesitum fuisse, fore aut esse, seu dici vel censeri, ac de annali et triennali possessore, aut alias Cancellariae Apostolicae regulas seu alias constitutiones eis adversus praemissa nullatenus suffragari posse, sed illos eis sic impetratis omnino privatos et ab eis amovendos esse, prout nos harum serie privamus et amovemus, ac privatos et amotos esse denunciamus.

Decretum irritans.

§ 2. Et ita per eosdem cardinales, auditores, locatenentes ac alios quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, sublata *etc.*, iudicari *etc.* debere, irritum quoque *etc.* decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus, si opus sit, de non tollendo iure quaesito et aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis *etc.*, etiam iuramento *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis, in genere vel in specie, etiam iuramento *etc.*, ac motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concessis quibusvis, omnibus in literis latissime extendendis, etiam si de eis *etc.*, tenores *etc.*, hac vice specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Fiat, motu proprio. I.

1 *Tam a dicta Sede*, Cherub. (R. T.).

Repetitio clausularum.

§ 4. Cum decreto, declaratione, derogatione et aliis de ac pro omnibus supradictis, quae hic pro sufficienter et ad partes repetitis habeantur, latissime extendendis perpetuo in forma gratiosa; et, si videbitur, literae desuper ad perpetuam rei memoriam, cum praemissorum omnium et singulorum, etiam nomen et cognomen, etiam beneficiorum sic impetratorum, eorum qualitatem, etiam maioritatis et principalitatis, et illa impetrantium in se continentium, etiam si cardinales vel alias, ut praefertur, qualificati fuerint, ac temporis detentionis maiori et veriori expressione, latissime extendendae, per breve nostrum expediri et in dicta Cancellaria et alias ubilibet publicari possint; et, si videbitur, cum opportuno decreto quod illarum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu curiae ecclesiasticae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, adhibeatur, quae originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae, latissime extendi possint; seu, si videbitur, praesentis motus proprii, etiam absque illius registratura et data, sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula seu constitutione apostolica contraria non obstante.

Sola signatura sufficit.

Fiat. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, quinto idus octobris, anno I.

Dat. die 11 octobris 1560, pontif. anno I.

XVIII.

Vassallorum obligationes de cetero fiendae pro eorum dominis Sedi Apostolicae subiectis, nullae erunt; et domini eorum vassallos, ab obligationibus iam factis indemnes relevare, et pecunias solutas infra sex menses restituere cogentur.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causae istius constitutionis.

Quia non solum ex debito caritatis et pastoralis officii, quo omnium nostrorum et Romanae Ecclesiae subditorum praecipuam curam tenere debemus, sed, pro interesse etiam pecuniario Sedis et Camerae praefatae, debemus prospicere et curare ut ex terris, civitatibus, oppidis, castris, villis et locis, temporali dominio comitum, baronum, domicellorum aut alias quomodolibet nuncupatorum, nobis subditorum, oriundi, aut illarum illorumque incolae et habitatores suis facultatibus non exhauriantur, quandoquidem ad paupertatem redacti, non valerent solvere subsidia, et sufferre onera, quae nobis et Sedi ac Camerae praefatis, ratione superioritatis et alias, tam ordinarie quam extraordinarie, prout contingit, praestare tenentur et consueverunt. Et (sicut accepimus) pravus quidam abusus a multis annis citra inolevit quod nonnulli ex comitibus, baronibus et aliis temporalibus domicellis praefatis, per seipsos vel per alias ad eorum commodum interpositas personas, accipiendo pecunias mutuo seu alios contractus faciendo, faciunt civitatum, oppidorum, castrorum, terrarum, villarum et locorum sibi subditorum universitates et homines, et plerumque etiam particulares accedere et fideiubere, seu principaliter et in solidum obligare; et adveniente tempore ad faciendam solutionem vel satisfactionem, ipsis dominis non solventibus neque satisfacientibus, miseri subditi coguntur vel de suo solvere et satisfacere ac depauperari; vel solvere et satisfacere non valentes, censuris et interdictis subiici, ac per executores tribulari, immensisque fastidiis vexari, et demum ad solvendum et sufferendum Camerae Apostolicae subsidia et alia praefata impotentes reddi.

Domini restituant infra sex menses vassallis pecunias pro eis solutas;

§ 1. Nos igitur, tot inconvenientibus occurrere, illorumque occasionem tollere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, universis et singulis comitibus, ba-

ronibus, domicellis et aliis praefatis, sub excommunicationis latae sententiae privationisque dominii, civitatum, oppidorum, castrorum, villarum et locorum praefatorum ipso facto incurrendis poenis, in virtute sanctae obedientiae, praecipimus et mandamus ut quicumque ex eis, pro quibus seu pro quorum commodo, utilitate et interesse, immediate vel aliis personis mediantibus vel suppositis, eorum subditi universaliter vel particulariter, ex quacumque causa et quocumque modo, obbligati hactenus fuisse reperiuntur, debeant, per ipsos subditos soluta seu quomodolibet exposita, integre infra sex menses proximos restituisse.

Et ab aliis obligationibus indemnes relevent eosdem subditos.

§ 2. Et pro aliis obligationibus, non solutis neque satisfactis debitis temporibus, de suis propriis, absque subditorum damno aliquo, solvisse et satisfecisse, ipsosque subditos, etiam non petentes, vere et realiter indemnes et penitus sine damno relevasse. Et nihilominus omnes et singulas confessiones, et quietationes, et liberationes dictorum dominorum per ipsos subditos, circa relevationem indemnitatis huiusmodi, non interveniente vera et reali satisfactione, etiamsi iuratae fuerint, irritas et nullius momenti fore et esse decernimus.

Obligationes communitatum et vassallorum de cetero pro dominis fiendae invalidae erunt.

§ 3. Insuperque omnes et singulas fideiussiones et accessiones, etiam cum clausula *principaliter et in solidum,* necnon uti principales et tam personales quam reales et alias quascumque obligationes et promissiones, per universitates et personas subditas praefatas, sive universaliter sive particulariter, etiam in ampliori forma Camerae Apostolicae, cum iuramento, censurarum et mandati executivi susceptione et promissione, etiam iurata, etiam de non utendo remedio huius nostrae provisionis ultro seu ad preces et instantiam, aut ad commodum seu utilitatem suorum in temporalibus dominorum, immediate ipsis dominis nominatis, seu, illis non nominatis, aliis interpositis nominibus et personis, de cetero, perpetuis futuris temporibus, quocumque modo faciendas, et prout illas concernent desuper conficienda instrumenta nullius roboris et momenti fore et esse, universitatesque et personas subditas praefatas nullo modo obligare, neque in iudicio vel extra ullam omnino fidem facere.

Decretum irritans.

§ 4. Sicque et non aliter per quoscumque iudices, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et Palatii Apostolici causarum auditores, Camerae Apostolicae regentem et alios quoscumque iudices, in alma Urbe et aliis quibuscumque sanctae Romanae Ecclesiae terris et locis, sublata aliter iudicandi facultate, iudicari debere; ac si et quidquid secus fieri contingat, irritum *etc.*

Publicata in Urbe ligat ignorantes.

§ 5. Et praesentium (quas, postquam per aliquem ex nostris cursoribus in locis consuetis Urbis affixae et publicatae fuerint, omnes, etiam ignorantes, afficere volumus) solam signaturam, regula contraria non obstante, sufficere decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis Camerae et aliis quibuscumque concessis, cuiuscumque tenoris existant, statutisque et consuetudinibus locorum, etiam iuramento *etc.* roboratis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Placet, et ita decernimus et mand. I.

Publicatio.

Anno a Nativitate Domini MDLX, indictione III, die vero XIII mensis octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae IV anno I, retroscriptae literae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, ac ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe, per nos Iulium Parinum, clericum Terdonensem, et Iacobum Carra, SS. D. N. PP. cursores.

Camillus Cherub., magister cursorum.

Pub. die 13 octobris 1560, pontif. anno I.

XIX.

Approbatio et declaratio iurisdictionis et indultorum archipresbyteri et iudicis causarum canonicorum et capituli Beatae Mariae Maioris de Urbe [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causa huius motus proprii.

Cum, sicut accepimus, dilectus filius noster Carolus, tituli Sanctae Praxedis S. R. E. presbyter cardinalis, Borrhomæus nuncupatus, basilicae S. Mariae Maioris de Urbe archipresbyter et dilecti filii eiusdem basilicae canonici, capitulum ac beneficiati et clerici et singulae personae præinsertos motus proprios, omniaque basilicae huiusmodi privilegia, pro illorum subsistentia firmiori, nostri et Sedis Apostolicae patrocinio et munimine roborari desiderent.

Confirmatio iurisdictionis et indultorum cum declarat. quoad causas criminales.

§ 1. Nos, Carolo cardinali archipresbytero et capitulo, canonicis, beneficiatis et clericis et personis basilicae praedictae, ob singularem eorum erga nos et Sedem Apostolicam devotionem, benigne annuere ac eos specialis gratiae favore prosequi volentes, ac omnes et singulas causas civiles et beneficiales, meras et mixtas, ecclesiasticas seu spirituales et profanas, necnon etiam criminales (citra tamen poenam sanguinis et corporis afflictivam), tam inter canonicos et capitulum ac beneficiatos et clericos aliasque praedictae basilicae et alias quascumque personas, cuiuscumque status, gradus, dignitatis et præeminentiae existentes, de et super censibus, canonibus, pensionibus, responsionibus et aliis quibuscumque rebus et bonis ad dictam basilicam spectantibus et pertinentibus vel ius aut interesse praedictae basilicae quomodocumque et qualitercumque concernentibus, directe vel indirecte, quam etiam inter ipsosmet canonicos et beneficiatos, clericos, cappellanos et sacristanos et alias eiusdem basilicae personas et alios praedictos, et alias quascumque personas, loca, collegia et universitates ac communitates, super quibuscumque bonis et pecuniarum summis rebusque aliis, quocumque nomine nuncupatis et quomodocumque qualificatis, ad dictos canonicos, beneficiatos et clericos ac quemlibet eorum quomodolibet spectantibus in genere vel in specie, coram quibuscumque Romanae Curiae seu aliis quibusvis iudicibus et locatenentibus et auditoribus et S. R. E. cardinalibus quomodolibet et in quacumque instantia pendentibus, in statu et terminis in quibus reperiuntur, ab eisdem iudicibus et ex tenore praesentium, auctoritate apostolica, motu simili et ex certa scientia nostra, ad nos advocantes, praeinsertos motus proprios, omniaque alia et singula privilegia, facultates, exemptiones, libertates, praerogativas aut [1] dationes, iurisdictiones, auctoritates praedictae basilicae, necnon eiusdem basilicae stylum, mores, consuetudines, statuta, indulta et gratias aliaque praefatae ecclesiae ac Carolo cardinali archipresbytero necnon capitulo et canonicis, beneficiatis et clericis praedictis, etiam super collatione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, per praedictos et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, in genere vel in specie et alias quomodolibet concessa, facta, edita, observata et usu existentia, ac desuper signatas ac confectas literas, motus proprios, supplicationes, instrumenta et alias scripturas et in eis contenta, ac illorum vigore subsecuta, gesta et emanata quaecumque, auctoritate, motu et scientia similibus, tenore praesentium, confirmamus, approbamus et innovamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti et solemnitatum defectus, si

1 Has iurisdictiones vide tom. VI, in constitutione XXIV Pauli III, *Cum, sicut*, pag. 266.

1 *Antedationes*, Cherub. (R. T.).

qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, ac singula praemissa et in praeinsertis aliisque motibus propriis, supplicationibus, literis, instrumentis et scripturis basilicae, archipresbytero, capitulo et canonicis praedictis, ut praefertur, concessa et inde secuta quaecumque, valida et efficacia fore et esse, ac perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere, et ita per praedictos et quoscumque alios iudices *etc.*, omnesque causarum Palatii nostri Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata *etc.*, iudicari debere; irritumque *etc.*, decernimus.

Nova eorumdem concessio.

§ 2. Et nihilominus, pro potiori cautela, eadem omnia et singula, eisdem auctoritate, motu et scientia et tenore, modo et forma quibus concessa sunt, de novo concedimus; ac omnes et singulas praedictas, ut praefertur, et alias quomodolibet pendentes, et ad nos advocatas et alias quascumque causas, lites et quaestiones, molestias et differentias, ut praefertur, et alias quomodolibet specificatas et qualificatas, modo et forma praemissis, ac inter canonicos, capitulum, beneficiatos, clericos, cappellanos et sacristas basilicae praedictae aliasque personas motas et movendas, active et passive, eidem Carolo cardinali, et pro tempore existenti archipresbytero basilicae praedictae, illius vicecancellario deputato et deputando, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, et etiam, si videbitur, quando opus fuerit, manu regia, alias, iuxta praeinsertorum motuum propriorum tenorem, cum omnibus earum incidentibus, audiendas, cognoscendas, decidendas fineque debito terminandas, committimus et mandamus. Cum potestate citandi et inhibendi *etc.*, in eisdem causis et qualibet earum, secundum dictorum motuum propriorum tenorem, procedendi, citationesque per cursorem seu mandatarium ad id per reverendissimum dominum archipresbyterum deputandum, in causis quibuscumque, vigore huiusmodi motus proprii, fieri faciendi, aliaque faciendi in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis statutisque, privilegiis, etiam novissime in favorem populi Romani concessis et concedendis, ac cum clausulis derogatoriarum derogatoriis, stylo Palatii et Romanae Curiae, ceterisque concessionibus in praeinsertis et quibuscumque aliis motibus propriis non obstantibus, contrariis quibuscumque. Statum *etc.*, pro sufficienter expressis habentes, cum clausulis opportunis.

Fiat, motu proprio. I.

Limitatio dictae concessionis quoad indulta.

§ 4. Et cum absolutione a censuris, ad effectum *etc.*, et de confirmatione, approbatione, innovatione, adiectione, suppletione, decreto, nova concessione, commissione, mandato, derogatione aliisque praemissis, ac supra, quae hic pro sigillatim repetitis haberi, perpetuo in forma gratiosa latissime extendentes; et, si videbitur, cum opportuna executorum deputatione, qui assistant *etc.*, et sub censuris *etc.* Cum facultate aggravandi, invocato brachii saecularis auxilio, latissime extendentes. Et quod praemissorum omnium et singulorum [1] et cognomina iudicum, collitigantium status, merita, invocationes, denominationes, annexiones, qualitates nuncupata, aliorumque necessariorum maior et verior, specialis et expressa [2] fieri possit, in literis expediendis, et de confirmatione privilegiorum tantum quatenus sint in usu et decretis concilii Tridentini non repugnent.

1 *Singulorum nomina et cognomina*, Cherub. (R. T.). 2 *Expressa mentio* legendum videtur (R. T.).

XX.

Confirmatio confraternitatis Sancti Rochi, a morbo epidemiae liberatoris, in Urbe hactenus institutae, et ab Alexandro VI et Leone X nonnullis privilegiis decoratae, cum aliarum indulgentiarum et gratiarum concessione, et iudicis ad suarum causarum cognitionem deputatione [1].

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Regimini universalis Ecclesiae, meritis licet imparibus, superna dispositione praefecti, ad singulas orbis ecclesias et hospitalia ac alia pia loca, praesertim almae Urbis nostrae, in quibus pias christifidelium societates, diversa pietatis et caritatis opera sincera devotione exercentes, ad omnipotentis Dei ac sanctorum eius gloriam et honorem institutas, cum odore bonae famae et illorum ac aliorum christifidelium salute, vigere cernimus, ut nostris praecipue temporibus votivis in spiritualibus et temporalibus proficiant incrementis, pastoralis officii nostri partes libenter convertimus, et iis, quae in illorum favorem et commodum ac prosperum et felicem successum a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa sunt, ut firma perpetuo et illibata persistant, cum a nobis petitur, apostolici muniminis firmitatem adiicimus, illaque extendimus et ampliamus ac de novo concedimus, et alias desuper providemus, prout personarum societatum earumdem pia vota deposcunt, et nos in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Sane alias felicis recordationis Alexandro Papae VI, praedecessori nostro, pro parte dilectorum filiorum confratrum confraternitatis Sancti Rochi confessoris de dicta Urbe, exposito quod nonnulli christifideles in eadem Urbe commorantes, pie considerantes quod quamplures christiani nominis professores intercessione eiusdem Sancti Rochi a morbo epidemiae non solum praeservabantur, sed etiam dicto morbo infecti liberabantur; quodque in dicta Urbe nulla ecclesia sub invocatione Sancti Rochi huiusmodi constructa existebat, quamdam confraternitatem inter se, sub invocatione eiusdem Sancti Rochi, fecerant et ordinaverant, et ut haberent locum, in quo, pro divinis celebrandis et iis quae ad directionem et gubernationem dictae confraternitatis pertinebant et pertinerent in futurum, convenire possent, quamdam petiam terræ montis Augustae de dicta Urbe, prope viam publicam, qua itur ad ecclesiam Sanctae Mariae de Populo, etiam de ipsa Urbe, consistentem, sub annua responsione decem ducatorum, certis modo et forma tunc expressis, conduxerunt; et quod ipsi confratres intendebant inibi unam ecclesiam sub dicta invocatione construi et aedificari, ac in ea missas et alia divina officia per cappellanum seu cappellanos et alios idoneos celebrari facere, et illam ornamentis ecclesiasticis munire et fulcire, praefatus praedecessor ut christifideles illam visitare et divina officia audire, ac ut intercessione eiusdem Sancti Rochi apud Altissimum huiusmodi morbo epidemiae conservari et liberari possent, eorumdem confratrum supplicationibus inclinatus, confraternitatem praefatam per quasdam [1] apostolica auctoritate, approbavit et confirmavit.

Alexander VI confirmavit confraternitatem S. Rochi, cuius intercess. multi in Urbe praeservabantur a peste et liberabantur;

§ 2. Ac eisdem confratribus tunc et pro tempore existentibus, statuta rationabilia et honesta ac sacris canonibus non contraria, pro directione et conservatione di-

Statuta condendi et officiales deputandi facultatem dedit;

1 Has indulgentias moderatus est, et alias concessit Paulus V in eius constitutione adhuc non edita, quamvis firmata die III octobris 1606. Et normam aggregandi alias confraternitates tradidit Clemens VIII in constitutione *Quacumque*.

1 *Per quasdam literas*, Cherub. (R. T.).

ctae confraternitatis, ac officiales pro gubernatione eiusdem faciendi et condendi.

Ecclesiamque S. Rochi Romae aedificandi et consecrari faciendi;

§ 3. Ac in loco dictae petiae terrae unam ecclesiam sub invocatione Sancti Rochi huiusmodi, sine alicuius praeiudicio, construi et aedificari, et per quemcumque catholicum antistitem consecrari, et in ea, postquam constructa et consecrata foret, seu etiam, antequam consecraretur, super altari portatili, per cappellanum seu cappellanos missas et alia divina officia celebrari faciendi.

Pias oblationes recipiendi;

§ 4. Ac de eleemosynis et aliis piis oblationibus, quae in dicta ecclesia erogarentur, ac bonis mobilibus et immobilibus quibuscumque, quae dictae confraternitati quomodolibet relinquerentur, in constructionem dictae ecclesiae et illius manutentionem, necnon dictae confraternitatis utilitatem ac alia pia opera caritatis et alios pios usus, prout per dictos confratres statutum et ordinatum fuisset, disponendi; ita ut ipsi confratres super illis, per quosvis, tam religiosos quam saeculares, tamquam eis debitis vel ad eos pertinentibus, etiam praetextu quorumcumque privilegiorum eis concessorum, molestari nequirent, sed illorum dispositio libera ad dictam confraternitatem pertineret. Et ipsi confratres ac eorum ecclesia nulli personae religiosae vel saeculari aut alteri societati subessent, et a quorumcumque aliorum superiorum [1], quoad praemissa, exempti existerent.

Mortuos in dicta ecclesia sepeliendi;

§ 5. Ac quibusvis christifidelibus apud dictam ecclesiam sepulturam eligendi, cuiusvis licentia super et alias minime requisita, licentiam ac facultatem concessit.

Confessorem pro confratribus eligendi *etc.*;

§ 6. Necnon ducentis ex eisdem confratribus et eorum cuilibet, ut ad dictum numerum dumtaxat et non ultra tunc praesentibus et futuris, ut aliquem idoneum presbyterum saecularem vel cuiusvis Ordinis regularem in suum possent eligere confessorem, qui, vita sibi comite, in casibus Sedi Apostolicae reservatis, post finitum annum iubilaei tunc proxime venturi (praeterquam offensae ecclesiasticae libertatis, criminum haeresis et rebellionis aut conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis seu Sedem praefatam, falsitatis literarum apostolicarum, supplicationum et commissionum, invasionis seu depraedationis aut devastationis terrarum et maris, Romanae Ecclesiæ mediate vel immediate subiectorum, offensæ personalis in episcopum vel alium praelatum, prohibitionis devolutionis causarum ad Romanam Curiam, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium), semel dumtaxat in vita, aliis vero quoties opportunum foret, confessionibus suis diligenter auditis, pro commissis eis debitam absolutionem impenderet, et iniungeret poenitentiam salutarem. Necnon vota quaecumque (ultramarino, liminum apostolorum Petri et Pauli ac Sancti Iacobi in Compostella, necnon castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeret. Quodque confessor, quem quilibet ipsorum confratrum duceret eligendum, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi forent, post dictum annum iubilaei, etiam semel in vita et in mortis articulo, plenam remissionem eis et eorum cuilibet, in sinceritate fidei et unitate dictae Romanae Ecclesiae, ac obedientia et devotione sua ac successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, sibi dicta auctoritate apostolica concedere posset, indulsit.

Indulgentiam visitantibus dictam ecclesiam elargitus est 1.

§ 7. Praeterea, ut dicta ecclesia facilius construi et aedificari, et, postquam constructa et aedificata foret, manuteneri ac ornamentis ecclesiasticis decorari et ful-

1 Supple *auctoritate* (R. T.).

1 Haec indulgentia est plenaria, ut mox infra dicetur; quoad vero porrigentes manus adiutrices, revocationem vide in constitutione Pii V, *Etsi*.

ciri posset, ac congruis frequentaretur honoribus, et christifideles eo libentius ad illam confluerent, ac pro constructione praedicta manus porrigerent adiutrices, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, qui dictam construendam ecclesiam, postquam construi incepta foret, in eiusdem Sancti Rochi et Sancti Martini festivitatibus, a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatum earumdem, devote visitarent, et inibi pro praemissis manus porrigerent adiutrices, decem annos et totidem quadragenas pro qualibet dictarum festivitatum, de iniunctis eis poenitentiis, misericorditer in Domino relaxavit.

Leo X praedicta confirmavit;

§ 8. Et deinde, pro parte dictorum confratrum, piæ memoriæ Leoni Papæ X etiam [1] exposito quod dicta ecclesia ad Dei laudem iam constructa et aedificata erat; ipsique confratres in eiusdem ecclesiae fabrica, necnon quatuor cappellanorum, quorum cuilibet, in dicta ecclesia missas et alia divina officia celebranti, vigintiquinque ducatos annuatim persolvebant, ac pro sacristia [2] necnon custodis substentatione ac exequiis defunctorum, necnon cera, oleo, calicibus et aliis ornamentis ecclesiasticis ac pensione annua dictae petiae terrae, necnon gubernatione et manutentione hospitalis et infirmorum ac ministrorum eiusdem, substentationeque et dotibus puellarum, annis singulis sexcentos ducatos vel circa exponebant; ac fructus, redditus et proventus eiusdem ecclesiae vix ad solutionem pensionis dictae petiae annuatim sufficiebant; ac numerus confratrum in dicta confraternitate in dies perabundabat, idem Leo praedecessor, eorum supplicationibus similiter inclinatus, literas Alexandri praedecessoris et per illas eisdem confratribus concessa privilegia, indulta et gratias huiusmodi per alias suas literas approbavit et confirmavit.

1 *Etiam praedecessori nostro*, Cherub. (R. T.).
2 *Sacrista*, Cherub. (R. T.).

Facultatem ministrandi sacramenta confratribus infirmis, etiam in illorum domibus, per cappellanos eiusdem concessit,

§ 9. Necnon, pro potiori cautela, illa omnia et singula eisdem confratribus de novo concessit, ac posteriores suas literas, quoad id, ut ipsius confraternitatis cappellani pro tempore existentes, illius confratribus, etiam infirmis, Eucharistiae sacramentum, quoties oporteret, ministrare, illudque ad eorumdem confratrum infirmorum domos de dicta ecclesia, cum ea, qua decebat, reverentia, prout aliae societates et confraternitates eiusdem Urbis consueverant, deferre libere et licite valerent, rectorum parochialium ecclesiarum, infra quorum parochias confratres et domus huiusmodi consistebant, et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, iure tamen eorumdem rectorum parochianorum in omnibus semper salvo.

Confessoremque eligendi pro omnibus confratribus 1;

§ 10. Quodque, ut non solum ducenti, ut praefertur, sed omnes et singuli alii ipsius confraternitatis confratres pro tempore existentes, in dicta Urbe tamen degentes, confessorem eligere possent.

Indulgentiam plenariam visitantibus dictam ecclesiam concessit;

§ 11. Illique ac omnes et singuli utriusque sexus christifideles, vere poenitentes et confessi, qui dictam ecclesiam in singulis Sancti Rochi et Sancti Martini festivitatibus praedictis et per octavas earum visitarent et manus porrigerent adiutrices, pro singulis festivitatibus et diebus huiusmodi, quibus id facerent, plenariam indulgentiam et peccatorum suorum remissionem consequerentur, auctoritate apostolica praefata extendit et ampliavit.

Privilegium Iori A. C. societati et confratribus concessit 2.

§ 12. Et insuper eisdem confratribus tunc et pro tempore existentem Curiae causarum Camerae Apostolicae generalem auditorem in iudicem ordinarium, ita quod tunc et pro tempore existentes confratres praefati coram alio quam dicto auditore, etiam ratione delicti aut con-

1 Vide quod supra proxime dixi. 2 De hoc vide etiam hic infra.

tractus seu quasi, vel rei de qua ageretur, ubicumque committeretur delictum, iniretur contractus aut res ipsa consisteret, nullo etiam quaesito modo aut colore, conveniri, aut eorum necnon ecclesiae, confraternitatis et hospitalis praedictorum negotia, controversiae et causae pertractari, cognosci aut definiri possent, eadem auctoritate apostolica deputavit, statuit et ordinavit, prout tam in Alexandri quam Leonis praedecessorum literis desuper confectis praedictis plenius continetur.

Hic modo Pontifex dictas concessiones confirmat;

§ 13. Cum autem, sicut confratres confraternitatis Sancti Rochi huiusmodi nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa, ad Dei laudem, ex piis, tam dictorum confratrum quam aliorum christifidelium, eleemosynis constructa et aedificata fuerit, et in ea divina officia celebrentur, ac diversa caritatis opera exerceantur, ipsaque ecclesia per eosdem confratres laudabiliter regatur et gubernetur, ipsique cupiant eorum confraternitatem ac omnia privilegia, indulgentias, exemptiones et indulta eis concessa praefata, pro illorum subsistentia firmiori, et ut ipsi in huiusmodi piis operibus exercendis de bono in melius perseverare valeant, etiam per nos approbari et confirmari ac ampliari; nos, considerantes copiosam Sedis praefatae benignitatem, salutis operibus semper intentam, ad illa praecipue attendere, per quae singuli christifideles ad huiusmodi salutis et alia opera pia exercenda facilius invitentur, et in eo tam pia [1] devotione conserventur, ac diligentius eisdem divinis officiis intenti existant, eorumque loca, Deo propitio, suscipiant incrementa, eorumdem confratrum supplicationibus in hac parte inclinati, confraternitatem Sancti Rochi de Urbe huiusmodi ac illius privilegia, indulgentias, etiam plenarias, exemptiones et indulta, eorumque confirmationem, approbationem ac desuper confectas Alexandri et Leonis praedecessoris literas huiusmodi ac, prout illa concernunt, omnia et singula in eis contenta et inde secuta quaecumque, apostolica auctoritate praedicta, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

1 *Et in eorum pia etc.*, Cherub. (R. T.).

Grâtias, indulgentias et indulta aliorum locorum piorum Urbis hic enunciatorum concedit 1;

§ 14. Necnon ecclesiae, confraternitati illiusque confratribus praefatis et aliis eiusdem ecclesiae et illius bonorum administratoribus, gubernatoribus, rectoribus, oeconomis, cappellanis, familiaribus, ministris ac aliis personis de eadem confraternitate nunc et pro tempore existentibus, seu aliquam curam de confraternitate, confratribus et ecclesia praefatis, et illius manutentionem habentibus, necnon personis inibi pro tempore decedentibus seu de bonis suis pro manutentione confraternitatis et ecclesiae huiusmodi, eiusque fabricae bonorum gubernatione et augmento aliquid relinquentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, etiam plenariis, et peccatorum remissionibus ac aliis gratiis, spiritualibus et temporalibus, Imaginis Sancti Salvatoris ad Sancta Sanctorum, et Caritatis, ac archihospitalis Sancti Iacobi, et hospitalis Sancti Spiritus in Saxia, ac Corporis Christi et Sacramenti, ac Campi Sancti, et archihospitalis Orphanorum, ac aliis confratribus confraternitatum de dicta Urbe, necnon eisdem Imagini, et archihospitali Sancti Iacobi, et hospitali Sancti Spiritus, et archihospitali Orphanorum, ac Campo Sancto, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de eadem Urbe illiusque

1 Scias indulgentias ad instar revocatas esse, quinimo omnes confratribus concessas, usque ad Paulum V, qui novam circa indulgentias dispositionem fecit, ut in nota ad pag. 69 *a*.

deputatis; eorumque, necnon eiusdem Beatae Mariae de Populo et Consolationis, ac Sancti Ioannis Baptistae Florentinorum aliisque eiusdem almae Urbis ecclesiis, ac illa et illas visitantibus vel eis bene facientibus, eorumque administratoribus, guardianis, rectoribus, cappellanis, familiaribus, oeconomis, gubernatoribus et aliis personis similem curam in eis sumentibus, ac pauperibus et infirmis eorum, etiam per nos ac praefatos seu quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros ac Sedem eamdem concessis et concedendis, et quibus illi, illae et illa utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, confraternitas Sancti Rochi illiusque confratres, ecclesia, hospitale, domus et administratores, rectores, cappellani, servitores, familiares, ministri, oeconomi ac gubernatores huiusmodi, aliaeque personae similem curam inibi sumentes, ac illa visitantes vel eis benefacientes, ex nunc in perpetuum utantur, potiantur et gaudeant, ac uti, potiri et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si eisdem confraternitati Sancti Rochi, confratribus, ecclesiae, hospitalis gubernatoribus et aliis personis, ac illa visitantibus et benefacientibus, ac aliis praefatis pro tempore specialiter et expresse concessa fuissent ac in futurum concederentur. Necnon quibusvis presbyteris, tam religiosis quam saecularibus, qui in ipsa ecclesia Sancti Rochi quocumque anni tempore celebraverint, et animabus christifidelium, qui in caritate Dei decesserint, ac pro quibus iidem presbyteri ibi celebraverint aut celebrari fecerint ac oraverint, easdem indulgentias et peccatorum remissiones, quae celebrantibus pro defunctis in cappella Scala Coeli nuncupata monasterii Trium Fontium extra muros eiusdem Urbis, aut in cappella in Praesepe Domini, sita in ecclesia eiusdem Beatae Mariae Maioris de dicta Urbe, et animabus, pro quibus inibi celebratur et oratur, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus. Ipsasque indulgentias, gratias, privilegia, indulta, exemptiones, immunitates, libertates et alias concessiones ac remissiones ad illos, illas et illa extendimus et prorogamus ac ampliamus.

Publicandi indulgentias licentiam impartitur 1;

§ 15. Et quod administratores, rectores, cappellani, servitores, familiares, ministri, oeconomi et gubernatores ecclesiae et confraternitatis Sancti Rochi huiusmodi indulgentias, privilegia, indulta, exemptiones, immunitates, libertates et alias concessiones ac remissiones huiusmodi ac dies et festa, in quibus, et causas propter quas illas consequi debeant, ad eorum beneplacitum publicari facere; necnon eleemosynas ecclesiae Sancti Rochi ac hospitali et illius domui praefatis ac aliis, sub invocatione eiusdem Sancti Rochi erigendis, elargiendas recipere; et ad illas recipiendas et quaerendas, ac indulgentias huiusmodi publicandas per dictam Urbem seu alibi quaestores seu quascumque alias personas, vicarii pro tempore existentis dictae Urbis ac dioecesani aut cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, deputare et mittere; ac alias confraternitates, sub dicta invocatione, ubivis locorum, erigere et instituere; ac quibusvis ecclesiis, hospitalibus et aliis piis locis necnon confratribus 2 sic erectis omnia et singula privilegia, indulgentias, facultates et indulta eisdem confratribus, hospitali et aliis praefatis concessa illis communicare et ad eorum instar concedere et in eos transferre.

Statuta etiam condendi;

§ 16. Necnon quaecumque statuta et ordinationes licita et honesta, tam circa regimen et tranquillitatem ecclesiae, hospitalis et domus Sancti Rochi huiusmodi,

1 Vide bullam Clem. VIII cit. in nota ad pag. 69 *a*.
2 Legimus *confraternitatibus* (R. T.).

divinorumque celebrationem, quam numerum confratrum et ministrorum, rectorum, cappellanorum, oeconomorum, gubernatorum et familiarium praedictorum, illorumque personas et ornamenta, ac bona mobilia et immobilia illorum eorumque administratorum et alia praemissa concernentia condere, alterare, mutare ac de novo edere, et per eos hactenus forsan facta reformare et mutare seu de novo edere, ac quascumque poenas in contravenientes apponere valeant, eisdem auctoritate et tenore, licentiam et facultatem concedimus et indulgemus.

Privilegium fori, de quo supra, ad omnes personas et ministros extendit I.

§ 17. Necnon quod non solum confratres, sed etiam illius et ecclesiae huiusmodi administratores, gubernatores, rectores, oeconomi, servitores, familiares, ministri, cappellani, rectores seu officiales, non solum a vicarii Urbis huiusmodi, sed etiam aliorum quorumcumque iurisdictione, correctione, visitatione et potestate penitus et omnino exempti, et solum, iuxta praefati Leonis praedecessoris dispositionem, cardinali sanctae Romanae Ecclesiae, Camerae Apostolicae regenti aut ipsius Camerae auditori pro tempore existenti subiecti existant, eiusque correctioni et punitioni subiaceant; et quod coram aliis respondere minime teneantur, nec ad id cogi seu compelli, neque propterea aliquas sententias, censuras et poenas incurrere, sed illis impune resistere et obsistere valeant.

Bona etiam feudalia et ecclesiastica confraternitati relinqui possint.

§ 18. Quodque bona quaecumque, etiam feudalia ac emphyteutica et ecclesiastica, praefatae confraternitati, tam inter vivos quam causa mortis seu testamento vel codicillo, dari, concedi et relinqui; ipsique illa, prout cetera ecclesiae et confraternitatis huiusmodi bona, regere et gubernare, nec desuper a quoquam molestari seu perturbari possint, statuimus et ordinamus.

1 A. C. facultates vide in constitutione Pauli V.

Clausulae praeservativae.

§ 19. Ac quod praemissa omnia et singula de subreptionis et nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu, etiam ex eo quod ea, quae super praemissis gesta fuerunt et emanarunt plenarie expressa seu, prout existunt, narrata minime fuerunt, seu quovis alio praetextu, occasione vel causa notari vel impugnari, aut in aliquo annullari vel alterari non possint, neque notata seu impugnata, annullata 1 aut alterata censeantur, sed valida et efficacia existant, ac si exprimenda de necessitate de verbo ad verbum inserta fuissent. Quodque praesentes literae sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus, responsionibus et exceptionibus similium literarum, gratiarum et indulgentiarum, etiam per nos et recolendae memoriae Marcellum Papam II seu alios praedecessores et successores nostros Romanos Pontifices et Sedem huiusmodi vel eius legatos, ac etiam per regulas Cancellariae Apostolicae pro tempore factas, ac in favorem dictae basilicae Principis Apostolorum de Urbe et expeditionis contra infideles nullatenus comprehendantur, sed semper ab illis penitus et omnino excepta sint et esse censeantur, illisque per quascumque literas et quasvis clausulas generales et speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum forma et expressione, in se continentes, nullatenus derogari possit, nec derogatum esse censeatur, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et huiusmodi derogationes consistorialiter factae et per trinas distinctas literas, eundem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, confratribus, administratoribus, gubernatoribus, rectoribus et oeconomis praefatis legitime intimatae et insinuatae fuerint, eorumque ad id expressus accedat

1 Cherub. omittit *annullata* (R. T.).

assensus; et aliter factae derogationes nemini suffragentur.

Decretum irritans.

§ 20. Et ita per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, et causarum Palatii Ap. auditores et ipsius S.R.E. card., sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Alia indulgentia plenaria pro visitantibus dictam ecclesiam etiam alia die, quam festivitatis eiusdem Sancti, per confratres eligenda,

§ 21. Et nihilominus, ut ecclesia Sancti Rochi in maiori veneratione habeatur, et ad illam visitandum et benefaciendum facilius concurratur, de ipsius omnipotentis Dei misericordia ac eorumdem Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui, ultra Sancti Rochi et Sancti Martini festivitates praedictas, alio die, per eosdem administratores, gubernatores, rectores et oeconomos ad id nominando, a praemissis [1] vesperis usque ad occasum solis sequentis diei, ecclesiam Sancti Rochi praefatam devote visitaverint, ac pro illius et eius hospitalis manutentione seu ornamentorum emptione vel alias ad illorum utilitatem in aliquo manus porrexerint adiutrices.

Et alia pro confratribus 2.

§ 22. Necnon singulis confratribus, administratoribus, cappellanis et aliis ecclesiae et hospitalis ministris et personis praefatis, qui in eorum infirmitate seu alias in mortis articulo poenitentes et contriti nomen Iesus nominaverint, aut signum poenitentiae seu crucis, aut animum seu vultum ad Deum, aut caput sursum ad coelum elevaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac iubilaeum et remissionem, in forma ecclesiae consueta, misericorditer in Domino elargimur.

1 *Ad id nominandos, a primis vesperis*, Cherub. (R. T.). 2 Habes revocationem in dicta constitutione Pauli V cit. in nota ad rubr.

Clausulae derogatoriae.

§ 23. Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium et confraternitatum praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis ac dilectis filiis populo Romano et dictae Urbis conservatoribus et quibusvis aliis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos ac Sedem praefatam, etiam per modum generalis legis ac statuti perpetui, ac motu proprio et ex certa scientia ac quavis instantia et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII octobris, MDLX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 octobris 1560, pontif. anno I.

XXI.

Declarat quod ultra [1] praesentandi seu nominandi ad beneficia ecclesiastica, quibusvis principibus et personis a se concessum, ad foeminas nullatenus extendatur 2.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Romanum decet Pontificem sua solicitudine indefessa providere ut ea, quae

1 Librarii certe error hic est; legimus *ius praesentandi* (R. T.). 2 Ex Regest. in Archiv. Vat.

ab eo concessa sunt, ita suae declarationis adminiculo dilucidentur, quod a nemine possint ultra mentem suam interpretari; nec sub ignorantia facti aliquibus praeiudicium generetur; neque alicui occasio dubitandi relinquatur, sed exinde litibus et scandalis penitus obvietur, ac omnis materia altercandi abscindatur.

Causae huiusce ferendae declarationis.

§ 1. Cum itaque nos nuper, ex certis tunc expressis causis, nonnullis nobilibus viris, ducibus, comitibus, marchionibus, proregibus et forsan aliis principibus ac locorum in temporalibus dominis eorumque in primogenitura successoribus ius patronatus et praesentandi locorum ordinariis, et in illorum recusationem, aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis per eos eligendis personas idoneas ad omnia et singula beneficia ecclesiastica, in eorum dominiis et ditionibus ac eorum ecclesiis consistentia, certo tunc expresso modo qualificata, illorum pro tempore, non tamen per resignationem in manibus nostris seu Romani Pontificis pro tempore existentis, occurrente vacatione, certis modis et formis, ac cum decretis, derogationibus et clausulis similiter tunc expressis, apostolica auctoritate reservaverimus, concesserimus et assignaverimus; et forsan ab aliquibus praetendi posset ius patronatus huiusmodi ad foeminas se extendere, et beneficia in mensibus ordinariis collatoribus pro tempore concessis vacantia, sub reservationibus, concessionibus et assignationibus iuris patronatus et praesentandi huiusmodi comprehendi, nos qui quid in mente gessimus praeceteris scimus, ne quid, quod ab eadem mente nostra alienum sit, inde oriri contingat, ac indemnitati et tranquillitati eorumdem ordinariorum collatorum, quantum in nobis est, providere, ac omnem haesitationis materiam desuper submovere mentemque nostram cunctis pandere volentes.

Declaratio (de qua in rubrica).

§ 2. Motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine decernimus et declaramus ius patronatus et praesentandi huiusmodi ad ipsorum ducum, marchionum, baronum et aliorum principum et locorum in temporalibus dominorum, quibus huiusmodi ius patronatus, ut praefertur, concessum existit, in eisdem ducatibus, marchionatibus, baroniis et dominiis, successores masculos de legitimo matrimonio natos dumtaxat, et nullatenus ad foeminas se extendere; ac dictas foeminas necnon beneficia, in mensibus eisdem ordinariis collatoribus, iuxta constitutiones apostolicas seu literas alternativarum aut alia privilegia et indulta, concessis hactenus et in posterum, etiam per nos aut successores nostros Romanos Pontifices, pro tempore existentes concedendis, sub reservationibus, concessionibus et assignationibus iuris patronatus et praesentandi huiusmodi, quarum et forsan desuper confectarum literarum ac decretorum in illis appositorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, minime comprehensa, sed semper ab illis exclusas et excepta respective fuisse, fore et esse; ac illis non obstantibus, eosdem ordinarios collatores dicta beneficia, in praefatis mensibus eis pro tempore concessis pro tempore vacantia, eorum ordinaria auctoritate, alias rite, prout ante reservationes et concessiones huiusmodi poterant, conferre, et de illis disponere potuisse et posse; ac collationes, provisiones et alias dispositiones per eosdem ordinarios de eisdem beneficiis in dictis mensibus, ut praefertur, vacantibus, alias rite pro tempore factas, validas et efficaces existere, et suos effectus sortiri debere in omnibus et per omnia, perinde ac si reservationes, concessiones et assignationes iuris patronatus et praesentandi huiusmodi a nobis non

emanassent, ac easdem reservationes, concessiones et assignationes dictas foeminas minime comprehendere; illasque ad beneficia in mensibus nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti reservatis, extra Romanam Curiam pro tempore vacantia, dumtaxat se extendere, et ita intelligi debere; ac eos quibus illae factae sunt ad alia beneficia, quam in mensibus nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, ut praefertur, pro tempore reservatis praedictis, pro tempore vacantia, praesentare non posse, et aliter factas praesentationes nullius roboris vel momenti existere, ac ipsos ordinarios ad illos recipiendum nullatenus teneri, nec ad id cogi aut compelli posse; et ita per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus literis reservationum, concessionum et assignationum iuris patronatus et praesentandi huiusmodi, ac aliis praemissis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo, octavo kalend. novembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 octobris 1560, pontif. anno I.

XXII.

Facultas iudicum, lite pendente, decernendi sequestra super fructibus beneficiorum Sedi Apostolicae reservatorum sive affectorum, et ordinaria vel alia auctoritate nulliter collatorum; et poenae desuper temere litigantium [1].

1 Fructus beneficiorum lite pendente apud personas idoneas a iudice eligendas deponi iussit Pius V infr. in constitutione *Cordi*.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Pius divina providentia Papa IV

Causa constitutionis.

Cupiens, prout suo pastorali incumbit officio, unicuique, quod suum est, tribui, iustitiamque inter omnes aequa lance ministrari, ac animarum periculis et fraudibus eorum, qui passim beneficia ecclesiastica in mensibus, in quibus illorum collatio et provisio per constitutiones suas seu Cancellariae Apostolicae regulas desuper editas, dispositioni suae pro tempore reservata existunt, vacantia, seu alias eidem et Sedis Apostolicae dispositioni generaliter reservata, aut ex generali reservatione apostolica vel alias affecta, ordinaria seu alia auctoritate, contra dictarum constitutionum tenorem aut alias, indebite sibi conferri et de illis etiam provideri procurant, et in eis, praetextu collationum et provisionum huiusmodi, se intrudunt, ad hoc ut illorum fructus suos faciant et ex eis impetrantes apostolicos seu alias iusto titulo provisos molestent, et interim lites adeo in longum protrahant, ut impetrantes et iustum titulum habentes aut cum eis concordare, aut eorum iuri cedere et renunciare, aut in prosecutione litium huiusmodi omnes fere eorum facultates dissipare, et tandem in illarum prosecutione mori cogantur. Quique beneficia in Romana Curia vel extra eam litigiosa resignant, aut eorum iuri cedunt simpliciter vel in favorem tertii in memorialibus, cum parvis datis et consensibus desuper praestitis, quae penes se retinent, et nihilominus lites huiusmodi prosequuntur, et dum cognoscunt nullum ius sibi in huiusmodi beneficiis litigiosis competere, ad effugiendum sententiam et expensas vel fructuum restitutionem, in quibus condemnandi venirent, supplicationes desuper signari, ac datas et consensus parvos huiusmodi extendi faciunt, asserentes se iamdiu illa dimisisse, partes foventes bonum ius et iudices iustitiam

ministrantes deludendo, quantum in eo est obviare, ac omnem penitus talia praesumendi occasionem tollere.

Facultas iudicum sequestrari faciendi fructus beneficiorum, lite pendente super illis tamquam Sedi Apostolicae reservatis vel affectis, et per ordinarios vel per alios nulliter collatis.

§ 1. Hac sua perpetuo valitura sanctione statuit et ordinavit quod quoties in antea aliquem super quovis beneficio ecclesiastico, ut praefertur reservato seu affecto, et dicta auctoritate vel alias nulliter collato, tam in dicta Curia quam extra eam, litigare contigerit, et iudici ordinario seu cui causa desuper commissa fuerit, etiam summarie et extraiudicialiter, quantum sibi pro rei qualitate sufficere, parte legitime citata, videbitur, constiterit beneficium ipsum in dictis mensibus vacavisse aut alias, ut praefertur, reservatum seu affectum, et nihilominus ordinaria seu alia auctoritate nulliter collatum, et indebite retentum existere, idem iudex, reproducta citatione, fructus, redditus et proventus beneficiorum sic nulliter collatorum et indebite detentorum sequestrari mandet et faciat, ac alia exequatur in praemissis necessaria et opportuna. Super quo eidem iudici omnem potestatem et auctoritatem impartitus est. Idemque Sanctitas Sua in causis nunc in quavis instantia coram eisdem iudicibus pendentibus similiter observari mandavit.

Talesque beneficiorum detentores et litigantes, etiam si liti cesserint, tenentur ad damna et interesse *etc.*

§ 2. Praeterea decrevit et declaravit sic resignantes seu cedentes et nihilominus lites huiusmodi prosequentes, ne eorum malitia illis prodesse et foventibus bonum ius nocere valeat, ad fructuum, redditum et proventuum dictorum beneficiorum per eos perceptorum restitutionem, ac expensarum in litibus huiusmodi factarum refectionem, omniaque et singula damna et interesse, in quibus condemnati fuerint, si non cessissent vel resignassent, per iudices, tam ordinaria quam delegata vel alia auctoritate fungentes, coram quibus lites ipsas pro tempore pendere seu moveri contingerit, condemnandos fore et condemnari debere, ac ad id teneri et obligatos esse. Ipsosque ac etiam in dictis beneficiis successores quoscumque ad paritionem sententiae seu sententiarum ac literarum executorialium pro tempore latae seu latarum et decretarum, a quibus appellare non liceat, ad restitutionem seu relaxationem possessionis ac fructuum, redditum et proventuum, necnon refectionem expensarum ac damnorum et interesse huiusmodi, perinde ac si contra eosdem successores sententia seu sententiae latae et literae executoriales huiusmodi decretae fuissent, cogi et compelli. Sic tamen quod, postquam alter ipsorum sententiae seu sententiis ac restitutioni vel relaxationi possessionis et fructuum, redditum et proventuum, necnon damnorum et interesse huiusmodi refectioni aliisque praemissis realiter et cum effectu paruerit, aliter desuper molestari non possit.

Decretum irritans.

§ 3. Et ita in praemissis omnibus et singulis per eosdem et alios quoscumque iudices et etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata *etc.*, iudicari et definiri debere; irritum quoque *etc.*

Placet, publicetur et describatur. I.

Lecta et publicata fuit supradicta constitutio Romae in Cancellaria Apostolica anno Incarnationis dominicae MDLX, die vero sabbati, XXIX [1] mensis octobris.

XXIII.

De spoliis clericorum ob illicitam negociationem; et de indultis curialium et incolarum almae Urbis super dictis spoliis.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decens esse censentes et aequum ut nos, qui alios in sua iustitia confovemus, Camerae Apostolicae iura non negligamus, quinimmo ne, praetextu incertitudinis, illa

1 Cherub. legit XXVI (R. T.).

ab aliquibus usurpari, aut super eis dubia aliqua oriri contingat, ita nostrae declarationis remedio provideamus, quod a nemine desuper dubium aliquod deduci possit.

Causa constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, a nonnullis vertatur in dubium an res et bona per clericos, etiam in sacris ordinibus constitutos, ex negociatione illicita aut alias contra sacros canones acquisita, uti spolia vel alias ad Cameram praefatam iure legitimo spectare et pertinere debeant, nos, omnes desuper haesitationis materias submovere, ac cavillationibus et altercationibus ac litibus viam praecludere, et denique malitiis eorum, qui iura dictae Camerae usurpare satagunt, obviare, aliasque in praemissis opportune providere volentes.

Clericorum bona, ex illicita negotiatione vel alias contra sacros canones acquisita, ad Cameram Apostolicam spectant.

§ 2. Motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, decernimus et declaramus omnia et singula res et bona, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, ac in quibusvis regionibus et regnis ac dominiis, tam citra quam ultra montes et maria consistentia, per quosvis clericos, tam saeculares quam quorumvis, etiam Mendicantium, Ordinum ac militiarum regulares, etiam in sacris ordinibus constitutos, cuiuscumque status ordinis et conditionis fuerint, ac archiepiscopali, episcopali vel alia maiori dignitate praefulgeant, ex negociatione illicita aut alias contra sacros canones quomodolibet acquisita, quae pro tempore, post obitum eorum, qui, etiam ex facultate quam habuerint testandi, condito testamento, ubivis locorum decesserint et decedent, aut quibus illos, etiam eis viventibus, privari et eis destitui contigerit, et praesertim quondam Andreae lapiro de Sancto Ioanne Rotundo presbyteri seu religiosi, extra Romanam Curiam ad illam forsan veniendo defuncti, hactenus remanserunt, remanent et remanebunt, ad eamdem Cameram et non alios, etiam in quibusvis cathedralibus, etiam metropolitanis et collegiatis ac aliis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, militiis ceterisque beneficiis ecclesiasticis, cum cura, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, qualitercumque qualificatis, successores, illa in titulum, commendam, administrationem, commissionem aut alias quomodolibet pro tempore obtinentes, etiamsi ad illa, vigore prioris tituli, ius regrediendi seu accedendi aliquibus concessum fuerit, spectasse et spectare, ac sub nomine spoliorum venire; illaque, uti spolia ad Cameram ipsam pertinentia, perpetuo colligi et recuperari potuisse, posse ac debere.

Decretum irritans.

§ 3. Et ita per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, in quacumque instantia, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio et facultates.

§ 4. Mandantes dilecto filio nostro Guidoni Ascanio, Sanctae Mariae in Via-Lata diacono cardinali de Sancta Flora nuncupato, camerario nostro et eius in camerariatus officio successoribus, quatenus spolia ipsa, prout alia ipsius Camerae iura, exigi et recuperari, ac praesentes inviolabiliter observari faciat, nec permittat Cameram ipsam vel pro ea agentes desuper modo aliquo molestari, perturbari aut inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, et appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 5. Non obstantibus felicis recordatio-

Clausulae derogatoriae.

nis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum, militiarum et beneficiorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis et dilectis filiis illorum capitulis, conventibus, superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu et scientia similibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo, nonis novembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 novembris 1560, pontif. anno I.

Sequitur declaratio dictae constitutionis.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, ex sua circumspecta providentia attendens suam almam Urbem, apostolorum Petri et Pauli glorioso martyrii cruore, Domino nostro Iesu Christo consecratam, caput orbis existere, et Altissimum in ea sacerdotii principatum, christianaeque religionis caput instituisse, et ad illam, tamquam communem omnium christifidelium patriam, de universis mundi partibus christifideles ipsos in copioso numero confluere, ut illa eo amplioribus praerogativis decoretur, quo est omnium aliarum mater, cunctorumque ad eam undequaque accedentium benigna receptrix et alumna, ac illius incolae et habitatores ac Romanam Curiam sequentes eo quietius et tranquillius in ea degant, quo se amplioribus favoribus et gratiis noverint communitos, nonnumquam a suis praedecessoribus in illorum favorem concessa, pro illorum subsistentia firmiori, non solum approbat, sed etiam innovat, et quae postmodum ab eo emanarunt literae apostolicae, ne defectu incertitudinis aliquid, quod a mente sua alienum sit, oriri contingat, illas ita suae declarationis adminiculo dilucidat, ut nulli haesitationis et dubitationis scrupulus relinquatur, et alias desuper disponit, prout, rerum et temporum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire.

Iulius III edidit bullam,

§ 1. Nuper siquidem, postquam felicis recordationis Iulius Papa III *etc.* [1].

Et aliam Pius dedit,

§ 2. Nos, ex certis tunc expressis causis, motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, per alias nostras literas, sub data videlicet nonis novembris, pontificatus nostri anno I, decrevimus et declaravimus omnia et singula *etc.* [2].

Ex quibus cum dubia exorta fuissent, declarat illam non fuisse praeiudicio privileg. curialium, et suam constit. se non extendere ad card. ubique decedentes aut alias testandi facultatem habentes ex privilegio aut licentia Sedis Apostol.

§ 3. Cum autem, sicut nobis innotuit, a nonnullis haesitetur an ex his literis nostris statuto et ordinationi Iulii praedecessoris huiusmodi praeiudicium aliquod generatum sit, aut dici seu censeri possit, nos, qui Urbis decorem et venustatem, ac illius incolarum praedictorum prosperum et felicem successum sinceris exoptamus affectibus, quique illam non minoribus favoribus, quam dicti praedecessores pro-

1 Omittitur quia ipsa bulla Iulii est in tom. VI, pag. 412. 2 Omittitur quia est bulla quae praecedit.

secuti sunt, prosequi intendimus, ne, propter nostrae declarationis defectum et veritatis suppressionem, contra mentem et voluntatem nostras, cuiquam præiudicium generetur, quantum in nobis est, providere volentes, ac dictarum nostrarum literarum veriorem tenorem praesentibus pro sufficienter expresso habentes; necnon motu et scientia similibus literas nostras praedictas ad sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam ubivis locorum decedentes, ac eorum bona ubique existentia, nullo pacto, ad Urbem et Curiam praefatas, necnon praelatos, officiales ac alios saeculares et cuiusvis Ordinis regulares clericos, ceterosque, tam in Urbe et Curia praefatis pro tempore existentes, et in ea seu eius districtu decedentes, quam alias alibi ubivis locorum, etiam ultra montes et maria, existentes, testandi tamen, codicillandi et alias de bonis suis quibuscumque quomodolibet disponendi facultatem, seu etiam quod, eis ab intestato decedentibus, eorum bona ad ipsorum proximiores, qui, nisi beneficiati essent, succedere deberent, devolvantur, et debeant ad specialem ab Ap. Sede vel officiorum suorum ratione vel privilegiorum, aut ex alio quovis titulo pro tempore facultem habentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et præeminentiae personas, minime se extendere, neque illos aut eorum aliquem comprehendere, sed ab eis penitus exceptos fuisse, fore et esse, ac dici et censeri; et alias easdem nostras literas, etiam absque verbis aut alias contra sacros canones in illis appositis, in omnibus et per omnia, ac si illa in eis apposita non fuissent, seu illæ sine eis emanassent, stare, et in suis efficacia et robore permansisse et permanere debuisse et debere.

§ 4. Declarantes eisdem motu et scientia, tam Iulii statutum et ordinationem huiusmodi quam per Sixtum IV et Alexandrum VI, Leonem X et alios Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac etiam nos, etiam in conclavi, in quo, divina disponente clementia, ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, etiam in ipsius Urbis et eius aedificiorum, Romanaeque Curiae et eius officialium ac aliarum personarum praedictarum, etiam extra Urbem et in quibusvis provinciis, etiam ultra montes et maria, ut praefertur, in genere vel in specie, circa testandi et succedendi huiusmodi facultatem quomodolibet concessa privilegia et indulta, ac cum inhibitionum decretorum [1], et in eis contentis clausulis, Iulii praedictas ac aliorum praedecessorum praedictorum singulas desuper confectas literas et inde secuta quaecumque, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, etiam ad hoc ut omnes et singuli supradicti de omnibus et singulis eorum rebus et bonis, etiam nulla quantitatis et acquisitionis ipsorum bonorum distinctione habita, libere disponere valeant, ac si dictae nostrae literae non emanassent aut aliae in posterum emanarent, dicta auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus, confirmamus et innovamus, necnon illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus. Et nihilominus, pro potiori cautela, illa omnia et singula eisdem modis et formis, quibus per dictos praedecessores concessa fuerunt, de novo, eisdem auctoritate et tenore ac motu et scientia, statuimus, ordinamus et concedimus, necnon illa valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et inviolabiliter observari ac singulis supradictis suffragari.

Confirmatio constitut. Sixti IV et aliorum.

§ 5. Sicque in praemissis omnibus et singulis per camerarium, praesidentes et clericos praefatos ac quoscumque alios iudices et commissarios, quavis auctori-

Decretum irritans.

1 Legendum forte *decretis* (R. T.).

tate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et ipsius Ecclesiae Romanae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Camerae et ecclesiarum ac monasteriorum et Ordinum praedictorum et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon privilegiis, indultis et literis apostolicis, illis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientia similibus, concessis et approbatis ac innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac omnibus illis, quae Iulius et alii praedecessores praefati in dictis suis literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus quod earum transumptis seu copiis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et alicuius praelati sigillo munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationum, decretorum, approbationis, confirmationis, innovationis, adiectionis, statuti, ordinationis, concessionis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo, nonis februarii, pontificatus nostri anno I.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimoprimo, indictione quarta, die vero decimaquinta mensis februarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae IV anno II, retroscriptae literae affixae et publicatae fuerunt in acie Campi Florae et valvis Cancellariae Apostolicae per nos Iacobum Carra et Antonium Clerici, cursores.

Franciscus Rogerius, magister cursorum.

XXIV.

Confirmatio et nova concessio omnium facultatum et privilegiorum S. R. E. camerario hactenus a Summis Pontificibus concessorum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Providentia Romani Pontificis plurimum circumspecta, nonnumquam ea, quæ, certis suadentibus causis, per eius praedecessores gesta sunt, ex aliis non minus rationabilibus causis alterat, et ad pristinum statum reducit, ac quemlibet in sua iurisdictione et possessione conservat et manutenet, prout aequitas suadet, et id in Domino conspicit salubriter expedire.

Camerarius habuit multas facultates et privilegia usque ad Paulum IV, qui illa limitavit.

§ 1. Sane cum dilectus filius noster Guido Ascanius, S. Mariae in Via-Lata diaconus cardinalis de Sancta Flora nuncupatus, modernus, et qui ante eum pro tempore fuerunt S. R. E. camerarii, multa et diversa privilegia eis eorumque camerariatus of-

ficio a quampluribus Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa habuerint et habeant, ac in illorum possessione pacifica et quieta, usque ad tempus felicis recordationis Pauli Papae IV, praedecessoris nostri, qui, ex certis causis animum suum moventibus, id expedire ratus, illa limitavit seu suspendit aut revocavit, extiterint.

Hic autem Pontifex illa confirmat et de novo concedit,

§ 2. Nunc vero, experientia, rerum omnium magistra, docente, privilegia ex rationabilibus causis concessa, ac publicae commoditati utilia fore comperientes, et propterea eorumdem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, limitationem seu suspensionem aut revocationem privilegiorum huiusmodi, per praefatum Paulum praedecessorem, ut praemittitur, factas, harum serie revocantes, omnia et singula privilegia, moderno et pro tempore existentibus eiusdem S. R. E. camerariis, eorumque camerariatus officio huiusmodi per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, quorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, auctoritate apostolica, tenore praesentium, in omnibus et per omnia, prout ante limitationem, suspensionem aut revocationem Pauli praedecessoris huiusmodi erant, confirmamus, approbamus et innovamus. Et nihilominus, potiori pro cautela, quatenus opus sit, ea omnia moderno et pro tempore existentibus ipsius S. R. E. camerariis eorumque camerariatus officio huiusmodi de novo concedimus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam per praefatum Paulum praedecessorem, etiam quoad hebræorum vivendi modum, et tolerantias eisdem hebræis non concedendas, ac alias quomodolibet editis, quibus, illarum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita omnino servata esset, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, quoad praemissa, motu simili, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae revocationis, voluntatis, confirmationis, approbationis, innovationis, concessionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo, idibus novembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 nov. 1560, pontif. anno I.

XXV.

Contra pugnantes in duello et illud ubique gentium permittentes, spectantes, complicesque etc. [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ea quae a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, suadentibus legitimis causis, emanarunt, libenter approbationis et innovationis munimine solidamus, ut eo firmius illibata perdurent, quo saepius fuerint apostolica auctoritate munita, illaque de novo statuimus et ampliamus, prout ra-

1 Duellorum usum vetuit in Statu Ecclesiastico Iulius II in sua constitutione XXIV, *Regis*, tom. V, pag. 474; et deinde Leo X in constitutione XXXV, *Quam Deo*, ibidem, pag. 727; easque simpliciter confirmavit Clemens VII, et ideo eius bullam non posui.

tionabiles causae persuadent et hoc in Domino conspicimus salubriter expedire.

Clemens VII edidit bullam de qua hic.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VII, praedecessore nostro, emanarunt literae, in quibus nonnullae aliae inseruntur, tenorum subsequentium. *Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Consuevit etc.* [1].

Causa constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut nobis innotuit, quamplurimi duces, comites, marchiones, domicelli, barones et alii in temporalibus domini, vicarii, communitates et universitates civitatum, terrarum et locorum, eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum, nonnullique alii singularia certamina exoptantes et alii, etiam ut praefertur subditi, illa videre cupientes, suorum status, salutis et honoris immemores, literis prædictorum huiusmodi contravenire, et censuras ac poenas in illis contentas parvipendere non vereantur, in animarum suarum perniciem et divinae Maiestatis offensam, ac reipublicae laesionem.

Confirmatio constit. Iulii II, Leonis X et Clementis VII.

§ 3. Nos, quorum est sceleratorum insolentiis, quibus adversum Deum et proximum ac dictae Sedis auctoritatem, veluti catholicae professionis inimici, saeviunt, salubriter reprimendis, ne ipsorum invalescat praesumptio et perversitas extollatur, intendere; et ne literæ praedictæ, quae provida deliberatione ab ipsis praedecessoribus emanarunt, contemptibiles reddantur, sed illarum transgressores debita animadversione puniantur, providere volentes, motu proprio, non ad aliquorum nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia, singulas Iulii, Leonis et Clementis praedecessorum praedictorum literas, cum statutorum, ordinationum, adiectionum, decretorum, declarationum, confiscationum, incorporationis, applicationis, voluntatum et mandatorum ac omnibus et singulis aliis in eis respective contentis clausulis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et innovamus, et perpetuae firmitatis robore subsistere, et singulos, quos literae ipsae concernunt et concernent, sub excommunicationis, anathematis, maledictionis, perpetuae infamiae, diffidationis, criminis laesae maiestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis et privationis statuum et dominiorum ac feudorum et vicariatuum ac aliorum bonorum suorum, ac depositionis illorum, necnon inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac interdicti ac aliis censuris ac poenis, ecclesiasticis et temporalibus, aliisque in eisdem literis contentis, quas contravenientes eo ipso incurrant et intestabiles fiant, ac ultra poenas praedictas carceribus mancipari et detineri et poenis praedictis irremissibiliter puniri debeant, perpetuo observari, et per executores in dictis literis deputatos adversus eosdem contrafacientes ad totalem executionem dictarum poenarum procedi debere decernimus.

Extensio constitutionum ad fautores duellantium et affigentes vel subscribentes chartas duelli.

§ 4. Illasque, tam ad pugiles taliter pugnantes, quam eos ad id tentantes et provocantes, aut locum seu campum ad pugnandum dantes seu concedentes, ac in illis astantes et interessentes, ac certantes comitantes et comitivam praestantes, nec non consulentes ac adhaerentes et fautores, necnon chartas certaminis seu duelli subscribentes vel affigentes aut publicantes, etiam si praedictae seu cuiuscumque alterius dignitatis, nobilitatis, status, gradus et ordinis, tam ecclesiasticae quam mundanae, existant, etiam ad hoc ut ipsi, ultra poenas praedictas, excommunicationis maioris latae sententiae poenam, a qua nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente absolvi possint, eo ipso incurrant; et si ecclesiastici fuerint, etiam

1 Omittitur residuum, quia simpliciter confirmat bullas citatas in nota ad rubricam.

omnibus et singulis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis per eos obtentis, seu in quibus et ad quae ius eis competit, eo ipso privati et ad illa ac alia in posterum obtinenda inhabiles existant, necnon illa tamquam per privationem huiusmodi vacantia ab aliis impetrari possint, extendimus et ampliamus.

Iteratio statutorum a Iulio II, Leone X et Clemente VII.

§ 5. Et nihilominus praemissa omnia et singula, prout per Iulium, Leonem et Clementem praedecessores praefatos statuta et ordinata, inhibita, decreta et mandata fuerunt, in omnibus et per omnia de novo statuimus, ordinamus, inhibemus, decernimus, declaramus et mandamus.

Revocatio quarumcumque licentiarum.

§ 6. Ac omnes concessiones duellorum huiusmodi et facultates desuper praedictis seu aliis quibusvis personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub quibusvis formis et verborum expressionibus, forsan concessas et approbatas et innovatas, harum serie revocamus, cassamus et annullamus.

Monitio ad omnes principes christianos, etiam non subditos R. E., ut duella et certamina prohibeant 1.

§ 7. Et insuper cupientes illa, et tam detestabilem pugnantium, et aliorum loca ad pugnandum, ac alias in praemissis favorem praestantium, et denique tanti sceleris fautorum nequitiam, non solum in terris et locis eidem Romanae Ecclesiae, ut praefertur, subiectis, sed alias ubilibet penitus reprimi et aboleri, ac singulorum christifidelium animarum periculis obviare, per viscera Domini nostri Iesu Christi rogamus et obtestamur universos et singulos totius orbis imperatorem, reges, duces, etiam armorum, marchiones, barones ceterosque principes christianos, necnon dominia, potentatus, communitates civitatum, ac universitates oppidorum, castrorum, terrarum et locorum quorumcumque, illorumque in temporalibus dominos, ac etiam militum, tam equestrium quam pedestrium, capitaneos et praefectos, etiam temporali ditioni ipsius Romanae Ecclesiae non subditos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis ac praeeminentiae fuerint, ut, divini nominis intuitu, et pro sua in nos et hanc sanctam Sedem Apostolicam devotione et reverentia, nec non fidei cultu et conservatione, ac animarum eorum, qui huiusmodi duella, diabolica fraude decepti, perquirunt, salute, dicta duella seu alia singularia certamina in suis regnis, ducatibus, marchionibus [1], baroniis, dominiis, terris et locis nullatenus fieri permittant, immo ne fiant expresse prohibeant et dissuadeant; districtius praecipientes eis ne ullo umquam tempore huiusmodi duella seu certamina, quovis praetextu seu quavis occasione vel causa, admittere, aut aliquos ad id irritare seu provocare vel illis interesse, aut ut fiant pati seu permittere audeant vel praesumant; alioquin eos, ac etiam extra terras et loca ditioni Ecclesiae huiusmodi non subiecta duella seu singularia certamina huiusmodi aut diffidationes desuper facientes et ad id irritantes, provocantes, et auxilium, consilium vel favorem dantes, ac illis astantes et interessentes, et similiter chartas desuper subscribentes aut publicantes, seu de illis se intromittentes, eorumque ac ipsorum singulos, ab imperatore et regibus inferiores, maioris excommunicationis et, ultra eam, si ecclesiastici fuerint, privationis et inhabilitatis poenis praedictis subiacere, illasque incurrere, et ab eis, praeterquam a nobis seu dicto Romano Pontifice pro tempore existente, ut praefertur, absolvi, aut adversus illas restitui seu rehabilitari non posse neque debere decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae dicti praedecessores in singulis eorum literis praedictis voluerunt non obstare ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Ad hoc habes Concil. Trid., sess. XXV, *De Reform.*, cap. 19.

1 *Marchionatibus*, Cherub. (R. T.).

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo, idibus novembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 nov. 1560, pontif. anno I.

XXVI.

Approbatio archiconfraternitatis Orationis et Mortis, nuper in Urbe institutae, ad orationem quadraginta horarum singulis mensibus publice peragendam, et pauperum defunctorum cadavera gratis et decenter sepelienda, cum indulgentiarum concessione [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Divina disponente clementia ad summi apostolatus apicem, meritis licet imparibus, sublimati, christifidelium omnium votis, praesertim ad caritatis aliorumque piorum operum exercitium et devotionis sinceritatem certumque orationum et ieiuniorum Altissimo pura mente consecrandorum ordinem tendentibus, ac ipsorum fidelium societatibus, salubribusque illarum ordinationibus, quo propterea pie institutae fuisse dicuntur, libenter, potissimum eum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidium adiicimus, ac eosdem fideles, ut ad opera huiusmodi ferventius amplexanda procliviores efficiantur, indulgentiis et peccatorum remissionibus frequenter invitamus, ut exinde desiderabilia salutis aeternae praemia facilius valeant promereri.

1 Huiusmodi orationem in cunctis Urbis ecclesiis locisque piis, praescripta ecclesiarum et temporis distributione, absque intermissione fieri iussit Clemens VIII in sua constitutione, *Graves*, quae adhuc servatur. De indulgentiis autem, attende constitutionem Pauli V de qua suo loco.

In Urbe quidam christifideles instituerunt confraternitatem Orationis et Mortis, ad orationem XL horarum mense quolibet faciendam, et pauperum defunctorum corpora decenter sepelienda, et alia pia opera exercen;

§ 1. Sane, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardianorum, administratorum et officialium confraternitatis de Oratione, alias *Della morte* nuncupatae, in alma Urbe institutae, petitio continebat, iam multis annis elapsis, nonnulli christifideles in ipsa Urbe degentes, divino instinctu moti et pia mente considerantes orationes humiliter et devote a christifidelibus in unum in Dei nomine convenientibus factas, divinae Maiestati gratas et acceptas existere, ac illis et eleemosynis aliisque piis operibus ipsius omnipotentis Dei clementiam et misericordiam impetrari, unam societatem seu confraternitatem utriusque sexus personarum de Oratione, alias *Della morte* nuncupatam, in eadem Urbe instituerunt, et, inter alia, ordinaverunt ut singulis mensibus, diebus et horis ad id per pro tempore existentes eiusdem confraternitatis guardianos seu administratores et officiales designandis et statuendis, ad imitationem quadraginta dierum, quibus Dominus noster Iesus Christus in deserto, vitam humanam agens, ieiunavit, ac etiam sanctorum apostolorum et patrum primitivae Ecclesiae, qui ad Deum sine intermissione orabant, oratio fieret ad eumdem omnipotentem Deum vocalis et mentalis, horas quadraginta continuas per homines et mulieres dictae societatis ac alias personas ibidem interesse volentes, etiam si confratres non essent; ac ipsi confratres, in principio cuiuslibet orationis, singulo mense in penultima eius dominica vel alio die fieri solitae, Corpus Dominicum decenti pompa deferrent; nec non pauperum ac miserabilium personarum decedentium corpora, iam antea saepenumero absque ulla forsan caeremonia praeter consuetudinem christianam delata, exemplo Tobiae, etiam propriis humeris deferrent, ac propriis faculis, intortitiis et candelis adhibitis aliisque expensis necessariis sepelirent; necnon singulo mense pro

animabus confratrum defunctorum ac eorum quorum corpora ab ipsis confratribus humata forent anniversarium celebrarent; et infirmis egenis, ipsius confraternitatis de medico et eleemosynis pro posse succurrerent, illosque de confratrum caritate visitarent, atque officia divina, prout aliis confraternitatibus concessum erat, exercerent.

Ordinationesque pro regimine dictae confratern. constituerunt.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dicta confraternitas, Spiritu Sancto adiuvante, concursu fidelium, qui ad illam confluxerunt, augmentum et in dictis piis operibus incrementum non modicum susceperit, ac in dies augeatur, dictique confratres, qui ipsam confraternitatem primo in S. Laurentii in Damaso constituerunt, et ad praesens in S. Ioannis Evangelistae in Ayra dictae Urbis ecclesiis congregatam retinent, etiam pro illius directione et augmento nonnulla capitula et statuta fecerint et ediderint, et venerabilem fratrem nostrum Federicum, episcopum Praenestinum, S. R. E. cardinalem de Caesis nuncupatum, in dictae confraternitatis protectorem elegerint, prout in uno vel pluribus documentis, et forsan publicis, desuper confectis plenius dicitur contineri; guardiani et administratores praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt ut institutioni confraternitatis, eiusque statutis et capitulis huiusmodi, pro firmiori illorum subsistentia, apostolicae confirmationis robur adiicere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex dictam confraternitatem at eius ordines approbat noviterque instituit, accedente consensu confrat. Caritatis;

§ 3. Nos igitur, qui christifidelium devotionem, orationes et poenitentiam ac caritatis opera ubique locorum, sed praecipue in ipsa Urbe, feliciter adaugeri sinceris desideramus affectibus, hanc dictorum confratrum devotionem in Domino collaudantes, ac guardianos, administratores et officiales praedictos ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; nec non omnium et singulorum documentorum praedictorum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dummodo dilectorum filiorum archiconfraternitatis Caritatis, etiam de Urbe, ad infrascripta accedat assensus, institutionem confraternitatis de Oratione, alias de Morte nuncupatae huiusmodi, ac omnia et singula, per guardianos et confratres praedictos, circa praemissa, edita ordinationes et statuta, ac prout illa concernunt cetera in eisdem documentis contenta, licita et honesta, ac sacris canonibus non contraria, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa scientia, approbamus et confirmamus; ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, illisque omnibus perpetuae firmitatis robur adiicimus. Et nihilominus eamdem confraternitatem de Oratione, alias de Morte nuncupandam, eisdem modo et forma, quibus per ipsos christifideles instituta existit, de novo, auctoritate et tenore praemissis, instituimus et etiam erigimus.

Eius officialibus indulget quoscumque in confratern. recipere;

§ 4. Ac eisdem guardianis, administratoribus et confratribus quascumque utriusque sexus personas eis bene visas ac gratas et acceptas, tam ecclesiasticas quam saeculares, undecumque existentes, dictam confraternitatem ingredi volentes, cuiusvis licentia minime requisita, in eorum confratres ac confraternitatis gremium recipiendi et admittendi, licentiam et facultatem concedimus.

§ 5. Eisque, cum eiusdem Federici epi-

Statuta cum auctoritate protectoris condere et reformare;

scopi et deinceps pro tempore existentis protectoris sui auctoritate seu approbatione, quæcumque statuta et ordinationes, pro eiusdem confraternitatis felici regimine, ad piorum operum huiusmodi exercitium et alias circa praemissa, prout eis videbitur et placuerit, condere et reformare, quae, postquam condita et reformata fuerint, eo ipso apostolica auctoritate approbata et confirmata sint et esse censeantur, et per ipsos guardianos ac administratores et confratres observari debeant.

Crucem ligneam et habitum nigrum deferre;

§ 6. Necnon, tam in eorum oratorio quam in processionibus per Urbem faciendis crucem ligneam et habitum consuetum de tela nigra cum capuciis sive picciis deferre, prout etiam de praesenti deferunt.

Eleemosynas, oblationes et legata recipere et in dictos pios usus exponere;

§ 7. Necnon eleemosynas et oblationes quascumque, ac etiam piorum christifidelium, etiam S. R. E. cardinalium, aliorumque praelatorum et officialium, aliarumque personarum, tam saecularium quam ecclesiasticarum, tam hactenus, quam in futurum ultimis voluntatibus vel etiam inter vivos donationibus vel largitionibus relicta legata, haereditates et bona quaecumque eidem confraternitati relinqui, et confraternitatem illa sic relicta recipere et de illis illorumque fructibus in dictos pios usus, prout illis videbitur, disponere, ac omnia et singula alia recipere, obtinere et facere, et ad ea admitti posse, ad quae aliae Urbis praedictae confraternitates a Sede Apostolica approbatae possunt et valent, citra tamen illarum praeiudicium.

Confraternitatem ad aliam ecclesiam transferre, et in ea cappellanum habere, ad ministrandum confratribus sacramenta;

§ 8. Et insuper confraternitatem ipsam ad aliam ecclesiam seu locum ipsius Urbis sibi benevisum transferre, et inibi, si ecclesia non extet, ecclesiam unam cum suis oratoriis et mansionibus; si vero ecclesia inibi reperiatur, de illius pro tempore rectoris consensu, unam cappellam seu oratorium, in qua vel quo sacratissimi Corporis Christi Sacramentum reconditum esse debeat, et ad eius altare cappellanum, ad id per eosdem guardianos et officiales ad eorum nutum eligendum et amovendum, prout hactenus habuerunt, per quem missae et alia divina officia celebrari et ipsis confratribus Eucharistiae et alia sacramenta ecclesiastica ministrari possint, habere et retinere ac construi facere.

Defunctor. corpora sepelire in ecclesiis eorum parochialibus suis expensis, requisitis parochis.

§ 9. Et ipsi guardiani et officiales ac confratres dictae confraternitatis et eorum cappellani quorumcumque pauperum decedentium corpora in parochiali ecclesia, sub qua ipsi pauperes decesserint, seu illius coemeterio, si coemeterium habuerit, dictae confraternitatis sumptibus et expensis, ac cum suis faculis, intorticiis et candelis, cum licentia tamen atque interessentia eius rectoris seu vicarii, si vocatus adesse voluerit, ita quod, si adesse noluerit, dictae confraternitati ianuas ecclesiae praedictae ad hunc effectum aperire omnino teneatur, in forma Ecclesiae consueta, et solemniter sepelire vel sepeliri facere, libere et licite valeant, eisdem auctoritate et tenore indulgemus.

Indulgentiarum concessio pro confratribus, sororibus et aliis.

§ 10. Et insuper, ut christifideles eo libentius ad ingrediendum confraternitatem huiusmodi inducantur, et animarum salus per amplius propagetur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis, praesentibus et futuris, eiusdem societatis utriusque sexus confratribus, qui ad illam in diebus orationis quadraginta horarum huiusmodi accesserint, et pro nostra et pro tempore existentis Pontificis Romani salute, necnon dictae Sedis ac principum omniumque christianorum pace et tranquillitate pie oraverint; necnon christifidelibus, qui ecclesiam confraternitatis huiusmodi in Nativitatis, Veneris Sancti et secunda feria octavae Corporis D. N. I. C. festivitatum diebus devote visitaverint, vere tamen confessis et contritis, vel fir-

mum confitendi propositum habentibus et similiter orantibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem eisdem auctoritate et tenore concedimus et elargimur. Eorum autem omnium et singulorum confratrum, qui per totam primam vel secundam dictae orationis noctem in eadem oratione permanserint, ac, pro viribus, ut supra, preces effuderint, intuitu unius animae cuiuscumque fidelis defuncti, pro qua quicumque ex ipsis *Miserere mei Deus* et *De profundis* psalmos, aut quinquies Orationem Dominicam et Angelicam Salutationem humiliter, in dictae orationis fine, coram sanctissimo Sacramento dixerint, quoties id fecerint, centum annos; illis vero confratribus, qui dictorum pauperum decedentium corpora ad locum sepulturae detulerint aut associaverint et infirmos praedictos visitaverint, quoties id fecerint, mille annos et totidem quadragenas de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus; necnon eisdem confratribus, quod liceat eis et eorum cuilibet, durante eorum infirmitate, missam in domibus suis celebrari facere.

Facultas eligendi confessorem.

§ 11. Necnon confessorem seu confessores, qui eos in mortis articulo ab eorum peccatis, et Sedi praedictae, in bulla die Coenae Domini legi consueta, reservatis (Religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis), dicta auctoritate absolvere possint, eligere.

Facultas aggregandi alias confraternitat.

§ 12. Ac ipsis guardianis, officialibus et deputatis pro tempore existentibus quascumque confraternitates extra Urbem praedictam, sub huiusmodi vocabulo et institutis pro tempore erectas, omnibus et singulis praedictis aliisque privilegiis et indulgentiis sibi deinceps concedendis, sub conditionibus et formis sibi bene visis, aggregandi, illasque eis in toto vel in parte communicandi facultatem similiter concedimus ac indulgemus huiusmodi.

§ 13. Et praesentes literas, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, derogationibus vel limitationibus quarumcumque similium vel dissimilium indulgentiarum per nos et Sedem praedictam, etiam in favorem fabricae basilicae Principis Apostolorum de ipsa Urbe, expeditionis contra infideles et Cruciatae Sanctae vel aliter, etiam ad imperatorum, regum, ducum aut aliorum instantiam, quomodolibet pro tempore factis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas et de novo concessas fore, ipsisque confratribus et aliis fidelibus suffragari debere decernimus.

Clausulae huius bullae praeservativae.

Clausulae derogatoriae.

§ 14. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac nostra de indulgentiis et gratiis huiusmodi ad instar non concedendis, aliisque editis et edendis Cancellariae Apostolicae regulis, necnon quorumvis ecclesiarum et aliorum locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiisque, indultis et literis apostolicis, illis et eorum superioribus ac personis aliisque quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis et motu proprio ac alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si de illis ac totis illorum tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliter in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo

quingentesimo sexagesimo, XV kalendas decembris, pontificatus nostri anno primo.

Consensus archiconfraternitatis Caritatis de Urbe.

Anno Incarnationis dominicae MDLXI, die VII februarii, R. D. Antonius Lomellinus, protonotarius apostolicus, Horatius de Marchianis, Christophorus Lucianus, Franciscus Sangalettus, deputati societatis seu confraternitatis Caritatis de Urbe, per Franciscum Puccium, eorum procuratorem, omnibus et singulis retroscriptis, sine tamen praeiudicio privilegiorum eiusdem confraternitatis Caritatis, et literarum expeditioni, consenserunt *etc.*

Pro Ioanne Baptista Doria, Ioannes Baptista Zianus.

Dat. die 17 nov. 1560, pontif. anno I.

XXVII [1].

Indictio prosecutionis Sacri et Œcumenici Concilii Tridentini [2].

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad Ecclesiae regimen, licet tanto oneri impares, sola Dei dignatione vocati, statim circumferentes mentis oculos per omnes reipublicae christianae partes, cernentesque, non sine magno horrore, quam longe lateque pestis haeresum et schismatis pervasisset, et quanta christiani populi mores correctione indigerent; in eam curam et cogitationem, pro suscepti muneris officio, incumbere cœpimus, quemadmodum ipsas haereses extirpare, tantumque et tam perniciosum schisma tollere, moresque adeo corruptos et depravatos emendare possemus.

Paulus III et Iulius III indixerunt concilium Tridentinum, sed prosecutum non fuit ex variis causis, de quibus hic et in Pauli III constitutione citata in nota ad rubricam.

§ 1. Cum autem intelligeremus ad haec sananda mala aptissimum esse remedium, quod sancta haec Sedes adhibere consuevisset, oecumenici generalisque concilii, eius congregandi et, Deo iuvante, celebrandi consilium cepimus. Indictum illud quidem antea fuit a felicis recordationis Paulo tertio et eius successore Iulio, praedecessoribus nostris, sed, variis de causis saepius impeditum et interpellatum, perfici non potuit. Siquidem Paulus, cum id primo in urbem Mantuam, deinde Vicentiam indixisset, quasdam ob causas in literis eius expressas, id primo suspendit, postea Tridentum transtulit. Deinde cum quibusdam de causis ibi quoque eius celebrandi tempus dilatum fuisset, tandem, suspensione sublata, in eadem civitate Tridentina inchoatum fuit. Verum, sessionibus aliquot habitis, et nonnullis decretis factis, ipsum se postea concilium, aliquibus de causis, accedente etiam Sedis Apostolicae auctoritate, Bononiam transtulit. Iulius autem, qui ei successit, in eamdem civitatem Tridentinam id revocavit, quo quidem tempore facta alia quaedam decreta sunt. Sed cum novi in propinquis Germaniae locis tumultus excitati fuissent, et bellum in Italia et Gallia gravissimum exarsisset, rursus concilium suspensum et dilatum fuit, adnitente nimirum humani generis hoste, aliasque ex aliis difficultates et impedimenta obiicente, ut tantum Ecclesiae commodum, quod prorsus auferre non poterat, saltem quam diutissime retardaret. Quantopere vero interea auctae fuerint et multiplicatae ac propagatae haereses, quantopere schisma creverit, sine maximo animi dolore, nec meminisse possumus nec referre. Sed tandem pius et misericors Dominus, qui numquam ita irascitur, ut misericordiae obliviscatur, regibus et principibus christianis pacem et unanimitatem donare dignatus est. Qua nos occasione oblata, maximam in spem venimus, ipsius misericordia freti, fore ut his tantis quoque Ecclesiae malis eadem concilii via finis imponatur. Nos itaque, ad schisma haeresesque tollendas, ad corrigendos et reformandos mores, ad pacem inter christianos principes conservandam, celebrationem eius non esse duximus diutius differendam.

Iste autem Pontifex, ex cau-

§ 2. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Eccle-

1 Duplex huius bullae exemplar legitur in Cocquelinii editione; unicum hic afferimus. Vide ad rem *Praefationem* (R. T.). 2 Concilium istud indictum fuerat a Paulo III in eius constitutione XLII, *Initio*, tom. VI, pag. 337; absolutumque et confirmatum fuit ab isto Pontifice Pio IV, ut infra in constitutione *Benedictus*, ubi ponam concord. materiæ.

sis hic expressis, dictum concilium prosequi mandat ad diem Resurrect. Domini MDLXI;

siae cardinalibus deliberatione matura, factis etiam consilii nostri certioribus carissimis in Christo filiis nostris Ferdinando, Romanorum imperatore electo, et aliis regibus atque principibus, quos quidem, sicut de eorum summa pietate et sapientia nobis pollicebamur, paratissimos ad ipsius concilii celebrationem adiuvandam invenimus, ad Dei omnipotentis laudem, honorem et gloriam, atque universalis Ecclesiæ utilitatem, de eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu, sacrum oecumenicum et generale concilium, auctoritate eiusdem Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum, qua nos quoque in terris fungimur, freti et subnixi, in civitate Tridentina, ad sacratissimum diem Resurrectionis Dominicae proxime futurum, indicimus, et ibi celebrandum, sublata suspensione quacumque, statuimus atque decernimus.

Monetque praelatos ut accedant ad concilium;

§ 3. Quocirca venerabiles fratres nostros omnibus ex locis patriarchas, archiepiscopos, episcopos et dilectos filios abbates ceterosque, quibus in concilio generali sedere et sententiam dicere iure communi, vel ex privilegio, vel ex antiqua consuetudine licet, vehementer in Domino hortamur et monemus, atque etiam districte praecipiendo mandamus, in virtute sanctae obedientiae, in vi quoque iuramenti quod praestiterunt, et sub poenis quas in eos, qui ad concilia generalia convenire neglexerint, sacris sciunt esse canonibus constitutas, ut ad concilium ibi celebrandum conveniant intra eam diem, nisi forte impedimento fuerint legitimo praepediti, quod tamen impedimentum per legitimos procuratores synodo probare debebunt. Monemus propterea omnes et singulos, quorum interest, interesseve potuerit, ut in concilio adesse non negligant.

Hortatur etiam imperatorem, reges et principes, ut per se ipsos, vel eorum oratores concilio intersint *etc.*;

§ 4. Carissimos vero in Christo filios nostros Romanorum imperatorem electum, ceterosque reges et principes, quos optandum sane esset concilio interesse posse, hortamur et rogamus ut, si ipsi interesse concilio non potuerint, at oratores suos prudentes, graves et pios viros utique mittant, qui ipsorum nomine illi intersint; curentque diligenter pro sua pietate, ut ex eorum regnis atque dominiis praelati, sine recusatione ac mora, tam necessario tempore, Deo et Ecclesiae officium suum praestent; eosdem etiam curaturos esse minime dubitantes, ut per ipsorum regna et dominia tutum ac liberum iter praelatis eorumque familiaribus, comitibus et aliis omnibus ad concilium euntibus et ab illo redeuntibus pateat, benigneque ac comiter omnibus in locis recipiantur atque tractentur; sicut, quod ad nos attinet, ipsi quoque curabimus, qui nihil omnino praetermittere decrevimus, quod ad tam pium et salutare opus perficiendum a nobis in hoc loco constitutis praestari possit, nihil, ut Deus scit, quaerentes aliud, nihil propositum habentes in hoc concilio celebrando, nisi honorem ipsius Dei, dispersarum ovium reductionem, ac salutem et perpetuam christianae reipublicae tranquillitatem ac quietem.

Hanc bullam Romae publicari mandat.

§ 5. Ut vero hac literae et quae in eis continentur ad omnium, quorum oportet, notitiam perveniant; nec quisquam ea excusatione uti possit, quod illa ignoraverit; praesertim cum non ad omnes, quos de his literis certiores fieri oporteret, tutus forsitan pateat aditus; volumus et mandamus ut in basilica Vaticana Principis Apostolorum, et in ecclesia Lateranensi, tunc cum in eis populus, ut missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam, clara voce, a Curiae nostrae cursoribus seu notariis aliquibus publicis recitentur, et postquam recitatae fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque Cancellariae Apostolicae et in loco solito Campi Florae affigantur: ibique, quo legi et omnibus innotescere possint, aliquandiu relinquantur; cum autem inde amovebuntur, earum exempla in iisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem et affixionem, omnes et singulos, qui his literis comprehenduntur, post duos menses a die publicationis et affixionis earum, volumus

perinde adstrictos et obligatos esse, ac si ipsismet illae coram editae et lectae fuissent.

Transumptorum fides.

§ 6. Transumptis quoque earum, quae manu alicuius notarii scripta subscriptave, et sigillo ac subscriptione alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, ut, sine dubitatione ulla, fides habeatur, mandamus atque decernimus.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLX, tertio kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Papae subscriptio.

† Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego R., card. de Carpo, episcopus Portuensis.
† Ego F., card. Pisanus, episcopus Tusculanus.
† Ego Fed., card. Caesius, episcopus Praenestinensis.
† Ego Ioan., card. Moronus, epis. Albanen.
† Ego Christophorus Madrucius, card. Tridentinus.
† Ego Otho Truchses, card. Augustanus.
† Ego B. de la Cueva, card. S. Crucis.
† Ego Ti., card. Crispus.
† Ego Io. Mi., card. Saracenus.
† Ego Io., card. Sancti Vitalis.
† Ego Io. And., card. Messanensis.
† Ego Iac., card. Puteus.
† Ego Io. B. Cicada, card. S. Clementis, subscripsi.
† Ego Scipio, card. Pisarum.
† Ego Io., card. Reumanus.
† Ego Io. An., card. Capisuccus.
† Ego Thad., card. Gaddus.
† Ego F. M. G., card. Alexandrinus.
† Ego Clem., card. Araeceli.
† Ego I., card. Sabellus.
† Ego Io. Ant., card. S. Georgii.
† Ego A., card. Farnesius, vicecancellarius.
† Ego Gui. Asc., card. Camerarius.
† Ego Hipp., card. Ferrariensis.
† Ego Iul., card. Urbin.
† Ego Aloy., card. Cornelius.
† Ego Hier., card. Simoncellus.
† Ego Vitellotius, card. Vitellius.
† Ego Io., card. de Medicis.
† Ego Carolus, card. Borromaeus.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini MDLX, indictione III, die vero II mensis decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae IV anno primo, retroscriptae literae apostolicae lectae, affixae et publicatae fuerunt in locis suprascriptis, iuxta earum seriem et tenorem, et etiam ut moris est, et illis amotis, dimissis illarum copiis affixis per nos Bernardinum Andreutium et Ioannem Andream Panizzam, apostolicos cursores.

Petrus Vulrrini [1], magister cursorum.

Dat. die 29 nov. 1560, pontif. anno I.

XXVIII.

Ordo, quo praelati in Sacro Concilio Tridentino locum habere debent in actibus publicis.

Pius Papa IV.

Exordium.

Sicut ea, quae pacem et concordiam nutriunt, pura mente semper inquirimus, ita ex debito nostrae pastoralis solicitudinis tenemur illa submovere, quae discordiam suscitare et scandalum introducere posse videntur.

Declaratio praecedentiae praelatorum in concilio [2].

§ 1. Itaque, ad tollendam omnem controversiam materiarum, quae inter praelatos, ad celebrationem sacri oecumenici et generalis concilii in civitate Tridentina pro tempore congregatos, super eorum praecedentia forte iam sunt exortae et in dies oriri possunt, volumus ac vobis per

1 *Valtrini*, Cherub. (R. T.).

2 Hanc praecedentiam legati apostolici declararunt nulli ius acquirere aut tollere, ut legitur in fine sess. II et XXV cont. sess.

praesentes mandamus ut omnes et singulos praelatos praedictos, videlicet venerabiles fratres patriarchas primo, secundo archiepiscopos, tertio autem loco episcopos, in quibusvis actibus publicis, secundum gradum et ordinem suarum ad eorum ecclesias promotionum (ita quod qui prius promotus ad eas fuerit in suo quisque ordine prior existat), incedere, sedere ac locum habere (nulla habita ratione ad ipsorum dignitates primatiales, sive verae sive praetensae illae fuerint), auctoritate nostra, faciatis studioseque et diligenter curetis, atque pro vestra prudentia ac pietate geratis ut cuncta istic concordibus animis, in virtute Spiritus Sancti, cum Dei omnipotentis honore atque timore, quiete feliciterque procedere valeant.

Clausulae derogatoriae.

§ 2. Non obstantibus praemissis et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima decembris, millesimo quingentesimo sexagesimo, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 31 decembris 1560, pontif. anno II.

XXIX.

Annullatio quarumcumque legitimationum de naturalibus spuriis factarum, in praeiudicium vocatorum ex fideicommisso aut testamento aut quavis alia valida dispositione (dummodo non sint sortitae effectum); et revocatio facultatum eo modo legitimandi.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quamvis a Sede Apostolica, ad quam negociorum multitudo undique confluit, curis continuo plena innumeris, nonnulla interdum ex quibusdam causis aliquando per occupationem ac importunam petentium instantiam concedantur, quae in alieni iuris praeiudicium tendunt et detrimentum, non debet reprehensibile videri, si Romanus Pontifex, ad cuius providentiam pro debito pastoralis officii spectat super his debite providere, illa, rationabilibus et iuridicis causis maturius et attentius deinde cognitis, quandoque revocat et annullat ac in statum redigit rationis.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Sane cum fide digna plurimorum relatione, non sine animi nostri molestia, intellexerimus nonnullos Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac praetextu quarumdam sibi concessarum facultatum comites palatinos et alios multos, spurios et naturales, et forsan incestuosos, etiam in praeiudicium venientium ab intestato, et vocatorum ex testamento, ad fideicommissa ac haereditates et legata vel donationes ita legitimasse, ut in huiusmodi fideicommissis, haereditatibus aut legatis vel donationibus, non obstantibus testatorum voluntatibus, succedant, ac proinde variae contentiones et scandala, in grave multorum praeiudicium ac animarum iacturam, hactenus exorta sint et in praesentiarum exoriantur.

Annullatio legitimationum de naturalibus spuriis factarum in praeiudic. vocatorum ex testamento. etc., dummodo non sint sortitae effectum, et revocatio facultatum legitimandi in praeiudicium vocatorum ex testamento etc.

§ 2. Nos, illa, utpote contra ius et aequum existentia, de cetero ne fiant opportune providere, necnon eorum, quos hoc ipsum tangit ac tangere poterit quomodolibet in futurum, indemnitati consulere volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia ac potestatis plenitudine, omnes et singulas legitimationes de quibuscumque naturalibus spuriis per Romanos Pontifices praedecessores praefatos ac comites palatinos huiusmodi et quoscumque alios ad id facultatem habentes, in praeiudicium vocatorum ex fidei-

commisso aut testamento vel quavis alia valida tamen dispositione, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis verborum formis et expressionibus, ac efficacissimis et insolitis clausulis et etiam [1] motu simili, etiam consistorialiter, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam cum derogatione regulae seu constitutionis de non tollendo iure quaesito, ac aliis cautelis quomodolibet factas (nondum tamen, adhuc viventibus ultimis bonorum huiusmodi possessoribus, per quorum obitum ad legitimos praedictos devolvi deberent, effectum sortitas, nec ius in re consecutas), necnon eorumdem comitum palatinorum et aliorum facultates legitimandi habentium, ad hoc tantum ut deinceps tales legitimationes in praeiudicium fideicommissorum et aliarum dispositionum huiusmodi facere non possint, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo revocamus, cassamus et annullamus.

Extinctio litium pendentium circa eas.

§ 3. Necnon quascumque lites et controversias, quas, illarum status et causarum merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium praesentibus pro sufficienter expressis habentes, in Romana Curia vel extra eam super praemissis motas et indecisas pendentes, in statu et terminis, in quibus reperiuntur, harum serie ad nos advocamus, cassamus et extinguimus.

Inhibitio contra comites palatinos et alios legitimandi facultatem habentes ne praesumant legitimare contra formam huius constitutionis.

§ 4. Necnon partibus litigantibus et iudicibus, coram quibus illae pependerunt, seu forsan adhuc pendent indecisae, perpetuum silentium imponimus, iuxta declarationem praedictam, ac imponi volumus et mandamus. Districtius inhibentes eisdem iudicibus ne in eisdem causis, necnon comitibus palatinis ac aliis facultatem legitimandi huiusmodi habentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub nostrae indignationis, quoad comites et alios facultatem legitimandi huiusmodi, etiam aliter quam ut praefertur, habentes, et aliorum quorumcumque illorum facultatum, privilegiorum et indultorum cassationis, annullationis et totalis revocationis, necnon decem millium ducatorum auri de Camera, quoties contravenerint, ipsi Camerae Apostolicae applicandorum, poenis, similibus de legitimationibus deinceps se respective, contra dispositionem et declarationem nostram huiusmodi, intromittere quoquo modo audeant seu praesumant.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes comites palatinos et alios quoscumque legitimandi facultatem habentes, ut praefertur, nullas in praeiudicium fideicommissorum et voluntatum testatorum huiusmodi legitimationes in posterum facere posse, et aliter factas et forsan faciendas, iuxta dispositionem [1] nostram huiusmodi, restringi et limitari. Ac sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores seu eorum locatenentes ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, interpretari, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a dictis comitibus et iudicibus vel quibusvis aliis, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quaesito, quatenus opus sit, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictis et quibusvis aliis facultatibus, privilegiis, indultis et literis apostolicis eisdem comitibus palatinis et quibusvis aliis, etiam pari motu ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris,

[1] *Et etiam irritantibus decretis, etiam motu etc.*, Cherub. (R. T.).

[1] *Dispositionem et declarationem*, Cherub. et Matth. (R. T.).

hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, a praedicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet dictae Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam, praesentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi literarum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Haec constitutio ligat ubique quoad legitimationes factas auctoritate apostolica; quo vero ad alias factas imperiali concessione, ligat in terris Romanae Ecclesiae subiectis.

§ 7. Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam deducantur, nec aliqui de illis ignorantiam aliquam praetendere valeant vel allegare, volumus ipsas praesentes literas, quoad legitimationes apostolica auctoritate factas, ubivis locorum; quo vero ad illas, quae ex imperiali concessione factae fuerunt, in terris nobis et Romanae Ecclesiae mediate et immediate subiectis, in casibus, in quibus illa in terris huiusmodi de iure fieri permittitur, locum habere et effectum sortiri debere, necnon in valvis Cancellariae Apostolicae ac acie Campi Floræ affigi et publicari ac eos quos concernunt perinde arctare ac si eis personaliter intimatae forent, cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum quod tam patenter extitit publicatum.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo primo, kalendis ianuarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 ianuarii 1561, pontif. anno II.

XXX.

Confirmatio et extensio iurisdictionis praesidentis et camerarii Riparum almae Urbis in causis civilibus et criminalibus, et etiam indultorum nautarum et mercatorum Ripalium [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Paulus III et alii his mercatoribus indulta concesserunt, ut in eius bulla citata in nota ad rubr.

Cupientes, pro communi ac publica utilitate et commodo Urbis nostrae, et praecipue curialium, incolarum, mercatorum et nautarum in Romana nostra Ripa et Ripetta commercia exercentium, favoribus incumbere, et scientes etiam alias per felicis recordationis Innocentium VIII, Leonem X, Clementem VII et Paulum III, Romanos Pontifices praedecessores nostros, fuisse statutum et ordinatum, ut favorabilius dictis mercatoribus et nautis liceret mercaturam profiteri, quod possent uti omnibus gratiis et privilegiis ab antiquo illis concessis contra et adversus eorum debitores bonaque illorum et haeredes, occasione rerum ripalium, ut latius in literis dictorum praedecessorum nostrorum dicitur contineri.

Hic Pontifex ea approbat;

§ 1. Nos, attendentes quod favorabilibus et publicis utilitatibus est succurrendum, et per contrarium fraudibus, calliditatibus et cavillationibus obviandum, maxime illorum, qui curant et student perniciose protrahere causas, retardare solutiones et impedire executiones, et indemnitatibus publicis ac dictorum mercatorum et nautarum curiaeque Ripae et Ripettae consulere; et volentes illos et illas specialis gratiae favore prosequi, motu simili et ex certa scientia *etc.*, concessiones, gratias, indulta et privilegia, literas, statuta et capitula omnesque alias sententias latas per Cameram nostram, et inter ipsos mercatores et dohanerios gabellae vini et

1 Hanc iurisdictionem et indulta vide in constitutione Pauli III, *Cum nobis*, tom. VI, pag. 194.

omnia alia inserta in dictis statutis et consuetudinibus ripalibus, in favorem dictae curiae et mercatorum et nautarum, et inde secuta quaecumque, apostolica auctoritate confirmamus et approbamus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus. Omnesque et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac solemnitates omissas, si quae omissae sunt, supplemus.

Iurisdictionemque causarum civilium extendit;

§ 2. Ac volentes inconvenientiis obviare, quae saepe oriuntur a male forsan iudicantibus, gratias nostrorum praedecessorum concessas huiusmodi nostro tribunali ac illius nautis et mercatoribus, motu propio et ex certa scientia et plenitudine potestatis, declaramus nostrae intentionis esse ac nostrorum praedecessorum quod omnes causae, tam introductæ [1] in dicto tribunali, in prima instantia, occasione rerum ripalium vel ab illis emergendae, dependendae, annexorum et connexorum, et causa pretii illorum, de quibus certa habetur fides, ac quomodocumque et qualitercumque, licite tamen et honeste, fuerit contractum et conventum inter ipsos mercatores, nautas et alios eorum debitores, commercia pro rebus ripalibus cum illis habentes, quod dictae causae et lites non possent modo aliquo in dicta prima instantia (ubi tamen non est deneganda appellatio), per statuta et consuetudines ripales, etiam per dependentes vel ratione universalis iudicii, excussionis haereditatum et bonorum seu dotium, intentari, introduci neque reassumi in aliquibus aliis curiis Urbis nostrae, sed omnino debeant finiri et determinari in dicta Curia Ripæ et Ripettæ per camerarium eiusque notarium et officiales, et in arduis, et ubi cadit punctus iuris, habito consilio sapientis, iuxta formam dictorum statutorum de huiusmodi loquentium, si opus fuerit. Et sic etiam de contractibus, pactionibus et conventionibus habitis quocumque locorum, etiam in finitimis provinciis.

Et criminalium ampliat;

§ 3. Et simili motu proprio volumus quod omnes causae mixtae et criminales inclusive, etiam usque ad ultimum supplicium, pro omnibus excessibus, delictis et homicidiis in dicta Ripa perpetratis, tam in mari quam in dicta Ripa et eius districtu et pertinentiis, et quocumque locorum in mari, tam contra res et merces destinatas ad Ripam praedictam vel ad nostrum portum Civitatis Vetulae per nautas vel alios, etiam quod per terram postea ex aliquo portu pervenerint ad Urbem nostram seu nostram Ripam vel Ripettam, cognoscantur per camerarium dictae Ripae, ac supra et debito fine terminentur, et incidenter contra quoscumque facinorosos homines et nautas habeat merum et mixtum imperium, animadversionem et gladii potestatem, prout olim habuit et in praesentiarum habet, quam potestatem confirmamus, et, quatenus opus sit, dicto camerario et eius Ripae et Ripettae concedimus. Decernentes irritum et inane quidquid in contrarium attentari contigerit in futurum.

Clausulae præservativae.

§ 4. Volumus etiam quod praesenti motui proprio nostro, per quamcumque nostram signaturam, etiam motu proprio emanatam et in futurum emanandam, etiam si de eorum clausulis derogatoriis mentio fiat, nisi illius expressa mentio de verbo ad verbum habeatur, nullatenus derogatum censeatur. Declaramus etiam nostrae intentionis numquam fuisse, per quemdam nostrum motum proprium confirmatorium capitulorum gabellae Studii *etc.*, velle auferre beneficium praelationis, prioritatis et dominii ipsorum mercatorum et nautarum in rebus ac vinis existentibus, iuxta tenorem motus proprii felicis recordationis Pauli III, praedecessoris nostri, sed fraudibus tantum obviare.

1 *Tam introductae quam introducendae,* Cherub. (R. T.).

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo Palatii, statutis ac novis reformationibus Urbis, ac literis a nobis emanatis, privilegiis, indultis et aliis facultatibus forsan concessis, quovis modo debitoribus dictorum mercatorum et nautarum, occasione rerum praedictarum, ac aliis, et pro tempore auditori Camerae Apostolicae, vicario, gubernatori, senatori Urbis, collateralibus illius ac aliis iudicibus Urbis et illorum curiis, et forsan dohaneriis gabellae Studii, etiam per nos concessis, innovatis et approbatis et concedendis *etc.* Quibus omnibus *etc.*, ac si eorum tenores *etc.*, hac vice dumtaxat derogamus.

Iussio describendi in statutis.

§ 6. Praesentemque nostram constitutionem, cui non derogatum [1] per quamcumque signaturam, et in qua omnia et singula decreta, formas et alia in dictis motibus propriis contenta, descripta et repetita censeri debere, volumus in volumine statutorum dictae Curiae Ripae et Ripettae describi et registrari; et eius signatura, in iudicio et extra, ubique fidem faciat et sufficiat, regula contraria non obstante.

Poenae contravenientium.

§ 7. Mandantes omnibus quatenus, sub excommunicationis sententia et mille ducatorum auri *etc.* ipso facto incurrendis, toties quoties contraventum fuerit, et processus sit ipso iure nullus. Et ita servari inviolabiliter mandamus.

Placet, motu proprio. I.

Videatur in Camera. I.

Camerae approbatio.

Videtur concedenda. L. de Torres in plena Camera.

XXXI.

Deputatio et facultates cardinalis camerarii cognoscendi cum voto congregationis quascumque causas interesse Reverendae Camerae Apostolicae tangentes ac revidendi computa officialium, et aliorum etiam iam solidata et decisa, et contractus laesionem eiusdem Camerae continentes rescindendi, ac bonorum detentores coercendi [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Exordium.

Romanum decet Pontificem, ex iniuncto sibi desuper pastorali officio, solerti diligentia procurare ne res et iura Camerae Apostolicae, fraude, malitia et perfidia nonnullorum, detrimentum aliquod patiantur, sed ut malitiis seu fraudibus perfidiaque eorum detectis, propterea punitis, castigatis, damnisque, eorum fraude et malitia huiusmodi dictae Camerae illatis, refectis, meliora maioraque in dies efficiantur, etiam opem et operam impendere efficaces.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, diversi Sedis Apostolicae nuncii, ac iurium, rerum et bonorum Camerae Apostolicae praefatae collectores, subcollectores, exactores, administratores, officiales et commissarii, necnon thesaurarii, tam in alma Urbe nostra et Statu nostro Ecclesiastico, quam diversis aliis, etiam ultra maria et montes, regnis, provinciis et dominiis, per nos et diversos alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, sive sanctae Romanae Ecclesiae camerarios aut eiusdem Status nostri superintendentes pro tempore existentes, vel praedictam Cameram seu alias a ministris nostris deputati, illorumque ministri et forsan aliae personae Romano Pontifici pro tempore existenti et dictae Camerae seu eius officialibus de suis administrationibus et gestis rationem reddere debentes, suarum administrationum et rationum et in Camera praedicta seu alibi exhibitis et praesentatis libris et computis, dubitan-

1 *Derogatur*, Cherub. (R. T.).

1 De cognitione huiusmodi causarum, vide constitutionem X Pauli III, *Non sine*, tom. VI, pag. 217. Et de redditione ac revisione huiusmodi computorum, vide in eiusdem Pauli constitutione LII, *Cum sicut*, pag. 370.

tes per eorumdem computorum exactam discussionem et diligentem examinationem eidem Camerae debitores reperiri et declarari, et ad reliqua restituendum cogi, et aliquando eorum fraudes detegi et pro praemissis debitis poenis affici, eadem computa calculari, discuti, examinari, solidari et declarari neglexerint et procrastinaverint, negligantque et procrastinent de praesenti; multi etiam dictorum computorum exhibitionem et solidationem distulerint et differant, quosque [1], ob Pontificum et officialium mutationem, quam in Curia Romana saepius evenisse et quotidie fieri experientia docuit, iudices, talium computorum ignaros, rationales sive alios pro eadem Camera agentes sibi propitios et faventes obtinuerint et obtineant, ex quorum postea iniuria [2], seu ipsis mutua quadam devinctis amicitia, computa praedicta secundum ipsorum administratorum etiam iniustam voluntatem calculari, solidari et declarari saepe saepius contingit, multaque non admittenda admissa fuerint et admittantur, et quamplurima in fraudem eiusdem Camerae occultentur; necnon plerique alii varia et diversa credita contra Cameram praedictam confingentes, ac antiqua ac forsan bis soluta et extincta repetentes, ac forsan, facta collusione cum praetensis creditoribus, parvo pretio illa et mandata cameralia desuper expedita redimentes, adveniente Sedis vacantis tempore, quo de Patrimonio Beati Petri et aliis provinciis sanctae Romanae Ecclesiae subiectis non ita, sicut vivente Romano Pontifice, diligenter exacta cura habetur, ab eadem Camera, etiam praecedentibus illicitis forsan modis, procuratis sacri collegii cardinalium vel illius capitis ordinum mandatis, super dictis confictis redemptis, sive aliis praetextibus ex donatione liberali seu servitorum remuneratoria obtentis, multas et notabiles pecuniarum summas indebite et minus iuste exegerint, ac per varias artes, favores et illicitos modos extorserint, ex quo dicta Camera ad illorum satisfactionem nullatenus tenebatur; quodque, ad praefatas fraudes et indebitas pecuniarum exactiones et aliarum rerum extorsiones colorandas, Romanis Pontificibus postea ad summum apostolatus apicem statim assumptis, ab eisdem in principio suorum pontificatuum obreptitie et subreptitie mandata, cedulas et diversas alias literas, etiam motu proprio, indebitarum solutionum confirmatorias, revalidatorias et praeceptorias obtinuerint et obtineant, prout etiam forsan a nobis, diversis temporibus, subreptitie tamen et fraudulenter obtinuerunt. Multique, sub diversis coloribus, et confictis exemptionum privilegiis, a nobis et diversis Romanis Pontificibus obtentis, ab annuis censibus et impositionibus, etiam subsidii triennalis, necnon iuribus, etiam quindenniorum, Camerae praedictae debitis, se subditosque suos de facto eximentes, ab illorum debita solutione et solita contributione subtraxerint et subtrahant, multaque castra, oppida, territoria, villas, nemora, paludes, montes, bona et iura, etiam regalia nostra et praedecessorum nostrorum, ac ad nostrum et eorum supremum dominium sive ad illius recognitionem spectantia et pertinentia, nulla saltem legitima praecedente causa, a quamplurimis communitatibus, universitatibus, ducibus, marchionibus, comitibus aut particularibus personis de facto occupaverint et detinuerint, ac in praesentiarum detineant et occupent in maximum sanctae Romanae Ecclesiae et eiusdem Camerae damnum et praeiudicium ac sacri apostolici patrimonii et aerarii diminutionem, quod eum, ob praefatas pecuniarum profusiones et bonorum ac castrorum supradictorum indebitas occupationes,

1 *Quousque*, Cherub. (R. T.). 2 Forte legi debet *incuria* (R. T.).

semper exhaustum reperiatur et defraudetur.

Deputatio et facultates camerarii cognoscendi, una cum quinque deputatis, causas concernent. interesse Camerae Apostolicæ;

§ 2. Et propterea eiusdem Camerae indemnitati providere, ipsamque a similibus gravaminibus et extorsionibus, ac similiter illos, qui circa praedicta aliquo modo oppressi fuissent, relevare cupientes, ac de fide, industria, doctrina, sufficentia singularique rerum experientia dilecti filii nostri Vitellotii, S. Mariae in Via-Lata diaconi cardinalis Vitellii nuncupati, eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerarii, plurimum in Domino confidentes, eidem Vitellio cardinali et camerario, motu simili et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, committimus et mandamus quatenus, adhibitis secum venerabili fratre nostro Annibale, archiepiscopo Avinionensi, eiusdem Camerae clerico, et dilectis filiis Donato Matthaeo Minali, thesaurario nostro generali, et Francisco de Grassis, familiari nostro, ac Iannotto Castiliono, militiae S. Lazari Hierosolymitani magno magistro, et magistro Paulo Odescalco, utriusque signaturae nostrae referendario et Cancellariae Apostolicae correctore, ac de eorum seu maioris partis illorum insimul congregatorum voto et assensu, cum praesentia et assistentia venerabilis fratris nostri Aloysii, episcopi Montis Pilosii, Camerae praedictae generalis commissarii, omnes et quascumque causas civiles et criminales seu mixtas, profanas et spirituales, beneficiales seu similiter mixtas, in quibus directe vel indirecte fisci et Camerae praedictae interesse seu praeiudicium vertatur, seu quomodolibet vertere sibi cum eiusdem congregationis voto videbitur, indecisas pendentes, etiam instructas coram quibuscumque iudicibus ordinariis seu etiam auctoritate apostolica delegatis, etiam si sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac Curiae causarum Palatii Apostolici auditores pro tempore fuerint, et hodie etiam reperiantur, seu etiam in Camera nostra Apostolica, in statu et terminis, in quibus pro tempore reperientur et de praesenti existunt, ad se de voto dictae congregationis seu maioris illius partis advocet, illasque et omnes alias, quas praefatus Aloysius episcopus et commissarius coram eo proponet, moverequc et proponere volet et intendat, contra quascumque personas ecclesiasticas, saeculares et quorumvis Ordinum regulares, cuiuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiae et conditionis fuerint, etiam si cardinalatus honore aut patriarchali, archiepiscopali, episcopali, ducali, marchionali, comitali vel quacumque alia dignitate, excellentia et praerogativa praefulgeant, et quocumque nomine nuncupentur, etiam communitates quarumcumque civitatum, metropolitan. [1] universitates, conventus, congregationes et collegia quaecumque, etiam capita Ordinum quorumcumque, una cum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis ac toto negocio principali, audiat et cognoscat, et cum praedictorum voto et assistentia, iustitia mediante, terminet.

Computaque ministrorum et aliorum, etiam solidata, revidendi;

§ 3. Ac quaecumque computa, quae tamen ex rationabili causa eidem Vitellotio cardinali et camerario, de voto eiusdem congregationis, revidenda videbuntur, etiam per praedictam Cameram sive illius officiales et quoscumque alios et saepius solidata, declarata et decisa, etiam si Romanorum Pontificum et nostram confirmationem, liberationem et absolutionem contineant, diligenter revideat, de novo calculet et calculari faciat et, ac si numquam solidata et declarata fuerint, mediante iustitia, discutiat, declaret et terminet, ac quaecumque admissa et in fraudem, damnum, laesionem eiusdem Camerae quomodolibet gesta, auctoritate nostra, revocet et retractet.

1 *Etiam metropolitan.*, Cherub. (R. T.).

Contractus laesionem Camerae Apostolicae continentes rescindendi;

§ 4. Omnesque contractus super locationibus et alienationibus ac investituris bonorum et iurium, etiam quorumcumque feudorum praedictae Camerae, etiam cum Romanis Pontificibus et Sede Apostolica quomodolibet celebratos, recognoscat, et laesionem eiusdem Camerae continentes rescindat et annullet, nullosque et irritos, prout iuris fuerit, decernat et declaret.

Detentoresque bonorum eiusdem Camerae coercendi;

§ 5. Ac quaecumque castra, oppida, territoria, villas, nemora, paludes, montes et alia loca dominii directi vel utilis sanctae Romanae Ecclesiae vel Camerae Apostolicae, indebite a quibusvis particularibus personis, quacumque dignitate, excellentia et praerogativa fulgentibus, seu etiam communitatibus, universitatibus et collegiis occupata vel illicite detenta, ad eadem Camerae praedictae dimittendum et relaxandum, sub poenis et censuris arbitrio suo moderandis et exequendis, etiam prout iustum sibi videbitur, cogat et compellat.

Et manu regia et appellat. remota *etc.* procedendi.

§ 6. Et ut facilius hoc exequi possit, quoscumque quorumcumque bonorum, castrorum, oppidorum, territorium [1], villarum, nemorum, paludum, montium et aliorum iurium eiusdem Camerae detentores et occupatores, ad titulum iustum suae detentionis et occupationis huiusmodi, intra tempus seu terminum arbitrio suo praefigendum, coram se exhibendum mandet et faciat, quo termino elapso et titulo non exhibito, ad incorporationem bonorum huiusmodi de simili voto, prout tamen alias iuris fuerit, procedat. Cum facultate, de simili voto eiusdem congregationis, eisdem in causis summarie, sola facti veritate inspecta, omni et quacumque appellatione remota, etiam manu regia, ac si nos ipsi in eisdem causis iudicaremus, procedendi, et contra repertos dictae Camerae debitores, fraudatores et ipsius iurium et rerum occupatores, castrorum et aliorum bonorum detentores, et quomodolibet delinquentes vel census solvere cessantes, aut legitimis investituris et titulis carentes, sive illos non exhibentes, eos in caducitatis feudorum, beneficiorum et privationis bonorum poenas incurrisse declarandi, procedendi et cum effectu exequendi, etiam per distractionem bonorum et capturam pignorum et tenutarum ac personarum; ipsasque personas compellendi ad dictae Camerae integram satisfactionem, ac debitis poenis, etiam corporalibus et decupli, ac alia, prout in motu proprio felicis recordationis Pauli Papae III, praedecessoris nostri, quem etiam per praesentes confirmamus et, quatenus opus sit, innovamus, et coram cardinale et congregatione huiusmodi locum habere decernimus, puniendi, poenasque, iuxta demeritorum et personarum qualitates, etiam corporis afflictivas, augendi, minuendi, commutandi et exequendi. Ac dictam Cameram ad sua bona et iura, castra, territoria sive illorum plenariam possessionem reponendi, reintegrandi et restituendi, cum potestate citandi, etiam per edictum publicum, ac sub sententiis, censuris et ecclesiasticis ac pecuniariis poenis, arbitrio suo moderandis, etiam simili edicto inhibendi, et monitoria ad personaliter et non per procuratorem coram se comparendum, sub similibus poenis decernendi et relaxandi. Ac monitionibus et inhibitionibus suis inobedientes, censuras et poenas in eis contentas incurrisse declarandi, ipsasque censuras etiam iteratis vicibus aggravandi, ac auxilium brachii saecularis, quoties opus fuerit, invocandi. Aliaque omnia gerendi, faciendi, exercendi et exequendi, quae in praemissis et circa ea sibi, cum voto congregationis praedictae, necessaria visa fuerint et opportuna.

§ 7. Mandantes omnibus et singulis in

1 *Territoriorum*, Cherub. (R. T.).

Officiales Status Ecclesiastici obediant mandatis camerarii.

Statu nostro Ecclesiastico ac quibusvis aliis locis, nobis et dictae Sedi mediate vel immediate subiectis, gubernatoribus, thesaurariis, ac quibusvis aliis regnis, provinciis et dominiis, iurium eiusdem Camerae collectoribus, subcollectoribus, exactoribus, commissariis, administratoribus et officialibus, illorumque ministris ac quibusvis aliis personis, in virtute sanctae obedientiae, et sub maioris excommunicationis latae sententiae, eo ipso, absque alia declaratione incurrendis, necnon quorumcumque feudorum, beneficiorum et bonorum privationis ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac duorum millium ducatorum auri de Camera, eidem Camerae applicandorum, et aliis eidem Vitellotio cardinali et camerario benevisis poenis, quatenus mandatis et monitionibus Vitellii cardinalis et camerarii in praemissis pareant et obediant, illique ac dictae congregationi, quantum in eis fuerit, assistant; ac inhibentes praefatis iudicibus ne, sub similibus poenis ex nunc, prout ex tunc et e contra, postquam ipse Vitellius [1] cardinalis causam, coram eis pro tempore pendentem, ad se, vigore praesentis motus proprii, advocaverit, ulterius ad quorumvis instantiam procedere debeant sive praesumant.

Decretum irritans.

§ 8. Decernentes quicquid desuper per eos seu quoscumque alios, et S. R. E. cardinales, aut eiusdem Palatii auditores, scienter vel ignoranter, praesumptum fuerit, irritum et inane.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac privilegiis, facultatibus, indultis, concessionibus, donationibus, confirmationibus, exemptionibus, absolutionibus et literis apostolicis eisdem nunciis, gubernatoribus, administratoribus, officialibus, ministris, communitatibus, universitatibus, collegiis et aliis personis praedictis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac forsan nos et Sedem ac Cameram praedictas, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et motu et scientia similibus et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis. Quibus omnibus, illorum tenores *etc.* pro sufficienter expressis habentes, motu simili, specialiter et expresse derogamus, illaque revocamus, cassamus et annullamus, irritaque decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque. Et ut facilius et melius quae per eumdem Vitellotium cardinalem et camerarium ac dictam congregationem decreta et ordinata fuerint executioni demandari possint et valeant, Donato Matthaeo Minali praedicto, moderno, et pro tempore existenti thesaurario nostro generali, committimus et mandamus ut quascumque pecunias, pro praemissis necessarias et opportunas, de mandato tamen eiusdem Vitellotii cardinalis et camerarii solvendas, exburset et persolvat, ac persolvi faciat cum effectu. Quas quidem pecunias sic pro tempore solutas, nos in computis suis bonas faciemus et approbabimus, perinde ac si de mandato nostro solutae fuissent, prout per praesentem motum proprium approbamus et pro approbatis habemus.

Facultas camerarii deputandi officiales dictae congregationis.

§ 10. Nos enim eidem Vitellotio cardinali et camerario quoscumque commissarios, notarios, secretarios, officiales, cursores, computistas seu calculatores, cum salario et provisione sibi benevisa, tam in alma Urbe nostra quam ubique locorum, cum simili aut limitata potestate, creandi, constituendi et deputandi, qui ex tunc, prout ex ea die et e contra, postquam ab eodem Vitellotio cardinali et camerario creati, constituti et deputati fuerint, a nobis creati, deputati et constituti esse censeantur, plenam et liberam licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

§ 11. Volumus autem quod praesentis

1 *Vitellotius* hic et paullo ante Cherub. (R. T.).

Sola signatura sufficit.

nostri motus proprii, etiam absque illius data et registratura, sufficiat [1] et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula seu constitutione apostolica contraria non obstante.

Placet, motu proprio. I.

XXXII.

Confirmatio constitutionum a Pio II, Paulo II, Sixto IV, Iulio II, Leone X et Clemente VII editarum contra homicidas et bannitos eorumque fautores et complices, ac dominos et communitates non custodientes eorum territoria a bannitis, furibus etc.; et revocatio quarumcumque facultatum gratiandi homicidas, aut cum eis componendi.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

In eminenti Sedis Apostolicae specula, divina disponente clementia, licet immeriti, constituti, inter multiplices nostrae sollicitudinis curas, quibus assidue premimur, illam pro nostro pastorali officio in primis suscipere debemus, per quam omnes christifideles, praesertim nostri et S. R. E. devoti et peculiares filii, quiete et pacifice et sine aliqua offensione vivere valeant. Unde nos ad id operarias manus libenter apponimus, ac illa, quae pro eorum felici, prospero ac pacifico statu per Romanos Pontifices praedecessores nostros facta fuisse comperimus, non solum apostolico munimine roboramus, verum etiam, pro illorum maiori observantia, innovamus ac de novo statuimus et ordinamus, ac poenas adiicimus, ut, si non virtutis amore, saltem formidine poenae, mandata apostolica arctius serventur, et alias desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VII, praedecessore nostro, emanarunt literae tenoris subsequentis. *Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In sancta Beati Petri Sede* [1].

Clem. VII edidit constitutionem de qua hic.

§ 2. Cum nos, post nostram ad summi apostolatus apicem assumptionem, ob non observationem dictarum praedecess. literarum, bellis, quibus non solum civitates, terrae et loca temporali dominio eiusdem Romanae Ecclesiae subiecta, sed etiam totius Italiae superioribus annis, magno cum omnium in eis habitantium incommodo, vexata fuerunt, id forsan causantibus, in eisdem civitatibus, terris et locis ac etiam in alma Urbe nostra intestina et diuturna odia ac discordias civilesque dissensiones vigere, ac furta, latrocinia, homicidia passim perpetrari cognoverimus; ac mente revolventes praefatos Pium, Paulum, Sixtum, Iulium, Leonem, Clementem, praedecessores, ad tranquillum et felicem statum, necnon commoda, tam personarum eiusdem Urbis quam aliarum civitatum, terrarum et locorum eidem Romanae Ecclesiae subiectorum aciem suae considerationis extendisse, illorum exemplo moti, animum ad sedandum discordias et odia, tam in Urbe quam in aliis civitatibus, terris et locis dictae Ecclesiae subiectis praedictis, et ad firmandam perpetuam pacem et quietem, pro dictorum subditorum commodis, applicaverimus, et ut praemissa facilius votivum consequi valeant effectum, literas praedictas omnino observandas esse decreverimus. Habita igitur super his cum fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, ac de illorum unanimi consilio et assensu, singulas Pii, Pauli, Sixti, Iulii, Leonis et Clementis praedecessorum literas huiusmodi, cum statutorum, ordinationum, extensionum, ampliationum, revocationum, cassationum,

Hic modo Pontifex confirmat constitut. Pontificum *(de quibus in rubr.)*;

[1] *Sola signatura sufficiat*, Cherub. (R. T.).

[1] Omittitur tenor istius constitutionis, quia habetur in tomo VI, pag. 69.

irritationum, annullationum decretorum, confiscationum, incorporationum, applicationum, voluntatum, hortationum, requisitionum et mandatorum, ac omnibus et singulis aliis in eis respective contentis clausulis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et innovamus, ac perpetua roboris firmitate subsistere et per singulos, quos literae ipsae concernunt, in futurum, sub excommunicationis, anathematis, maledictionis, infamiae, suspensionis, diffidationis, criminis laesae maiestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis, depositionis, privationis, inhabilitatis et interdicti ac aliis censuris et poenis ecclesiasticis et temporalibus, ac corporis afflictivis in eisdem literis contentis, quas contravenientes eo ipso incurrant, perpetuo inviolabiliter observari.

Easque extendit, et hic;

§ 3. Illasque etiam ad homicidas, sicarios, exititios, criminosos, rebelles aliosque infames propter homicidia et alia nefanda per eos perpetrata, excessus, crimina et delicta, etiam ad hoc ut ipsi in civitatibus, terris, castris vel locis eorum, seu in quibus tunc morabantur banniti et condemnati, etiam habita pace ab haeredibus, filiis seu consanguineis occisorum aut partium laesarum, non solum a locis circumvicinis usque ad quinquaginta milliaria, sed etiam ab omnibus et singulis civitatibus, terris, castris et locis, etiam regni et partium praedictarum nobis et dictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate quomodolibet subiectis, banniti et exules sint et esse censeantur, nec in illis seu eorum aliquo, etiam praetextu cuiusvis licentiae, salviconductus, remissionis, reductionis, revocationis vel alterius gratiae per eos desuper quomodolibet pro tempore obtentæ, moram trahere possint; et si in eis resederint vel reperti fuerint, capi et detineri et incarcerari, ac iuxta criminum et excessuum per eos perpetratorum qualitatem et literarum Pii et Clementis, praedecessorum huiusmodi, tenorem, sub poenis in eisdem literis contentis, per officiales civitatis, terrae, castri vel loci, in qua vel quo deprehensi fuerint, debitis poenis plecti, seu inde educi, et ad forum seu officiales, ad quos criminum seu excessuum eorumdem punitio de iure vel consuetudine pertinet, remitti debeant, extendi et ampliari debere, et in eis locum habere decernimus.

Receptatoribus eorum et fautoribus poenas imponit;

§ 4. Et nihilominus praemissa omnia et singula, prout per Pium, Paulum, Sixtum, Iulium, Leonem et Clementem, praedecessores praefatos, statuta, ordinata, extensa, ampliata, revocata, cassata, annullata, inhibita, decreta et declarata fuerunt, etiam ad hoc ut duces, barones, marchiones, comites, domini temporales, vicarii, feudatarii, capitanei, magnates, principes, communitates, cives, officiales et personae, ac alii, quos praedictae et praesentes literae concernunt, ac ipsorum singuli literas et in eis contenta huiusmodi non observantes, et illis, directe vel indirecte, quomodolibet contravenientes, ac eis adhaerentes, eorumque fautores et complices, singulas censuras et poenas praedictas eo ipso, absque aliqua declaratione, incurrant et incurrisse censeantur. Ipsique duces, barones, marchiones, comites, domini in temporalibus, vicarii et feudatarii civitatum, terrarum, castrorum et locorum, etiam regni et partium praedictorum, nobis et eidem Ecclesiae immediate subiectorum, aliquos nostros et dictae Ecclesiae hostes et inimicos aut subditos, exules, bannitos et facinorosos, cuiuscumque status vel conditionis fuerint, publice vel occulte, ullo umquam tempore recipere vel acceptare nullatenus praesumant; et si aliquos ad eorum dominia et territoria confugere contigerit, illos ex eorum dominiis vel territoriis huiusmodi expellere, seu ad simplicem iussionem vel requisitionem nostram et successorum nostrorum, quo volueri-

mus, seu successores ipsi voluerint, tute conduci facere. Ac quod praemissa a suis subditis inviolabiliter observentur, omni excusatione cessante, cum effectu curare, sub similibus privationis et rebellionis ac criminis laesae maiestatis poenis, si contrafecerint, eo ipso incurrendis.

Baronibus et communitatibus praecipit ut eorum territoria expurgent ab homicidis;

§ 5. Necnon, ut homicidae, fautores et complices praefati facilius capi et puniri possint, quod communitates civitatum et universitates terrarum, castrorum et locorum, in quibus seu quorum territorio, districtu et ditione dicta homicidia perpetrabuntur, sub paribus interdicti ecclesiastici et duorum millium per communitates, ac mille ducatorum per universitates; necnon civitatum, terrarum et locorum eorumdem domicelli, barones, vicarii aut alii in temporalibus domini, sub maioris excommunicationis latae sententiae et quinque millium ducatorum auri praefatae Cameræ irremissibiliter applicandorum, eo ipso, absque alia declaratione, incurrendis poenis, eosdem homicidas, complices et fautores statim capere, ac omnem exactissimam diligentiam, de qua per publica documenta fidem etiam facere teneantur, capi facere; et si eos capere nequiverint, statim commissum homicidium universitatibus seu incolis et habitatoribus oppidorum et locorum circumvicinorum, ad quae declinabunt seu declinare poterunt, notificari; communitates vero et domini in temporalibus praedicti, ad quorum ditiones tales declinabunt, cum primum id ad eorum notitiam devenerit, eos apprehendere seu apprehendi facere; quod si non potuerint, similiter id universitatibus seu incolis et habitatoribus vicinorum locorum, ad quae declinabunt, aut verisimiliter declinare poterunt, insinuare, et captos ad eorum iudices ordinarios traducere et tradere, sub similibus poenis teneantur et debeant, de novo statuimus, ordinamus, inhibemus et declaramus.

Facultates homicidas gratiandi revocat 1;

§ 6. Et similiter quibusvis dictae Sedis legatis, etiam de latere, ac nunciis et provinciarum rectoribus, necnon nostris et dictae Romanae Ecclesiae vicariis in temporalibus pro tempore existentibus et praefatis communitatibus, omnem super absolutionibus homicidarum huiusmodi, per nos et praedecessores nostros ac Sedem eamdem, sub quavis forma et verborum expressione, concessam, approbatam et innovatam auctoritatem et facultatem revocamus, cassamus, irritamus et annullamus; et si quando similes absolutiones per nos et successores nostros Romanos Pontifices et Sedem praefatam concedi contigerit, illas per iudices et officiales, ad quos pertinet, nisi trinae literae apostolicae, sub intervallo unius mensis pro singulis literis huiusmodi, cum expressa derogatione præsentium, desuper emanaverint, nullatenus admitti vel observari volumus.

Executores deputat.

§ 7. Quocirca dilectis filiis Guidoni Ascanio, S. Mariae in Via-Lata diacono cardinali de Sancta Flora nuncupato, nostro et pro tempore existenti camerario et Camerae praedictae thesaurario, praesidentibus, clericis ac universis et singulis legatis et vicelegatis provinciarum nostrarum et aliis rectoribus ac officialibus civitatum, terrarum et partium praedictarum, nobis et dictae Sedi mediate vel immediate subiectorum, motu simili mandamus quatenus praesentes literas solemniter in singulis provinciis, civitatibus, terris et locis praedictis publicari, necnon omnia et singula in eis contenta inviolabiliter observari faciant et mandent. Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus et præeminentiae fuerint, sententias, censuras et poenas praedictas damnabiliter incurrisse declarent, et declarationem huiusmodi per eos faciendam in libris maleficiorum conscribi et adnotari mandent et faciant, necnon capitales prae-

1 Ad hoc vide declarationem hic infra.

dictas sententias a ministris iustitiae, absque alicuius incursu irregularitatis, exequi procurent, realiter ac irremissibiliter exigant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; necnon pro exactione poenarum pecuniariarum huiusmodi contra communitates et universitates, ac in eorumdem inobedientium in temporalibus dominorum vassallos, propter eorum huiusmodi inobedientiam, represalias concedant, necnon realiter et cum effectu exequi faciant. Attentius hortantes et requirentes in Domino barones et domicellos ac in temporalibus dominos dicti regni necnon illius provinciarum, civitatum et locorum gubernatores et officiales pro tempore existentes, ut praefatos homicidas, fautores et complices capiant, et capi procurent, captosque ad praesides nostrarum provinciarum, unde ipsi homicidae, fautores et complices originem traxerunt, conduci et eis realiter consignari similiter cum effectu faciant.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis quae dicti praedecessores in praefatis eorum literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuscumque aliis privilegiis, indulgentiis [1] et literis apostolicis generalibus vel specialibus super recipiendis bannitis, homicidis ac brigosis et aliis praedictis, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quae, quoad hoc, cuiquam nolumus ullatenus suffragari.

Forma et effectus publicationis.

§ 9. Volumus autem quod praesentes literae, postquam in valvis basilicæ Principis Apostolorum et in Campo Florae de Urbe affixae fuerunt, omnes et singulos cives Romanos et alios in Urbe commorantes, effluxis quindecim diebus; alios vero duces, comites, marchiones, domicellos, barones et alios temporales dominos et vicarios, communitates et universitates civitatum, terrarum et locorum Sedi praefatae mediate vel immediate subiectorum, huiusmodi decurso mense, arctent, et contrafacientes poenas praefatas incurrant in omnibus et per omnia, perinde ac si eis omnibus et singulis contrafacientibus personaliter et particulariter intimatae fuissent.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo primo, VIII idus ianuarii, pontificatus nostri anno II.

Publicatio.

Anno a Nativitate Domini MDLXI, indictione IV, die vero XVI aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae IV anno II, retroscriptae literae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe ac in acie Campi Florae, dimissis ibidem copiis affixis, per nos Iulium Parinum et Franciscum Sottocasa praelibati sanctissimi D. N. Papae cursores.

Bartholomæus Sottocasa, mag. cursorum.

Dat. die 6 ianuarii 1561, pontif. anno II.

Sequitur declaratio circa facultatem officialibus interdictam gratiandi aut componendi bannitos ex causa homicidii.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Exordium.

Nuper siquidem cum nos post nostram ad summi apostolatus apicem assumptionem, ob non observationem literarum fe-

[1] *Indultis*, Cherub. (R. T.).

licis recordationis Pii II, Pauli etiam II, Sixti IV, Iulii similiter II, Leonis X et Clementis VII, praedecessorum nostrorum, alias contra homicidas editarum, bellis, quibus non solum civitates, terrae et loca, temporali dominio S. R. E. subiecta, sed etiam tota Italia retroactis *etc.* [1].

Causa declarationis.

§ 1. Cum autem, sicut accepimus, nonnulli ex gubernatoribus et officialibus per nos in diversis civitatibus, terris et locis Status nostri Ecclesiae constitutis et deputatis, forsan voluntatis nostrae ignari, aut alias, praetendant poenarum remissionem inquisitis, bannitis et condemnatis super homicidiis per eos pro tempore perpetratis per eos remitti, gratiamque fieri, ac exinde ab eis compositionem exigi posse.

Declaratio (*de qua in rubrica*).

§ 2. Nos, ad tollendum omne dubium quod exinde exoriri posset, et ne gubernatores et officiales praedicti ac quicumque alii, ignorantiae eiusdem voluntatis nostrae aut quovis alio praetextu, in his se intromittere praesumant, veriores dictarum literarum tenores, ac si verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, decernimus et declaramus gratias seu remissiones aut compositiones quibusvis inquisitis, condemnatis aut bannitis ex causa vel occasione homicidii animo deliberato vel casu fortuito aut in rixa vel alio quovis modo pro tempore perpetrati, pro quo poena ordinaria vel extraordinaria imposita vel imponenda esset, per quoscumque in civitatibus, terris et locis praedictis nostros et Sedis Apostolicae legatos, vice-legatos, gubernatores vel alios officiales, deputatos et deputandos, fieri in posterum nullatenus posse, et illas tantum compositiones et gratias, cum inquisitis, condemnatis et bannitis huiusmodi, ut supra, in posterum facientes [1], valere, illisque suffragari, qui habuerint supplicationes desuper manu nostra propria signatas et per datarium nostrum pro tempore existentem datas.

Decretum irritans.

§ 3. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata *etc.*, irritum quoque *etc.*

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae in dictis nostris literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 5. Volumus autem quod praesentis nostri motus proprii sola signatura, etiam absque illius data et registratura, sufficiat, ac ubique, in iudicio et extra, fidem faciat, regula seu constitutione apostolica quacumque contraria non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, sexto kalendas maii, anno v.

Dat. die 26 aprilis, pont. an. v.

1 Residuum omittitur quia ipsa bulla est quæ praecedit. 2 *Faciendas,* Cherub. (R. T.).

XXXIII.

Erectio ecclesiae Lancianensis in metropolitanam cum iurium et iurisdictionum metropoliticorum elargitione [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Super universas orbis ecclesias, Eo disponente qui cunctis imperat, cuique universa deserviunt, meritis licet imparibus, constituti, levamus in circuitu agri dominici oculos nostrae mentis, more vigilis pastoris inspecturi quid ecclesiarum statui congruat, quid operis circa illas eorumque statum prosperum et felicem impendi debeat, et divino fulti praesidio, quo cuncta ex sui benignitate pro populorum suorum christifidelium salute disponit, ad ea, quae statui ecclesiarum huiusmodi conveniant, nostri ministerii partes uti-

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

liter intendere curamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Plures controversiae exortae fuerant inter commune Lanciaoense et archiep. Theatinum super praetensa archiep. Iurisdictione.

§ 1. Sane attendentes diversas lites, causas et controversias inter archiepiscopum Theatinum, qui pro tempore fuit, ex una, et dilectos filios capitulum, clerum, communitatem et homines Lancianenses ex altera partibus, super iurisdictione, quam praefatus archiepiscopus in episcopum Lancianensem et praefatos capitulum, clerum, communitatem et homines, ratione iuris metropolitici, habere prætendebat, aut alias, diu in Romana Curia, coram diversis causarum Palatii Apostolici auditoribus seu locatenentibus, successive pependisse, latis in favorem dicti archiepiscopi nonnullis sententiis, ac literis executorialibus una cum brachio saeculari desuper in forma solita decretis, et forsan executioni demandatis, seu, ut illae demandarentur, ex parte archiepiscopi praesentatis, et propterea graves inimicitias olim inter Lancianenses praefatos ac Theatinos, communitates et homines, generatas fuisse et praemissorum occasione innovatas existere, et quamplurima scandala exinde verisimiliter exoriri posse.

Ad eas sedandas Pius lites ad se advocat, et partibus perpetuum imponit silentium;

§ 2. Post diversos tractatus pacis et concordiae inter partes ipsas, etiam medio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, frustra tentatos et habitos, tandem, ad sedandum discordias et obviandum scandalis huiusmodi, ac ipsorum communitatum et hominum animarum periculis consulendum, nec non eos in pacis amoenitate retinendum et confovendum, ac alias, ex certis aliis rationabilibus causis moti, habita super iis cum fratribus nostris matura deliberatione, ac de eorum consilio et unanimi consensu, omnes et singulas causas in dicta curia et alias ubilibet adhuc forsan indecisas pendentes ad nos advocantes, ac lites et controversias huiusmodi nec non omnes et singulos processus, sententias, censuras et poenas desuper formatos, latas et promulgatas, ac quos haberi et promulgari contigerit, ac inde secuta quaecumque cassantes et penitus extinguentes, irritantes et annullantes, ac nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse decernentes, ac archiepiscopo, capitulo, clero, communitatibus et hominibus praefatis perpetuum silentium desuper imponentes, nec non praefatis et aliis quibuscumque iudicibus, coram quibus causae ipsae adhuc forsan indecisae pendent, ne se in illis ulterius, sub nostrae indignationis poena, intromittant, districtius inhibentes, ipsosque capitulum, clerum, communitatem et homines Lancianenses et eorum singulos a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis et aliis, etiam pecuniariis, in dictis literis executorialibus aut alibi contentis, ob illarum non paritionem seu alias quomodolibet per eos incursis, in utroque foro ex certa scientia absolventes, dictasque poenas eis remittentes, ac in pristinum et eum, in quo antea erant, statum reponentes et plenarie reintegrantes.

Ecclesiam, populum et dioecesim Lancianenses a metropolitico arch. Theatini iure solvit;

§ 3. Ad omnipotentis Dei laudem et honorem, necnon fidei catholicae exaltationem, ac pro bono pacis inter venerabiles fratres nostros modernos archiepiscopum Theatinum et episcopum Lancianensem nec non communitates et homines praefatos conciliandae et stabiliendae, ecclesiam Lancianensem cui venerabilis frater noster Leonardus de Marinis, episcopus Lancianensis, praeesse dignoscitur, dictumque Leonardum episcopum et ipsius Lancianensis ecclesiae capitulum praedictos nec non civitatem et diœcesim Lancianensem ac earum universum clerum et populum a provincia Theatina, cui metropolitico iure subsunt, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo segregamus et separamus; illosque et eo-

rum singulos ac omnia et singula earumdem ecclesiae civitatis et dioecesis ac in illis consistentia prioratus, praeposituras, praepositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus et praebendas ac parochiales et alias ecclesias, cappellas et hospitalia ac alia pia loca ceteraque, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia beneficia ecclesiastica, cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis suis, ac bonis mobilibus et immobilibus, a dicti moderni et pro tempore existentis archiepiscopi et capituli Theatini eorumque vicariorum, officialium et ministrorum ac iudicum quorumcumque pro tempore existentium omnibus et singulis iurisdictionibus, potestatibus, correctionibus, superioritatibus, dominiis, visitationibus et auctoritatibus, in spiritualibus et temporalibus, de similibus consilio et potestatis plenitudine, dicta auctoritate, etiam perpetuo, eximimus et totaliter liberamus.

Ecclesiam Lancianen. erigit in archiepiscopatum et metropolim.

§ 4. Ac dictam ecclesiam Lancianensem in metropolitanam pro uno archiepiscopo Lancianensi nuncupando; ac sedem episcopalem Lancianensem in archiepiscopalem et archiepiscopalis ac metropolitanae provinciae praesidis sedem, cum pallii et crucis delatione ac omnibus et singulis aliis insigniis, honoribus, privilegiis, antelationibus, immunitatibus et gratiis ecclesiae et sedis metropoliticarum ac archiepiscopalium.

Leonardus ep. datur in archiepiscopum.

§ 5. Ita quod dictus Leonardus episcopus, qui Ordinem fratrum Praedicatorum expresse professus existit, de cetero illi, ut archiepiscopus, absque ulla alia ei de persona sua facienda provisione et praefectione, praesit, et illius verus praesul et pastor existat, ac pro tali habeatur et reputetur, et archiepiscopus Lancianensis nuncupetur.

§ 6. Necnon quae iurisdictionis ac, recepto prius per eum de more dicto pallio, quae ordinis archiepiscopalis existunt ac alia ad archiepiscopalem et metropolitanam dignitatem spectantia exerceat, de simili consilio, eadem auctoritate, similiter perpetuo erigimus et instituimus, ac ecclesiam et civitatem Lancianensem nomine, titulo et honore ac praelatione dignitatis archiepiscopalis et metropolitanae decoramus.

Archiepiscopalis et metropolitica iurisdictio ei attributa.

Causae provinciae Lancianen. suo ordine ad eum referendae.

§ 7. Provinciae quoque Lancianensis praedictae clerum et populum, quorum singulorum causae ad dictum archiepiscopum Lancianensem, iuxta sacrorum canonum instituta, deferantur, pro suis provincialibus clero et populo, ita quod ipsi et eorum singuli, quoad omnia metropolitica et archiepiscopalia iura, superioritatem et iurisdictionem, pro tempore existenti archiepiscopo Lancianensi et non alteri, ei tamquam membra capiti obsequentes et de archiepiscopalibus et metropolitanis ac provincialibus iuribus respondere debentes, subiecti sint, de pari consilio, praefata auctoritate, concedimus et assignamus.

Super archiepiscopum, provinciam etc. Lancianen. ademptum quodlibet ius ecclesiae Theatinae.

§ 8. Necnon eidem archiepiscopo et capitulo Theatino ac eorum vicariis, officialibus et iudicibus ac quibusvis aliis personis, cuiuscumque dignitatis, ordinis et conditionis existentibus, ne in archiepiscopum seu praesulem aut administratorem ac ecclesiam et capitulum Lancianensem necnon eorum vicarios, officiales et ministros ac clerum et populum, monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus et praebendas, ecclesias, cappellas, hospitalia, loca ac beneficia ecclesiastica civitatis et dioecesis Lancianensis huiusmodi aliquam iurisdictionem, superioritatem, dominium, potestatem, visitationem, correctionem, tam in civilibus quam in criminalibus causis, metropoliticam vel quamcumque aliam iurisdictionem huiusmodi

concernentia, exercere quoquomodo præsumant, districtius inhibemus.

Sic per quoscumque iudices definiendum.

§ 9. Et ita, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam de non tollendo iure quaesito, ac ipsius ecclesiae Theatinæ, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis archiepiscopo et capitulo ac clero, communitati et hominibus praedictis, sub quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Adhortatio ad clerum populumque Lancianon. de parendo

§ 11. Quocirca capitulo et clero ac populo praefatis, necnon dilectis filiis vassallis dictae ecclesiae Lancianensis per apostolica scripta mandamus quatenus capitulum eidem Leonardo electo, tamquam patri et pastori animarum suarum ac metropolitano et in archiepiscopum electo humiliter intendentes, exhibeant sibi, etiam in iis quae metropoliticam et archiepiscopalem iurisdictionem ac superioritatem concernunt, obedientiam et reverentiam debitas et devotas; ac clerus eum, pro nostra et dictae Sedis reverentia, benigne recipientes et honorifice pertractantes, sua salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent; populus vero, tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, suis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod ipse Leonardus electus in eis devotionis filios, et ipsi in eo per consequens patrem benevolum invenisse gaudeant; vassalli autem praedicti, eum debito honore prosequentes, sibi fidelitatem solitam, necnon consueta servitia ac iura sibi ab eis debita integre exhibere procurent; alioquin sententiam sive poenam, quam dictus Leonardus electus rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Leonardo archiepiscopo, eique iura, decimas *etc.* retribuendo.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimoprimo, quinto idus ianuarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 ianuarii 1561, pontif. anno II.

XXXIV.

Declaratio et ampliatio iurisdictionis consulum artis mercantiae pannorum de Urbe 1.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Confirmatio iurisdictionis.

Volentes dilectos filios mercatores pannorum almae Urbis nostrae non minori

1 Hanc iurisdictionem primo instituit Mart. V, ut in eius constitutione VIII, *Cum inter*, tom. IV, pag. 696.

quam praedecessores nostri prosecuti sunt, favore prosequi, idcirco eorumdem literas ac in eis contenta et inde secuta quaecumque confirmamus, et firmitatis robore munimus et approbamus, quatenus sint in usu.

Extensio eiusdem.

§ 1. Praeterea provide attendentes quod, caelesti favente numine, humana prole aucta, et bonorum mercantilium, et praesertim pannorum, pretium est auctum, et propterea iure merito iurisdictio iusdicentium augenda est, motu simili ac de apostolicae potestatis plenitudine, fidem, de qua in praeinsertis fit mentio, ad summam ducatorum auri triginta augemus et extendimus, ita ut fides ipsis libris mercatorum de rebus spectantibus ad artem mercantiae, dummodo ipsi mercantiliter et mercatorum ordine et more scripti, ac confecti et tenti sint, iuramentumque, prout in praeinsertis continetur, interveniat, usque ad summam ducatorum triginta auri adhibeatur. Et quod consules ipsi inter laicos de rebus praedictis, etiam si ipsi Romani cives sint et curiales Romanam Curiam sequentes, ius dicere, cognoscere, terminare et exequi possint, usque ad summam praedictam, et sine praeiudicio tribunalis auditoris Camerae, in quacumque summa, et aliorum tribunalium ultra summam viginti, absque eo quod causae ab eorum tribunali, praeterquam per appellationem legitimo tempore et modo interpositam, avocari possint, decernimus et mandamus.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus quibusvis privilegiis, etiam personis suprascriptis, etiam motu proprio attributis, quorum etiam expressa et specifica mentio habenda esset (quorum omnium tenores, perinde ac si de verbo ad verbum hic inserti forent, pro expressis haberi volumus), ac aliis quibus praedecessor praefatus in praefatis literis minime obstare voluit, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausula sublativa.

§ 3. Et sic per quoscumque iudices iudicari et interpretari volumus et mandamus, sublata aliter interpretandi aut iudicandi facultate; irritum quoque et inane decernentes quicquid in contrarium contigerit attentari.

Sola signatura sufficit.

§ 4. Volumus autem quod praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, regula contraria non obstante, vel quod breve desuper, si videbitur, expediri possit.

Placet, motu proprio. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, XVIII kalendas februarii, anno II.

Dat. die 15 ianuarii 1561, pontif. anno II.

XXXV.

Privilegia et exemptiones praelatorum, Sacro et Œcumenico Concilio Tridentino assistentium, eorumque familiarium.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia, singulorum merita et obsequia debita meditatione considerans, illos, prout aequum est, specialibus favoribus et gratiis prosequitur, quos universalis Ecclesiae obsequiis iugiter intentos laborare, ac diversas expensas subire cognoscit.

Hic Pontifex reservavit quaedam beneficia de quibus hic;

§ 1. Hinc est quod nos, qui dudum omnia et singula beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata et ubilibet existentia, in singulis ianuarii, februarii, aprilis, maii, iulii, augusti, octobris, novembris mensibus, alias quam per resignationem extra Romanam Curiam vacatura, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum et col-

latricum, saecularium et regularium, non tamen sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium aut aliorum sub concordatis inter Sedem Apostolicam et quoscumque alios initis et per eos, qui illa acceptare et observare debuerant, acceptatis et observatis, quae laedere non intendebamus, comprehensorum, quomodolibet pertinentia nostrae dispositioni, per constitutionem nostram desuper editam et in Cancellaria Apostolica publicatam, reservamus [1].

Et deinde episcopis et aliis apud eorum ecclesias residentibus facultatem disponendi de beneficiis non reservatis vacantibus, ut hic;

§ 2. Et deinde per eamdem constitutionem venerabilibus fratribus nostris episcopis, archiepiscopis et patriarchis, apud suas ecclesias seu in illarum dioecesibus pro tempore residentibus, gratificari volentes, eisdem episcopis, archiepiscopis et patriarchis quod, quotiescumque et quandocumque apud eorum ecclesias seu in earum dioecesibus residerent dumtaxat, de quibusvis dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus et praebendis ac aliis beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus ac quorumvis Ordinum regularibus, ad eorum collationem, provisiones, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus, quae in antea in singulis februarii, aprilis, iunii, augusti, octobris et decembris mensibus vacare contingeret, dummodo alias dispositioni apostolicae generaliter reservata, vel ex generali reservatione apostolica affecta non essent, etiam si praesentationes, nominationes vel electiones eorum, quae salvae procedere consuevissent, reservatione praefata non obstante, quam quoad eos locum habere noluimus, libere disponendi facultatem concessimus.

§ 3. Et successive eosdem episcopos, archiepiscopos et patriarchas, ut circa gregem sibi commissum ferventius invigilarent, ut quamdiu ipsi apud suas ecclesias seu in illarum dioecesibus huiusmodi residerent, ab omnibus et singulis decimis, subsidiis et aliis oneribus, ordinariis et extraordinariis, quomodolibet nuncupatis, per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes ac Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et ex certa scientia ac etiam consistorialiter, etiam ad instantiam regum et principum, quomodolibet et ex quavis, etiam quantumvis urgentissima, iustissima ac pia et necessaria, causa, etiam pro defensione fidei catholicae, ratione dictarum ecclesiarum tunc et pro tempore impositis, illorumque solutione, per alias nostras literas exemimus et liberavimus.

Exemptionemque a solutione decimar. *etc.* I;

§ 4. Ad labores et impensas graves, quas praefati et alii episcopi et patriarchae, sacro oecumenico et generali concilio in civitate Tridentina indicto pro tempore interessentes, sustinere cogentur, debitum respectum habentes, ac animo revolventes, eos inibi residentes universali Ecclesiae deservire, et cum causa reipublicae christianae absint ab ecclesiis, quibus praesunt aut in quibus beneficiati existunt, praesentes et residentes merito reputari debere, motu proprio, non ad eorumdem episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum, abbatum, generalium Ordinum ceterorumque praefatorum vel quorumvis aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia, praefatis, qui apud suas ecclesias seu in earum dioecesibus residebant ac alternativa huiusmodi gaudebant, in dicto concilio, quamdiu illud duraverit, residendo et inibi interessendo, necnon in itinere ad illud accedendo, et inde, legitima subsistente causa, recedendo et ad ecclesias suas redeundo, alternativa et

Et modo eadem privilegia concedit praelatis concilio Tridentino interessentibus pro tempore quo ibi resederint aut in itinere fuerint;

1 *Reservavimus*, Cherub. (R. T.).

1 Eisdem concessit ut supra in constitut. XII, pag. 55.

exemptione huiusmodi uti et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, ac si apud suas ecclesias seu in earum dioecesibus praefatis personaliter residerent, in omnibus et per omnia concedimus et indulgemus; dictamque exemptionem et alternativam ad ipsos ac universos et singulos alios venerabiles fratres nostros episcopos, archiepiscopos et patriarchas, etiam ad hoc ut illi ac eorum singuli, qui in dicto concilio iam forsan ad praesens resident, aut ad illud in posterum accedent, quod, quamdiu concilium ipsum duraverit et ipsi interfuerint, dicta alternativa gaudere possint, et occasione episcopalium seu archiepiscopalium vel patriarchalium ecclesiarum aut monasteriorum vel aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, quae etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum et commendam ac alias quomodolibet obtinent et in posterum obtinebunt, quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, quae omnia praesentibus pro expressis haberi volumus, ad solutionem quorumcumque subsidiorum seu decimarum collectoribus seu subcollectoribus aut aliis executoribus vel quibusvis aliis personis, quavis auctoritate fungentibus, cogi possint, motu et scientia similibus extendimus et ampliamus.

Executores deputat;

§ 5. Mandantes universis et singulis personis in dignitate ecclesiastica constitutis quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, faciant auctoritate nostra praesentes literas ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari; contradictores per censuras ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo.

§ 6. Non obstantibus quibusvis apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; aut si eisdem collectoribus et subcollectoribus et quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Contrariis derogat;

Transumptis credi iubet;

§ 7. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda fuerit, loca deferre, volumus et eadem auctoritate decernimus quod ipsarum transumptis *etc.*

Sanctionem poenalem addit.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo primo, kalendis martii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 1 martii 1561, pontif. anno II.

Sequitur indultum quod in eorum litibus supersedeatur.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causa huius indulti.

Cum ob celebrationem concilii per nos indicti oporteat praelatos, tam ab alma Urbe nostra quam ab aliis christiani orbis partibus, ad civitatem Tridentinam, in qua indictum fuit, accedere, et quamplures eorum habeant varias et diversas causas coram aliquibus ex venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus et in auditorio Rotae ac in aliis nostrae Curiae tribunalibus, ordinariis sive delegatis, quae, propter illorum absentiam, aliquod detrimentum suscipere possent.

Supersedeatur in causis proficiscentium ad concilium si ipsi voluerint.

§ 1. Nos, volentes providere ne dicti praelati eorumque familiares ac aliae personae dicto concilio interesse habentes, causarum huiusmodi curis distra-

hantur, motu simili ac ex nostra certa scientia et potestatis plenitudine, mandamus quatenus in omnibus et quibuscumque, ubique, tam coram praefatis cardinalibus quam Rotae auditoribus, iudicibus ordinariis sive delegatis, pendentibus causis praefatorum dicto concilio adesse habentium, clericorum sive laicorum, commissis seu committendis, durante eorum absentia et ipsis in concilio et servitiis huiusmodi residentibus, supersedere debeant, praeterquam in causis, in quibus ipsi praelati et alii suprascripti per eorum procuratores duxerint procedendum, in quibus sit in eorumdem arbitrio hoc nostro mandato uti vel non. Et ita mandamus, decernimus et declaramus. Mandantes insuper cuicumque, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinali, qui signaturae iustitiae præest vel præerit in dicta alma Urbe, ne in causis pendentibus huiusmodi aliquas commissiones dependentes, citationes seu vocationes ipsorum nostram Curiam sequentium de stylo requirentes, in eorum praeiudicium admittant, etiam si in eis aut aliqua supradictarum causarum executione, non tamen occasione rei iudicatae, procedatur. Status causarum huiusmodi et merita pro expressis habentes.

Clausulae derogatoriae.

§ 2. Non obstantibus privilegiis, constitutionibus, literis apostolicis, regulis Cancellariae ac quibuscumque contrariis.

Decretum irritans.

§ 3. Sublata quibuscumque iudicibus, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, aliter iudicandi facultate. Decernentes irritum et inane, si secus a quoquam, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Placet, motu proprio. I.

XXXVI.

Deputatio quinque legatorum, qui nomine Papae concilio Tridentino praesint, cum facultatibus necessariis etc. [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Iacobo Sanctae Mariae in Via Puteo, et Herculi Sanctae Mariae Novae de Mantua, ac Hieronymo Sanctae Susannae Seripando, et Stanislao Warmiensi, necnon Ludovico Sancti Cyriaci in Thermis Simonetae titulorum presbyteris cardinalibus nuncupatis, nostris et Apostolicae Sedis de latere legatis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Regimini et curae universalis gregis dominici, meritis licet imparibus, disponente Domino, praesidentes, sic utiliter ac sollicite, quemadmodum ad boni et prudentis patrisfamilias spectat officium, iniunctum nobis pastoralis muneris debitum exercere pro virili nostra studemus, ut ea, quae, rationabilibus et legitimis obsistentibus [2], per nos ipsos praestare non possumus, praesertim quando talia sunt, quae moram non patiuntur, per alios viros virtute et auctoritate praestantes efficere diligenter curemus.

Causas cogendi concilii indicat.

§ 1. Cum itaque nuper, ad schismata et haereses, quae per omnes reipublicae christianae partes pervaserunt, tollendas, necnon ad corrigendos et reformandos mores christiani populi, pacemque inter christianos principes conservandam, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et assensu, sacrum oecumenicum concilium in civitate Tridentina ad sacratissimum diem Resurrectionis Dominicae proxime futurum per alias nostras sub plumbo confectas literas [3] decreverimus, prout in eisdem literis plenius continetur.

§ 2. Nos, nolentes tam sanctum celebrandi ipsius concilii initium ullo pacto

1 Ex Raynaldo continuat. Annal. opus posthum., tom. XXII. 2 *Causis* addit Raynaldus (R. T.). 3 *Celebrandum*, Raynaldus (R. T.).

Legatos ad ei praesidend. deputat;

impediri, quod forte contingeret, si nobis, variis in dies corporis infirmitatibus ac alias multipliciter impeditis, et propterea ad eandem civitatem Tridentinam ad praesens accedere, et ipsi concilio, iuxta animi nostri desiderium, interesse nequeuntibus, nullus nostro illuc nomine mitteretur; vos, fide, prudentia, probitate, doctrina et rerum experientia admodum claros, insignes atque etiam probatos, cum plena, libera atque omnimoda legatorum de latere potestate, specialique et expresso mandato, necnon ratihabitionis et aliis clausulis in similibus apponi solitis, de simili eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu, nostros et Sedis Apostolicae legatos de latere, auctoritate apostolica, tenore praesentium, constituimus et deputamus.

Facultates necessarias legatis concedit;

§ 3. Vosque ad dictam civitatem Tridentinam, pro concilio huiusmodi celebrando, tamquam pacis angelos, destinamus, ac vobis seu uno aut duobus vel tribus seu pluribus ex vobis legitimo impedimento detentis vel absentibus, uni, si unus tantum in dicta civitate affuerit, seu duobus aut tribus vel iis ex vobis, qui in eadem civitate Tridentina praesentes fuerint, ad celebrationem ipsius concilii, favente Domino, procedendi, ac nomine et auctoritate nostra illi praesidendi, necnon quaecumque in eodem concilio pro tempore decisa et ordinata, ac per maiorem partem vestrum in dicta civitate Tridentina praesentium comprobata, observari mandavit [1], in illo, pro vestra pietate et sapientia, ea omnia, quae in praemissis et circa ea necessaria et alias quomodolibet opportuna esse, aliasque ad laudem et honorem Dei pertinere noveritis, etiamsi magis speciale mandatum exigant, faciendi, gerendi et exercendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, concedimus potestatem et auctoritatem.

1 Legimus *mandamus* (R. T.).

Eosdem adhortatur ut commisso sibi muneri apte satisfaciant.

§ 4. Quocirca circumspectioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus iniunctum vobis munus huiusmodi ita implere studeatis, ut sperati fructus inde proveniant, vosque a nobis commendationem, et a Deo, bonorum operum distributore, felicitatis aeternae gloriam consequi valeatis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo primo, sexto idus martii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 martii 1561, pontif. anno II.

XXXVII.

Quod bona omnia fratrum militum hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani ubique decedentium, etiam ex illicita negociatione acquisita, uti spolia, non ad Cameram Apostolicam, sed ad ipsum hospitale spectent et pertineant [1].

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius declarationis et concessionis.

Romani interest Pontificis ut cunctorum sibi et Sedi Apostolicae devotorum, praesertim fratrum militum, qui, tamquam fortissimum orthodoxae fidei adversus crudelissimos christiani nominis hostes propugnaculum, duros hostium expectant insultus, gratiae et alia eis concessa ut illibata sibi remaneant, providere, et eas concessiones, quae gratiis huiusmodi aliquod inferre praeiudicium aut eas dubias reddere videntur, ad omnem tollendam haesitandi materiam, ac pacem confovendam, declarare, aliasque et alia in his operari, prout in Domino salubriter cognoscit expedire.

Bona a fratribus et militibus relicta post eorum obitum spectabant ad Religionem.

§ 1. Sane nobis, pro parte dilectorum filiorum magni magistri et conventus hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, expositum quod, licet omnia et singula

1 De hac militia vide constitutionem XV Anastasii IV, *Christianae*, tom. II, pag. 618.

fratrum militum eiusdem hospitalis bona, post eorum obitum relicta, ad hospitale et conventum praedictum, in vim stabilimentorum, usuum et naturarum dicti hospitalis seu privilegiorum et indultorum apostolicorum, eidem hospitali illiusque magno magistro et personis per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros concessorum, ac etiam per nos approbatorum, et alias legitime et de iure spectant et pertinent.

Hic autem Pontifex bona ex negociatione illicita per clericos acquisita, uti spolia ad Cameram spectare decrevit 1.

§ 2. Cum autem nos nuper, postquam acceperamus a nonnullis verti in dubium an res et bona per clericos, etiam in sacris ordinibus constitutos, ex negociatione illicita aut alias contra sacros canones acquisita, uti spolia vel alias ad Cameram nostram Apostolicam iure legitimo spectare et pertinere deberent; nos, omni desuper haesitationis materiam submovere, ac cavillationibus et altercationibus litibusque praecludere 2, et denique malitiis eorum, qui iura dictae Camerae usurpare satagebant, obviam ire, aliasque in praemissis opportune providere tunc volentes, omnia et singula res et bona, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, ac in quibusvis rebus et regnis ac dominiis, tam citra quam ultra montes et maria consistentia, per quosvis clericos, tam saeculares quam quorumvis, etiam Mendicantium, Ordinum ac militiarum regulares, etiam in sacris ordinibus constitutos, cuiuscumque status, ordinis et conditionis essent, ac archiepiscopali, episcopali vel alia maiori dignitate praefulgerent, ex negociatione illicita aut alias contra sacros canones quomodolibet acquisita, quae pro tempore post obitum eorum, qui, etiam ex facultate quam habuissent testandi, condito testamento, ubivis locorum decessissent et decederent, aut quibus illos destitui contigisset, remansissent et remanerent ad eamdem Cameram et non ad alios, etiam in quibusvis cathedralibus et metropolitanis et collegiatis ac aliis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, militiis, ceterisque beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, qualitercumque qualificatis, successores, illa in titulum, commendam, administrationem ac alias quomodolibet pro tempore obtinentes, etiam si ad illa, vigore prioris tituli, ius regrediendi seu accedendi et ingrediendi aliquibus concessum fuisset, spectasse et spectare, et sub nomine spoliorum venire, illaque uti spolia ad Cameram ipsam pertinentia perpetuo colligi et recuperari potuisse et posse ac debere. Et ita per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, in quacumque instantia, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decreverimus et declaraverimus, cum mandati, derogationis aliisque clausulis tunc expressis, prout in nostris desuper in forma brevis, sub data videlicet nonis novembris, pontificatus nostri anno I, et praedictis literis, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, latius continetur.

Ideo ista Religio dubitat, vigore dictae constitutionis, posse me molestari a ministris Camerae.

§ 3. Cumque magnus magister et conventus ac fratres milites praefati, occurrente fratrum militum hospitalis praedicti obitu, super eorumdem decedentium fratrum militum bonis, per iurium et spoliorum Camerae nostræ Apostolicæ praedictae collectores et eiusdem Camerae commissarios, earumdem literarum vigore, molestari dubitent; nosque eiusdem hospitalis et illius personarum manutentioni ac necessitatibus, quantum cum Deo possumus, libenter providere procuremus, maxime considerantes attentius eiusdem hospitalis fratres milites se et sua, pro

1 Vide supra in const. XXIII, *Decens*, pag. 78.
2 *Aditum praecludere* (R. T.).

fide et illius defensione, in crudelissimos christiani nominis hostes exponere necesse esse continuo, hoc praesertim instanti tempore, quo idem immanissimus hostis Turcarum tyrannus, lucri proxime praeteriti non immemor, in animarum christifidelium adeo spirat minas ut omnibus fidelibus, magis tamen fratribus militibus, pavorem incutiens, ipsos non immerito ad diligentem excitat rerum providentiam; propterea non convenire ut iidem fratres milites, qui superstites existunt, defunctorum spoliati bonis, ad suorum aliorumque christicolarum defensionem rebus priventur necessariis.

Hic ergo Pontifex declarat sub dicta constitutione et aliis similibus dictam Religionem minime comprehendi;

§ 4. Ideirco, ut omnis haesitandi materia submoveatur, eiusdem hospitalis et illius personarum huiusmodi indemnitatibus paterno consulere affectu, ipsosque specialis gratiae favore prosequi volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus, decernimus et in verbo veritatis attestamur nostrae intentionis nunquam fuisse nec esse nec in posterum fore per dictas nostras aut quascumque alias literas, a nobis et Sede Apostolica ac alias quomodolibet pro tempore emanatas, etiam quascumque generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, aliasque efficaciores et insolitas clausulas, nec [1] irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione, in se continentes, statutis, stabilimentis, usibus et naturis hospitalis praedicti, ac privilegiis, indultis ac aliis gratiis, illi eiusque personis concessis et concedendis, in aliquo derogasse nec derogare, seu aliquod eius vel eorum cuilibet praeiudicium intulisse nec inferre, sed semper valida et efficacia ac illaesa et in suo robore permansisse et permanere; nec eadem neque hospitale, conventum, fratres, milites et personas praefatos sub scriptis aut quibuscumque similibus aut dissimilibus literis, decretis, declarationibus, onerum impositionibus ullatenus comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validum statum restitui debere, ac excepta et restituta et de novo, etiam sub data *etc.* per magnum magistrum et conventum praefatos eligenda, concessa fore et censeri debere.

1 *Nec non*, Cherub. (R. T.).

Omniaque bona personarum dictæ Religionis decedentium ei applicat, et ad Cameram aut alios non spectare declarat.

§ 5. Omniaque et singula res et bona, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, ac in quibusvis rebus [1] et regnis necnon dominiis, tam citra quam ultra montes et maria consistentia, per quosvis fratres, milites et personas dicti hospitalis quomodolibet acquisita, quae pro tempore post eorum obitum (ubivis locorum decesserint et decedent, aut quibus illos, etiam eis viventibus, non tamen per Sedem Apostolicam, privari aut eis destitui contingeret) hactenus remanserunt, remanent et remanebunt, ad hospitale et conventum praefatos, non autem ad eamdem Cameram seu alios quoscumque, alias iuxta stabilimentorum, usuum, naturarum, statutorum et privilegiorum huiusmodi formam et tenorem, spectasse et spectare.

Agentes Religionis in hac exactione non molestentur.

§ 6. Necnon hospitale et conventum huiusmodi aut pro eis agentes per Camerae huiusmodi iurium, spoliorum et bonorum collectores et subcollectores, exactores, commissarios vel alios, quacumque auctoritate, dignitate vel officio fungentes et functuros, nullatenus molestari, inquietari vel perturbari posse nec debere. Et ita per quosvis iudices, quavis etiam auctoritate apostolica fungentes, etiam Palatii nostri causarum auditores, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum est forsan hactenus vel

1 Legimus *locis* (R. T.).

in posterum contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Contraria non obstent.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis ac reformationibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis et Camerae huiusmodi iurium, spoliorum et bonorum collectoribus, subcollectoribus, exactoribus, commissariis praedictis et quibusvis aliis personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis ac insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientia ac potestate similibus, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, et etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si, pro eorum sufficienti derogatione, de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV martii millesimo quingentesimo sexagesimoprimo, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 martii 1561, pontif. anno II.

XXXVIII.

Confraternitatis sub invocatione sanctissimi Crucifixi, ad pauperes virgines maritandum aliaque pia opera exercendum pridem in Urbe institutae, in archiconfraternitatem erectio: cum indulto singulis annis in festo S. Crucis, unum reum capitaliter condemnatum e carceribus liberandi: iurisdictioque cardinalis eius protectoris quascumque ipsius causas cognoscendi.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causae huius constitutionis.

Cum, sicut accepimus, venerabilis confraternitas seu societas Imaginis Sanctissimi Crucifixi in ecclesia S. Marcelli de Urbe, eiusque custodes et confratres, ob lites et quaestiones, quibus ad diversa Urbis tribunalia, occasione locationum, censuum, donationum, haereditatum, legatorum et diversarum aliarum rerum eiusdem, tam agendo quam defendendo, iugiter implicita existat, quamplurima damna et interesse patiatur, ac impensa litis valorem rei, de qua ex tempore agitur, sæpenumero exuperet.

Advocat ad se iste Pontif. omnes causas civiles, societatem tangentes.

§ 1. Nos, societatem praedictam, in qua piissima caritatis et misericordiae opera, eleemosynas pauperibus, et miserabilibus puellis dotes elargiendo, continuo impendi spectantur, ab huiusmodi dispendiis, quantum possumus, sublevare volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas causas, lites, quaestiones et controversias inter dictam societatem sive eiusdem dilectos filios custodes, officiales et ministros et quascumque alias, etiam singulares, personas, tam laicas quam eccle-

siasticas, universitates, societates, congregationes, monasteria et alia huiusmodi loca, cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis existentia, coram S. R. E. camerario, regente, praesidente et clericis Camerae Apostolicae, necnon vicario, gubernatore ac senatore Urbis, illius collateralibus et iudicibus, ac appellationum causarum Curiae Capitolii eiusdem Urbis capitaneo et aliis quibuscumque iudicibus ordinariis, et a nobis specialiter quomodocumque commissariis, deputatis et delegatis, etiam causarum sacri Palatii Apostolici auditoribus et locatenentibus, ac eiusdem S. R. E. cardinalibus, nunc et pro tempore motas, pendentes et quomodolibet movendas, super quibuscumque locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommissis, testamentis, haereditatibus ac illarum discussionibus atque quorumcumque iurium et actionum cessionibus aliisque inter vivos contractibus, executionibus, revocationibus, bonis, rebus, iuribus et actionibus societatem praedictam eiusque custodes, officiales, ministros et litis consortes, tam coniunctim quam divisim, ac tam active quam passive concernentibus, ad societatem ipsam quomodolibet spectantibus, in quacumque instantia, inter illam eiusque custodes et alios praefatos, necnon alia aeque vel magis pia loca, universitates, monasteria, congregationes et collegia quomodocumque privilegiata, ac viduas, pupillos et alias personas, etiam exemptas, pendentes et motas et movendas, cuiuscumque gradus, status, conditionis, ordinis et naturae existant, etiam praemissis expressis maiores, quarum omnium statum et merita, ac iudicum et collitigantium nomina et cognomina ac qualitates, ceteraque, etiam de necessitate exprimenda, praesentibus haberi volumus pro expressis, in statu et terminis, in quibus modo reperiuntur, dummodo non sint instructae, harum serie ad nos advocantes.

Illorumque iudicem ordinarium eligit protectorem societatis vel ab eo deputand. cum facultate procedendi summarie *etc.*;

§ 2. Dilectum filium nostrum Raynutium Farnesium, tituli S. Angeli presbyterum S. R. E. cardinalem ac maiorem poenitentiarium, modernum, ac pro tempore existentem protectorem eiusdem societatis, iudicem ordinarium ac perpetuum ad praedictas necnon quascumque alias similes vel dissimiles causas civiles, ad societatem huiusmodi pertinentes, tam per eos quam contra eos, et inter eos ac personas, universitates, collegia seu alia loca prædicta, etiam privilegiata et exempta, tam active quam passive, pro tempore movendas, iuxta ordinariam facultatem seu iurisdictionem tam gubernatori quam regenti Camerae Apostolicae seu vicario nostro praefatis et eorum cuilibet attributas, ac prout rerum qualitas exegerit seu postulaverit, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu ac figura iudicii et absque tela iudiciaria et sola veritate inspecta et absque aliorum [1] terminorum substantialium observatione, aut alicuius registri vel extractus confectione, per se ipsum seu alios ab eo deputandos, audiendas, cognoscendas fineque debito terminandas, auctoritate apostolica, tenore præsentium, perpetuo constituimus et deputamus; et ad hunc effectum illi etiam per alium seu alios quoscumque, tam in Romana Curia quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi etiam summarie de non tuto accessu, citandi et monendi, eisdemque et praefatis ac quibuscumque aliis eiusdem Urbis curiarum iudicibus et personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quibus et quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, quibus sibi ab eo tempore [2] deputando auditori videbitur, inhibendi; et in eventum non paritionis, contra inobedientes, contumaces et rebelles, ad de-

1 *Aliquorum*, Cherub. 2 Legimus *quibus sibi, et ab eo pro tempore* etc. (R. T.).

clarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi, illarumque aggravationes et reaggravationes et alias, iuxta morem et stylum dictarum curiarum in similibus servari solitum, ac alias, prout sibi videbitur, procedendi.

Sententias exequendi;

§ 3. Sententiamque sive sententias debitae executioni demandandi sive demandari faciendi.

Contradictores coercendi,

§ 4. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias aliaque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendi; auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi; omniaque alia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi et exequendi plenam et liberam ac amplam licentiam et facultatem atque auctoritatem concedimus.

Reiectis nullitatibus praeterquam ex tribus;

§ 5. Decernentes quod ipsius reverendissimi cardinalis protectoris sive ipsius deputandi pro tempore auditoris sententiis, ordinationibus et decretis nullitas aliqua opponi nullo modo possit, nisi ex defectu iurisdictionis, citationis et mandati.

Cogendique debitores ad satisfaciendum societati, data cautione, *etc.*, non obstante pendentia litis discussionis;

§ 6. Et licet ad instantiam quorumcumque haeredum sive quorumlibet aliorum committatur in futurum vel etiam modo pendeat commissa causa discussionis alicuius haereditatis, et dictae societati seu custodibus et officialibus ipsius, etiam virtute commissionis fuerit inhibitum, tamen ne exactio creditorum in praeiudicium ipsius societatis proteletur, data idonea cautione per dictos custodes et officiales de restituendo summam debitam, in eventum succumbentiae, prioribus et potioribus creditoribus, dictus reverendissimus cardinalis protector praedictos haeredes sive alios quoscumque debitores seu ipsorum quemlibet, ex quacumque causa cessionariorum vel ab eis quorumlibet [1] et ex quocumque titulo causam habentes, ad satisfaciendum integraliter dictae societati de eius credito, iuris et facti remediis opportunis, cogat et compellat.

Singulis diebus procedendi;

§ 7. Ac in omnibus et singulis quibuscumque causis praefatis, ad dictam societatem, ut supra, spectantibus, singulis diebus et horis, feriatis et non feriatis, praeterquam in honorem Dei, etiam tempore feriarum ob necessitatem hominum indicendarum, procedat.

Notarium deputandi.

§ 8. Ac notarium actuarium, quem sibi placuerit, deputet.

Citationesque per mand. Capitolii exequendi;

§ 9. Et quod citationes in causis praedictis etiam per mandatarium Curiae Capitolii fieri possint.

Executoresque obligat ad exequen. eius mandata;

§ 10. Et quod quicumque executores tribunalium Urbis possint et debeant exequi et effectualiter executioni mandare omnes et singulas sententias, decreta et mandata praefati Raynutii cardinalis protectoris sive ab eo deputatorum, quae, non obstante regula Cancellariae *etc.*, sufficiant, si signata sint eiusdem Raynutii cardinalis parvo sigillo.

Annullat processus aliorum iudicum;

§ 11. Decernentes insuper societatem praedictam eiusque officiales et personas huiusmodi ex nunc deinceps, occasione praemissorum, alibi quam coram praefato reverendissimo cardinali protectore conveniri, aut ad alios conveniendi constringi non posse; ac processus, sententias et decreta per alium sive alios, tam ordinarios quam etiam specialiter deputatos et delegatos iudices in causis praefatis quomodolibet pro tempore formatos, in prima instantia latas et factas, cum inde secutis quibuscumque, nullas, irritas et inanes nulliusque roboris et momenti fore.

Clausulas praeservativas apponit;

§ 12. Praesentes quoque literas, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus et exemptionibus similium vel dissimilium gratiarum, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices et Sedem praefatam vel eius legatos, etiam per regulas

1 *Quomodolibet*, Cherub. (R. T.).

Cancellariae Apostolicae pro tempore factas, etiam in favorem fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis penitus et omnino exceptas esse et censeri, nec eisdem praesentibus per quascumque literas, etiam quasvis clausulas generales et speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione, in se continentes, derogari posse, et si illis ullo umquam tempore, ex aliqua, etiam quantumvis necessaria et urgenti, causa derogari contingat, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil omisso insertus, et huiusmodi derogatio consistorialiter facta, ac per trinas et distinctas literas eumdem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, administratoribus sive custodibus ac aliis officialibus societatis huiusmodi legitime insinuata et intimata fuerit, eorumque ad id expressus accedat assensus, derogationem huiusmodi nemini suffragari. Sicque per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam praefatae Rom. Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque *etc.*

Clausulas contrariorum derogatorias subdit;

§ 13. Non obstantibus praemissis et felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon fabricae praedictae ac hospitalium, ecclesiarum, monasteriorum et aliorum quorumcumque locorum et Ordinum, etiam exemptorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, conservatoriis, exemptionibus et literis apostolicis, eisdem ac dilectis filiis populo Romano necnon iudicibus, curiis et tribunalibus eorumque personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, etiam motu, scientia ac potestatis plenitudine similibus ac alias, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, necnon reformationibus, etiam noviter factis, ac paribus motu et scientia approbatis, etiam disponentibus quod causae huiusmodi ad forum seu Curiam Capitolii reassumi debeant. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua [1] ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse, ac eisdem motu et scientia et potestatis plenitudine derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque; aut si praefatis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca, curias et tribunalia ad iudicium trahi non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et quibuslibet aliis privilegiis, indultis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa aut totaliter non inserta, iurisdictionis ipsius protectoris explicatio impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

1 Legimus: *Individua mentio habenda foret; ... ac observata, tenores huiusmodi inserti forent* etc. (R. T.).

Transumptis fidem praestari iubet.

§ 14. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula loca, quibus illis pro tempore opus fuerit, deferre; volumus et praefata auctoritate decernimus quod illarum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo protectoris vel societatis huiusmodi seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel curiae, etiam saecularis, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Placet, motu proprio. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sexto idus aprilis, anno secundo.

Dat. die 8 aprilis 1561, pontif. anno II.

Sequitur erectio in archiconfraternitatem et indultum liberandi carceratum.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Huic sodalitati multa pia opera exercenti, confirmat hic Pontifex indultum liberandi unum condemnatum in festo S. Crucis, sed eius bullam omisi, quia hoc sufficienter hic est relatum;

Cum, sicut nobis innotuit, in confraternitate Sanctissimi Crucifixi in ecclesia monasterii S. Marcelli de Urbe instituta, dilecti filii illius confratres quamplura opera caritatis, Domino bonorum omnium largitore opitulante, hactenus tum in colenda sanctissimi Crucifixi imagine, quae in ipsa ecclesia sita est, tum in visitandis pauperibus infirmis eiusdem confraternitatis, eisdemque medicum adhibendo et subsidium transmittendo, sepeliendisque pauperibus mortuis, maritandis virginibus, recitando officium, illique continuo quibusvis diebus festivis et quadragesimalibus interessendo, tum etiam in aliis diversis piis et laudabilibus operibus et maxime expensis et sumptibus, quae et qui de praesenti in erectione et fabrica eorum oratorii fiunt et fieri sperantur, exercuerint et exerceant. Nos, qui nuper seu alias gratiam, eisdem confratribus per felicis recordationis Iulium Papam III, praedecessorem nostrum, factam, ut unum vinctum seu carceratum et ex causa capitali damnatum, quem mallent, ex quocumque crimine, excepto crimine haeresis et laesae maiestatis, dummodo pacem ab haeredibus defuncti habeat, anno singulo in perpetuum in festo Inventionis S. Crucis de mense maii, seu in festo Exaltationis eiusdem de mense septembris, in honorem SS. D. N. Iesu Christi liberare et ex carceribus extrahere possent et prout praefatus felicis recordationis Iulius III concesserat, confirmavimus et approbavimus, et quatenus opus esset, etiam de novo concessimus, prout in nostro motu proprio latius constat et apparet.

Et nunc eam in archiconfraternitatem erigit;

§ 1. Cupientes eamdem societatem et confratres spiritualibus gratiis et favoribus prosequi, ac ut ipsa opera non minuantur, sed in dies augeantur, ipsos confratres aliosque devotos fideles allicere, et propterea ipsam confraternitatem et illius confratres gratiarum muneribus ornare et decorare volentes, motu simili *etc.*, ipsam societatem et confraternitatem omnium aliarum confraternitatum, quae sub invocatione nominis Sanctissimi Crucifixi hactenus in toto orbe terrarum erectae fuerunt, seu in posterum erigi contigerit, archiconfraternitatem facimus, creamus, erigimus, constituimus, deputamus, ordinamus et esse volumus. Ita ut sit caput omnium societatum et confraternitatum sub sanctissimo nomine Crucifixi erectarum et erigendarum. Omnesque alias confraternitates erectas et erigendas sub nomine praefato, ubicumque locorum sitae sint, praefatae confraternitati immediate subiicimus et membra societatis praefatae et ab ea dependentia constituimus, deputamus et ordinamus ac esse volumus.

Statuta confirmat, et ius statuendi concedit;

§ 2. Necnon dictam archiconfraternitatem, cum illius oratorio in loco dictae ecclesiae vicino, in quibusdam domibus ipsi archiconfraternitati et illius confratribus per priorem et fratres dicti monasterii vel alios, sub certis modo et forma tunc ex-

pressis, concessis, construi incepto, omnibusque eiusdem archiconfraternitatis bonis et legatis et eleemosynis, elargitis et elargiendis, ac acquisitis et acquirendis. Itaque eiusdem archiconfraternitatis confratres seu priores vel guardiani archiconfraternitatem ipsam et illius bona regere, gubernare et administrare, ac de eisdem bonis, legatis et eleemosynis ad eorum libitum et prout eis videbitur et placuerit, disponere, et illa in usus eis visos convertere possint, ac omnia et singula statuta et constitutiones dictae societatis, quae per dilectum filium nostrum Raynutium Farnesium, tituli S. Angeli in foro Piscium presbyterum cardinalem S. R. E., maiorem poenitentiarium et dictae archiconfraternitatis protectorem, confirmata et approbata fuerint, confirmamus et approbamus. Ac eisdem confratribus vel prioribus seu guardianis quaecumque statuta et ordinationes prosperum statum ac regimen et gubernium dictae archiconfraternitatis concernentia ad eorum libitum condere, alterare et mutare, toties quoties eis videbitur, libere et licite valeant, concedimus et indulgemus, illaque ex nunc prout ex tunc, postquam condita, mutata vel alterata fuerint, confirmamus.

Executores et defensores deputat;

§ 3. Quo circa dicto Raynutio cardinali et poenitentiario ac moderno protectori archiconfraternitatis praefatae et aliis protectoribus pro tempore deputandis nec non universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis quibuscumque in dignitate ecclesiastica ubicumque locorum constitutis, motu praefato, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi et eorum quilibet, quoties fuerint pro parte dictorum archiconfratrum vel aliorum privilegium ab ipsis pro tempore habentium requisiti, eisdem in praemissis et eorum singulis quomodolibet assistant, eosdemque faciant gratiis et privilegiis praefatis libere frui et gaudere, non permittentes a quoquam desuper molestari, contradictores et rebelles per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; irritum quoque et inane decernentes quicquid in contrarium contigerit attentari.

Clausulas derogatorias apponit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis et consuetudinibus, etiam iuramento aut quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, in praeiudicium seu contrarium praemissorum per nos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros dictis et aliis quibusvis ecclesiis, basilicis, hospitalibus, societatibus et locis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis concessis *etc.* confirmatis *etc.* ac concedendis *etc.* Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis *etc.*, tenores illorum pro expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Subscriptio pro Papa.

Concessa motu proprio in praesentia D. N. Papae.

C. Cardinalis Borrhomæus.

Clausularum repetitio.

§ 5. Et cum absolutione a censuris, ad effectum *etc.* Et de creatione, erectione, constitutione et deputatione in archiconfraternitatem cum confirmatione statutorum *etc.*, ac privilegiis, concessionibus, gratiis, facultatibus et derogationibus, ac omnibus aliis et singulis praemissis, quae hic pro repetitis et expressis habeantur, perpetuo in forma gratiosa latissime extendendis quatenus opus fuerit. Et quod praemissorum omnium et singulorum maior et verior et specialis expressio fieri possit in literis per breve nostrum expediendis.

Sola signatura sufficit.

§ 6. Seu si ipsis archiconfratribus videbitur, sola praesentium signatura nostra sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula contraria non obstante.

Fides exemplorum.

§ 7. Ac quod praesentis transumptis, auctoritate et manu notarii publici aut secretarii dictae archiconfraternitatis subscriptis et sigillo dicti protectoris vel ipsius archiconfraternitatis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio et extra, ubi exhibita fuerint vel ostensa, prout originali adhiberetur, si ostenderetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, idibus maii, anno v.

XXXIX.

Suppressio officii regentis Camerae Apostolicae; sanctaeque Romanae Ecclesiae cardinali camerario aliisque eiusdem Camerae officialibus restitutio facultatum, iurium et iurisdictionum [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Romanus Pontifex, in supremo iustitiae throno constitutus, circa ea curam adhibet potissimam, per quae indemnitati quomodolibet provideatur et suae provisionis ope unicuique, quod suum est, tribuatur; ac interdum gesta per eius praedecessores, suadentibus rationabilibus causis, alterat, cassat, annullat, ac per eos mutata in pristinum statum reducit, ac alias desuper disponit, prout, rerum, temporum et personarum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire.

Paulus IV, suppresso officio auditoratus Cameræ, regentem instituit, attributis regenti nonnullis facultatibus et emolumentis, quae ad camerarium S. R. E. spectabant;

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Paulus Papa IV, praedecessor noster, ex certis tunc expressis causis, de fratrum nostrorum, de quorum numero tunc eramus, consilio et assensu, officium generalis auditoratus Curiae causarum Camerae Apostolicae, quod pro tempore existentis Romani Pontificis auditor generalis ac dictae Curiae index ordinarius existebat [2] tunc per obitum quondam Francisci Alberici de Rachaneto [1] eiusdem Curiae generalis auditoris, extra Romanam Curiam defuncti, vacans, eiusdem auditoratus nomine in perpetuum suppresso et extincto, ita ut de cetero officium ipsum non auditoratus Curiae causarum Cameræ Apostolicae, et illud pro tempore obtinens non auditor generalis Curiae causarum huiusmodi, sed regens sanctae Romanae Ecclesiae Camerae Apostolicae denominaretur et existeret, cum officio correctoriae archivii ipsius Curiae et aliis illi forsan annexis in officium regentis sanctae Romanae Ecclesiae Camerae huiusmodi, cum certis aliis tunc etiam expressis facultatibus, iuribus, iurisdictionibus, privilegiis, exemptionibus et indultis pro uno dictae Romanae Ecclesiae, cuiusvis Ordinis, cardinali, qui in suis et pro tempore existentis Romani Pontificis manibus praestaret fidelitatis debitae iuramentum, et officium regentis huiusmodi, sibi per eum aut Romanum Pontificem praefatum concessum, absque dispensatione apostolica, ad eius vitam obtineret; ac idem tribunal et eosdem notarios, quod et quos dictus Franciscus auditor, dum viveret, habeat, ita quod de cetero tribunal et notarii huiusmodi regentis et non auditoris praefati essent et dicerentur, haberet, ac ubique locorum, paribus facultate, voto, auctoritate, potestate, iurisdictione, etiam Sede Apostolica vacante, quibus pro tempore existens sanctae Romanae Ecclesiae camerarius, ratione sui officii camerariatus, quomodolibet fungebatur atque habebat seu habere poterat, una cum eodem pro tempore existente camerario, pariformiter et aeque principaliter, ac tam in dicta Camera quam extra eam, tot et talia, quot et qualia ipse pro tempore existens camerarius, ratione officii camerariatus huiusmodi, percipiebat et habebat, seu percipere et habere poterat, regalia

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

2 Forte *exercebat* (R. T.).

1 Legimus *de Recineto*, italice *Recanati*, quae est urbs Marchiae Anconitanae, ubi Alberici ortus est (R. T.).

perciperet et haberet, ac emolumenta eidem camerario, ratione sigilli, dari et per eum percipi solita, pro se ipso perciperet, auctoritate apostolica et de apostolicae potestatis plenitudine, transformavit, ac, quatenus opus esset, in illud, cum omnibus et singulis honoribus, oneribus, privilegiis, iuribus, salariis et emolumentis, quae eidem officio auditoratus competierant, necnon quibusvis facultatibus, indultis, iurisdictionibus et decretis pro tempore existenti generali auditori huiusmodi quomodolibet concessis, illa etiam approbando et ad ipsum officium regentatus extendendo, ad instar dicti officii camerariatus, praefata auctoritate, erexit et instituit.

Eique collationem quinque officiorum notariatus Curiae causarum Camerae concessit;

§ 2. Ac, inter alia, ex decem officiis notariatuum Curiae causarum huiusmodi, quae ad eiusdem praedecessoris et pro tempore existentis Romani Pontificis dispositionem eatenus spectaverant, quinque officia per dilectos filios Ioannem Savium, Felicem de Romaulis, Adam de Invidia, Ludovicum Reiidettum et Ioannem Barginum, Curiæ causarum Cameræ huiusmodi notarios, tunc obtenta, ad meram et liberam pro tempore existentis regentis Camerae huiusmodi dispositionem ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus spectarent et pertinerent, ac alias et alia cum mandati, inhibitionis, derogationis, irritantis decreti, appositionis et aliis clausulis tunc expressis statuit, ordinavit et declaravit.

Dictumque officium Alphonso cardinali Neapolitano contulit.

§ 3. Et deinde idem praedecessor officium regentatus huiusmodi, ab eius primaeva erectione et restitutione vacans, cum dicto officio correctoriae archivii eiusdem Romanae Curiae et aliis illi annexis, necnon omnibus et singulis illi concessis et attributis honoribus, oneribus, privilegiis, facultatibus, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, iuribus, obventionibus et emolumentis dilecto filio nostro, tunc suo, Alphonso, tunc Sancti Nicolai inter Imagines, nunc vero Sanctorum Ioannis et Pauli diacono cardinali Neapolitano nuncupato, per eum, quoad viveret, et vice-regentem ac locatenentes ab eo deputatos exercendum, auctoritate et potestatis plenitudine et consilio similibus.

Cardinalis regentatum resignat in Papae manibus,

§ 4. Cum autem dictus Alphonsus cardinalis officium regentatus huiusmodi, quod obtinet hodie, in manibus nostris sponte et libere resignaverit, nosque resignationem huiusmodi duxerimus admittendam.

Qui, attentis discordiis ex huiusmodi erectione inter tribunalia et magistratus Urbis obortis, dictum officium regentatus S. R. E. Camerae supprimit, et auditoratum cum antiquis iuribus restituit;

§ 5. Nos, considerantes suppressionem, transformationem, erectionem ac novarum facultatum et privilegiorum dicto officio regentatus concessionem huiusmodi multas inter omnes Romanae Curiae magistratus rixas, discordias, controversias et querelas excitasse, ac diversa incommoda toti Curiae praefatae, ac fisco Camerae Apostolicae praeiudicia et damna intulisse, ac in posterum, nisi de opportuno remedio provideatur, excitaturas et illaturas fore; officiique nostri pastoralis esse officialium nostrorum quieti et tranquillitati consulere, et ut indebite oppressi ab eorum oppressionibus huiusmodi releventur, et iustitia, in qua cunctis debitores sumus, libere exerceatur, quantum in nobis est, providere, ac ulterioribus incommodis et indemnitatibus eorum, qui, occasione erectionis et institutionis huiusmodi, quomodolibet gravati fuerunt, occurrere, singularum literarum praefatarum omniumque in eis contentorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ex praemissis et aliis rationabilibus ac nobis notis causis, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris ipsius Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, ac de eorum consilio et unanimi assensu, officium regentatus sanctae Romanae Ecclesiae Ca-

merae huiusmodi ac illius nomen, ita ut de cetero officium ipsum non regentatus sanctae Romanae Ecclesiae Camerae Apostolicae, sed auditoratus Curiae causarum Camerae Apostolicae, prout antea erat; et pro tempore obtinens non regens sanctae Romanae Ecclesiae Camerae Apostolicae, sed Curiae causarum Camerae Apostolicae huiusmodi generalis auditor, ut prius, existat, et illud necnon quinque notariatuum officiorum praefatorum dispositio ad nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem, etiam ut prius, pertineat, auctoritate praefata, ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, supprimimus et extinguimus.

Litteras Pauli IV super huiusmodi erectione invalidat;

§ 6. Necnon, tam regenti et regentatus officio quam illius vice-regenti, locatenentibus, familiaribus privilegia, concessiones, facultates, iurisdictiones, gratias et indulta quaecumque in dicti regentatus erectione et institutione aut alias per eumdem Paulum praedecessorem quomodolibet concessa, ac erectionem et institutionem ac cum statutorum, ordinationum, decretorum, declarationum, mandati, inhibitionis et aliis omnibus in eis contentis clausulis desuper confectas literas praefatas cassamus, annullamus, irritamus et viribus vacuamus.

Camerario ceterisque antiqua iura restituit;

§ 7. Ac sanctae Romanae Ecclesiae camerariatus et alia Romanae Curiae officia illorumque tribunalia, occasione prioris suppressionis, erectionis et institutionis, statutorum, ordinationum ac priorum literarum huiusmodi quomodolibet gravata, seu a quibus iura et iurisdictiones quovis modo oblata et distracta fuerunt, adversus illa, et cum eiusdemmet iuribus, iurisdictionibus, facultatibus, privilegiis et indultis, quibus camerarius et alia officia obtinentes, ac tribunalibus praesidentes ac eorum vice-regentes et locatenentes ante erectionem huiusmodi utebantur, potiebantur et gaudebant; necnon officium auditoratus huiusmodi in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum in omnibus et per omnia instituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ac ad pristinam eorum naturam ac facultates et privilegia ante literas praedictas eis quomodolibet competentia reducimus, necnon suppressa, extincta, restituta, reposita et plenarie reintegrata ac reducta fore et esse.

Praesentes literas nullo vitio laborare declarat;

§ 8. Ac praesentes de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis defectu notari seu impugnari non posse.

Sic per quoscumque iudices iudicari praecipit;

§ 9. Et ita per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac ipsius Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere, necnon si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogat contraris.

§ 10. Non obstantibus praemissis et, si opus sit, de non tollendo iure quaesito, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, et in posterum concedendis, approbandis et innovandis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter

et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae. § 11. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimoprimo, decimo octavo kalendas maii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 aprilis 1561, pontif. anno II.

XL.

Inquisitorum haereticae pravitatis facultas procedendi contra sacerdotes, qui mulieres poenitentes in actu confessionis ad actus inhonestos provocare et allicere tentant.

Pius Papa IV venerabili fratri archiepiscopo Hispalensi, in Regnis Hispaniarum haereticæ pravitatis inquisitori generali.

Quidam sacerdotes, abutendo sacramento Pœnitentiae, mulieres in actu confessionis ad actus inhonestos provocant.

Cum, sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus, diversi sacerdotes in regnis Hispaniarum atque etiam in eorum civitatibus et dioecesibus curam animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes aut alias audiendis confessionibus poenitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem ut sacramento Poenitentiae in actu audiendi confessiones abutantur; nec illi et, qui id instituit, Domino Deo et Salvatori nostro Iesu Christo iniuriam facere vereantur; mulieres videlicet poenitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo et provocando, seu allicere et provocare tentando et procurando, ac loco earum per sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, et in manibus diabôli tradendo, in divinae Maiestatis offensam et animarum perniciem et christifidelium scandalum non modicum.

§ 1. Nos, in animum inducere nequeuntes quod qui de fide catholica recte sentiunt, sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuae, de cuius eximia pietate, virtute atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus quatenus, per te vel per alium seu alios a te deputandum seu deputandos, contra omnes et singulos sacerdotes dictorum regnorum ac illarum civitatum et dioecesum de praemissis quomodolibet diffamatos, tam saeculares quam quorumvis, etiam exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum, Ordinum regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis et præeminentiae existant, tam super praemissis quam super fide catholica et quid de ea sentiant diligenter inquiras, et iuxta facultatem tibi contra haereticos aut de haeresi quovis modo suspectos a Sede Apostolica concessarum continentiam et tenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxta excessuum suorum qualitatem, prout iuris fuerit, punias, eos etiam, si et prout de iure fuerit faciendum, debita praecedente degradatione, saecularis iudicis arbitrio puniendos tradendo.

Contra quos ab inquisitoribus pravitat. haereticae inquiri decernit Pontifex;

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum et monasteriorum necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romae apud Sanctum Petrum,

sub annulo Piscatoris, die decimasexta aprilis, millesimo quingentesimo sexagesimo primo, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 aprilis 1561, pontif. anno II.

XLI.

Applicatio Reverendae Camerae Apostolicae omnium fructuum beneficiorum Italiae, Sedi Apostolicae reservatorum seu affectorum, pro tempore quo aliter quam per cessum ipsa beneficia vacaverint.

Pius Papa IV, ad futuram rei memoriam.

Cupientes malitiis nonnullorum, qui in possessione monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum dispositioni apostolicae reservatorum pro tempore vacantium, sine iusto titulo ac sine literis apostolicis, ut illorum fructus, durante vacatione huiusmodi, usurpent, se intrudere non verentur, occurrere, et Camerae nostrae Apostolicae gravissimis oneribus in aliqua parte sublevandis, quantum cum Deo possumus, consulere, motu proprio et ex certa nostra scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine.

Causae huius applicationis.

§ 1. Omnes et singulos fructus, redditus et proventus, ac iura, obventiones et emolumenta quaecumque, quomodolibet et qualitercumque nuncupata, omnium et singulorum monasteriorum, etiam consistorialium, et beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, nobis et Sedi Apostolicae, tam per constitutiones apostolicas quam Cancellariae Apostolicae regulas editas et edendas, seu alias quomodolibet et ex quavis causa, generaliter vel specialiter reservatorum seu affectorum in partibus Italiae, in quibus collectores et subcollectores spoliorum et iurium Camerae Apostolicae praedictae esse consueverunt, ac earum civitatibus et dioecesibus consistentium, per obitum et alias quovis modo, praeterquam per cessum illa obtinentium, pro tempore vacantium, a die ipsorum monasteriorum et beneficiorum vacationis pro rata temporis usque ad diem provisionis seu commendae de eisdem beneficiis et monasteriis per nos faciendae, de qua per literas nostras sub plumbo et non aliter constare debere volumus, eidem Camerae, auctoritate apostolica, tenore praesentium, reservamus, applicamus, incorporamus et approbamus, illaque ei reservata, applicata, incorporata et appropriata esse et fore, et ad illam spectare et pertinere.

Applicatio R. Cam. Apostol. fructuum beneficiorum Sedi Apostolicae reservatorum seu affectorum in Italia a die vacationis usque ad diem provisionis, *etc.*

§ 2. Nullumque, praeter nos et dictam Cameram aut dilectum filium Donatum Matthaeum Minalem ac pro tempore existentem thesaurarium nostrum ac spoliorum et aliorum iurium ipsius Camerae collectorem generalem vel eius subcollectores, ea percipere, exigere et recuperare aut alias se in illis intromittere posse aut debere, tenore praesentium statuimus et ordinamus.

Facultas collectoris exigendi dictos fructus.

§ 3. Et nihilominus, ne aliquod impedimentum huic nostrae ordinationi occurrat, quibusvis archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis, in virtute sanctae obedientiae ac sub suspensionis a divinis et interdicti ingressus ecclesiae, quoad archiepiscopos et episcopos; quoad vero alios inferiores [1], etiam sub privationis facultatis conferendi beneficia in eorum mensibus pro tempore vacantia poenis, districte praecipimus et inhibemus ne beneficia dispositioni apostolicae reservata seu affecta prædicta, quovis praetextu, causa aut quaesito colore, cuiquam conferre seu de illis providere aut in illis vel eorum possessione sese intromittere quoquomodo audeant vel praesumant.

Inhibitio contra alios ne desuper se intromittant.

§ 4. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, iudices, commissarios et

Clausula subsista *etc.*

1 Matth. et Cherub. legunt: *inferiores, etiam sub excommunicationis et aliis arbitrii nostri, et quoad omnes sub privationis* etc. (R. T.).

personas, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Facultas collectoris in executione huius constitutionis.

§ 5. Mandantes eidem Donato Matthaeo et pro tempore existenti thesaurario et collectori ut, nostro et dictae Camerae nomine, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi per se vel eius subcollectores praedictos, etiam propria auctoritate, exigat, percipiat et levet, sibique nihilominus consignari et tradi ab omnibus, ad quorum manus pervenerint, pro rata praedicta, per censuras et poenas ecclesiasticas, per personas ecclesiasticas ab eo eligendas fulminandas, et alia opportuna iuris et facti remedia, quacumque appellatione postposita, faciat et curet, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, super quibus omnibus et singulis plenam et liberam illi per praesentes concedimus facultatem.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum et illorum Ordinum ac beneficiorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu et scientia similibus, concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, illaque adversus praemissa nullatenus suffragari posse sive debere decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio quod ex dictis fructibus onera benef. supportentur.

§ 7. Volumus autem quod ex fructibus, redditibus et proventibus per dictum thesaurarium et etiam deputatos pro rata huiusmodi percipiendis, onera quaecumque dictis beneficiis incumbentia similiter pro rata temporis supportari debeant.

Exemplorum fides.

§ 8. Quodque praesentium, manu notarii publici subscriptis, transumptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu curiae ecclesiasticae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimaquinta aprilis, millesimo quingentesimo sexagesimoprimo, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 25 aprilis 1561, pontif. anno II.

XLII.

Iurisdictio et facultates auditoris causarum Curiae Reverendae Camerae Apostolicae [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Venerabili fratri Flavio episcopo Muranensi salutem et apostolicam benedictionem.

Proemium.

Ad eximiae devotionis affectum, quem cum fidei constantia et sinceritate mentis,

1 Hoc officium est antiquissimum, et plures ei Pontifices auxerunt iurisdictiones, ut notavi in constitutione IX Innocentii VIII, *Apprime*, tom. V, pag. 320. Extinctum fuerat a Paulo IV et regentatui S. R. E. Camerae, a se noviter erecto, unitum; ab hoc autem Pontifice in pristinum restitutum, ut in constitutione XXXIX, pag. 123 videre est superius.

tu et progenitores tui ad nos et Romanam Ecclesiam gerere comprobamini, necnon generis nobilitatem, eximiamque doctrinam, ac in rebus gerendis experientiam et dexteritatem, necnon fidei et iustitiae zelum ac integritatem, singularemque probitatem, necnon ceteras virtutes, quibus personam tuam, illarum largitor, Altissimus multipliciter insignivit, nostrae dirigentes considerationis intuitum, ac propterea indubiam spem gerentes quod ea, quae tibi duxerimus committenda, summa cum providentia et exacta cum diligentia laudabiliter exequeris, dignum, quin potius debitum arbitramur ut eamdem personam condignis honoribus et gratiis prosequamur.

Officium auditoratus Cameræ vacavit olim per obitum Francisci Alberici, et in officium regentis Camerae transformavit et illud cardinali de Neapoli concessit Paulus IV cuius bullam uti ociosam praeterii.

§ 1. Dum itaque nos nuper officium generalis auditoriatus seu audientiae Curiae causarum Camerae Apostolicae, quod antea tunc per obitum quondam Francisci Alberici de Rachanero [1], olim Curiae causarum hùiusmodi generalis auditoris, extra Romanam Curiam defuncti, vacans, felicis recordationis Paulus Papa IV, praedecessor noster, ex certis tunc expressis causis, nomine auditoriatus in perpetuum suppresso et extincto, in officium regentis S. R. E. Camerae Apostolicae, de fratrum suorum consilio, apostolica auctoritate, transformaverat, ac in illud erexerat et instituerat, ac postmodum officium huiusmodi, ab eius primaeva erectione tunc vacans, dilecto filio nostro Alphonso, tunc S. Nicolai inter Imagines, nunc vero Sanctorum Ioannis et Pauli diacono cardinali, Neapolitano nuncupato, dicta auctoritate concesserat et assignaverat.

Vacavit postea per resignationem et illud hic Pontifex suppressit;

§ 2. Cum dictus Alphonsus cardinalis officium regentatus huiusmodi in manibus nostris sponte et libere resignasset, nosque resignationem huiusmodi duxissemus admittendam, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, ac de eorum consilio et unanimi consensu, officium regentatus huiusmodi, eius nomine et denominatione huiusmodi per nos suppressis et extinctis, ac illius erectione et institutione praedictis necnon literis apostolicis desuper confectis revocatis, cassatis et annullatis, adversus erectionem et institutionem nec non literas apostolicas praefatas, ac in pristinum et eum, in quo ante illius suppressionem necnon erectionem et institutionem huiusmodi erat, statum pristinamque naturam in omnibus et per omnia restituimus, reposuimus et plenarie reintegravimus, prout in literis apostolicis desuper confectis, ac manu nostra et dictorum fratrum nostrorum signatis plenius continetur.

Et modo officium A. C. conferit Flavio Ursino cum solitis facultatibus et maxime infradicendis:

§ 3. Nos, post longam super hoc habitam discussionem et maturam deliberationem, in te oculos nostrae mentis coniicientes, ac de supradictis tuis virtutibus specialem in Domino fiduciam sumentes, ac sperantes quod tu, qui ecclesiae Muranensi praeesse dignosceris, ac utriusque iuris doctor et in utraque signatura nostra referendarius et praelatus domesticus noster existis, dextera Domini tibi assistente propitia, officium huiusmodi scies, voles et poteris, ad laudem et utilitatem multorum, fideliter exercere, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac suppressionis, erectionis et institutionis necnon literarum praefatarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, ac verum et ultimum dicti officii auditoriatus vacationis modum praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed

1 Vide superius notulam ad pag. 123, col. b (R. T.).

de nostra mera liberalitate et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, officium auditoriatus seu audientiae Camerae huiusmodi, sive per similem resignationem Alphonsi cardinalis, seu adhuc per obitum Francisci praedictorum, sive alias, quovis modo, quem haberi volumus pro expresso, vacet, cum officio correctoriae archivii Romanae Curiae, aliisque illi annexis, necnon omnibus et singulis illius honoribus, privilegiis, iuribus et regalibus vel alias nuncupatis emolumentis consuetis, ac facultatibus et indultis ac decretis, etiam in ordine et modo procedendi in causis eidem Francisco et aliis, qui pro tempore fuerunt causarum Curiae generalibus auditoribus, etiam per felicis recordationis Iulium II, Leonem X, Clementem VII, Paulum III et Iulium etiam III ac alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos et Sedem Apostolicam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, tam sub plumbo, quam in forma brevis et alias ex usu, stylo et consuetudine quomodolibet concessis, tibi, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus et assignamus; teque in nostrum et dilecti filii nostri Guidonis Ascanii S. Mariae in Via-Lata diaconi cardinalis de Sancta Flora nuncupati, moderni et pro tempore existentis camerarii nostri, ac causarum Curiae huiusmodi generalem auditorem, cum honoribus, oneribus, privilegiis, iuribus, emolumentis, facultatibus et decretis praedictis, constituimus et deputamus, teque in locum dicti Francisci, quoad huiusmodi auditoriatus officium eiusque exercitium, quoad vixeris, substituimus et subrogamus.

Causas obligationum in forma Camerae privative quoad alios cognoscendi;

§ 4. Tibique, per te vel alium seu alios idoneum seu idoneos [1] locumtenentes tuos, quos pro tempore duxeris assumendos vel deputandos, de omnibus et singulis causis, modis et formis supra et infrascriptis cognoscendi, et illas decidendi facultatem concedimus. Ita quod tu in causis obligationum in forma Camerae celebratarum solus (praeterquam inter cives Romanos, inter quos motum proprium ultimo loco per nos desuper in favorem populi Romani concessum observari volumus), alii vero quicumque, etiam Romanae Curiae iudices, in similibus causis nullatenus nulloque modo procedere possint, procedere debeas. Necnon de omnibus et singulis obligationibus in forma Camerae, ubivis locorum et inter quascumque personas factis et faciendis (his dumtaxat exceptis quae in dependentibus a litibus et causis in eadem Camera aut coram aliis iudicibus pro tempore introductis factae seu receptae fuerint), et tunc, non per viam censurarum, sed mandati executivi cognoscas [1].

Reassumendi causas obligationum cameralium specialiter alteri non commissas;

§ 5. Ita ut quascumque causas, quae de cetero, perpetuis futuris temporibus, in eadem Curia super ipsis obligationibus, in alio quam tuo ac Curiae causarum huiusmodi tribunali (praeterquam in vim specialis commissionis nostrae de dicta obligatione specialem mentionem facientis), motae fuerint, in illarum statu, gradu et terminis, in quibus reperientur, tua ordinaria auctoritate (exceptis causis in Curia Capitolii contra dictos cives Romanos pro tempore, iuxta formam dicti motus proprii, motis) reassumere, et iudicibus, quibus sint commissae, ac coram quibus illae pendebunt in posterum, ne in eis aut de illis quoquomodo vel quovis quaesito colore, directe vel indirecte, se intromittere praesumant, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, arbitrio tuo moderandis et applicandis, inhibere; ac quidquid secus super his contigerit attentari, irritum et inane decernere.

Censuras promulgandi;

§ 6. Ac etiam solus, dictarum obligationum vigore, censuras ecclesiasticas promulgare.

1 Cherub. addit *locumtenentem seu* (R. T.).

1 Cherub. legit: *et tunc per viam censurarum, seu mandati etc.* (R. T.).

Causas praelatorum, mercatorum, curialium, pensionumque, *etc.* cognoscendi,

§ 7. Necnon omnes et singulas spirituales et ecclesiasticas ac profanas et quorumvis eiusdem Romanae Ecclesiae cardinalium, eorumque ac nostrorum familiarium, continuorum commensalium et praelatorum quorumcumque, in ipsa Curia degentium, ac etiam imperatoris, regum et aliorum principum ac communitatum et universitatum, oratorum nec non dictae Curiae officialium et eamdem Curiam sequentium ac familiarium eorumdem et ipsius Curiae causarum huiusmodi auditoris notariorum et eorum familiarium, campsorum quoque et quorumvis mercatorum ac pensionum annuarum super fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis assignatarum, etiam si earum solutio non in ipsa Curia, sed in partibus sit facienda.

Aliasque hic indicatas, et appellationes;

§ 8. Et quascumque alias, etiam commissarias, causas, tam civiles quam criminales et mixtas, et coniunctim vel divisim in eadem Curia quomodocumque et qualitercumque motas et movendas, et inter quascumque partes, etiam per viam inquisitionis aut ex officio, quomodolibet pendentes. Ac quae per appellationem a gravaminibus illatis et conferri comminatis, seu sententiis definitivis vel interlocutoriis, a quibusvis iudicibus ordinariis et arbitris atque arbitratoribus in Curia et Urbe praedictis (vicario nostro ac gubernatore et senatore Urbis praedictae et iudicibus Capitolinis duntaxat exceptis), et extra eas a quibuscumque iudicibus ordinariis vel delegatis seu arbitris vel arbitratoribus, ac etiam dictae Sedis legatis et eorum vicelegatis in terris eidem Ecclesiae Romanae mediate vel immediate subiectis, aut aliis earum gubernatoribus vel officialibus, et quibusvis in feudum vel vicariatum aut alias quomodolibet concessis, pro tempore latis et promulgatis, interpositae seu alias ad eamdem Sedem, etiam per viam reclamationis iudicialis vel extraiudicialis aut nullitatis vel recursus, hactenus devolutae sunt et in posterum devolventur.

Summarie procedend. in causis mercatorum notariorum et 200 ducat. et infra;

§ 9. Eas videlicet, in quibus non agetur ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camera, aut de re verum summae praedictae valorem non excedente, seu quae inter et contra mercatores dictae Curiae, pro quibuscumque negotiis, ad quamcumque summam ascendat, et inter ac contra notarios suos et eorum familias, pro tempore vertentur, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola veritate inspecta, etiam manu regia et absque observatione terminorum, qui de stylo seu ordinatione Palatii Apostolici, aut alias observari consueverunt.

Alias autem servatis terminis;

§ 10. Alias vero dictam summam aut illius valorem excedentes et inter ac contra alios quam mercatores vertentes, servatis terminis, et alias summarie, prout in beneficialibus; eisdemque terminis quomodocumque male et nulliter, praepostere ac inculcate tentis, pro minori partium dispendio, etiam unico contextu, citatione et audientia reiteratis, etiam per affixionem citationum pro tempore faciendarum ad valvas habitationis ipsorum citandorum, quoad obligatos in forma Cameræ; et quoad alios aliter obligatos, ubi non agetur de maiori quam viginti ducatorum summa, audire, cognoscere, decidere et fine debito terminare.

Causas criminales Urbis et omnium exemptorum cognoscendi;

§ 11. Necnon de omnibus et singulis criminibus, excessibus et delictis, tam in Urbe et Curia praefatis, quam extra eas per quoscumque, tam eiusdem Sedis officiales, quam dictam Curiam sequentes et alios, etiam a iurisdictione ordinariorum exemptos et praedictae Sedi immediate subiectos, cuiuscumque ecclesiasticae vel mundanae dignitatis, etiam episcopalis vel maioris, et per quoscumq. alios, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, perpetratis vel perpetrandis [1] quam etiam partium accusationem, vel etiam instigationem, seu ex mero officio inquirere

1 *Tam ad procuratoris fiscalis denunciationem et promotionem, quam etc.*, Cherub. (R. T.).

et super illis, tam per viam inquisitionis, quam accusationis seu denunciationis et instigationis huiusmodi procedere, et culpabiles repertos iuxta suorum excessuum exigentiam et qualitatem punire, dummodo monitoria contra episcopos vel eorum superiores ad comparendum personaliter, nisi praevia commissione manu nostra signata, non decernas.

Litteras apostolicas exequendi;

§ 12. Necnon quascumque literas apostolicas, generales aut particulares, tam sub plumbo, etiam per officium audientiae literarum nostrarum contradictarum expeditas, quam in forma brevis et quarum solam signaturam sufficere concessum fuerit, supplicationes per nos et pro tempore existentes Romanos Pontifices aut in eius seu nostri praesentia signatas, necnon literas pro tempore existentium camerarii et poenitentiarii maioris nostrorum, dummodo in illis et literis apostolicis praedictis alii executores deputati non fuerint, solus; in quibus vero executores deputati erunt, accumulative cum illis exequi et super illis processus debitos in forma solita, etiam cum promulgatione censurarum in similibus promulgari solitarum, decernere.

Sententias in Curia latas a iudicibus hic non exceptis exequendi et pariter processus Coenae Domini *etc.*;

§ 13. Ac tuarum et per tuos locumtenentes seu quosvis alios, tam ecclesiasticos quam saeculares iudices, et tam delegatos quam subdelegatos, et etiam causarum dicti Palatii Apostolici auditores vel nos aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, tam in specie quam in genere, ac alios quomodolibet in eadem Curia pro tempore latarum sententiarum, necnon quorumcumque processuum generalium et specialium, tam in die Coenae Domini, quam alias, cum censurarum et poenarum ecclesiasticarum fulminatione, fieri solitorum executiones, quas, etiam si delegatis aut subdelegatis praedictis vel quibusvis aliis, etiam specialiter, per nos et Sedem praedictam commissae fuerint, tibi auditori, accumulative et non privative, commissas esse volumus et decernimus, servatis terminis in tribunali auditoris huiusmodi servari solitis, et etiam singulis diebus et horis, prout in ordinariis consuetum erat facere, illasque et illos debitae executioni, etiam, si opus fuerit, cum auxilii brachii saecularis invocatione, demandare.

Causas contractuum initorum in Curia cognoscendi,

§ 14. Et quascumque communitates, universitates, collegia et capitula, necnon etiam extra dictam Curiam degentes personas, pro debitis per eos in eadem Curia contractis, aut salario seu contractu in dicta Curia inito.

Curialiumque;

§ 15. Degentes vero in eadem Curia seu curiales ecclesiasticos, saeculares vel regulares, etiam ab ipsa Curia absentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis [1], etiam pontificalis, conditionis vel praeeminentiae existentes, pro quibusvis rebus et pecuniarum summis, ad quorumvis, etiam absentium, quorum pro tempore intererit, instantiam, quoties expedierit, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto ad eos accessu, ad satisfaciendum de eorum debitis et praestandum ea ad quae pro tempore tenebuntur, monere et citare.

Remissorias et compulsoriales dandi;

§ 16. Ac literas quascumque remissóriales et compulsoriales et tam generales quam speciales, ubi et quoties opus fuerit, arbitrio tuo decernere.

In vim Eugenianae et Leoninae, curiales tuendi;

§ 17. Necnon etiam, in vim bullae Eugenii, in favorem curialium emanatae, et Leoninae necnon cuiuscumque alterius extensionis, inhibere.

Monitoria et citat. ad partes decernendi;

§ 18. Ac monitoria et citationes ac inhibitiones ad partes, etiam per simile edictum decernere, eos quoque arrestare et incarcerare. Et, si tibi videbitur, poenas et mulctas dimittere et relaxare, ac pro delictorum, excessuum et criminum qualitate eis (citra tamen mortem et membri mutilationem) per te et tuos locatenentes infligere et imponere.

1 Cherub. addit *dignitatis* (R. T.).

§ 19. Necnon quoslibet inobedientes excommunicare, a divinis suspendere, generaliter et specialiter interdicere, ac sententias, censuras et poenas ecclesiasticas per te tuosque locatenentes pro tempore latas, etiam iteratis vicibus aggravare. Et quod a te vel locatenentibus praedictis pro tempore excommunicati seu alias censurati, ab aliis, quam a te vel eisdem locatenentibus praedictis, etiam de partium consensu, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi non possint, ad evitandas collusiones, statuere.

Censuras promulgandi;

§ 20. Et cum tibi visum fuerit expedire, communitates, universitates, collegia, capitula et personas quascumque a quibusvis sententiis, censuris et poenis ac muletis ecclesiasticis, spiritualibus et temporalibus, per alios videlicet quam per te et dictam tuam Curiam inflictis, in diebus paschalibus cum reincidentia absolvere, ac sententias, censuras et poenas ac muletas huiusmodi et quaecumque interdicta suspendere, tollere et eis relaxare.

Absolutiones dandi;

§ 21. Necnon obligationes in forma Camerae huiusmodi, etiam post mortem debitoris, quoad illius bona tantum, etiam per vim confessionis debiti, per aliquem ex procuratoribus in qualibet obligatione constitutis more solito faciendæ, et hæredibus legitime citatis, seu alias arbitrio tuo exequi, et executioni demandari facere.

Oblig. contra haeredes exequendi;

§ 22. Et generaliter omnia et singula alia, quae ad officium auditoris Curiae causarum huiusmodi de iure vel ex privilegio aut usu seu literis et consuetudine praedictis olim spectabant, et quae illi, qui pro tempore fuerunt, Curiae causarum huiusmodi auditores, ex concessis eis facultatibus facere, decernere, mandare, statuere, ordinare et exequi quomodolibet poterant seu consueverant, facere, dicere, mandare, statuere, ordinare et exequi. Habituri ratos et gratos processus et sententias, quos et quas, tu et tui locatenentes praedicti pro tempore habueritis et tuleritis, ac reliqua omnia, quae in praemissis et circa ea ac quodlibet eorum feceritis, dixeritis, mandaveritis, statueritis, ordinaveritis; ac facturi ea omnia, auctore Domino, in omnibus usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari.

Et alia omnia consuota faciendi.

§ 23. Et insuper eisdem auctoritate et potestatis plenitudine, tam Iulii II, Leonis X et aliorum praedecessorum huiusmodi literas, quam omnia et singula privilegia, indulta, facultates, iurisdictiones et gratias, officio auditoriatus et auditoribus praedictis quomodolibet concessa, ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, singulas desuper confectas literas, quarum omnium et singularum literarum praedictarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, approbamus et confirmamus ac innovamus, necnon perpetuae firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari debere decernimus; illaque omnia et singula ad officium auditoriatus et auditorem pro tempore existentem, perinde ac si eis specialiter et expresse concessa, et pro eis, seu in illorum favorem statuta et ordinata fuissent, extendimus et ampliamus.

Confirmatio omnium facultatum et indultorum.

§ 24. Quodque caput *Odoardus* et caput *Pervenit*, ac quaevis alternativae seu moratoriae et dilationes, etiam salinariae, per quoscumque, etiam eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales, pro tempore decretae, obligatis in forma Camerae, quoad bona, nullatenus prosint. Quinimmo obligationes in forma Camerae, quoad bona tantum, debitae executioni demandentur, etiam post mortem debitoris, non obstante quacumque appellatione et superinde obtenta commissione, de huiusmodi obligatione expressam mentionem non faciente, aut discussione haereditatis ubilibet pendente, si per creditores data fuerit idonea cautio in forma depositi de restituendo id, quod

Facultas in cessionibus bonorum et discussionibus.

receperint, prioribus et potioribus creditoribus, in eventum succumbentiae.

Locus A. C. in cappella Papae.

§ 25. Quodque tu in cappella et reliquis actibus, tam publicis quam privatis, primum locum post gubernatorem et oratores principum, si praelati fuerint, habeas, tibi indulgemus, ac volumus et statuimus.

Executorum deputatio.

§ 26. Mandantes et districtius inhibentes quibusvis iudicibus *etc.*

Clausulae praeservativae.

§ 27. Decernentes praesentes literas ac in eis contenta quaecumque, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus et alterationibus *etc.*

Decretum irritans.

§ 28. Et ita per quoscumque iudices et commissarios *etc.*

Clausulae derogatoriae.

§ 29. Non obstantibus praemissis et, si opus sit, de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis, consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis *etc.*

Fides transumptorum.

§ 30. Quodque praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius curiae ecclesiasticae seu *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo primo, kalendis maii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 maii 1561, pontif. anno II.

XLIII.

Iurisdictio senatoris, collateralium et aliorum iudicum Curiae Capitolii almae Urbis [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Romanorum et incolarum Urbis indultum fori

Dilectos filios senatorem, conservatores populumque Romanum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, omnimodam et integram (prout illis per felicis recordationis Sixtum IV, Iulium II, Leonem X, Paulum III et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros alias concessa fuit) iurisdictionem, causarumque inter ipsos ac contra et inter Romanos et incolas pro tempore motarum cognitionem et decisionem totalem Curiae Capitolii Romani: ita quod, in praedictis et aliis causis, obligationibus, etiam in forma Camerae Apostolicae, in quibus videlicet per alios iudices praeventum non sit, aliisque quibusvis differentiis et actoribus [1] inter ipsos Romanos ac eorum aliquem vel aliquos deinceps orituris et movendis, nullus, præter senatorem et ipsius Capitolii iudices pro tempore existentes, se privilegiorum apostolicorum aut consuetudinum seu quovis alio praetextu intromittere possit, etiam dictorum praedecessorum concessiones huiusmodi, literasque et alias desuper confectas scripturas approbantes, confirmantes et innovantes, literarumque et scripturarum earundem tenores praesentibus pro expressis habentes, auctoritate apostolica, ex certa scientia *etc.*, perpetuo concedimus et indulgemus.

Capitolini etiam in obligationibus cameralibus ubi A. C. non praeventit.

Derogatio facultatum aliorum iudicum in his causis.

§ 1. Ac senatorem, conservatores et populum Romanum, Curiamque et iudices Capitolinos praefatos, quod iurisdictionem huiusmodi, adversus quascumque aliis almae Urbis tribunalibus et magistratibus, etiam regenti Camerae, gubernatori et nostro vicario, quomodolibet, etiam consistorialiter, concessas facultates et alias contrarias dispositiones, in pristinum et eum, in quo ante illarum concessiones quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ac facultates et alias dispositiones contrarias huiusmodi ad hunc effectum per praesentes revocamus, cassamus et annullamus.

Chirurgi ad Curiam Capitolii vel gubernatoris crimina referant

§ 2. Et insuper ne delicta remaneant impunita, quod chirurgi, barbitonsores et alii vulnerum aliorumque criminum

1 Circa istam iurisdictionem habes in Iulio II constitutionem XXXV, *Decet*, tom. V, pag. 511, ac Leonis X const. I, *Dum singularem*, ibid., pag. 558.

1 *Actionibus*, Cherub (R. T.).

notitiam habentes, illa ad Curiam Capitolii huiusmodi, iuxta ipsius senatoris desuper proponenda edicta, et sub poenis inibi apponendis, aut ad curiam gubernatoris, iuxta solitum, deferre teneantur.

Nullitates non attendantur.

§ 3. Quodque, pro celeriori causarum expeditione, in eadem Curia Capitolina nullitatum nulla ratio habeatur, nisi earum, quae ex iurisdictionis, citationis vel mandati defectu provenient.

Feriae quae servandae.

§ 4. Et ne feriarum accumulatio causarum expeditionem in longum protrahat, sublatis de medio ceteris feriis voluntarie, per usum vel alias, non tamen in honorem Dei, introductis, observatio tantum coerceatur ad ferias in antiquis statutis expresse descriptas.

Assettamenti votum quando peti possit.

§ 5. Ac etiam statuta de assettamentis loquentia declarantes, quod assettamentum peti non possit, nisi in casibus et articulis, quorum gravamen per definitivam reparari non valeat, qui, ex statuto, sub rubrica *De appellationibus non recipiendis*, lib. VI, positi colliguntur, nec in causis summam decem ducatorum non excedentibus; in aliis vero causis a decem supra in litis contestatione dumtaxat peti possit, et hoc arbitrio iudicis; in definitivis autem vel interlocutoriis vim definitivae habentibus sententiis, iudex causas huiusmodi in assettamentis proponere, aliis in contrarium loquentibus statutis non attentis, omnino teneatur.

Assettamentum quomodo fiat, aliquo ex iudicibus absente, infirmo vel recusato.

§ 6. Et praeterea quod si unum ex iudicibus Curiae huiusmodi abesse vel aegrotare aut suspectum iurari contigerit, assettamentum [1] per tres reliquos praesentes iudices fieri possit, quorum unus, in loco aegrotantis vel absentis iudicis, ad tribunal pro interlocutoriis faciendis sedeat et super incidentiis emergentibus et dependentibus, usque ad sententiam definitivam, exclusive provideat, etiam perpetuo statuimus et ordinamus.

§ 7. Necnon senatorem, conservatores, populum et Curiam praefatos ad antiquam eorum iurisdictionem, ut praemittitur, restitutos et plenarie reintegratos esse. Ac praesentes et in eis contenta quaecumque valida et efficacia fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et inviolabiliter observari debere, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae defectu, quovis quaesito colore, praetextu vel ingenio, nullatenus notari vel impugnari, nec per nos vel Sedem Apostolicam, ullo umquam tempore, revocari aut alias illis derogari posse. Et si ac quoties illa revocari aut alias illis derogari contigerit, toties in pristinum statum restitui, et de novo, etiam sub posteriori data, per ipsos senatores et conservatores eligenda, concessa et stabilita esse.

Clausulae praeservativae.

Decretum irritans.

§ 8. Et sic per quoscumque iudices et commissarios, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales *etc.*, sublata eis quavis aliter interpretandi *etc.* facultate, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis *etc.*, etiam Palatii Apostolici, curiarumque Urbis stylis, necnon privilegiis, indultis et literis apostolicis, quibusvis Romanae Curiae tribunalibus, curiis, magistratibus, iudicibus et aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili, etiam consistorialiter, concessis *etc.*, quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Placet, motu proprio. I.

Clausularum repetitio.

§ 10. Et cum absolutione a censuris ad effectum *etc.* Et cum approbatione, con-

1 Cherubinus, quod hic romana editio *assettamentum*, eadem notione, *assertamentum* legit (R.T.).

firmatione, innovatione, concessione, indulto, restitutione, repositione, reintegratione, revocatione, cassatione, annullatione, statuto, ordinatione, decreto et derogatione praemissis, ut supra, perpetuo. Et quod sola praesentium sufficiat signatura et ubique, etiam in iudicio, fidem faciat, regula contraria non obstante; seu, si videbitur, literae desuper per breve nostrum, etiam cum literarum praedecessorum praedictorum et inde sequutorum tenorum aliorumque necessariorum maiori et veriori expressione, expediri possint.

Limitatio privilegii fori in tribus casibus.

§ 11. Et quod ad obligationes in forma Camerae servetur forma ipsius obligationis, ut sit in potestate auctoris vel creditoris convenire debitorem suum Romanum vel incolam laicum, non solum coram regente vel auditore Cameræ, ipsarum obligationum iudice ordinario, sed etiam in Curia Capitolii. Quoad reliquas vero causas civiles, non tamen fiscales, possit reus Romanus vel incola declinare quodcumque aliud forum, et petere se remitti ad Curiam Capitolii, nisi alterius iudicis iurisdictionem prorogaverit aut in eum tacite vel expresse consenserit; et aliter factæ reassumptiones vel inhibitiones per dictam Curiam Capitolii nullius sint roboris vel momenti.

Sequitur declaratio dictae constitutionis respectu iurisdictionis gubernatoris Urbis.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causa constitutionis.

Ne per praeinsertum motum proprium aliquod praeiudicium bono et pacifico regimini almae Urbis nostrae, quod in praesentiarum venerabili fratri Hieronymo, episcopo Sagonensi, per nos commissum extitit, inferatur.

§ 1. Decernimus et declaramus intentionis nostrae minime fuisse nec esse quod per signaturam praeinserti motus proprii praedicti in aliquo iurisdictioni et facultatibus eiusdem moderni ac pro tempore existentis gubernatoris, praesertim circa bannimentorum editiones, ac cognitiones causarum criminalium mercedum et pauperum vel alias miserabilium personarum, ac alias quascumque causas sibi aut aliis gubernatoribus et eius officio per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, tam contra cives Romanos quam alios quoscumque quomodolibet concessas, in omnibus et per omnia, perinde ac si dictus praeinsertus motus proprius minime signatus, nec a nobis emanatus fuisset, minime praeiudicetur nec praeiudicatum esse intelligatur. Et sic per quoscumque *etc.*, sublata *etc.*, irritum quoque *etc.*; solamque praesentis motus proprii nostri signaturam in iudicio et extra sufficere ac fidem facere, regula contraria non obstante, similiter decernimus et declaramus.

Praeservatio iurisdictionis gubernatoris.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 2. Praeinserto motu proprio, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque, privilegiorum et facultatum eidem ac pro tempore existenti gubernatori et eius officio concessis tenoribus *etc.* pro plene et sufficienter expressis habentes, quae et quas per praesentes innovamus.

Placet, motu proprio. I.

XLIV.

Extensio constitutionis Pauli III circa causas civiles interesse fisci Camerae Apostolicae concernentes in eadem Camera cognoscendas 1.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Paulus III avocavit civiles causas sui fisci

§ 1. Cum, sicut accepimus, licet Romani Pontifices praedecessores nostri, pro causis

1 Hanc bullam Pauli III habes tom. VI, constitutione X, *Non sine*, pag. 217. Hoc idem statuerat Urbanus VI in eius constitutione I, *Apostolicae*, tom. IV, pag. 581.

interesse concernen. et illas ac alias movendas in Camera Apostolica cognosci mandavit.

civilibus fiscum nostrum tangentibus, proprium tribunal camerarii ac praesidentium Camerae Apostolicae maximis rationibus, et non modico eiusdem Camerae dispendio, ut causae praefatae per praefatos pro tempore praesidentes, in Camera Apostolica, ubi et procurator fisci nostri apostolici intervenit, discutiantur, disputentur et notentur, utque ipse procurator fisci nostri non cogatur pro causis fiscum, ut praefertur, tangentibus, cum non modica eius ab occupationibus sui officii distractione et non sine etiam indignitate officii, quod loco praefati Caesaris successit et illius privilegio in dictis causis utitur, saltem ratione interventus sui in Camera, dum ipsae causae inibi discutiuntur et notantur; et felicis recordationis Paulus III, praedecessor noster, tempore suo, ista ratione, per praeinsertum eius motum proprium, dictas causas fiscum tangentes extra Cameram, coram aliis iudicibus et tribunalibus Urbis, inter fiscum et privatum commissas vel aliter coeptas, sive in petitorio, sive in possessorio, ac quibusvis statu et terminis, etiam si instructae fuerint, ad se avocaverit, et eidem camerario et praesidentibus ac in proprio tribunali commiserit, necnon etiam in futurum committendas vel alias incipiendas illas similiter, absque alia pro tempore Romani Pontificis signatura vel mandato, propria eorum auctoritate, ad se avocandi et reassumendi liberam facultatem concessit.

Cum vero multi constitutionem Pauli limitent in aliquibus casibus,

§ 2. Cumque (sicut accepimus) non desint qui, post reassumptionem in Camera Apostolica, ut praefertur, factam contra fiscum, in signaturis adhuc ad alios iudices trahere conantur diversis praetextibus, ac praecipue quando pro tempore procuratores fiscales coram aliis iudicibus, aliquando per incuriam vel multiplicitatem negociorum, proprii in hoc privilegii fori non memores, agere vel respondere vel alias in iudices non suos consentire coeperunt, ac etiam quando in processu causarum, inter privatos, interesse fisci detegitur principaliter vel secundario.

Hic Pontifex extendit dictam constitutionem etiam ad illos casus;

§ 3. Nos, attendentes quod privilegium fori fisco concessum concernit publicum, et quod, ista ratione, idem Paulus praedecessor causas inter fiscum et privatum, etiam alibi instructas, per praeinsertum motum proprium avocavit, et quod quandocumque, etiam in causis quae inter privatos aguntur, detegitur fisci interesse, sive principaliter sive secundario, idem fiscus debet gaudere sui fori privilegio, et alios trahere et non trahi; motu simili, ex certa scientia, haesitationes et difficultates huiusmodi submovere, ac etiam fisco nostro et illius pro tempore procuratoris incommoditati ac indignitati occurrere cupientes et debentes, motu simili ac ex certa scientia, praeinsertum motum proprium, tam quoad iam alibi, etiam in Rota, et motu proprio commissas et alias coeptasque in posterum committendas vel alias incipiendas causas, innovamus. Declarantes illum extendi et, quatenus opus sit, extendentes etiam ad causas, in quibus procurator fisci, agendo vel defendendo, coram aliis iudicibus et tribunalibus comparendo, vel alias consensisset et illorum iurisdictionem prorogasset; ac etiam ubi interesse fisci, sive principaliter sive secundario, in causis iam inter privatos coeptis, detegeretur, dummodo sit interesse civile, et dummodo causae huiusmodi, etiam quod in illis vertatur interesse fisci, non sint per commissiones manu nostra propria, scientes de interesse fisci, aliis iudicibus et tribunalibus, cum speciali et expressa praesentis motus proprii derogatione, commissae non fuerint, quas nolumus praesentibus esse comprehensas, sed semper exceptas.

§ 4. Dantes, salvis praemissis, eisdem camerario et praesidentibus plenariam et liberam facultatem et auctoritatem, praedictis et aliis quibusvis inhibendum fuerit, in Romana Curia et extra eam, et sub censuris et poenis, etiam quoad causas similes in futurum extra Cameram committendas, propria eorum auctoritate, sine alio nostro mandato nec signatura, inhibendi, et in causis huiusmodi, non obstantibus quibuscumque signaturis et inhibitionibus hactenus factis et in futurum faciendis, nisi commissiones in futurum praesentandae, manu nostra, cum praesentium de verbo ad verbum insertione et illarum derogatione, signatae fuerint, procedendi, citandi, declarandi, aggravandi, reaggravandi, interdictum ponendi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, ceteraque alia faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, quae in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna fuerint.

Cameralibusque dat cognitionem omnium causarum a Papamet alibi non commissarum.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Camerae Apostolicae clausulis, statutis et consuetudinibus ac reformationibus, etiam iuramento *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibus (illorum tenores, causas et effectus pro expressis et insertis habentes, et exprimi ac de verbo ad verbum inseri posse decernentes) latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Volentes praesentium solam signaturam sufficere, et ubique, tam in iudicio quam extra, fidem facere, absque alia literarum expeditione, seu quod literae in forma brevis, ad perpetuam rei memoriam, cum maiori, vera et ampliori specificatione omnium et singulorum praemissorum et circa ea necessariorum latissime extendendae, adeo quod contraria quaecumque penitus et omnino tollantur et non obstent.

Sola signatura sufficit.

Placet, motu proprio. I.

Die vigesimasexta iulii, anno millesimo quingentesimo sexagesimoprimo.

Dat. die 26 iulii 1561, pontif. anno II.

XLV.

Inquisitorum haereticae pravitatis facultas eligendi et creandi in notarios quoscumque, etiam clericos saeculares, in causis inquisitionis [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii cura, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissa, nos assidue incitat et inducit ut vigiles sollicitudinis nostrae oculos diligenter circumflectamus, ad eaque potissimum nostræ provisionis remedia adhibeamus, per quae sancta et catholica fides ubique, prout debet, conservetur et augeatur, improbique haeretici illius impugnatores, quoad fieri potest, debite compescantur et comprimantur.

Exordium.

§ 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum inquisitorum et commissariorum haereticae pravitatis in diversis regnis, provinciis, civitatibus, insulis et aliis christiani orbis partibus deputatorum, nobis nuper expositum fuit quod ipsi, in causis sanctae fidei adversus eosdem haereticos prosequendis, personis probatis et idoneis, quae officio notarii in eis fungantur, plurimum indigere noscuntur, unde officio ipsius inquisitoris, tum propter ipsorum notariorum penuriam, tum quia plerique officium huiusmodi, tanquam odiosum, exercere recusant, ne illud susci-

Causae huius constitutionis.

[1] Alexand. IV in eius constitutione LVI, *Ne commissae*, tom. III, pag. 672, hoc idem concessit, quoad clericos, qui in saeculo notariatus officium habuerant.

piendo quemquam offendere videantur, magnum incommodum et detrimentum generatur.

Facultas inquisitorum (*de qua in rubrica*).

§ 2. Nos igitur, nostrae vigilantiae curam adhibere, in praemissisque opportune providere volentes, omnibus et singulis haereticae pravitatis inquisitoribus et commissariis, in quibusvis regnis et dominiis, provinciis, civitatibus, insulis, etiam Graeciae, ceterisque terris et locis, in quibus christiana religio colitur, constitutis et quomodolibet pro tempore deputatis, quod quoties eis expedire videbitur, unum vel plures, etiam clericos saeculares vel quorumvis Ordinum regulares, qui sibi sufficientes et idonei visi fuerint, in quibuscumque causis sanctae fidei et inquisitionis huiusmodi in notarios eligere, assumere et creare, eosque ad officium notariatus causarum praedictarum deputare, ipsique sic electi et deputati acta quaecumque et processus causarum ipsarum diligenter et fideliter describere et annotare, ceteraque omnia ad id quomodolibet necessaria et opportuna facere, gerere et exercere libere et licite possint et valeant, plenam et omnimodam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facultatem et potestatem concedimus et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quarumvis civitatum et terrarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis et quibusvis notariorum collegiis, etiam per Sedem Apostolicam, quomodolibet concessis, quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem et eadem auctoritate apostolica decernimus quod, quoniam difficile admodum esset praesentes nostras literas ad singula quaeque loca, ubi opus foret, deferri, earundem praesentium transumptis *etc.* Fides transumptorum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimoprimo, sexto kalendas septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 augusti 1561, pontif. anno II.

XLVI.

Approbatio confraternitatis et hospitalis sub invocatione Beatae Mariae de Pietate nuper in Urbe instituti ad egenos dementes charitative recipiendos et curandos; cum facultate alias eiusmodi confraternitates extra Urbem cum indulgentiarum participatione erigendi.

Pius episcopus servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Illius qui, pro dominici salvatione gregis, in ara crucis, in pretium immolari non abhorruit, quique, inter alia sibi beneplacita, opera charitatis exercere praecepit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, curis angimur assiduis et continua meditatione pulsamur circa quaecumque pia opera et christifidelium devotione ordinata, ut firma perpetuo et illibata persistant omni studio intendere, et ut ad ipsa christifidelium vota facilius concurrant, fideles ipsos quibusdam spiritualibus et affectivis muneribus libenter prosequimur, ac eorum pia suffragia donis coelestibus confovemus ut exinde reddantur divinae gratiae aptiores, et in eis charitatis devotio in dies peramplius augeatur.

Instituta fuit in Urbe confraternitas B. Mariae de Pietate

§ 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum confratrum confraternitatis christifidelium, sub nomine Pauperum Advena-

ad egenos, mentis inopes educandos atque curandos etc.

rum institutae, petitio continebat quod alias nonnulli christifideles in alma Urbe degentes, Dei spiritu (qui ubi vult spirat) ducti, ac zelo pietatis accensi, memoresque illius Prophetae dicentis: *Egenos et vagos* [1] *induc in domum tuam, et carnem tuam ne despexeris*: quodque hospitalitas apostolicis doctrinis maxime commendabatur; pariterque considerantes multos pauperes, pruinae et frigoribus expositos, per cryptas et ruinas dictae Urbis iacere, et interdum maxima et extrema frigoris calamitate et fame perire; ac videntes etiam quosdam alios pauperes, mentis inopes, christianorum omnium maxima miseratione dignos, qui, rationis orbati iudicio, nudi per dictam Urbem ambulabant, universis ludibriis et plagis aliisque vitae calamitatibus, animarumque salutis periculis expositos esse, ac nulla receptacula in dicta Urbe existere; ac cupientes hos et illos ab eorum miseriis eximere, unam domum sitam in regione Columnæ de dicta Urbe, eorum industria quaesitam, et suis sumptibus extructam et aptatam, primo pauperibus advenis hospitandis deputaverint, lectisque et supellectilibus ac rebus aliis conquisitis, ad vitae usum necessariis, munierint, et inibi pauperes advenas benigne recipi eorumque pedes lavari, ac diebus aliquot, iuxta cuiuscumque indigentiam, cibari, pariterque fidei christianae rudimenta per cappellanorum eorum ministerium ignorantes ac simplices docere, et ad peccatorum suorum confessionem faciendam et sacram Eucharistiam sumendam hortari curaverint, prout etiam ad praesens curant: quodque in eadem domo unum oratorium, sub invocatione Beatae Mariae de Pietate, apostolica auctoritate intervenente, extruxerunt et ornarunt, ubi sacra Eucharistia in sacrario decenter servatur, et quotidie missa celebratur, locusque luminaribus semper accensis illustratur; ac, pro manutenenda inibi hospitalitate, unam confraternitatem christifidelium, Pauperum Advenarum nuncupatam, dicta auctoritate erexerunt et instituerunt; ac in dicto oratorio, in prima cuiuslibet mensis die dominica, dictae confraternitatis confratres Christi Corporis viatico reficiuntur; nec his pietatis operibus contenti, sed pia piis operibus cumulantes, ipsos pauperes mentis inopes, per dictam Urbem, ut praefertur, vagantes, ad eamdem domum deduxerunt, et ad illorum insaniam curandam operam medicorum adhibere coeperunt, animis gerentes supradictam hospitalitatem advenarum prosequi, et in sanandos curandosque dementes praedictos eorum facultates, iunctis aliorum christifidelium eleemosynis, se extendere [1] posse; ac quod, pro dictae confraternitatis salubri directione et augmento, nonnulla statuta et ordinationes ediderunt, necnon dilectum filium nostrum Bartholomaeum, tituli Sanctae Crucis in Hierusalem, presbyterum cardinalem de la Cueva nuncupatum, dictae confraternitatis protectorem delegerunt, prout in literis apostolicis desuper confectis, ac per ipsos confratres impetratis, ac eisdem statutis et ordinationibus ac instrumentis publicis sive aliis scripturis desuper forsan confectis, plenius dicitur contineri.

Et nunc a Pontifice confirmatio postulatur.

§ 2. Quare, pro parte eorumdem confratrum nobis fuit humiliter supplicatum ut praemissis, pro eorum subsistentia firmiori, robur apostolicae confirmationis adiicere ac alias in praedictis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Qui Pontifex dictam institutionem et statuta confraternitatis approbat;

§ 3. Nos igitur, qui pietatis et charitatis opera ubique exerceri sinceris exoptamus affectibus, eorumdem confratrum pium et laudabile opus plurimum in Domino collaudantes, necnon singularum literarum ac instrumentorum seu

1 *Vagosque*, Vulg. (R. T.).

1 Cherub., *expendere* (R. T.).

scripturarum praefatarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dictae confraternitatis erectionem et institutionem, necnon praedictam ac omnia et singula alia per guardianos et administratores dictae domus, et praedictos confratres circa praemissa edita statuta et ordinationes, prout illa concernunt, omnia et singula in dictis instrumentis sive scripturis contenta (licita tamen et honesta ac sacris canonibus non contraria), apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, illisque omnibus perpetuae firmitatis robur adiicimus.

Iteratoque eam erigit, et eidem dat facultatem statuta condendi;

§ 4. Et nihilominus, quatenus opus sit, confraternitatem ipsam Pauperum Adventorum, quae etiam curandorum dementium curam gerat, eisdem modo et forma, quibus per dictos christifideles erecta et instituta existit, auctoritate et tenore praedictis, de novo erigimus et instituimus. Ac eisdem guardianis, administratoribus ac confratribus quascumque personas illis benevisas et gratas et acceptas, tam ecclesiasticas quam saeculares, dictam confraternitatem ingredi volentes, cuiusvis licentia desuper minime requisita, in eorum confratres et confraternitatis gremium recipiendi licentiam et facultatem, eisdem auctoritate et tenore, concedimus. Eisque quod, cum eiusdem Bartholomaei cardinalis et deinceps pro tempore existentis protectoris sui auctoritate seu consensu, alia quaecumque statuta et ordinationes pro eiusdem confraternitatis felici regimine, ad piorum operum huiusmodi exercitium et alias circa praemissa, prout eis videbitur, edere, condere et restaurare libere et licite possint, indulgemus, ac per eos guardianos et administratores et confratres observari debere volumus et decernimus.

Confratribus missam domibus propriis celebrari faciendi 1;

§ 5. Et insuper eisdem confratribus, quamdiu infirmi fuerint, quod liceat eis missam in domibus suis celebrari facere.

Eleemosynas et obligationes ac legata recipiendi.

§ 6. Necnon eleemosynas et oblationes quascumque ac etiam piorum christifidelium et sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium et aliorum praelatorum et officialium aliarumque personarum, tam ecclesiasticarum quam saecularium, tam hactenus quam in futurum, in ultimis voluntatibus, vel etiam inter vivos donationes vel largitiones eidem confraternitati relicta, donata, legata, haereditates et bona quaecumque recipere et de illis et eorum fructibus in pios usus, prout eis videbitur, disponere et alia omnia recipere, obtinere et facere, ac ad illa admitti posse, quae Urbis confraternitates a Sede Apostolica approbatae possunt et valent, citra tamen illarum praeiudicium.

Indulgentiae porrigentium eleemosynas.

§ 7. Ac universis utriusque sexus christifidelibus eleemosynas, largitiones, oblationes, donationes et legata huiusmodi facientibus, ut easdem indulgentias et peccatorum remissiones consequantur, quas consequuntur, qui basilicis Principis Apostolorum et S. Ioannis Lateranensis ac illius et S. Spiritus in Saxia de Urbe hospitalibus bona quaecumque porrigunt, donant, aut relicta et legata faciunt.

Facultas confraternitatem et hospitale transferendi alio et sacramenta ibi administrandi.

§ 8. Praeterea eisdem confratribus ut totam confraternitatem ipsam et oratorium ac eorum hospitale ad aliam domum, ecclesiam sive locum ipsius Urbis eis benevisum transferre, ac inibi unum oratorium sive cappellam aut sacellum, in qua vel quo sacratissimum Corporis Christi Sacramentum reconditum esse debeat, et ad eius altare cappellanum ad id per eosdem guardianos et administratores ad

1 Vide Concil. Tridentinum, sess. XXII, post canones, *Decreto de obser. et evit. in celebr. Missae.*

corum nutum eligendum et amovendum, prout hactenus habuerunt, per quem missae et alia divina officia celebrari, ac ipsis celebrantibus et aliis quibusvis christifidelibus Eucharistiae et Poenitentiae sacramenta ministrari facere possint, habere et retinere ac conservari facere.

Bona decedentium sine testamento in hospitali ad illud spectent.

§ 9. Et ipsi guardiani et administratores ac confratres vestes, pecunias, aurum, argentum et alia bona quaecumque deservientium et aliorum pauperum decedentium ab intestato in dicto extructo, aut in posterum extruendis, per dictos confratres hospitali percipere et in usum et utilitatem huiusmodi hospitalis convertere.

Indulgentia pro prima cuiusque mensis dominica.

§ 10. Dictisque confratribus et quibusvis aliis christifidelibus, qui in dicto oratorio sive cappella, prima cuiusque mensis die dominica, sacram Eucharistiam sumpserint, et quinquies Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, in memoriam quinque vulnerum Iesu Christi Domini nostri, dixerint, precatique fuerint omnipotentem Deum pro pace, unitate, tranquillitate ac felici statu sanctae matris Ecclesiae, totiusque populi christiani, qualibet vice, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem.

Facultas eligendi confessorem, qui confratres absolvat *etc.*;

§ 11. Necnon dictis confratribus facultatem ut confessorem sive confessores, qui eos in mortis articulo ab omni sententia excommunicationis et ab omnibus eorum peccatis, a culpa et poena, plenarie absolvant, eligere perpetuis futuris temporibus.

Erigendi vel aggregandi confraternit. aliàs cum indulgentiarum participatione.

§ 12. Necnon eisdem guardianis et administratoribus pro tempore existentibus ut quascumque confraternitates extra Urbem sub huiusmodi vocabulo instituere, et pro tempore institutas omnibus et singulis praedictis et aliis privilegiis et indultis deinceps concedendis, sub conditionibus et formis eis benevisis, decorare, illaque eis in toto vel in parte communicare libere et licite valeant, similiter concedimus.

Clausulae praeservativae.

§ 13. Ac indulgentias huiusmodi et praesentes literas, sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, derogationibus vel limitationibus quarumcumque similium vel dissimilium gratiarum et indulgentiarum, per nos et Sedem Apostolicam, etiam in favorem basilicae Principis Apostolorum de Urbe huiusmodi et expeditionum contra infideles et Cruciatae Sanctae, vel alias, etiam ad imperatoris, regum, reginarum et aliorum principum instantiam, quomodolibet pro tempore factis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas et de novo concessas fore; ipsisque confratribus et aliis praedictis suffragari debere decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 14. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon statutis et privilegiis, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno

Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo primo, III idus septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 sept. 1561, pontif. anno II.

XLVII.

Pontificis electionem ad cardinales non ad concilium, si tempore concilii eum obire contigerit, spectare declarat [1].

Pius Papa IV.

Exordium.

Prudentis patrisfamilias spectat cuncta, quae in eius domo sunt, provide disponere, quod illa debito ordine procedant, nec unum aliud impediat, aut aliqua eorum insimul confusionem inducant.

Declaratio (*de qua in rubrica*).

§ 1. Hinc est quod nos, qui a summo Patrefamilias in illius domo, meritis licet imparibus, dispensatores effecti sumus, et ex causis tunc expressis sacrum oecumenicum et generale concilium in civitate Tridentina indiximus, ne si forte eveniat nos, concilio huiusmodi durante, pro divina voluntate decedere, super electione Romani Pontificis confusio oriatur, et exinde perturbandae unitatis Ecclesiae praestetur occasio, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus matura deliberatione et diligenti examine, de ipsorum fratrum consilio et unanimi consensu, ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, statuimus, decernimus et ordinamus quod, si contingat nos, concilio huiusmodi durante, etiam si eiusdem concilii causa vel occasione aut alias quomodolibet, etiam pro sola voluntate nostra, etiam cum Curia Romana et causarum ac literarum apostolicarum Audientia, ab Urbe recesserimus, vel in ipsa Urbe, seu nobis ab ea quovis modo absentibus, ante nostrum ad illam reditum, alibi ubicumque, ita Domino volente, decedere, in quibuscumque statu et terminis concilium ipsum fuerit, et quantumcumque civitas seu locus, in quo seu qua nos etiam inibi forsan cum Curia et Audientia praedictis decedemus, ab eadem Urbe distet, et civitati Tridentinae aut alteri, ubi concilium etiam fuerit, vicina seu vicinus existat, electio Romani Pontificis in alma Urbe praefata, nisi Urbs ipsa interdicto ecclesiastico per nos apposito tunc subiaceat, vel inibi de oppressione dubitaretur, super quo maiori parti cardinalium tunc in civitate seu loco decessus nostri existentium stari debeat, et tali casu in Civitate Castellana, seu Urbevetana vel Perusina civitatibus, servato scripturae huiusmodi ordine, dummodo illae, ut praefertur, interdictae aut rebelles tunc non sint, et non in ea in qua seu cuius dioecesi nos decedere continget, aut Tridentina seu alia, ad quam concilium huiusmodi translatum fuerit, civitate, et solum per ipsos sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et non per concilium huiusmodi, aut etiam cum eisdem cardinalibus aliquot dicti concilii, servatis alias Alexandri IV, quae *Licet de evitanda*, et Gregorii X in Lugdunensi quae *Ubi periculum*, et quae *Ne Romani* incipiunt Clementis V, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, in Viennensi [1], circa electionem tandem editis constitutionibus et aliis extravagantibus, ac omnibus in eis contentis, quibus per hoc alias non intendimus praeiudicare, fieri debeat.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes ex nunc cardinales praefatos etiam per concilium huiusmodi dispensare nullatenus posse, ac quamcumque electionem Romani Pontificis contra praesentium tenorem, concilio huiusmodi durante, attentatam, nullam, irritam et inanem nulliusque roboris vel momenti

1 Ex Raynaldo Continuat. Annal., Opus posth., tom. XXXIV.

1 Raynaldus addit *conciliis* (R. T.).

fore, et, ea non obstante, per eosdem cardinales ad aliam electionem Romani Pontificis, servata earundem praesentium forma, procedi debere; ac similiter ex nunc irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis, etiam concilii eiusdem, auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Conclusiones.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti infringere *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo primo, x kalendas octobris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 sept. 1561, pontif. anno II.

XLVIII.

Quod instrumenta pro interesse hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe rogata, per illius pro tempore notarios et secretarios in cancellaria eiusdem hospitalis custodiri, et per alios notarios et secretarios successores gratis expleri, et in publicam formam redigi possint, illisque plena fides adhibeatur [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causae concessionis huius privilegii.

Cum, sicut accepimus, pro tempore existens praeceptor hospitalis nostri S. Spiritus in Saxia de Urbe, Ordinis S. Augustini, soleat in hospitali suis sumptibus et expensis tenere unum notarium et quandoque etiam unum secretarium, qui de omnibus instrumentis interesse eiusdem hospitalis concernentibus rogantur, et saepius contingat ut, ipsis notario et secretario a dicto hospitali recedentibus et officium notariatus seu secretariatus huiusmodi in dicto hospitali exercere desinentibus aut decedentibus, eorum scripturae per eos seu illorum haeredes ex eodem hospitali alio trasportentur et quandoque pereant seu dissipentur, vel ad notariorum, qui notas vel imbreviaturas instrumentorum interesse praedicti hospitalis concernentes, absque praemio, explere et in publicam formam redigere recusant, manus deveniant, in non modicum dicti hospitalis et illius pauperum detrimentum.

Privilegium *(de quo in rubrica)*.

§ I. Nos, praemissis occurrere et indemnitati hospitalis et pauperum praedictorum paterno affectu consulere volentes, motu simili, apostolica auctoritate, per praesentes statuimus et ordinamus quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, notarius et secretarius dicti hospitalis ab eo recedentes, et officium notariatus et secretariatus huiusmodi exercere desinentes, aut ipsorum notarii et secretarii, si decedant, haeredes, imbreviaturas seu notas instrumentorum per eos rogatorum interesse praedicti hospitalis quomodolibet concernentes alio transportare nequeant, sed eas in cancellaria dicti hospitalis, ad hoc ut illi succedentes notarius et secretarius praedicti illas gratis et sine praemio explere et in publicam formam redigere possint, dimittere teneantur. Et pro tempore existens praeceptor dicti hospitalis, eos ad illas, ut praefertur, dimittendas, et propterea [1] auctoritate cogere et compellere valeat. Quodque pro tempore existens notarius et secretarius praedicti hospitalis, vigore praesentium et absque alia desuper sibi concedenda ab aliquo licentia et facultate, imbreviaturas seu notas instrumentorum per anteriores notarios et secretarios dicti hospitalis rogatorum, interesse eiusdem hospitalis quomodolibet concernentes, explere et in publicam atque authenticam formam redigere possint. Eisque sic expletis et in publicam atque authenticam formam redactis, ea prorsus fides

1 Omnia quae spectant ad istud hospitale videnda sunt in constit. XL Innocentii III, *Inter*, tom. III, pag. 189; et in constit. XXVII Sixti IV, *Religionis*, tom. V, pag. 289.

1 Cherub. legit *propria* loco *propterea* (R. T.).

adhibeatur, quae adhiberetur, si per alium notarium, praecedente licentia et facultate sibi iuxta statutorum, *etc.*, et reformationum almae Urbis et collegii scriptorum archivii Romanae Curiae, et alias servatis servandis, concessae, expletae et in publicam formam redactae fuissent.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis praedictis et quibusvis aliis statutis *etc.* et reformationibus, etiam iuramento, *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, dilectis filiis populo Romano et praedictis collegio et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili aut alias quomodolibet concessis *etc.* Quibus omnibus, etiam si de illis *etc.*, illorum tenores *etc.*, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et sufficienter derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 3. Praesentium etiam, absque eo quod registrentur aut illis data apponatur, solam signaturam sufficere, et ubique, in iudicio et extra, regula contraria non obstante, fidem facere decernentes *etc.*

Fiat, motu proprio. I.

XLIX.

Quod birretum viride deferant, etiam coram iudicibus Urbis et carcerum visitatoribus, petentes alternativas vel beneficium cap. Pervenit *et cap.* Odoardus [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Cupientes mercatoribus et aliis personis, tam almae Urbis nostrae civibus quam forensibus, in ipsa Urbe cum quibusvis personis contrahendi omnem possibilem securitatem concedere, et omnem viam ac etiam omnes dilationes, per quas mercatorum et aliarum personarum debitores a debitorum solutione subterfugere, seu se quoquomodo subtrahere, et creditores eorum creditis defraudare, aut supplantare possent, de medio tollere; ac remedium opportunum, praemissa ne fiant, adhibere, et ut debitores ipsi a praemissis, si non Dei omnipotentis, saltem humanae ignominiae timore, abstineant, et sic eorumdem mercatorum et personarum firmitati providere volentes.

Causae constitutionis.

Paulus IV statuit debitores obtinentes alternativas vel dilationes teneri deferre birretum viride.

§ 1. Et considerantes motum proprium a felicis recordationis Paulo Papa IV, praedecessore nostro, quod ex tunc de cetero alternativae, significationes et dilationes quaecumque, nisi iuxta iuris dispositionem ac formam statutorum ipsius Urbis concedi nullatenus possent, et qui illas obtinuissent et ex tunc in futurum obtinerent, semper birretum viride portare tenerentur, emanatum, circa ipsorum debitorum malitiam seu malos homines non sufficere, cum ipsum birretum viride, nisi postquam ad alternativam vel alias dilationes admissi fuerint, portare non teneantur, et sic beneficio temporis, in grave creditorum praeiudicium et iacturam, gaudeant.

Hic autem Pontifex declarat debitores teneri gestare dictum birretum coram iudicibus Urbis antequam inhibition. obtineant, et promittere ipsum de cetero deferre.

§ 2. Nos igitur, motu simili, *etc.* per praesentes perpetuo statuimus et ordinamus quod de cetero quicumque debitores, seu in forma Camerae aut alias quomodolibet obligati, quamcumque alternativam, significationem vel aliam quamcumque dilationem, etiam secundum cap. *Pervenit* vel *Odoardus*, seu inhibitionem aliquam a Curiae causarum Camerae Apostolicae auditore seu eius locumtenente, aut almae Urbis vicario vel gubernatore vel senatore, seu aliis ipsius Urbis iudicibus, etiam commissariis aut [1] carcerum

1 Haec beneficia quibus danda et deneganda sint, vide in constit. XVI Clementis VII, *Cum ex multorum*, tom. VI, pag. 97, ubi etiam habes quantum duret instantia istarum causarum.

1 *Aut etiam*, Cherub. et Matth. (R. T.).

Urbis visitatoribus, petere non possint, nisi se prius coram illis dictum birretum viride gestando praesentaverint; et ipsum birretum viride publice et secrete, sub [1] fustigationis per Urbem pro prima vice, et triremium pro secunda, qua sine dicto birreto reperti fuerint, deferre, per se vel suos legitimos procuratores, ipsis absentibus, promiserint et medio iuramento affirmaverint; ac aliter a praedictis et aliis quibusvis iudicibus, etiam vigore specialis commissionis, nostra aut successorum nostrorum manu signatae vel signandae, obtentae et obtinendae, alternativae et significationes aut dilationes quaecumque, etiam secundum iuris formam, nullae sint, et ipsis debitoribus, etiam si clerici existant, nullatenus suffragentur.

Deputatio executoris.

§ 3. Mandantes eidem auditori Camerae ut huiusmodi constitutionem et ordinationem perpetuo et inviolabiliter, etiam in quibuscumque litibus et causis hactenus motis, observari faciat et mandet, contra omnes et singulos praemissis in aliquo contravenientes, per censuras et poenas, ac etiam pecuniarias et alia remedia opportuna sibi visa, etiam manu regia, procedendo.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Praemissis ac quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ipsius Urbis statutis et reformationibus, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 5. Volumusque quod praesentium sola nostra signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula contraria non obstante.

Placet, motu proprio. I.

Anno a nativitate Domini MDLXI, indictione IV, die vero XXVII mensis octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae IV anno secundo, retroscriptae literae apostolicae affixae et publicatae fuerunt in valvis Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariae Apostolicae ac in acie Campi Florae, ut moris est, per nos Bernardinum Andreutium et Io. Gherardi, cursores apostolici.

Iulius Parinus, magister cursorum.

Publ. die 27 octobris 1561, pontif. anno II.

[1] Forte legendum *sub poenis* (A. T.).

L.

Inquisitores haereticae pravitatis non teneantur publicare dicta testium contra schismaticos vel haereticos examinatorum, neque rationem reddere de processibus alteri, quam Romano Pontifici aut supremis inquisitoribus almae Urbis.

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Causa constitutionis.

Cum, sicut non sine magna animi nostri molestia accepimus, humani generis hoste instigante, ita schismaticorum et aliorum haereticorum numerus in provincia, Statu et dioecesi civitatis nostrae Avinionensis praevaluerit, et, propter eorum seu alicuius ipsorum potentiam et malitiam, nullus contra eos deponere seu eorum crimina revelare et accusare audeat, quo fit ut ipsi schismatici et haeretici remaneant impuniti, in non modicam divinae Maiestatis offensam, et grave personarum catholicarum scandalum.

Inquisitor dicta testium contra haereticos examinatorum publicare non teneatur;

§ 1. Nos, ne in futurum aliquis, metu ipsorum haereticorum et schismaticorum, eorum crimina revelare formidet, alias in praemissis opportune providere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostris, dilecto filio fratri Bernardo, moderno inquisitori Avinionensi, vel pro tempore existenti in dicta provincia haereticae pravitatis inquisitori, ut personas, quae schismaticos seu haereticos huiusmodi revelaverint, seu contra eos deposuerint et testificaverint, publicare seu revelare minime teneantur. Et si ab eodem inquisitore aliqua ipsorum testium dicta publi-

cari contingat, ita truncata et secreta publicentur ut cognitio nominum et cognominum ipsorum testium ad aliquam notitiam devenire non possit.

Syndicarique nequeat, nisi a Rom. Pont. vel supremis inquisitoribus Urbis.

§ 2. Quodque ipse inquisitor a quoquam syndicari nequeat; et nemini, nisi nobis aut pro tempore existenti Romano Pontifici et almae Urbis nostrae supremis inquisitoribus, de processibus per eum contra dictos haereticos et schismaticos formatis rationem reddere teneatur, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus pariter et indulgemus.

Inhibitio contra molestantes inquisitorem super praedictis.

§ 3. Districtius inhibentes universis et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis, eorumque in spiritualibus et temporalibus vicariis seu officialibus generalibus et dilectis filiis omnibus et singulis iudicibus et personis, tam ecclesiasticis, quam saecularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et ordinis vel conditionis existentibus, ne ipsum modernum et pro tempore existentem inquisitorem ad nominum et cognominum dictorum testium revelationem et publicationem, seu de processibus per eumdem modernum contra ipsos haereticos et schismaticos formatis, vel ab eo et aliis inquisitoribus pro tempore in futurum formandis rationis redditionem arctare, nec super praemissis seu eorum occasione, quovis praetextu, molestare, perturbare vel inquietare audeant vel praesumant; irritum nihilominus et inane decernentes, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et in provincialibus ac synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, statutisque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse latissimeque derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I novembris, MDLXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 nov. 1561, pontif. anno II.

LI.

Fructus et emolumenta ad capitulum et mensam ecclesiarum Urbis communiter spectantia, et distributiones pro defunctorum anniversariis largiendae, applicantur distributionibus quotidianis pro interessentibus divinis officiis.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causa constitutionis.

Cum, sicut accepimus, in hac alma Urbe nostra, quae caput existit totius orbis, et in qua coelestis altitudo consilii Sedem Apostolicam, nullis defecturam temporibus, mirabiliter stabilivit, ita in ecclesiis collegiatis divinus cultus diminutus fuerit, ut exteris nationibus scandalum non modicum generetur.

Dispositio (de qua in rubrica).

§ 1. Volentes igitur, quantum in nobis est, divino cultui consulere, et abusus huiusmodi tollere, decernimus, statuimus et ordinamus omnes et quoscumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, in quibuscumque rebus consistant, quarumcumque ecclesiarum, tam sacrosanctae Lateranensis ecclesiae, Beati Petri apostolorum principis ac gloriosissimae Virginis, Sanctae Mariae Maioris nuncupatae,

quam aliarum quarumcumque ecclesiarum, ad capitulum et mensam earumdem communiter spectantes et pertinentes, applicari, assignari et adscribi debere, prout tenore praesentium (sine tamen praeiudicio pensionum super dictis fructibus reservatarum) applicamus, adscribimus et assignamus distributionibus quotidianis, distribuendas et dividendas inter canonicos et alios beneficiatos divinis officiis interessentes dictarum ecclesiarum, iuxta ecclesiae cuiuslibet ordinationem rationabilem iam factam seu etiam faciendam per nos vel dilectum filium nostrum almæ Urbis vicarium generalem. Qui vero aliter de dictis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, emolumentis, quicquam receperint (exceptis illis quos infirmitas seu iusta et rationabilis causa aut ecclesiae utilitas excusant), rerum sic receptarum dominium non acquirant, nec faciant causas suas, immo ad omnium restitutionem teneantur. Idem quoque de distributionibus pro defunctorum anniversariis largiendis decernimus observandum.

Vicarius Papæ executor.

§ 2. Mandantes dilecto filio Iacobo cardinali Sabello, nostro in dicta Urbe eiusque districtu vicario, quatenus ordinationem, statutum, decretum, applicationem et assignationem huiusmodi in quibuscumque ecclesiis in dicta Urbe consistentibus, inviolabiliter per quoscumque, quavis auctoritate, etiam cardinalatus honore fungentes, per censuras ecclesiasticas et alias pœnas, etiam pecuniarias, arbitrio [1] imponendas, quacumque appellatione remota, manu regia observari faciat; contradictores, *etc.*; sublata *etc.* Sicque per quoscumque iudices *etc.*; irritum quoque *etc.*

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus praemissis, constitutionibus apostolicis et consuetudinibus et constitutionibus quarumlibet dictarum ecclesiarum, confirmatione apostolica aut quavis alia firmitate roboratis, latissime extendendis, quibus omnibus, illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Placet, motu proprio. I.

Datum Romae apud S. Petrum, duodecimo kalendas decembris, anno II.

Dat. die 20 nov. 1561, pontif. anno II.

1 *Eius arbitrio* (R. T.).

LII.

Proxenetae Ripae almae Urbis tenentur nautis et mercatoribus vini de pretio vini eis mediantibus venditi, emptoribus illud non solventibus [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem ex debito sui pastoralis officii, ad ea diligenter prospicere, per quae in hac alma Urbe, ad quam, veluti communem omnium patriam, frequens est hominum concursus, vini ac rerum aliarum humano victui necessariarum ubertas, cum eiusdem Urbis incolarum in copioso numero existentium commoditate, nautarum quoque et mercatorum vina et res huiusmodi ad Urbem ipsam advehentium plena securitate, nostrae provisionis ope unicuique quod suum est tribuendo, non solum manuteneri, sed augeri, ac in ea ad publicam omnium utilitatem, peramplius conservari salubriter valeat.

Nautae vendebant, mediantibus proxenetis, eorum vina canponibus et aliis, quos non cognoscebant et pro consecutione pretii litigare cogebantur.

§ 1. Cum itaque, sicut diversi diversarum partium nautae et mercatores querelanter nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, quos vina ac res huiusmodi ad Ripam fluminis dictae Urbis deducere saepe contingit, neminem cognoscentes et diutius in dicta Urbe seu Ripa, absque eorum gravi detrimento, morari nequeuntes, vina

1 Alia eorumdem mercatorum et nautarum indulta ac privilegium fori vide supra in constitutione XXX, *Cupientes*, pag. 95.

huiusmodi, mediantibus proxenetis, sensalibus nuncupatis, cauponibus, hospitibus, tabernariis ac aliis diversarum qualitatum personis, a quibus vini venditi pretii solutio seu exactio nimium tarda et difficilis existit, vendere; et deinde, pro huiusmodi pretio recuperando, caupones, hospites, tabernarios ac personas huiusmodi ad iudicium evocare; ac proinde varias lites et quamplures sumptus et expensas subire, procuratores cum menstruis salariis in dicta Urbe constituere et relinquere cogantur; ac saepius etiam caupones, hospites, tabernarios ac personas huiusmodi dolose et fraudulenter decoxisse, solum vertisse, foro cessisse, atque alias solvendo non esse inveniant; quo fit ut negotiatio circa haec, magna cum eorum iactura, multum impediatur et retardetur, ac ipsi vina praedicta longe dimidio etiam carius vendere adstringantur, in grave totius Urbis ac illius et praesertim pauperum incolarum evidens detrimentum. Et propterea ipsi seu eorum maior et sanior pars apud nos ut eis in praemissis de opportuno remedio providere velimus vehementer instantes, si nostrae provisionis auxilio ab eisdem damnis et incommodis liberati fuerint, ultro, per eorum propriis manibus subscriptas syngraphas, nobis et Camerae Apostolicae perpetuis futuris temporibus, pro impensis etiam ministrorum in praemissis subeundis, quatuor iulios pro quolibet dolio vini ordinario, ultra omnes alias praestationes et solutiones ad haec usque tempora introductas, se soluturos offerant, et longe esse minorem suam hanc quatuor iuliorum praestationem, quam tot et tanta incommoda quae in dies subire compelluntur, attestentur, ac sublatis dictis incommodis, etiam multo viliori pretio vina sua vendere posse affirment.

§ 2. Nos igitur, eosdem nautas et mercatores specialibus favoribus et gratiis prosequi, ac eorum indemnitati et publicae utilitati, quantum in nobis est, providere volentes, ac omnia et singula privilegia et hypothecas, tam de iure quam consuetudine, eis quomodolibet concessas et competentes, quorum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, harum serie approbantes et innovantes ac de novo concedentes; necnon per eos nobis factam oblationem praedictam acceptantes, ratamque et gratam habentes, ac simul laudabilem alias in his, ut plene novimus introductum, licet postmodum nonnullorum vel incuria vel fraudibus et malitiis a quibusdam annis citra male observatum, usum, per quem proxenetae, quorum opera vina vendita fuerant, post trinam requisitionem illorum emptoribus factam, ad totalem pretii solutionem eisdem venditoribus tenebantur, amplectentes, consideratis prius natura negocii, quae in celeri expeditione consistit, ac ipsorum nautarum et mercatorum ac advenarum et aliarum personarum in eadem Urbe degentium, ac cum eis contrahentium ignorantia, publicaeque utilitatis conservatione, necnon dictae Urbis excellentia, quae pluribus privilegiis a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris decorata fuit, et deinde habita super his cum diversis probis viris, horum omnium peritis, deliberatione matura, ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus et ordinamus quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, pro tempore existentes proxenetae, qui quotidie in dicta Ripa versantur, quique caupones, tabernarios et hospites ac alias personas huiusmodi in eadem Urbe degentes, quae per eorum manus vina ab eisdem nautis et mercatoribus emunt, per continuam seu frequentem et circularem cum eis, ratione exercitii eorum officii, ac cum aliis personis habitam conversationem ac tractationem,

Pontifex igitur nautarum et mercatorum vini securitati ac vini ubertati consulendo, decernit ipsos proxenetas teneri pro pretio vini venditi, eis mediantibus, quando emptores solvere recusant vel dilatio ultra 20 dies concessa non sit ab ipsis mercatoribus;

cognoscunt et cognoscere possunt; seu facile de eis eorumque facultatibus se informare ac certiores reddi valeant, quorumque fidem in nominibus et venditionibus faciendis in hoc negocio huiusmodi vinorum venditores quodammodo sequi videntur, ad solutionem pretii cuiuscumque quantitatis vini, eis mediantibus venditi, et venditoribus non soluti, in omnibus et per omnia, ac si ipsis venditum fuisset, teneantur, adeo ut, facta emptoribus, per eosdem venditores, trina requisitione iudiciali seu extraiudiciali, etiam unico contextu, et de eadem requisitione coram iudice competenti etiam fide facta, ipso facto nullaque admissa excusatione, ad eorum solutionem omnibus iuris et facti remediis, statim, unica tantum citatione praecedente, etiam, si opus fuerit, per subhastationem et venditionem officii proxenetae, quod pro tempore obtinebunt, quacumque appellatione remota, compellantur, nisi venditores praefati emptoribus ipsis ad solvendum pretium vini venditi dilationem ultra viginti dies fecerint atque concesserint. Quo casu proxenetae huiusmodi nullatenus teneantur, nisi mercatores ipsi opera et interventu ipsorum proxenetarum, dilationem huiusmodi fecisse probaverint; quo probato, proxenetæ prædicti ad huiusmodi solutionem, ut præfertur, teneantur.

Proxenetas ita solventes agere posse declarat contra emptores vini, prout si ipsimet vinum eis venidissent;

§ 3. Salva tamen remanente, praesentis statuti et ordinationis vigore, proxenetis, in casibus in quibus tenerentur, contra dictos emptores actione, in omnibus et per omnia, ac si vinum praedictum per eos emptoribus venditum extitisset, ipsique cum eis contraxissent, etiam absque alia desuper per dictos venditores actionum aut aliorum iurium cessione facienda.

Et pro maiori cautela mercatorum vini ac proxenetarum,

§ 4. Et pro maiori proxenetarum ac mercatorum et nautarum ac aliorum praedictorum cautela, quod moderni caupones, hospites et tabernarii, ac officia cauponis, hospitis et tabernarii ad praesens exercentes, infra quindecim dies; alii vero qui in futurum illa exercere voluerint, ante eorum exercitium, coram dictae Ripæ camerario, in forma depositi pro centum scutis, pro quolibet hospitio seu qualibet taberna vel caupona, de stando iuri et iudicatum solvendo, coram dicto camerario omnibusque aliis iudicibus competentibus, cum omnibus et singulis personis quomodolibet interesse habentibus, occasione cuiuscumque quantitatis vini, per eos a nautis seu mercatoribus ripalibus empti, idonee cavere, et cautiones huiusmodi in fine cuiuslibet anni renovare etiam teneantur, ac ad id per camerarium praedictum omnibus iuris et facti remediis ipso facto cogi et compelli possint, quibuscumque appellatione et subterfugio remotis; super quibus ipsi Ripae camerario eos toties quoties, usque ad quamcumque summam pro praemissorum executione mulctandi, ac mulctam huiusmodi pro una Camerae praedictae, et pro alia illius medietatibus officio camerarii huiusmodi et executori applicandi, eamque exigendi; ac tabernas, hospitia et cauponas huiusmodi claudendi; omniaque alia et singula in eisdem praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, decernendi, mandandi, faciendi et exequendi plenam et liberam, auctoritate et tenore prædictis, concedimus facultatem; alioquin ipsum et camerarium et notarium inde rogatum in praemissis negligentes pro dictis centum scutis de eorum proprio teneri, ac ad illorum solutionem cogi et compelli; et ita per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac praefatos cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, decernimus et declaramus.

praecipit quoscumque caupones et tabernarios cavere debere de stando iuri etc., occasione vini, cum personis quibuscumque;

§ 5. Et nihilominus, ne dicta Camera

Et gabellam iuliorum quatuor pro quolibet dolio vini solvi, et per ministros Cameræ exigi debere iubet;

propterea damnum aliquod patiatur, sed ut praemissa omnia suum plenarium effectum liberius sortiri valeant, ac ex causa onerosa concessa sint et esse censeantur, pro ministrorum in his in dicta Ripa et alibi ac aliis praemissis necessariorum mercede et manutentione, eosdem quatuor iulios pro quolibet dolio vini ordinario, quod ad dictam Ripam appellere contigerit, modernis et pro tempore existentibus dohanae Ripae huiusmodi appaltatoribus et ministris dictae Camerae per praedictos venditores, ultra omnes alias hucusque introductas praestationes praedictas, in primis et ante omnia, persolvi et ab eis exigi debere volumus et mandamus. Praecipientes eisdem appaltatoribus et ministris ut a publicatione earumdem præsentium illos, una cum aliis eiusdem Camerae iuribus, a praedictis venditoribus exigant ac retineant, in utilitatem ipsius Camerae convertendos, ac in eorum libris annotent.

Registrarique mandat in Camera Apostolica constitutionem istam.

§ 6. Necnon dilectis filiis nostro Guidoni Ascanio, S. Mariae in Via-Lata diacono cardinali de Sancta Flora nuncupato, camerario nostro, ac ipsius Camerae thesaurario, praesidentibus, clericis et personis, ut easdem praesentes in libris Camerae praedictae registrent, illasque ac omnia in eis contenta huiusmodi inviolabiliter observari faciant. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo primo, duodecimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 nov. 1561, pontif. anno II.

LIII.

Poenae maleficiorum communitatum Status Ecclesiastici vel locorum subiectorum applicantur Reverendae Camerae Apostolicae, quatenus ex causa vere onerosa, aut piis vel publicis operibus non sint applicatae. Et gubernatores locorum decem pro centenario consequantur de eiusmodi poenis; accusatores autem quartam partem poenarum bannimentalium.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem id maxime omni studio curare et efficere ut populi suae sanctaeque Sedis Apostol. dictioni [1], in pace et tranquillitate vivant, ac ut quietis status perturbatores, quos virtutis amor a malo non retrahit, poenae saltem formidine coerceantur, omnisque eis occasio, qua ad scelera committenda procliviores reddi posse videantur, penitus adimatur.

Poenae pro delictis impositae, vigore statutorum vel bannimentorum applicatae erant communitatibus et propterea delinquentes tamquam potentes eas non solvebant, et in dies maiora committebantur delicta.

§ 1. Sane cum, experientia rerum magistra docente, luce clarius cognoverimus, pro eo quod in omnibus fere civitatibus, terris, castris et locis, nobis et praefatae Sedi immediate subiectis, tam ex illorum statutis et consuetudinibus, quam etiam ex rectorum decretis et edictis seu proclamatibus, quae pro tempore fieri contingit, seu alias ex variis privilegiis illis concessis, poenae pro delictis et excessibus impositae, in totum vel pro parte communitatibus civitatum, terrarum et locorum huiusmodi applicantur, et a delinquentibus, utpote qui de ipsarum communitatum corpore existunt, et in illis quam plures sibi necessitudine et amicitia coniunctos habent, minime exiguntur, plura et enormia delicta committi et perpetrari, ac impunita ut plurimum remanere, indeque ad illa et peiora committenda homines proniores et faciliores reddantur, plerumque inimicitias oriri, ortasque ingravescere et foveri.

Ideo hic Pontifex dictas pœnas, non tamen impositas pro damnis datis in vineis *etc.*, C. Ap. applicat.

§ 2. Nos propterea, pro nostri pastoralis officii debito, his, quantum in nobis est, occurrere, et ne, sub spe impunitatis, quispiam audacior ad delinquendum fiat, providere volentes, habita prius super hoc cum

1 Adde cum Cherub. *subiecti* (R. T.).

venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, ac de eorum unanimi consilio, hac in perpetuum valitura constitutione, sancimus ut in omnibus et singulis civitatibus, terris et locis, ut praefertur, nobis et Sedi Apostol. subiectis, in quibus poenæ aliquæ pecuniariæ et mulctae, sive certae expressae summae, sive bonorum, sive alicuius partis illorum confiscationes, pro quibusvis criminibus, a iure communi vel municipali, sive etiam per decreta, edicta, proclamata aut bannimenta a locorum rectoribus, et provinciarum praesidibus seu gubernatoribus, ac etiam de latere legatis et eorum vicelegatis, ceterisque officialibus et iustitiae ministris edita et facta, inflictae, ipsarum civitatum, terrarum et locorum communitatibus, ex statuto vel consuetudine, etiam a nobis et Sede Apostolica approbatis et confirmatis, aut privilegio apostolico, etiam ex titulo oneroso vel pro reparatione murorum, fortium [1], pontium et viarum et etiam ecclesiarum seu piorum locorum, aut pro aliis rebus publicis vel alias quomodolibet concesso, in totum vel in partem applicatae existunt (illis tantum, quae pro damnis in possessionibus, vineis, agris, silvis et nemoribus illatis impositae fuerint, exceptis), non praedictis communitatibus, sed Camerae Apostolicae applicatae sint et esse censeantur, et per officiales seu executores ad id ab ipsa Camera deputandos, etiam quae hactenus earumdem communitatum negligentia seu potius nimia indulgentia exactae non fuerunt, exigantur, ac exigi possint et debeant.

Mandat locorum rectoribus, ut de cetero tales pœnas applicent eidem Cameraa, et applicationes aliter factas annullat.

§ 3. Inhibentes universis et singulis legatis, sub indignationis nostrae, ac rectoribus et aliis supradictis, sub excommunicationis seu suspensionis a divinis, aliisque arbitrii nostri poenis eo ipso incurrendis, ne de cetero, perpetuis futuris temporibus, in eorum decretis, edictis, proclamatibus seu bannimentis faciendis, aut sententiis ferendis poenas pecuniarias et mulctas aut bonorum in partem vel in totum confiscationes huiusmodi alicui alteri, praeterquam fisco nostro et Camerae Apostolicae applicare quovis modo audeant; et ubi etiam per eos alicui alteri applicari contigerit, illas nihilominus eidem Camerae applicatas fore et censeri, ac per eius officiales et executores praefatos excipi. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam praefatos cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Declaratio circa applicationes factas piis locis vel ex causa onerosa.

§ 4. Ne autem his, quibus poenae pecuniariae seu mulctae praedictae forsan, ex titulo vere oneroso, pecunia scilicet actualiter numerata, applicatae extiterunt, praeiudicium fiat, volumus ut hi, qui illas seu illarum partem sic ex titulo oneroso sibi applicatas seu applicatam fuisse docuerint, postquam illae per officiales Camerae Apostolicae exactae fuerint, de eorum manibus (praeviis tamen dictae Camerae mandatis) illas integre seu pro parte, prout eis applicatae erant, accipiant. In illarum vero exactione nullatenus se intromittant. Et idem in illis poenis et mulctis ac confiscationibus, quae applicatae esse ostendentur, pro reparationibus murorum, pontium et viarum, et in primis ecclesiarum et piorum locorum, aliisque rebus, publicis videlicet, observari mandamus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac provincialibus et municipalibus quorumcumque locorum, statutis quoque, indultis et literis apostolicis communitatibus praedictis et aliis quibuscumque, etiam ex titulo oneroso, concessis, confirmatis et innovatis,

1 *Fontium*, Cherub. (R. T.).

quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, quoad praemissa, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXI, nonis decembris, pontificatus nostri anno II.

Papae subscr. ✝ Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur subscriptiones cardinalium et publicatio [1].

Dat. die 5 dec. 1561, pontif. anno II.

Sequitur extensio dictae constitutionis.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ad Romanum spectat Pontificem sua solicitudine indefessa diligenter providere ut ea, quae ab eo sancita sunt, ita suae declarationis adminiculo dilucidentur, quod nulla desuper dubitandi occasio cuiquam relinquatur.

Hic Pontifex edidit const. de qua hic. § 1. Dum itaque nos nuper ex certis tunc expressis causis *etc.* [2].

Desuper ortum est dubium. § 2. Et forsan ab aliquibus praetendi posset castra, villas et loca, iurisdictioni civitatum et terrarum Status nostri Ecclesiastici subiecta, sub eisdem literis minime comprehendi, ac literas ipsas ad illa non extendi, et proinde poenas, mulctas ac alias bonorum confiscationes huiusmodi, per officiales seu executores dictae Camerae, in castris, villis et locis huiusmodi nullatenus exigi posse, ac Camerae Apostolicae per praedictas literas esse applicata.

Pontifex ergo declarat dictam eius constit. comprehendere etiam castra et loca subiecta § 3. Nos, ne hoc vel alio quovis praetextu Camera ipsa circa poenarum ac mulctarum et bonorum confiscationum huiusmodi exactionem defraudetur, eius indemnitati illiusque officialium et executorum huiusmodi tranquillitati in praemissis, quantum in nobis est, providere, omnemque desuper haesitandi materiam exinde submovere, ac mentem nostram circa haec pandere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, harum serie decernimus et declaramus castra, villas et loca iurisdictioni civitatum, oppidorum et terrarum dicti Status nostri Ecclesiastici quomodolibet subiecta, sub praedictis literis omnino comprehendi ac comprehensa esse et censeri, ac literas ipsas ad illa se extendere et extendi debere. Necnon illarum vigore officiales et executores praedictos poenas et mulctas ac alias bonorum confiscationes huiusmodi in eisdem civitatibus, terris, castris, villis et locis ac alias, iuxta earumdem literarum continentiam et tenorem, exigi posse, ac exactiones huiusmodi licitas, ac iuxta mentem nostram factas esse et censeri in omnibus et per omnia, perinde ac si in eisdem literis specialis et expressa de eisdem castris, villis, terris et locis mentio facta fuisset.

Iurisdic. civitatum et terrarum ipsius Status Ecclesiastici.

Clausula sublata. § 4. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac eiusdem S. R. E. cardinales, causarumque Palatii Apostolici auditores, seu eorum locatenentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus et singulis aliis, quae in dictis literis voluimus non obstare.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXII, septimo idus februarii, pontificatus nostri anno III.

1 A Cocquelinio omissae (R. T.). 2 Omittitur quia ipsa bulla est praecedens.

Sequitur declaratio circa portionem poenarum dandam officialibus et accusatoribus.

Pius Papa IV, ad futuram rei memoriam.

Officiales Status Eccl. x pro centenario de poenis habent;

Cupientes, pro iniunctae nobis administrationis officio, confusioni ac controversiis, quae quotidie inter officiales Status nostri Ecclesiastici et Cameram nostram Apostolicam, seu pro ea agentes, super participatione poenarum maleficiorum statutariarum et bannimentalium, exoriuntur atque excitantur, mature obviare et opportune providere, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostra, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus, ordinamus atque praecipimus quod portio decem pro centenario dictarum poenarum, tam bannimentalium quam statutariarum, eisdem officialibus nunc et pro tempore existentibus solummodo competat et competere debeat; ipsique officiales dicta portione et non ultra contenti remaneant, neque aliquid aliud, praeter portionem huiusmodi, capere aut habere possint.

Accusatores vero quartam de poenis bannimentalibus.

§ 1. Ita tamen quod ex poenis bannimentalibus proprie et particulariter, accusatori, quando is vere existat, quarta pars ipsarum poenarum iuxta solitum dari valeat.

Omnes capiant a depositario.

§ 2. Necnon tam officiales praedicti eorum portionem huiusmodi, quam ipsi accusatores eamdem quartam partem de manibus depositariorum Camerae praefatae, quibus cura exigendi similes poenas iniuncta fuerit, et non aliter nec alio modo accipere debeant, et ad id faciendum omnino teneantur.

Prohibitio plus percipiendi.

§ 3. Inhibentes eisdem officialibus et eorum singulis in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis aliisque arbitrii nostri poenis, ne quicquam aliud, excepta dicta portione decem pro centenario, ex eisdem poenis capere, exigere vel habere audeant seu praesumant, nec ipsi et accusatores praedicti portionem et quartam huiusmodi respective ab aliis, quam ab ipsis eiusdem Camerae depositariis, ut praefertur, accipiant; irritum nihilominus decernentes et inane quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus quorumvis locorum et civitatum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam per nos forsan quomodolibet in contrarium concessis et confirmatis, quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, et totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo thesaurarii nostri generalis seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae originalibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX aprilis MDLXIV, pontificatus nostri anno V.

Admissio et reg. in Camera.

Die XXVIII aprilis MDLXIV admissae sunt hae literae apostolicae ex decreto Camerae et registratae in libro signaturarum SS. D. N. Papae, apud me notarium, fol. 60.

Hieronymus de Tarano.

LIV.

Reformatio Rotae Romanae 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In throno iustitiae, super omnes gentes et regna, meritis licet imparibus, superna dispositione constituti, ad ea, quae iuris et iustitiae cultum ac observantiam concernunt, dirigimus potissimum aciem nostrae mentis, ut universis nationibus ad Sedem Apostolicam, omnium fidelium matrem et magistram, pro litium et controversiarum inter eos vigentium decisione, recurrentibus, longis iudiciorum curriculis sublatis, ac minoribus, quam fieri poterit, dispendiis, opportune consulatur.

Rotae commendatio, et causa huius reformationis.

§ 1. Sane postquam nos, circa Curiae nostrae reformationem solerti studio intendentes, reliquorum eiusdem Curiae tribunalium et officiorum emendationem et correctionem cum Dei auxilio et venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio feliciter peregimus, demum ad Palatii nostri auditorium, in quo universorum christifidelium graviores causae per duodecim summae virtutis et doctrinae viros, ex omnibus mundi partibus magna cum diligentia conquisitos, mature cognoscuntur, et magna cum integritate et iustitia terminantur, animum adiecimus. Et licet in eodem tribunali pauca admodum correctione digna offenderimus, nihilominus, ut nihil intactum relinqueremus, nonnulla potius pro litibus abbreviandis, ac partium dispendiis evitandis vel saltem minuendis, vocatis ipsius auditoribus, ac pluries, tam in voce quam in scriptis auditis, providenda censuimus.

Facultates auditorum circa causas eis commissas.

§ 2. Et idcirco, de eorumdem fratrum nostrorum consilio, statuimus et ordinamus quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, ad tollendum multiplicationem commissionum et parcendum laboribus et expensis litigantium, unica commissio in qualibet instantia sufficiat, et illius vigore auditor causam sibi commissam cognoscere et cum omnibus et singulis dependentibus et emergentibus ac alias quomodolibet incidentibus decidere valeat. Possit etiam auditor sine nova commissione praefigere terminum ad docendum de attentatis ac nullitatibus et causis, propter quas quis in integrum restitui debeat, ac illo elapso et non doctus, ad causae expeditionem procedere; necnon remissorias decernere, dilationes concedere, liquidationes fructuum in partibus delegare, ac omnia et singula alia, usque ad finalem sententiarum suarum executionem inclusive, facere, quae de iure ordinarii facere possunt.

Prorogationes fatalium concedantur arbitrio Rotae.

§ 3. Prorogationes autem fatalium saepius et passim non concedat, sed tantum ex aliqua honesta causa ac, praevia illius cognitione, arbitrio Rotae.

Sententiae non proferantur, nisi causa in Rota proposita et habitis votis.

§ 4. Auditor tamen in aliqua honesta causa, sive magni sive parvi momenti existat, etiam si eius decisio clari iuris esse videatur, definitivam sententiam vel interlocutoriam vim definitivae habentem ferre non valeat, nisi causa in Rota proposita et habitis votis coauditorum, nisi partes in actis expresse consenserint quod causa sine voto coauditorum expediri possit. Idemque in aliis quibusvis praeiudicialibus decretis servari volumus, si actor vel reus quod negotium in plena Rota cognoscatur, institerit.

§ 5. Item sententiae latae per auditores,

1 Ordinationes et reformationes huius Rotae, vide in constitutione XLII Ioannis XXII, *Ratio*, tom. IV, pag. 317. Auditorum vero numerum praefinivit Sixtus IV in constit. III, *Romani*, tom. V, pag. 207. Indultaque et gratias et facultates eisdem concesserunt Innocentius VIII in constitutione XVI, *Finem*, ibidem, pag. 339; Leo X in constitutione III, *Sedis*, ibidem, pag. 566; Clemens VII in constitutione XIII, *Convenit*, tom. VI, pag. 81; et Paulus III in constitutione XVIII, *Romani*, ibidem, pag. 254.

Sententiae publicentur.

prout in cedula, ut moris est, vel per viam termini pro servato, subscribantur et publicentur in actis intra quindecim dies; et in ultima anni audientia latae, infra mensem; alioquin pronunciationes huiusmodi pro circumductis habeantur.

Notarii accipientes decreta ad referendum, referant.

§ 6. Termini etiam pro servatis habiti et cedulae ipsarum sententiarum, quae interdum per alium notarium quam actuarium ipsius causae ad referendum accipi consueverunt, referantur ipsi notario causae eadem vel sequenti die, qua recipiuntur. In ultimis vero audientiis, saltem infra triduum; et si auditor, qui pronunciavit prout in cedula vel terminum habuit pro servato, retinuerit citationem penes se, illam notario causae similiter intra praedictos dies consignare debeat, alias termini huiusmodi circumducti et irriti censeantur.

Sententiae non proferantur ante perfectum registrum.

§ 7. Auditor vero non pronunciet in causa, nisi perfecto registro et illo ad Rotam delato, una cum dictis testium, illisque ac iuribus in eadem Rota, prout res exegerit, lectis. In ultima vero anni audientia, ac quandocumque agetur de ferenda declaratoria contra contumacem, etiam registro non perfecto, ex originalibus pronunciare valeat. Ita tamen quod pars ad cuius instantiam pronunciatum fuerit, registrum ipsum pro actorum conservatione, quanto citius perfici curare teneatur.

Decisionum copia petentibus detur.

§ 8. Et insuper auditor partibus petentibus copiam decisionis in causa factae, cum iuribus ac rationibus, tradere debeat, prout antiquitus laudabiliter fieri consuevit.

Causae auditorum, *etc.* non cognoscantur in Rota.

§ 9. Causae autem propriae auditorum et eorum familiarium ac consanguineorum vel affinium usque ad secundum gradum, iuxta ius canonicum computandum, non cognoscantur in Rota.

Affines, domestici vel notarii auditorum non se intromittant in causis Rotae.

§ 10. Nec auditores in eorum domibus substitutos vel doctores aut alios iurisperitos, etiam consanguineos, qui substituti vel advocati aut procuratoris officio fungantur, aut in casibus rotalibus vel eorum processibus sese quoquo modo intromittant, nec advocatos et procuratores aut aliquos ex suis notariis domesticos habeant. Item, advocati aut procuratores consanguinei vel affines usque ad secundum gradum alicuius auditoris ac etiam illius notarii, in causis coram eo pendentibus nullatenus patrocinari valeant.

Auditores non inducant partes ut assumant certum advocatum vel procuratorem;

§ 11. Nec auditores compellant aut aliquo modo inducant partes per se vel per alios, ut assumant certum advocatum vel procuratorem, sed electio huiusmodi omnino ipsarum partium arbitrio relinquatur.

Non disponant contra ius *etc.*

§ 12. Item, decanus et alii auditores, praesertim antiquiores, attendant ne aliquid non solum contra ius, sed nec etiam contra stylum et decisiones antiquas factas in Rota, quae impressae habentur, quoquo modo decidatur, etiam praetextu aequitatis in iure non scriptae, nisi, maxima cum ratione et discussione, omnibus votis seu saltem illorum duabus tertiis partibus, aliter faciendum esse iudicaverit.

Nullitates tres tantum attendantur.

§ 13. Deinceps etiam in causis pendentibus non attendantur aliquae nullitates, praeterquam ex defectu iurisdictionis, citationis vel mandati, nisi causa nullitatis specialiter ante datam praesentium commissa reperiretur.

A liquidatione fructuum et expensarum semel appelletur.

§ 14. Et a liquidatione fructuum et expensarum taxatione semel tantum appellare liceat, ita quod duae conformes rem iudicatam faciant.

Auditores quando ad Cancellariam causas remittere possint;

§ 15. Auditores vero causas sibi commissas, pro sola partium importunitate, ad Cancellariam remittere non possint, sed tantum, habita licentia a Summo Pontifice, vel ex iustis causis deductis in Rota et ab ea probatis.

Criminales autem ad iudices ordinarios remittant.

§ 16. Et si auditor cognoverit in actis adesse suspicionem criminis, remittat acta huiusmodi vel illorum exemplum, prout res exegerit, ad iudicem ordinarium. Et si causa criminalis praeiudicialis fuerit cau-

sae civili, in eius cognitione supersedeat. Et quandocumque iudex ipse ordinarius, in causis criminalibus coram eo pendentibus, indiguerit depositionibus testium vel aliquibus scripturis ad causas criminales facientibus, teneatur auditor illas vel earum exemplum, ut praefertur, exhiberi facere.

Sportulas sic recipiant: videlicet,

§ 17. Ut autem debitus modus sportulis imponatur, non possint auditores partibus, per se vel alium, quovis modo, sportularum nomine, aliquid petere vel exigere, sed nec sponte dantibus ultra taxam infrascriptam accipere, videlicet.

In causis profanis,

§ 18. In causis pecuniariis seu profanis aut quae alias pretio nummario quoquo modo aestimari possint, si aestimatio rei, de qua agetur, non excedat summam mille ducatorum, usque ad aureos decem; a mille vero, usque ad decem millia, vigintiquinque; a decem millibus usque ad viginti millia, quinquaginta; ab inde supra, usque ad quamcumque summam, centum.

In causis beneficialibus.

§ 19. In beneficialibus vero, si redditus annuus, de quo agetur, non excedat summam centum ducatorum, similiter decem; a centum vero usque ad mille, vigintiquinque; a mille usque ad tria millia, quinquaginta; abinde vero supra, centum aureos pro sportulis cuiuscumque sententiae definitivae dumtaxat, ut praefertur, accipere valeant. Si vero causa aestimationem non facile recipiat, sportulae moderatae, pro rerum et personarum qualitate, iuxta taxas praedictas, recipi possint; nec aliquid ultra non solum ipsis auditoribus, sed nec eorum familiaribus vel consanguineis aut aliis quibusvis personis, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, exceptis esculentis et poculentis, quae triduo consumi possint, ipsarum sententiarum aut auditorum intuitu, praestari possit.

§ 20. Quas quidem sportulas, iuxta taxam praedictam, apud notarium causae, post subscriptam sententiam et notario traditam et non antea, deponi, et auditori consignari volumus: quodque notarius depositionem et consignationem huiusmodi in actis notare et specificare teneatur.

Sportulae deponantur penes notarium post latam sententiam.

Notarii idonei eligantur, officiaque non arrendent et pro facto substitutorum teneantur.

§ 21. Officia vero notariorum Rotae non conferantur nisi personis peritis et idoneis, quae per seipsos illa exercere sciant, et exerceant, nisi aliqua legitima causa impediantur. Nec eo casu officia aliquibus arrendare, aut substitutos deputare valeant, nisi a proprio auditore approbati fuerint; qui insuper de officio fideliter exercendo arbitrio auditoris cavere debeant. Et pro ipsorum substitutorum facto, notarii ipsi, quoad interesse partium, tamquam principaliter obligati, omnino teneantur.

Haec bulla legatur anno quolibet. in princ. Rotae.

§ 22. Districtius praecipientes modernis et pro tempore existentibus auditoribus et eorum decano in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae et excommunicationis latae sententiae aliisque nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis poenis, ut praesentem constitutionem nostram singulis annis in prima audientia, una cum aliis constitutionibus antiquis, legi et publicari faciant, et illam ac omnia et singula in ea contenta diligenter observent et ab eorum notariis et aliis, quatenus ad eos pertinet, observari curent cum effectu.

Decretum irritans.

§ 23. Decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his ab ipsis vel quibusvis aliis, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 24. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsorum auditorum collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et facultatibus, eisdem auditoribus et col-

legio, etiam motu proprio et consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, aut etiam nos concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, seu quaevis alia exquisita forma servanda foret, tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si praefatis auditoribus vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma et effectus publicationis.

§ 25. Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam deducantur, nullusque illarum ignorantiam praetendere valeat, volumus et mandamus illas in eiusdem audientiae Palatii nostri ac Cancellariae Apostolicae valvis et acie Campi Florae, per aliquos ex cursoribus nostris, affigi, et per aliquod temporis spatium, relicta ibidem earum copia affixa, detineri, et exinde omnes et singulos, quorum interest vel interesse poterit quomodolibet in futurum, afficere, ac si eis personaliter intimatae forent.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo primo [1], sexto kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno III.

Papae subscrip.

† Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.

1 P. Matthaeus legit *secundo* (R. T).

Sequuntur subscriptiones cardinalium et publicatio constitutionis per Petrum Valtrini magister cursorum 1.

Dat. die 27 dec. 1561, pontif. an. III.

LV.

Confirmatio militiae Ordinis Sancti Stephani a Cosmo Medices, Florentiae et Senarum duce, de licentia huius Pontificis institutae sub Regula Sancti Benedicti, cum exemptionum et indultorum concessione.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iis, quae pro religionis propagatione et fidei catholicae defensione ac animarum salute provide facta esse noscuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter apostolici muniminis robur adiicimus, ac illa de novo concedimus et desuper disponimus, prout catholicorum principum nobis et Apostolicae Sedi devotorum pia vota exposcunt, et id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cosmus Medices, Floren. et Senarum dux, licentiam a Pontifice obtinuit instituendi militiam, ut hic;

§ 1. Dudum siquidem, pro parte dilecti filii nobilis viri Cosmi Medices, Florentiae et Senarum ducis, nobis exposito quod ipse, ad Dei laudem et gloriam ac fidei catholicae defensionem, marisque Mediterranei ab infidelibus tuitionem, ac posteritatis suae decus et honorem, cupiebat unam militiam, sub certo approbato Ordine per eum eligendo, cum dote competenti, ex suis propriis bonis assignanda, pro uno magistro ceteroque militum numero, ad aliarum in Hispaniis vel alibi rite institutarum militiarum instar, in eius dominio erigere et instituere, si sibi ad id nostra et Sedis praedictae licentia suffragaretur. Nos praefato Cosmo duci, ut, ad Dei honorem et gloriam aliosque effectus praemissos, in dicto dominio et loco ac aede sacra sibi benevisis unam

1 Quas omisit Cocquelinius (R. T.).

militiam, sub Regula Sancti Benedicti vel alterius approbati Ordinis, ac sub invocatione et cum insigniis, de quibus sibi videretur, decentibus, postea privilegiis, facultatibus et indultis a nobis et dicta Sede decorandam, cum dote convenienti per eumdem Cosmum ducem arbitrio suo, ut praefertur, assignanda pro uno magistro, qui videlicet ipse Cosmus, quoad viveret, et deinde pro tempore existens Florentiae dux esse deberet, et certo militum per ipsum magistrum pro tempore existentem, tam a primaeva erectione huiusmodi quam ex tunc deinceps perpetuo, instituendorum ac habitu regulari donandorum et ad regularem Ordinis huiusmodi professionem admittendorum numero, sub eiusdem magistri obedientia, ac cum pactis, capitulis, conditionibus et stabilimentis per dictum Cosmum ducem edendis, et per nos et dictam Sedem postmodum approbandis, ad aliarum militiarum praedictarum instar, sine tamen alicuius praeiudicio, erigere et instituere, ac, pro militiae militumque praefatorum salubri directione, quaecumque ordinationes et statuta per nos, ut praefertur, confirmanda, concedere posset, licentiam et facultatem per alias nostras in forma brevis literas concessimus.

Erexitque militiam S. Stephani sub Reg. S. Bened. et condecentes proventus assignavit;

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, idem Cosmus dux omnipotentem Deum, ut christianum decet principem, honorare, proximo prodesse, vitamque beatam promereri desiderans, in immensae Maiestatis divinae ac gloriosissimae Dei Genitricis, semperque virginis Mariae, totiusque coelestis Curiae gloriam et honorem, earumdem literarum vigore, unam, sub invocatione et protectione beati Stephani, militiam militum Sancti Stephani nuncupandam, sub Regula eiusdem Sancti Benedicti, erexerit et instituerit, illique nonnullos fructus, redditus et proventus ac bona pro eius dote assignaverit, voluerit-que quod eius milites praefati in sua receptione charitatem, castitatem coniugalem et obedientiam expresse profiterentur.

Charitatemque et coniugalem castitatem ac obedientiam milites expresse profiteri iussit;

§ 3. Charitatem nempe, cui tamquam solidae basi militia ipsa inniteretur, honorem Dei rebus universis praeponendo, Sacrae Scripturae praeceptis parendo, Sedis praedictae mandata servando, pro fide catholica pugnando, iustitiam colendo, pauperibus subveniendo, captivos ab infidelium vinculis recuperando, et finaliter sese ultroneos cuicumque periculo pro christianae religionis defensione et pro eius augmento non solum facultates, sed propriam vitam exponendo; castitatem vero sive pudicitiam, nullam aliam foeminam praeter propriam uxorem carnaliter cognoscendo; obedientiam autem in omnibus sibi per magistrum vel eius locumtenentem aliosve militiae superiores, iuxta illius ordinationes et statuta, iniunctis, bono et hilari animo diligenter exequendis.

Statuta quoque super huiusmodi Regula condidit.

§ 4. Ac pro salutari militiae militumque praedictorum regimine et perpetuitate, quamplura canones et statuta ac ordinationes super ipsorum militum Regula, super militiae statutis et constitutionibus, super militum officio ac professione, super poena transgressoribus Regulae statutorumque infligenda, super modo milites ad professionem recipiendi, illorum habitu, ecclesia et cultu divino, hospitalitate, communi thesauro, capitulo generali, magno magistro, officiis et dignitatibus militiae, militum officio, exercitio et commendis, contractibus [1] et locationibus, necnon prohibitionibus et poenis, ac super aliis provisionibus rebusque, ad divini nominis cultum, militiae decus, religionis augmentum et animarum salutem facientibus, ediderit atque sanciverit, prout in illis variisque capitulis desuper italico sermone in uno quinterno distincte conscriptis, ac de nostro mandato per

1 *Alienationibus* addunt Cher. et Matth. (R. T.).

dilectum filium nostrum Ioannem Baptistam, tituli Sancti Clementis presbyterum cardinalem Cicada nuncupatum, diligenter examinatis ac perlectis et emendatis, ac per nos manu propria subscriptis plenius continetur.

Hic autem Pontifex erectionem huius militiae ac statuta confirmat;

§ 5. Nos, praefati Cosmi ducis pium et laudabile institutum, utpote fidei catholicae exaltationem et alia pia opera concernens, plurimum in Domino collaudantes, necnon erectionis, institutionis, statutorum, canonum, ordinationum et capitulorum ac super illis confecti quinterni praedictorum et inde secutorum veriores tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ac ipsum Cosmum ducem, quem speciali dilectione prosequimur, in hoc suo laudabili militiae christianae promovendae proposito confovere ac specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, motu proprio, non ad ipsius Cosmi ducis vel alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, erectionem, institutionem, assignationem, aliaque omnia et singula canones, statuta, ordinationes et capitula praedicta ac, prout illa concernunt, cetera in praedicto quinterno contenta et inde secuta quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa scientia confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, necnon omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Et ipsum Cosmum ac alium pro tempore ducem Floren. magnum magistrum ipsius militiae creat, cum facultate et privilegiis etc.

§ 6. Et nihilominus, potiori pro cautela, militiam praedictam eisdem modo et forma, quibus per ipsum Cosmum ducem erecta et instituta est, de novo, ex simili scientia, eadem auctoritate, perpetuo erigimus et instituimus, illique sic erectae omnia et singula fructus et alia mobilia et immobilia, res et bona illi per eundem Cosmum ducem hactenus concessa, et deinceps tam per eum, quam alios quoscumque licite concedenda, etiam perpetuo, applicamus et appropriamus, necnon canones, statuta, ordinationes et capitula praedicta de novo statuimus et ordinamus. Ac eundem Cosmum et pro tempore existentem Florentiae ducem in magnum magistrum eiusdem militiae, cum honoribus, oneribus, praerogativis et facultatibus, quibus alii aliarum militiarum dicta auctoritate confirmatarum magistri inter suos milites quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, similiter perpetuo constituimus et deputamus. Illique praedicta immutandi et reformandi ac alia quaecumque ordinationes et statuta ad eiusdem militiae directionem facientia, licita et honesta ac sacris canonibus minime contraria, quoties sibi videbitur, condendi facultatem concedimus. Ac praemissa omnia et singula valida et efficacia fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et per milites fratres et alias eiusdem militiae personas, aliosque quomodolibet inviolabiliter observari debere. Ac eosdem milites et religiosos ab illis nullatenus resilire posse, sed ad illorum observationem teneri et efficaciter obligatos fore, censurisque et poenis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis ad id compelli posse.

Decretum irritans.

§ 7. Et sic per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executorum istius constitutionis deputatio et facultates.

§ 8. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Amerinensi et dilectis filiis vicariis venerabilium fratrum nostrorum Florentiae et Pisarum archiepiscoporum in spiritualibus generalibus motu simili, per apostolica scripta, mandamus quatenus

ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Cosmi et pro tempore existentis Florentiae ducis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari. Ac Cosmum et pro tempore existentem Florentiae ducem necnon milites praefatos ac singulos alios, quos ipsae literae concernunt et concernent in futurum, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo. Necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praefata deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus non tribus diaetis in concilio generali edita et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque aliarum, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani militiarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis ac dilectis filiis illarum magistris, conventibus et fratribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu et scientia similibus, ac consistorialiter, etiam per viam contractus ac universae legis, et ad imperatorum, regum aut aliorum principum instantiam ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sanctio poen.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, kalendis februarii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 februarii 1562, pontif. anno III.

Sequitur concessio privilegiorum dictae militiae.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Altitudo divinae providentiae, nullis praescripta limitibus, nullisque terminis

comprehensa, coelestia pariter et terrestria inscrutabili ratione disponit, et mortalium mentes ad ea, per quae, benevolentia et ferventi devotione catholicorum principum ad id tendentium, et quam in nos et Romanam gerere comprobantur Ecclesiam, mediante, personarum quarumlibet sub regulari observantia degentium optata salus undique proveniat animarum, divinusque cultus suscipiat incrementa, incitat. Unde nos, quibus, meritis licet imparibus, universalis Ecclesiae regimen eadem est providentia creditum, iuxta Sedis Apostolicae officium, pro eorum meritis, dexteram in eos liberalitatis nostrae extendere censemus, quo ipsi in perseverantia laudabilium operum ferventius animentur, quorum exemplo provocati, ad similia facilius inducantur.

Exemptio a iurisdictione ordinariorum 1.

§ 1. Hinc est quod nos dilectos filios nobilem virum Cosmum Medices, Florentiae et Senarum ducem, magnum magistrum militiae S. Stephani, sub Regula S. Benedicti, et conventum eiusdem militiae in ducatu Florentiae, per eumdem Cosmum ducem de licentia nostra institutae, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eosdem et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad eorum vel alicuius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, omnes et singulos ipsius militiae milites, priorem ceterosque ministros ecclesiae dicti conventus et alias personas, etiam in sacris et presbyteratus ordinibus constitutas, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque, cum cura et sine cura, beneficia ecclesiastica obtinentes, eorumque beneficia, commendas, res et bona quaecumque ab omni iurisdictione, superioritate, visitatione, dominio et potestate quorumvis archiepiscoporum, episcoporum aliorumque locorum ordinariorum, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa scientia, perpetuo eximimus et totaliter liberamus, aliosque [1] dicto Cosmo duci et magno magistro in spiritualibus et temporalibus, eis modo et forma, quibus in ipsius militiae statutis et ordinationibus continetur, immediate subiicimus et supponimus, ita quod ipsi locorum ordinarii nullam in eos iurisdictionem, superioritatem, dominium vel potestatem, etiam ratione cuiuscumque contractus, delicti vel alterius rei, ubicumque ineatur contractus, committatur delictum et res ipsa consistat, exercere valeant; sed milites, prior et aliae personae huiusmodi de iustitia coram solo magno magistro praedicto vel eius deputato respondere debeant. Decernentes quoscumque processus contra illos vel eorum aliquem, tam per ipsos locorum ordinarios vel eorum vicarios seu quosvis alios, quam magistrum vel eius deputatum praedictos, pro tempore factos, et quaslibet etiam excommunicationis vel suspensionis, aliasque sententias promulgatas nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti fore.

Facultas retinendi et transferendi pensiones usque ad duc. cc.

§ 2. Ac singulis militibus coniugatis, etiam bigamis, aliisque presbyteris, ut singulas pensiones annuas, usque ad summam ducentorum ducatorum auri de Camera, super quorumvis cathedralium, etiam metropolitanarum, et aliarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, aliorumque beneficiorum ec-

1 Ad hoc vide moderationem Concil. Trid., sess. XXIV, *Decr. de Reform.*, cap. 11 et 14.

1 *Illosque*, Cherub. (R. T.).

clesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis, alias sibi canonice reservandas, accumulative cum quibusvis aliis pensionibus annuis, quas illos, ex quovis alio privilegio apostolico, pro tempore percipere contigerit et continget, ad vitam percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, illasque, ad aliquam expeditionem contra infideles accedendo, aut in ea existendo, in toto vel parte, simul vel successive, quando sibi videbitur, etiam in mortis articulo, in cuiusvis personae in dignitate ecclesiastica constitutae, aut canonici cathedralis ecclesiae, et in dictae militiae militum manibus, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentium et expectantium favorem, absque aliquo possessorum beneficiorum huiusmodi habendo consensu, transferre, in omnibus et per omnia perinde prout militibus Sancti Pauli et Piis nuncupatis, per Sedem Apostolicam indultum extitit, etiam citra Cruciatae obligationem.

Privilegium disponendi de quoquo modo acquisitis.

§ 3. Necnon tam illis quam ceteris omnibus militibus ac priori et ministris, etiam presbyteris et beneficiatis eiusdem militiae, ut de quibuscumque, tam stabilibus quam mobilibus bonis, pecuniarum summis, gemmis et lapidibus preciosis, aliisque rebus, cuiuscumque qualitatis et quantitatis ac valoris existant, per eos, etiam ratione beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet per eos obtentorum, ac alias undecumque et quomodolibet acquisitis, et ad illos quovis modo spectantibus, dummodo quintam illorum partem conventui praedicto relinquant, inter quoscumque consanguineos, filios, etiam spurios et alios illegitimos, aliasque quantumvis incapaces personas testari, ac alias etiam per codicillos, donatione inter vivos, causa mortis et alia quacumque via, prout sibi videbitur, disponere, ac illa in pias et non pias, alias tamen licitas, causas, erogare.

Presbyt. milit. beneficium unum habere possint.

§ 4. Ac priori ecclesiae dicti conventus pro tempore existenti ut, quoties sibi placuerit, missam ac alia divina officia in praedicta aliisque dictae militiae ecclesiis in habitu pontificali, cum mitra et baculo pastorali, celebrare; ac post missam, dummodo ibi non sit praesens aliquis catholicus antistes, vel de illius consensu, ibidem benedictionem Christi populo impartiri; et tam ille quam singuli presbyteri milites eiusdem militiae unum curatum beneficium ecclesiasticum a dicta militia dependens, seu illi unitum aut incorporatum, etiam si parochialis ecclesia vel eius perpetua vicaria fuerit, si ad hoc sufficientes et idonei fuerint, et beneficium huiusmodi alias sibi canonice conferatur, recipere et retinere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis, de specialis dono gratiae dispensamus, sibique pariter indulgemus.

Milites ob inobservantiam Regulae quando peccent.

§ 5. Et insuper quod nullus ex magistro et militibus pro tempore existentibus aliisque personis dictae militiae, propter eius Regulam, statuta et capitula, nunc et pro tempore edita, non observata, vel minus rite adimpleta, in peccatum mortale incidat, praeterquam inobedientiam et contumaciam pluries commissam et continuatam, et ab ipsa Religione rebellionem et alios casus peccatum huiusmodi ex divinis praeceptis, sacrisque canonibus generantes.

Exemptio eorumdem a solutione decimarum et aliorum onerum.

§ 6. Quodque Religionis et militiae huiusmodi bona, pensiones et fructus, redditus et proventus quaecumque, tam per magnum magistrum commendis aliisque beneficiis et officiis dictae militiae, in illorum institutione, quam deinceps illis dictoque conventui et eius personis

quomodolibet assignanda, concedenda et applicanda, sub quibusvis decimis, subsidiis, aliisque ordinariis et extraordinariis oneribus, per nos et Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem Apostolicam, ex quavis causa, quantumvis necessaria, etiam pro Cruciata Sancta et defensione contra infideles nullatenus comprehendantur, neque ad illorum annatarumque, seu illorum dimidiam fructuum, redditnum et proventuum beneficiorum et in illorum provisionibus faciendam solutionem teneantur, sed ab illis excepta sint et esse censeantur, nisi ea quae hactenus oneribus huiusmodi fuerint et de praesenti sunt obnoxia.

Pensiones super benef. militiae imponi non possint, nisi pro personis dictae militiae.

§ 7. Et quod nulla pensio annua super alicuius commendae vel alterius beneficii militiae huiusmodi fructibus ex resignatione in manibus Romani Pontificis aut alia quavis probabili causa, nisi in persona personae dictae militiae, etiam per ipsum Pontificem reservari, neque commendae et alia beneficia dictae militiae pensionibus huiusmodi aliter quam ut praefertur onerari possint. Et si pensiones desuper aliter assignari contingat, assignationes ipsae nullius sint roboris vel momenti, nec titulares beneficiorum huiusmodi ad illarum solutiones teneantur, neque ad id censuris ecclesiasticis aliisque poenis compelli possint, etiam statuimus et ordinamus.

Indulg. plen. pro militibus in expeditione contra infideles vel haereticos decedentibus.

§ 8. Propterea, ut ipsi milites Ecclesiae catholicae fideliumque defensionem contra infideles animo frequentiori [1] minorique perdendae lucis humanae, si aeternam inde nanciscendam prospectant, metu suscipiant, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, universis et singulis militibus et aliis eiusdem militiae personis, qui in expeditione, tam maritima quam terrestri, contra infideles vel haereticos nedum hostilibus armis, sed etiam alio quovis mortis genere, de peccatis suis corde contriti, et ore confessi, vel saltem statutis a iure temporibus confitendi propositum habentibus, in virtute fidei catholicae decesserint.

Indulg. etiam plen. pro visitantibus die 11 augusti eccl. conventus.

§ 9. Ac tam militibus et personis praefatis, quam quibusvis aliis utriusque sexus, etiam vere poenitentibus et confessis, seu confitendi propositum habentibus, ut praefertur, qui ecclesiam conventus huiusmodi, quae sub invocatione Sancti Stephani Papae et martyris est consecranda, in singulo die festivitatis eiusdem Sancti Stephani Papae et martyris, secunda augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatis huiusmodi, annuatim devote visitaverint, ac, pro pace inter principes christianos confovenda, ter Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam recitaverint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem.

Indulg. pro aliquid militiae donantibus.

§ 10. Qui vero de bonis sibi a Deo collatis unam eiusdem militiae commendam fundaverint vel dotaverint, aut conventui et militiae praedictis, ad eius subventionem et onerum illi incumbentium supportandorum pro faciliori supportatione, aliquid, iuxta facultatum suarum modum piamque intentionem, donaverint vel legaverint, eas omnes indulgentias, quas hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani benefactores consequuntur, sine illorum praeiudicio, misericorditer in Domino similiter perpetuo concedimus et elargimur.

Clausulae praeservativae.

§ 11. Ac indulgentias, privilegia, exemptiones, statuta et alia praemissa nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae defectu notari vel impugnari posse: neque sub quibusvis similium vel dissimilium indulgentiarum, privilegio-

1 *Ferventiori*, Cherub. (R. T.).

rum, exemptionum, statutorum et aliarum gratiarum suspensionibus, revocationibus, limitationibus aliisque contrariis dispositionibus a nobis et successoribus nostris ac Sede praedicta, quavis de causa, quantumlibet iustissima, pro tempore emanatis et emanandis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, et quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta et de novo concessa esse et censeri.

Decretum irritans.

§ 12. Et sic in praemissis per quoscumque iudices, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Quocirca venerabilibus nostris Muranensi et Aretinensi ac Pistoriensi episcopis per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes nostras literas et in eis contenta solemniter publicantes, dictisque Cosmo duci et magno magistro ac conventui in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac quos literae ipsae concernunt et concernent in futurum et eorum singulos illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque, contra earumdem literarum tenorem, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 13. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicandum evocetur, seu ne iudices a Sede praefata deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant. Et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, et aliis apostolicis ac provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae militiae, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, si alias visitantibus dictam ecclesiam erigendam modo praemisso aliqua alia indulgentia, in perpetuum vel ad certum aliud tempus nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, praesentes literae, quoad indulgentiam in eis contentam, nullius sint roboris vel momenti. Quodque beneficia eisdem militibus conferenda huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, si qua illis immineat, nullatenus negligatur.

Clausulae derogatoriae.

Sanctio poenalis.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, nonis iulii, pontificatus nostri anno III.

LVI.

Contra franchitias in Urbe acclamantes, aut illas pro malefactoribus vel aere alieno adstrictis tenentes sive Curiam in eorum captura impedientes.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Inter ceteras, quibus, ex iniuncto nobis apostolicae servitutis officio, assidue angimur, curas, illa nobis praecipue cordi est, ut alma Urbs nostra, ad quam omnes christifideles ex universis mundi partibus, veluti ad tutissimum refugium, confluunt, facinorosis hominibus expurgata et penitus vacua permaneat, ac in ea boni omnes quieta securitate fruantur, malis autem nullus, quo se confovere possint, locus relinquatur. Et hi qui a magistratibus iusdicentibus iustitiam consecuti fuerint, illius etiam executionem libere, ut decet, contra condemnatos, ubicumque eos moram trahere contigerit, consequantur.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Sane cum, non sine animi nostri perturbatione, acceperimus nonnullos, tam ob crimina per ipsos commissa, quam ob debita contracta, sibi ipsis a ministris et executoribus iustitiae timentes, ad aedes magnatum, et praesertim S. R. E. cardinalium et oratorum principum, uti loca a dictis iustitiae ministris tuta, tametsi contrarium esse deberet, in dies confugere et in illis se recipere et confovere, sicque impunitos quandoque evadere, et creditores executione eorum creditorum ut plurimum frustrari.

Iulius III franchitias prohibuit.

§ 2. Et licet, ad huiusmodi abusum extirpandum, a felicis recordationis Iulio Papa III, praedecessore nostro, quaedam constitutio edita fuerit, talium tamen iustitiam fugientium temeritatem in tantum excrevisse, ut non solum se in dictis locis recipere, sed etiam illa, veluti iustitiae minime subiecta, franchitias appellare non erubescant, tamquam in praefata Urbe, in qua Summus Pontifex cum sacro cardinalium collegio residet et, ut Christi vicarius, toto orbi exemplum iustitiae praebere debet, asylum et receptacula delinquentium ac suis debitis satisfacere recusantium esse toleretur, neque executio iustitiae libere fieri valeat. Rem quidem pessimi valdeque perniciosi exempli, quae non ab ipsis cardinalibus et oratoribus, utpote modestis et iustitiae cultoribus, sed plerumque ipsorum familiarium culpa et facto processit.

Hic Pont. prohibit. confirmat et franchitias teneri aut acclamari prohibet.

§ 3. Nos, volentes tam enormes et detestandos abusus penitus tollere, utque nullus improbis tutus locus detur, sed executores iustitiae passim et ubique eorum officium libere et intrepide exequi valeant, providere, motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes in primis constitutiones circa praemissa, tam per praedictum Iulium, quam quoscumque alios Pontifices praedecessores nostros editas, cum omnibus et singulis censuris et poenis in eis contentis, approbantes et innovantes, hac in perpetuum valitura constitutione, sancimus ut nullus de cetero, cuiuscumque sit dignitatis et præeminentiae, sub indignationis nostrae et aliis arbitrii nostri poenis, aedes praedictas, aut alia quaecumque loca franchitias appellare audeat. Nullique cardinalium et oratorum et magnatum, etiam si nostri seu Romani Pontificis pro tempore secundum carnem nepotes, aut alio consanguinitatis seu affinitatis vinculo coniuncti fuerint, familiares, aut alias in ipsorum domibus commorantes seu locis circumvicinis, malefactores quoslibet, etiam non condemnatos, aut pro debitis obnoxios, contra quos tamen mandata executiva, ad instantiam creditorum, decreta et relaxata extiterint, ut eos a manibus Curiae eximant, receptare, vel alias, sub assertae franchitiae praetextu, secutores [1] reddere, vel executores iustitiae quo minus eorum

1 *Securos*, Cherub. (R. T.).

officium contra illos, etiam in domibus et locis circumvicinis prædictis, libere et sine ulla prorsus contradictione exequi possint, quovis modo, directe vel indirecte, impedire praesumant.

Contravenientibus poenas imponit.

§ 4. Alioquin receptantes aut securitatem praestantes, seu etiam executores iustitiae quomodolibet, ut praemittitur, impedientes, necnon qui, cardinalium aut oratorum seu magnatum quorumlibet nomen acclamando, contra dictos iustitiae ministros invocaverint, aut alias quoslibet alios in eosdem ministros concitaverint, velut criminis laesae maiestatis rei, condignis poenis afficiantur; contra quos omnes et singulos ad supradictas et etiam ad alias poenas, in quibus malefactores ipsi condemnati fuerint vel quas promeruerint, interesseque et damna inde provenientia, necnon ad creditorum satisfactionem, etiam ex officio et ad fisci nostri ac partium instantiam, respective inquiri et procedi, et successive eos condemnari posse et debere volumus atque decernimus.

Iussio ne cardinales et oratores talia permittant.

§ 5. Mandantes nihilominus cardinalibus, oratoribus et aliis praedictis, sub eiusdem nostrae indignationis poena, ut familiares suos et alios in ipsorum domibus commorantes, ne praemissa committant, omnino admoneant et cum effectu cohibeant, neque per illos aliquid de praemissis fieri quovis modo tolerent seu permittant.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque et indultis, sub quacumque tenorum forma quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis et iteratis vicibus innovatis, assertis consuetudinibus, quas per praesentes improbamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, duodecimo kalendas martii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 februarii 1562, pontif. anno III.

LVII.

Declaratio et limitatio constitutionis editae a Paulo IV super ordinationibus observandis per hebræos in Statu Ecclesiastico degentes [1].

Pius Papa IV universis et singulis utriusque sexus hebraeis in alma Urbe commorantibus et commorari solitis, viam veritatis agnoscere, et agnitam custodire.

Paulus IV multa statuit circa iudaeorum vivendi modum in constit. *(de qua in nota ad rub.)*.

Dudum a felicis recordationis Paulo Papa IV, praedecessore nostro, zelo religionis christianae moto, literae apostolicae circa vestrum aliorumque hebræorum vivendi modum, sub data videlicet pridie idus iulii, pontificatus sui anno I, emanarunt, quarum, ut accepimus, praetextu, per calumniam et cavillationes nonnullorum vestris facultatibus inhiantium, literas ipsas in multis praeter ipsius praedecessoris intentionem interpretantium, vos diversimode vexati et inquietati fuistis.

Hic modo Pontifex declarat in itinere de loco ad locum eos posse deferre birretum nigrum.

§ 1. Quare nos, considerantes quod sancta mater Ecclesia hebræis, quos in memoriam Passionis dominicae tolerat, multa plerumque concedit ut, christiana benignitate allecti, errorem suum recognoscant, et ad verum, quod est Christus, lumen tandem convertantur, plurimorum etiam praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo, statui vestro opportune providere volentes, ac literarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes: motu proprio, non ad vestram vel alicuius vestrum aut alterius pro vobis super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scien-

1 De materia hebraeorum vide in constit. IV Pauli IV, *Cum nimis*, tom. VI, pag. 498.

tia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, vobis omnibus et singulis, ut, dum vos ab uno loco ad alium iter agere contigerit, possitis in ipso itinere biretum seu pileum nigrum deferre, ea tamen conditione ut, si ultra unam diem uno in loco moram traxeritis, postea solitum biretum glauci coloris gestetis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus ac indulgemus. Volentesque quod si locus pro vestra habitatione assignatus amplus et capax ac negociis gerendis et mercibus exercendis aptus et commodus sit, intra illum vos contineatis: alioquin in alio capaci et commodo vobis assignando, vel priori, quantum opus fuerit, ampliando, seu iam per dilectum filium Guidonem Ascanium, cardinalem camerarium, iam ampliatum et forsan, eiusdem Guidonis Ascanii seu ab eo desuper deputandis arbitrio, in posterum ampliando.

Stabilia usque ad MD ducatos habere valeant et mercaturam quarumcumque rerum exercere possint.

§ 2. Et ultra domos in clausura existentes, quas per vos acquiri forsan contigerit, quaecumque alia stabilia bona seu praedia urbana et rustica, usque ad valorem mille et quingentorum ducatorum auri, tenere possitis; bonaque ipsa christianis et colonis, etiam partiariis vel sub certa annua pensione, prout cum illis convenietis, locare, ac etiam, sine aliquibus fraude et monopolio, culturae terrarum et animalium, cuiuscumque generis, aliarumque rerum societates cum eisdem christianis contrahere, et quascumque artes et mercaturas quarumcumque mercium et rerum humano usui quomodolibet necessariarum, etiam olei, frumenti, vini, hordei ceterorumque fructuum (nisi tamen superiores huiusmodi commercia et emptiones publico edicto omnibus, etiam christianis negociantibus, interdixissent), exercere; et ubi etiam hæc vobis a vestris debitoribus in solutum data fuerint, illa recipere, acceptaque quibusvis personis, etiam christianis, vendere, et cum illis pro aliis bonis permutare et prout volueritis, alienare.

Cum christianis honeste conversentur.

§ 3. Et cum christianis conversationem et familiaritatem honestas, non tamen eosdem christianos in vestros famulos habere, aut quomodolibet tenere. Et de pecuniis per vos et vestrum quemlibet mutuatis interesse, pro tempore usque ad datam literarum praedecessoris huiusmodi decurso, iuxta capitula vobis antea concessa et tolerata, exceptis tamen casibus iam decisis, vel per transactionem vel sententiam, quae in rem indicatam transierit, finitis, quas in suo robore permanere omnino volumus, nisi quæ arbitrio nostro nova revisione digna videbuntur; abinde vero circa, iuxta modum ex eiusdem praedecessoris ordinatione vobis datum, et donec alius modus vobis, per nos seu nostrum et Sedis Apostolicae camerarium praefatum, pro tempore statuetur, dummodo tum interesse de vestro interesse non exigatis, exigere.

Pignora post lapsum XVIII mensium vendere valeant.

§ 4. Et pignora, quae a christianis quomodocumque per vos accipi contigerit, de illis, lapsis decem et octo mensibus integris, postquam vobis consignata fuerint, per publicam subhastationem, assistente officiali publico et parti legitima intimatione facta, et alias, iuxta morem et modum antequam dictae literae emanassent in praefata alma Urbe servari solitum, vendere, et illorum pretium pro occurrenti[1] summa vestri crediti; reliquum, si quod superflueret, illorum dominis reddendo et consignando vel in manibus officialis deponendo, vobis retinere, et de illis nullam rationem illorum dominis seu cuiquam alteri reddere teneamini, sed, velut de propriis bonis, libere disponere valeatis, plenam et liberam, eisdem auctoritate et tenore facultatem concedimus.

Statuta Urbis servent, si non obstent indultis.

§ 5. Et insuper volumus ut vos sub statutis et decretis generalibus almae Urbis praefatae, quae tamen privilegiis et concessionibus vobis indultis contraria non

1 *Concurrenti*, Cherub. (R. T.).

sint, comprehendamini et illa observare teneamini.

Domini domorum in septis eas locent pro iusta pensione.

§ 6. Et ne, ob certi loci, intra quem habitare debeatis, assignationem et intra illum domos conducendi necessitatem, ab illarum dominis ultra debitum modum praegravemini, ut domorum domini in locis praedictis illas vobis pro iusto pretio, per camerarium praefatum declarando, locare teneantur, neque illud quovis modo augere vel alterare valeant.

Qui stabilia ab eis emerunt, solvant pretium absque cautione vel illa cum fructibus restituant.

§ 7. Praeterea si vobis vel vestrum singulis, vigore apostolicarum praedecessoris literarum, bona stabilia, quæ possidebatis, vendere coactis, aliqui huiusmodi bona emerunt, et illorum, etiam sub praetextu cautionum de evictione seu alias per calumnias requisitarum non praestitarum, vobis nondum persolverint, ut pretia conventa vobis, absque alicuius cautionis praestatione, integre persolvere, aut bona ipsa stabilia per eos empta in eo statu, quo erant tempore emptionis, una cum fructibus per eos perceptis, restituere teneantur. Omnesque libros rationum vestrarum et alias scripturas publicas et privatas vobis ablatos et ablatas, seu depositos et depositas, quibusvis sequestris super illis factis sublatis, vobis restitui mandamus, vosque ad reddendum rationem aliquam de contractibus seu instrumentis, etiam cassis et extinctis, nullatenus teneri neque adstringi posse decernimus.

Delicta, praeterquam hic excepta, iam patrata remittit.

§ 8. Et ulterius vos omnes et singulos ab omnibus et quibusvis delictis, criminibus, etiam tam contra dictas Pauli praedecessoris quam contra, eiusdem Pauli pontificatus tempore durante, quorumvis S. R. E. cardinalium aut aliorum quorumcumque literas, etiam libros non exhibendo, aut alias ipsis literis non parendo, excessibus et transgressionibus, quantumcumque gravibus et enormibus, per vos usque ad praesentem diem commissis, exceptis dumtaxat criminibus homicidii homicidioque maioribus, ac laesae maiestatis et falsae monetae, falsificationis literarum apostolicarum et in contemptum fidei christianae commissis, et iuxta formam instrumenti per vos in Camera Apostolica cum dilecto filio Donato Matthæo Minali, generali thesaurario, modo facti seu celebrati, quoad poenas tantum cuicumque, præterquam parti, applicandas et quae hactenus depositatae seu exactae non fuerunt, et salvo in reliquis iure cuiuslibet tertii, necnon a quibusvis residuis vigesimarum et talearum, et aliis quibuscumque, tam civilium quam criminalium Camerae Apostolicae debitis, auctoritate et tenore praemissis absolvimus et liberamus.

Querelans contra eos occasione exactionis interesse, habet annum ad prosequendum querelam respectu poenae.

§ 9. Et insuper volumus quod pro futuris transgressionibus ratione exactionis vestri interesse, querelans seu accusator annum tantum habeat ad prosequendum suam accusationem seu querelam, quantum sit respectu poenae, ut supra applicandae; quod vero attinet ad interesse civile ipsius querelantis vel accusantis vel cuiuslibet alterius tertii, nulla alia sit praefinitio temporis, nisi ea quae a iure communi statuta est.

Praescriptio iuris communis contra iudæos opponi potest.

§ 10. Et pariter quod vestris creditis, tam praeteritis quam praesentibus et futuris, ea solum opponatur praescriptio, quae praefinita est a iure communi; et quod pro toto eo tempore, quo quis pecuniis vestris fruitur, intelligatur interesse currere, computando tamen diem pro die, mensem pro mense, non autem diem pro mense, et pro transgressibus vestris poenae sint arbitrariae de cetero, exceptis tamen illis casibus pro quibus certae poenae sunt statutae a iure communi.

Apothecas extra septum iudæorum habere possunt.

§ 11. Praeterea vobis permittimus quod possitis tenere apothecas extra ghectum seu septum hebraicum, quantum tamen fieri poterit contiguas, et in illis, ab ortu solis usque ad occasum, exceptis diebus festivis, permanere, et mercaturam ac artes

vestras et banchum aliaque vobis permissa exercitia exercere, dummodo, adveniente nocte, vos ad vestras solitas intra claustra habitationes reducatis.

Libri non probant contra christianos, nisi scripti sint vulgari italico sermone.

§ 12. Ceterum, ut fraudibus occurratur, mandamus ut vos rationes, quas cum christianis habueritis, characteribus linguae vulgaris italicae scribere teneamini, alias vestris libris seu rationibus, alias quam ut praefertur scriptis seu notatis, nulla fides prorsus adhibeatur; possitis tamen ad libitum vestrum privatos libros in usus vestros conscribere lingua vestra hebraica, dummodo ex eis christianos non conveniatis; quodque non solum vos in alma Urbe praefata commorantes, sed etiam ceteros extra illam in aliis quibusvis locis moram trahentes, qui in eadem negocia aut commercia aliqua habuerint, pro illorum modo et qualitate, teneantur et obligati sint in solutione compositionis, per vos nuper cum Camera Apostolica factæ, aliisque omnibus oneribus per vos sustinendis et fiendis, iuxta ratam eis per taxatores imponendam, concurrere et contribuere; ac demum instrumentum conventionis per vos cum Camera Apostolica sive eius thesaurario sub die octava ianuarii praesentis anni initæ, cum omnibus in eodem instrumento contentis, de verbo ad verbum, prout iacet, auctoritate et tenore praemissis, approbamus, ratificamus et confirmamus, omniaque in illo concessa vobis damus et concedimus et condonamus, ac praemissa omnia et singula in praesentibus nostris literis contenta inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§ 13. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Executorum istius constitutionis deputatio et facultates.

§ 14. Quocirca dilectis filiis nostro et Romanae Ecclesiae camerario, et etiam nostro in alma Urbe eiusque districtu in spiritualibus vicario et Curiae causarum Camerae Apostol. auditori generali, motu simili, per praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra vos concessione, indulto, voluntate, permissione, liberatione, absolutione, mandato, confirmatione, approbatione, decreto, aliisque praemissis et praesentibus literis pacifice frui et gaudere, non permittentes vos, aut aliquem vestrum desuper per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet ac inobedientes et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Nos obstantibus supradicti Pauli praedecessoris et quibusvis aliis literis, concessionibus et ordinationibus apostolicis, etiam per nos contra praemissa seu aliquod praemissorum editis, necnon provincialibus, etiam per Sedis Apostolicae pro tempore de latere legatos, etiam super praescriptione sex annorum sive alterius brevioris, quae a iure communi indicta sit, temporis contra hebraeos praefinita, similiter editis, etiam Urbis praefatae statutis et consuetudinibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis et confirmatis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis dictae almae Urbi seu eius populo ac quibusvis aliis, sub quibuscumque verborum formis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque for-

tioribus et efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII februarii, millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 feb. 1562, pontif anno III.

LVIII.

Prohibitio deferendi, retinendi et vendendi archibusettos brevioris mensurae duorum palmorum in Statu Ecclesiastico.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Cum vices Eius, licet immeriti, geramus in terris, qui, de caelo ad ima descendens, pro salute humani generis seipsum ad Crucis patibulum obtulit, omni quo possumus studio, continuo invigilare debemus ut omnis prorsus occasio homicidia, tamquam in eiusdem humani generis perniciem tendentia, committendi, quantum in nobis est, submoveatur. Et quia experientia cognovimus quamplura ex illis tormentulis igneis, archibusettis vulgariter nuncupatis (quae occulte deferri possunt et ad necem inferendam aptiora et fere inevitabilia esse videntur), in dies committi et perpetrari, nec hactenus, ob proclamata, etiam sub gravissimis poenis, a rectoribus provinciarum et terrarum nobis et sanctae Romanae Ecclesiae subiectarum, ab illis deferendis, ob sicariorum copiam, audaciam, cessari aut abstineri; quinimmo passim et indistincte, non secus ac cetera arma minus prohibita, ab omnibus fere gestari.

Causa huius prohibitionis.

§ 1. Nos propterea, volentes proditorium et abominabile et detestandum armorum genus huiusmodi penitus et omnino destruere, ac ab alma Urbe aliisque terris nostris praedictis in totum eliminare, motu proprio et ex certa nostra scientia, hac in perpetuum valitura constitutione, sancimus nemini, cuiuscumque sit dignitatis, gradus, ordinis, conditionis aut praeeminentiae, licere genus armorum huiusmodi, quod brevioris duorum palmorum mensurae existat, publice vel occulte, tam per Urbem, civitates et loca nostra praedicta, quam etiam in itineribus, quoquo modo, aut quovis, etiam militiae aut executionis iustitiae, praetextu, deferre minusque in domibus aut alibi retinere, vendere, emere aut permutationis, in solutum dationis, pignoris vel quocumque alio titulo recipere, quinimmo quicumque illa habuerint intra viginti dierum spatium, a die publicationis praesentis constitutionis in locis infrascriptis faciendae computandum, in alma Urbe nostra, illius gubernatori; in aliis vero locis praedictis, rectori vel praesidi aut etiam gubernatori, seu cuivis alii superiori loci, in quo ea habentes fuerint, denunciare, et ad eum perferre seu perferri facere ac penes ipsum in loco ad id deputando, servanda dimittere teneantur.

Prohibitio deferendi et retinendi archibusettos brevioris mensurae duorum palmorum.

§ 2. Qui vero contrafecerit, dictumque

Contravenientium poenae.

genus armorum, lapsis dicti viginti diebus, retinuerit, crimen laesae maiestatis et rebellionis, ac poenas pro illo a iure inflictas eo ipso incurrat.

Inhibitio contra officiales ne licentias desuper concedant.

§ 3. Inhibentes (prout tenore praesentium inhibemus) omnibus et singulis, etiam de latere nostro legatis, ne, sub indignationis nostrae; et quibuscumque vicelegatis, gubernatoribus, rectoribus, praesidentibus ac aliis nostris et Sedis Apostolicae seu civitatum et terrarum praedictarum officialibus ne, sub suspensionis a divinis ac excommunicationis latae sententiae, aliisque arbitrii nostri poenis, cuiquam tale genus armorum, sub quovis colore, deferendi, vel alias, ut praemittitur, retinendi licentiam et facultatem ad quodcumque, etiam brevissimum, tempus concedere audeant vel presumant.

Licentiae autem per officiales dandae nullae sint, et a poenis praedictis non excuseat.

§ 4. Decernentes nihilominus licentias et facultates sic concedendas nullas penitus et invalidas existere, ac, illis non obstantibus, eos, qui sub illarum clypeo dictum genus armorum detulerint aut, ut præmittitur, retinuerint, poenas praedictas omnino incursuros, illosque irremissibiliter puniendos fore; et contra omnes et singulos huic nostrae constitutioni contravenientes, ad fisci nostri instantiam et etiam ex officio, procedi et inquiri posse, ac ad poenarum praedictarum executionem deveniri omnino debere.

Iussio publicandi.

§ 5. Ut autem praemissa ad omnium notitiam deducantur, nec aliquis praetextu ignorantiae excusari possit, volumus quod praesentes literae per aliquos Curiae nostrae cursores ad basilicae Principis Apostolorum de Urbe et ecclesiae Lateranensis necnon Cancellariæ Apostolicae valvas, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur.

Fides transumptorum.

§ 6. Quodque earum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, certa et indubitata fides adhibeatur, prout ipsis literis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Et transumpta huiusmodi, legati, vice-legati, rectores vel praesides aut gubernatores seu alii superiores provinciarum, terrarum, oppidorum et locorum praedictorum per publicum praeconem publicari et valvis cathedralis seu matricis ecclesiae loci aut palatii eorum residentiae affigi faciant; publicationemque et affixionem praedictas, lapsis dictis viginti diebus, perinde omnes arctare ac si personaliter intimatae forent.

Derogatio contrariorum

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque et indultis quibuscumque personis forsan concessis, confirmatis et innovatis, assertis consuetudinibus, quas (si quae forent) per praesentes improbamus, nullasque et invalidas esse declaramus. Et quae omnia (illorum tenores pro sufficienter expressis habentes) revocamus et annullamus, nullaque et irrita esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumq.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, pridie nonas martii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 martii 1562, pontif. anno III.

LIX.

Iurisdictio et facultates cardinalis protectoris et iudicis causarum monasterii et monialium (impudicarum iam mulierum) Convertitarum de Urbe nuncupatarum 1.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causa constitutionis.

Cum, sicut accepimus, non sine animi nostri displicentia, monasterium Conver-

1 Institutionem huius monasterii et eius indulta vide in Leonis X constit. XLIII. *Salvator*, tom. V, pag. 742.

titarum de Urbe, illiusque moniales, ob lites et quaestiones quibus ad diversa Urbis tribunalia, occasione bonorum meretricum curialium et aliarum quarumcumque mulierum inhonestam vitam agentium et ab intestato decedentium, seu quae eisdem monialibus, iuxta formam felicis recordationis Leonis Papae X et aliorum praedecessorum nostrorum, partem debitam non donaverint vel reliquerint, vel alias dictae bullae non satisfecerint; ac locationum, censuum, donationum, haereditatum, legatorum et diversarum aliarum rerum, tam in agendo quam defendendo, ipsum monasterium concernentes, et ad illud ac eius moniales praedictas quovis modo spectantes, iugiter implicatae existant et quamplurima damna et incommoda patiantur, ac impensae litis valorem, de qua pro tempore agitur, saepenumero exuperare, atque, propter huiusmodi diuturnam pendentiam et illarum expeditionis tarditatem, ipsum monasterium a plurimis annis citra multis debitis involutum existat, ita ut vix ab eis possit explicari, aut habere unde illius onera et dictarum monialium alimenta proveniant, nisi de celeri et opportuno remedio provideatur.

Advocatio causarum monasterii non instructarum coram quocumque iudice vertentium cum quibuscumque etiam privilegiatis.

§ 1. Nos, monasterium Convertitarum praedictarum, in quo mulieres carnis libidinum et licentiosae vitae antea assuetae, caritative recipiuntur, et in viam Domini diriguntur, earumque et illas sequentium animarum aeterna salus paratur, tantoque hospitalia et alia pia loca in quibus Christi pauperes, tam infirmi quam alias, recipiuntur, aluntur et cooperiuntur, excellere quanto animae et corpus et cetera terrena antecellunt; ac earum paupertatibus et indemnitatibus paterna pietate favorabiliter consulere; et ut ab huiusmodi dispendiis et expensis quantocitius subleventur providere volentes, motu simili et de certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas causas inter dictum monasterium et moniales praedictas sive earum gubernatores ac procuratores et agentes et quascumque alias, etiam singulares, personas, collegia, universitates, societates, etiam pia et religiosa loca, cuiuscumque status, gradus, ordinis et qualitatis, privilegiatas et privilegiata, tam coram sanctae Romanae Ecclesiae camerario, necnon auditore et praesidente ac clericis Camerae Apostolicae necnon vicario et gubernatore ac senatore Urbis, capitaneoque et aliis quibuscumque iudicibus, ordinariis et delegatis, etiam causarum Palatii Apostolici auditoribus, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus nunc et pro tempore existentibus, occasione quorumcumque bonorum et rerum supradictum monasterium et illius moniales et alios praedictos, tam coniunctim quam divisim, ac tam active quam passive concernentium, et ad praedictum monasterium et moniales huiusmodi quomodolibet, et de interesse ipsarum quomodocumque et qualitercumque apparere possit spectantium, in quacumque instantia inter illos, necnon alia aeque vel magis pia loca, universitates, collegia, quomodocumque privilegiata, viduas, pupillos et alias personas, etiam exemptas, pendentes, cuiuscumque qualitatis, status, ordinis vel conditionis et naturae existentes, etiam maiores expressis, in eodem statu et terminis, in quibus reperiuntur (dummodo instructae non sint), aut illas ac omnes alias et singulas de cetero inter monasterium et moniales huiusmodi, illius gubernatores, procuratores et agentes ac supradictos et alios quoscumque quomodolibet, tam active quam passive movendas, harum serie advocamus.

Deputatio et facultates iudicis dictarum causarum et protectoris monasterii.

§ 2. Ac venerabilem fratrem nostrum Ioannem, episcopum Sabinensem, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem Moronum nuncupatum, modernum et pro tempore existentem protectorem mona-

sterii Convertitarum, iudicem ordinarium et perpetuum, ad praedictas necnon quascumque alias, similes vel dissimiles, causam et causas, ac etiam criminales et mixtas, tam per eos et contra eos et eorum singulares personas super praemissis, ac quibuscumque aliis rebus, iuribus et actionibus, super bonis et rebus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris et naturae existant, et ad monasterium et moniales praefatas huiusmodi pertinentes, inter eos ac personas, universitates, collegia seu loca pia, etiam privilegiata et exempta, tam active quam passive, pro tempore movendas, iuxta ordinariam iurisdictionem seu facultatem, tam gubernatori quam auditori Camerae seu vicario Urbis praefato et eorum cuilibet attributam seu attributas, per se vel eius auditorem nunc aut pro tempore existentes seu alium per eum deputatum vel deputandum audiendas, fineque debito terminandas et decidendas; et quod decrevit in quocumque loco et contra quascumque personas, quantumcumque privilegiatas, plenarie exequendum seu exequi faciendum, quibusvis inhibitionibus, etiam vigore specialium commissionum, etiam nostra et successorum nostrorum huiusmodi manu signata, emanata et emananda, non obstantibus, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo constituimus et deputamus, et ad hunc effectum illi, etiam per alium seu alios quoscumque, tam in Romana Curia quam extra eam, et per edictum publicum, constito summarie sibi de non tuto accessu, citandi et monendi, ac eisdem et praefatis.

Facultas inhibendi quibuscumque iudicibus Urbis;

§ 3. Necnon quibusvis aliis, etiam Curiae Capitolii, primo et secundo illius collateralibus ac appellationum capitaneo, quam aliarum eiusdem Urbis curiarum iudicibus et personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quibus et quoties opus fuerit, sub censuris, sententiis et poenis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis, de quibus eidem protectori sive eius deputando auditori videbitur, inhibendi, et in eventum non paritionis, contra inobedientes et rebelles, ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi illarumque aggravationem et alia, iuxta stylum et morem dictarum curiarum, in similibus servari solitum et alias, prout sibi videbitur, procedendi.

Sententias exequendi;

§ 4. Sententiamque sive sententias debitae executioni demandandi seu demandari faciendi in omnibus et per omnia, et iuxta etiam facultatem dictis auditori Camerae, Urbis gubernatori et vice-cancellario per eamdem bullam concessam.

Inobedientes coercendi;

§ 5. Contradictores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias, aliaque iuris et facti opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandum.

Cetera necessaria faciendi;

§ 6. Omniaque alia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, faciendi et exequendi.

Causas reassumendi ab aliis iudicibus.

§ 7. Ac causam et causas motas et movendas, commissas et committendas, toties quoties opus fuerit, semel et pluries, eiusdem cardinalis arbitrio reassumendi, plenam et liberam licentiam et facultatem concedimus.

Causae alibi cognosci nequeant.

§ 8. Decernentes monasterium Convertitarum praedictarum et illius moniales et gubernatores seu procuratores et eorum agentes personasque praedictas, ex nunc deinceps occasione praemissorum alibi quam coram praedicto nunc et pro tempore dicti monasterii Convertitarum existente protectore conveniri aut alios conveniendos constringi non posse. Ac processus, sententias et decreta per alium vel alios, tam ordinarios quam delegatos, in causis praedictis quomodolibet pro tempore formatas, latas et factas, cum

inde secutis quibuscumque, nulla, irrita et inania nulliusque roboris vel momenti fore.

Clausulæ præservativae.

§ 9. Praesentes quoque, sub quibuscumque revocationibus, suspensione et exceptionibus, similium vel dissimilium gratiarum, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices aut Sedem Apostolicam vel eius legatos, etiam per regulas Cancellariae Apostolicae pro tempore factas ad favorem fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis penitus et omnino exemptas esse et censeri, nec eisdem praesentibus per quascumque literas et quasvis regulas generales et speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas clausulas et irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione in se continentes, derogari posse; et si illis ullo umquam tempore, ex aliqua etiam quantumvis necessaria et urgentissima causa, derogari contingat, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil omisso, insertus, et huiusmodi derogatio consistorialiter facta, et per trinas et distinctas literas eumdem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, monialibus, gubernatoribus et deputatis ceterisque personis praedictis legitime intimata et insinuata fuerit, eorumque expressus accedat ad id consensus, derogationem nemini suffragari, nec praesenti motu proprio per quamcumque concessionem, etiam nostra et successorum nostrorum manu signatam, fuisse et fore derogatum.

Decretum irritans.

§ 10. Sicque per quoscumque iudices, quavis auctoritate, etiam cardinalatus, sublata *etc.*, iudicari debere; irritum quoque *etc.*

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et in consilio generali edita de duabus diaetis, dummodo non ultra tres diaetas ad iudicium trahant, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis et fabricae praedictae, necnon hospitalium, ecclesiarum, monasteriorum et aliorum regularium et piorum locorum ac Ordinum, quorum illi extiterint, et aliorum quorumcumque locorum exemptorum, iuramento *etc.* roboratis, statutis *etc.*, privilegiis quoque, indultis, necnon conservatoriis et exemptoribus [1] ac literis apostolicis in forma motus proprii eisdem Capitolii Romani, necnon iudicibus, curiis, tribunalibus et eorum personis, per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores nostros, ac nos et Sedem Apostolicam, etiam motu proprio ac alias, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet concessis, necnon reformationibus, etiam noviter factis ac etiam motu proprio simili approbatis, etiam de reassumendis eisdem causis ad forum seu Curiam Capitolii, quibus omnibus, etiam si de illis *etc.*, tenores *etc.*, ac si in specie praesentibus insererentur, tam in genere quam in specie, ad effectum sufficientis derogationis pro sufficienter expressis habentes et habere decernentes, harum serie, specialiter et expresse, motu simili et ex certa scientia ac de potestatis apostolicae plenitudine, derogamus et sufficienter derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 12. Volumus autem quod præsentis motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, tam in iudicio quam extra, clausula ordinaria non obstante; quodque praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo praedicti protectoris seu alterius cuiuscumque personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel curiae saecularis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, tam in iudicio

1 *Exemptionibus*, Cherub. (R. T.).

quam extra, quae praesentibus adhiberetur, si exhibitae vel ostensae fuerint.

Placet, motu proprio. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, decimosexto kalendas aprilis, anno III.

Dat. die 17 martii 1562, pontif. anno III.

LX.

Iurisdictio inquisitorum haereticae pravitatis procedendi contra quoscumque regulares et religiosos quoquomodo privilegiatos et exemptos, de haeresi culpabiles, dummodo eorum superiores non praevenerint [1].

Pius Papa IV, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoris aeterni vices, meritis licet insufficientibus, gerentes in terris, sic vigilantiae nostrae sollicitudinem circa oves curae nostrae divina dispositione commissas exercere studemus, ne illae ab ovili suo, extra quod salvus nemo esse potest, aberrantes, in luporum rapacium insidias ullo modo incidere valeant, sed intra caulas debite custoditae ad coelestia pascua feliciter pervenire possint.

Pontifices concesserunt diversis Ordinibus de haeresi inquiri non posse nisi per eorum superiores.

§ 1. Nuper siquidem accepimus, nonnullos Romanos Pontifices praedecessores nostros, anteactis temporibus, ex causis tunc expressis, diversis Ordinibus, etiam Mendicantibus, quod contra eorum fratres et religiosos, in quibuscumque causis, etiam haeresis, nisi per eorumdem Ordinum superiores et praelatos, inquiri aut procedi quoquo modo non possint, inter alia privilegia, per suas literas concessisse et nos forte illas confirmasse; supercrescente autem temporis et hominum malitia, hac nostra potissimum aetate (quod sane dolenter referimus), in agro evangelici Patrisfamilias zizania, etiam inter dictos fratres et religiosos in tantum pullulasse, messesque tritico rarescentes adeo polluere videmus, ut vulpeculae iam in aperto vineam Domini demoliri nitantur.

Sed hic Pontifex, ad maiorem fidei utilitatem, inquisitoribus omnibus facultatem dat proced. contra quoscumq. fratres et religiosos et exemptos, dummodo eorum superiores non praevenerint.

§ 2. Quare nos, pro pastoralis officio nobis divinitus crediti debito, quantum cum Deo possumus, opportuna in praemissis remedia adhibere volentes, ut quos Dei amor a malo non revocat, poenae saltem formido a delinquendo retrahat; et propterea considerantes quod si dilecti filii inquisitores haereticae pravitatis, tam generales quam ubique locorum deputati particulares, in causis haeresis huiusmodi contra quoscumque quorumvis Ordinum, etiam quomodolibet exemptorum et Mendicantium, fratres professores et religiosos, quandocumque causas ipsas haeresis ab eis inchoari contigerit, procedere valerent, profecto id in non modicam fidei catholicae cederet utilitatem, cum praesertim ex hoc superiores et praelati Ordinum praedictorum, sicut verisimiliter credendum est, ad subditos suos, sub probata Religionis norma, continendos, transgressoresque debitis poenis compescendos, facile reddi possint diligentiores. Idcirco, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostra, hac nostra firmiter valitura constitutione, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus, ordinamus atque decernimus quod de cetero, in omnibus christiani orbis partibus, inquisitores haereticae pravitatis, tam generales quam in quibusvis provinciis, civitatibus, oppidis, terris et locis pro tempore deputati particulares, contra quoscumque fratres, professores et religiosos Ordinum praedictorum, ac etiam contra quoscumque quovis modo privilegiatos et exemptos, de haeresis crimine quomodolibet suspectos aut culpabiles, dummodo ab eorumdem fratrum

1 Haec bulla in Mainardi editione bis praelo posita habetur sub numeris LX et LXXVIII. Cum nulla rationabilis caussa huiusce repetitionis appareat, alteram omittimus (R. T.).

professorum et religiosorum superioribus et praelatis in causis huiusmodi praeventi non fuerint, iuxta facultates officii ipsius Inquisitionis, inquirere et procedere, ac culpabiles et delinquentes repertos, secundum canonicas sanctiones castigare aut punire, ceteraque omnia et singula facere, gerere et exequi libere et licite possint et valeant, super quibus plenam et liberam eisdem inquisitoribus et eorum cuilibet facultatem concedimus et potestatem.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Et ita ac non alias iudicari iubet;

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam *Mari Magno* et *Bulla Aurea* vel alias quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus et illorum superioribus ac praelatis, etiam per dictos Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam, ac etiam per nos aut quoscumque alios quovis modo concessis, confirmatis et iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis et totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus ac sufficienter et plene derogatum esse volumus atque decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat;

§ 5. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu notarii publici *etc.*

Transumptis credi mandat.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima aprilis, millesimo quingentesimo sexagesimosecundo, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 aprilis 1562, pontif. anno III.

LXI.

Taxa mercedum notariorum causarum civilium gubernatoris, vicarii, iudicis Burgi et magistrorum viarum Urbis, et etiam Capitolii, in casibus de quibus per statuta non est provisum.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Cum nuper generali reformationi circa Romanae Curiae officia et tribunalia per nostras desuper editas literas providerimus, et inter cetera statuerimus ut quorumdam tribunalium notarii, pro actis coram eis faciendis, adnotandis et conscribendis, mercedem iuxta taxationem per nos eis ordinandam, et non ultra, exigere valeant: idcirco nos illam ad suprascriptum modum duximus reducendam. Quam per notarios actuarios in causis civilibus curiarum almae Urbis nostrae gubernatoris et nostri in eadem Urbe vicarii, necnon capitanei Burgi Sancti Petri et magistrorum viarum, ac, in casibus in quibus par statuta Urbis specialiter non providetur, etiam senatoris eiusque collateralium et capitanei appellationum, ac magistrorum, iustitiariorum, observari mandamus, sub poenis in dictis nostris literis expressis. Utque tam ipsis notariis quantum petere valeant, quam partibus litigantibus quantum solvere debeant iugiter innotescat, iubemus ut singuli notarii praedicti, taxationem suprascriptam, in vulgari sermone impressam, tabellae affixam in suo quisque officio, in loco publico, quo ab omnibus inspici, legi et intelligi possit, teneant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Notarii praedicti servent hanc taxam, et tabellam affixam teneant in loco publico.

Placet. Motu proprio. I.

Pro quocumque monitorio, arresto seu

praecepto litis introductivo, cum clausula, *Si quis* etc., nihil.

Pro quacumque petitione, comparitione, protestatione sive allegatione, bol. [1] unum, *b.* 1.

Pro quacumque revocatione inhibitionis de facto factae, arresti, sequestri seu cuiusvis mandati, bol. duos, *b.* 2.

Pro mandato suspicionis fugae, cum examine testium, usque ad summam scutorum decem, bol. decem, *b.* 10.

Cum productione iurium a decem infra, bol. septem cum dimidio, *b.* 7 $^1/_2$.

A decem supra, cum examine testium, bol. duodecim, *b.* 12.

Cum productione iurium a decem supra, bol. decem, *b.* 10.

Pro arresto in carceribus, idem solvitur respective.

Pro mandato de relaxando, cum cautione usque ad summam scutorum decem, bol. quindecim, *b.* 15.

Si vero cum consensu, sine cautione, bol. duodecim, *b.* 12.

Abinde supra, si cum cautione, bol. vigintiquinque, *b.* 25.

Si vero sine cautione, bol. viginti, *b.* 20.

Pro quocumque mandato in contumaciam, bol. tres, *b.* 3.

Pro revocatione mandati in contumaciam, bol. duos, *b.* 2.

Pro *Non gravetur*, seu mandato de non molestando in forma iuris, bol. tres, *b.* 3.

Pro quocumque deposito pro quacumque summa in actis faciendo, nihil.

Pro restitutione depositi, pro quolibet scuto in causa mercedum, bol. unum, in ceteris duos, *b.* 2.

Pro rogitu cuiuscumque obligationis in officio, usque ad summam scutorum decem, bol. septem cum dimidio, *b.* 7 $^1/_2$.

Abinde supra, bol. decem, *b.* 10.

Extra officium, duplum.

Pro cassatione cuiuscumque obligationis iudicialis, usque ad summam decem, bol. quinque, *b.* 5.

1 *Bologninus*, italice *Bolognino*, numus Bononiensis, valoris fere quinquaginta quatuor centesim. libellae Gallicae (R. T.).

Abinde supra, bol. decem, *b.* 10.

Pro susceptione termini in iudicio ad solvendum, bol. duos, *b.* 2.

Pro quacumque susceptione censurarum in iudicio, quae non fiat nisi ultra decem, bol. septem cum dimidio, *b.* 7 $^1/_2$.

Pro moderatione censurarum, bol. duos, *b.* 2.

Pro quocumque partito litis decisivo, bol. duos, *b.* 2.

Pro quocumque iuramento extra officium, susceptione termini aut actus iudicialis, usque ad scutos decem, bol. septem cum dimidio, *b.* 7 $^1/_2$.

Abinde supra, bol. decem, *b.* 10.

Pro quocumque mandato vigore termini in iudicio suscepti, vel censurarum, vel iuramenti, usque ad summam scutorum quinque, bol. quinque, *b.* 5.

A scutis quinque usque ad decem, bol. decem, *b.* 10.

A decem usque ad viginti, bol. viginti, *b.* 20.

A viginti usque ad quamcumque summam, bol. quinquaginta, *b.* 50.

Pro decreto supradicti mandati, bol. duos, *b.* 2.

Pro quacumque fide de exequendo mandatum in alia Curia decretum, seu appositionis manus in contumaciam vel alias non facto processu, bol. duos, *b.* 2.

Pro quocumque rogitu procurae in officio, bol. duos, *b.* 2.

Extra vero officium, bol. octo, *b.* 8.

Pro productione quorumcumque iurium, articulorum et interrogatoriorum, bol. duos, *b.* 2.

Pro quacumque restitutione iurium cum dimissione copiae a decem scutis infra, supra tamen duo in scripturis privatis, bol. septem cum dimidio, *b.* 7 $^1/_2$.

A decem usque ad viginti, bol. quindecim, *b.* 15.

A viginti supra, bol. viginti, *b.* 20.

Si vero instrumenta [1] vel alia iura, duplum in quolibet casu praedicto.

Pro relatione ad videndum iurare testes et illorum reductione, specificatione ma-

1 Cherub. addit. *publica* (R. T.).

teriarum, etiam si insimul cum inductione testium fiat, bol. duos, *b.* 2.

Pro responsione articulorum sive praeparatoriorum, pro quolibet articulo seu praeparatorio, etiam generali, sive fiat verbo, sive fiat per productionem cedulae, bol unum, *b.* 1.

Pro examine testis in quacumque summa, summarie absque articulis et interrogatoriis, bol. septem cum dimidio, *b.* 7 $^1/_2$.

Pro examine super recognitione terrarum, bol. quatuor, *b.* 4.

Pro recognitione apocharum, bol. tres, *b.* 3.

Pro examine super articulis et interrogatoriis a scutis decem infra, supra tamen duo, bol. decem, *b.* 10.

A decem usque ad viginti, bol. quindecim, *b.* 15.

A viginti usque ad quamcumque summam, bol. viginti quinque, *b* 25.

Si vero articuli et interrogatoria fuerint excessiva, solvatur arbitrio domini.

Extra vero officium solvatur duplum.

Pro copia testium publicorum, solvatur ad rationem, ut supra pro examine.

Pro quacumque informatione iudici facienda, cum ostensione actorum, iurium vel testium, a quinque ducatis infra, bol. tres, *b.* 3.

A quinque usque ad decem, bol. sex, *b.* 6.

Abinde supra, bol. septem cum dimidio, *b.* 7 $^1/_2$.

Et unica tantum informatio in omnibus casibus solvatur.

Et si fiat extractus vel registrum, nihil solvatur pro informatione.

Pro quocumque decreto diffinitivo vel nota sententiae vim diffinitivae habentibus, usque ad summam scutorum quinque, bol. quinque, *b.* 5.

Usque ad decem, bol. decem, *b.* 10.

Usque ad viginti, bol. triginta, *b.* 30.

Usque ad quamcumque summam, bol. quadragintaquinque, *b.* 45.

Pro quocumque mandato vigore sententiae, servatis servandis vel causa cognita, usque ad summam scutorum quinque, bol. septem cum dimidio, *b.* 7 $^1/_2$.

Usque ad decem, bol. decem, *b.* 10.

Usque ad viginti, bol. triginta, *b.* 30.

Usque ad quamcumque summam, bol. quinquaginta, *b.* 50.

Pro copia cuiuslibet commissionis, bol. decem, *b.* 10.

Pro copia simplici cuiuslibet instrumenti in actis rogati, bol. septem cum dimidio, *b.* 7 $^1/_2$.

Pro copia subscripta, pro fide eorumdem, bol. decem, *b.* 10.

Pro copia articulorum, si sit magna scriptura, bol. decem, *b.* 10.

Pro copia cuiuslibet petitionis partiti iuramenti, allegationis et cuiuscumque alterius actus iudicialis in actis facti, bol. duos, *b.* 2.

Pro mandato de evacuando domum, bol. viginti quinque, *b.* 25.

Pro quocumque mandato de consignandis pignoribus, bol. tres, *b.* 3.

Pro quocumque decreto confessionis debiti, bol. duos, *b.* 2.

Pro quibuscumque literis declaratoriis vigore monitorii vel in illarum loco mandato in contumaciam, bol. trigintaseptem cum dimidio, *b.* 37 $^1/_2$.

Pro quibuscumque literis excommunicatoriis sive deligatoriis vigore obligationis in forma Camerae vel monitorii reintegrati, vel mandato loco illarum, usque ad summam vigintiquinque scutorum, bol. trigintaseptem cum dimidio, *b.* 37 $^1/_2$.

A vigintiquinque usque ad quamcumque summam, bol. quinquaginta, *b.* 50.

Pro absolutione a censuris, bol. septem cum dimidio, *b.* 7 $^1/_2$.

Pro instrumento absolutionis a censuris, idem solvatur prout in literis.

Pro quocumque brachio saeculari, solvatur duplum ad rationem summae praedictae.

Pro monitorio extra Urbem in illius districtu, bol. viginti, *b.* 20.

Pro rogitu instrumenti possessionis infra moenia Urbis, bol. triginta septem cum dimidio, *b.* 37 $^1/_2$.

Extra vero moenia Urbis, arbitrio domini.

Pro inventario de bonis, extra officium, bol. quinquaginta, *b.* 50.

Pro publicatione instrumentorum, serventur statuta Urbis.

In causis a quinque infra, specificentur materiae in actis, et examinentur testes absque articulis et interrogatoriis, et notarius teneatur super generalibus examinare, et si pars voluerit dare interrogatoria, concordet notarium.

Et si agatur de bonis et non de pecuniarum quantitatibus, stetur arbitrio domini, qua taxa solvi debeat.

Pro extractibus fiendis, prout hactenus fieri consueverint, pro quolibet folio habente lineas vigintidnas in qualibet pagina, bol. septem cum dimidio, *b.* 7 $^1/_2$.

In causis commissariis, pro comparitione et relationibus, nihil recipiatur, et in omnibus casibus solvatur prout in aliis Urbis tribunalibus solvi solitum et consuetum est.

A pauperibus et miserabilibus personis, solvere impotentibus, nihil, iuxta formam literarum nostrarum, accipiant.

LXII.

Taxa mercedum notariorum causarum criminalium gubernatoris, auditoris Camerae, vicarii et senatoris Urbis ac iudicis Burgi.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Notarii praedicti servent hanc taxam, et tabellam affixam teneant in loco publico.

Cum nuper generali reformationi circa Romanae Curiae officia et tribunalia per nostras desuper editas literas providerimus, et inter caetera statuerimus ut quorumdam tribunalium notarii pro actis coram eis faciendis, adnotandis et conscribendis mercedem iuxta taxationem per nos eis ordinandam, et non ultra, recipere valeant. Ideirco nos illam ad supradictum modum duximus reducendam, quam per notarios actuarios in causis criminalibus curiarum almae Urbis nostrae gubernatoris, auditoris Camerae, vicarii, senatoris, ac Burgi observari mandamus, sub poenis in dictis nostris literis expressis; utque tam ipsis notariis, quantum petere valeant, quam partibus litigantibus, quantum solvere debeant, iugiter innotescat, iubemus ut singuli notarii praedicti taxationem subscriptam, in vulgari sermone impressam et tabellae affixam, in suo quisque officio, in loco publico, quo ab omnibus inspici, legi et intelligi possit, teneant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet. Motu proprio. I.

Pro receptione quaerelae ex officio vel ad instantiam partis, seu in officio sive extra officium, nihil.

Pro examine testium, pro informatione Curiae, sive in officio sive extra officium, similiter ex officio vel ad instantiam partis, nihil.

Pro examine reorum in carceribus, nihil.

Pro quolibet monitorio, inhibitione vel sequestro in Curia, cum clausula *Si quis*, *sc.* 0, *b.* 3.

Pro alia inhibitione, arresto, monitorio vel sequestro sine dicta clausula, *sc.* 0, *b.* 5.

Pro qualibet significatione, cum fideiussione sive obligatione, *sc.* 0, *b.* 15.

Pro simili significatione, absque fideiussione et obligatione, *sc.* 0, *b.* 10.

Pro monitorio poenali, citatione, inhibitione, sequestro, arresto aut alio quovis instrumento, sive in Curia sive extra Curiam, sive auctoritate ordinaria sive commissaria pro fisco, nihil.

Pro simili monitorio in Curia in vim commissionis, si adest instigator secretus vel apertus, *carlenos* 5, *scut.* 0, *b.* 37 $^1/_2$.

Pro monitorio vel sequestro extra Curiam auctoritate ordinaria, si adest instigator, ut supra, *sc.* 0, *b.* 25.

Pro monitorio vel sequestro extra Curiam in vim commissionis, si adest similis instigator secretus vel apertus, *scutos* 0, *b.* $^1/_2$.

Pro inhibitione in Curia vigore commissionis, ad instantiam partis; vel si adest instigator ut supra, *carlenos* 5, *sc.* 0, *b.* 37 $^1/_2$.

Pro inhibitione simili extra Curiam, *sc.* 0, *b.* 60.

Pro citatione, etiam cum inhibitione vigore commissionis, etiam per edictum extra Curiam, ad instantiam partis, vel si adest instigator, ut supra, *sc.* 1, *b.* 6 1/2.

Pro compulsorialibus generalibus vel specialibus extra Curiam vigore commissionis. *sc.* 1, *b.* 1/2.

Pro instrumento remissoriae, *scut.* 1, *b.* 1/2.

Pro literis missivis pro examinandis testibus extra Curiam, loco remissorialium, *sc.* 0, *b.* 20.

Pro literis declaratoriis ob non paritionem monitorii extra Curiam, *carlenos* 10, *sc.* 0, *b.* 75.

Si in causa commissaria, *sc.* 1, *b.* 1/2.

Pro brachio saeculari similiter ob non paritionem monitorii extra Curiam in causa ordinaria, *sc.* 1, *b.* 50.

Pro brachio saeculari vel mandato executivo loco executorialium extra Curiam in causa commissaria, *sc.* 2, *b.* 50.

Pro mandato de capiendis extra Curiam auctoritate ordinaria, ad instantiam partis vel instigatoris secreti vel aperti, *sc.* 0, *b.* 25.

Si in causa commissaria, *sc.* 1.

Pro edicto tempore vacantiarum, *sc.* 0, *b.* 50.

Pro comparitione, relatione, iurium productione vel aliis quibusvis actis pro fisco, nihil.

Pro qualibet relatione, comparitione, protestatione, iurium productione vel alio actu, parte instante, *sc.* 0, *b.* 2.

Pro actu depositi pecuniarum, nihil.

Pro consignatione depositi, pro quolibet scuto, *b.* 1.

Pro consignatione pignoris vel rei depositatae, *sc.* 0, *b.* 7 1/2.

Pro examine cuiuslibet testis in causa capitali vel in qua veniret imponenda poena corporis afflictiva, cum articulis et interrogatoriis vel cum interventu domini iudicis vel fisci, in officio vel domo ipsius iudicis, *sc.* 0, *b.* 50.

Si extra domum et officium, etiam si testis sit egregius vel illustris super eisdem, *sc.* 1.

Si absque interrogatoriis et interventu iudicis et fisci, vel super bona fama, aut super uno vel duobus articulis tantum in officio, *sc.* 0, *b.* 25.

Si extra officium, etiam si testis sit illustris, ut supra, *sc.* 0, *b.* 4.

Pro examine testis in aliis causis non capitalibus, super articulis et interrogatoriis vel cum interventu iudicis vel fisci in officio, *sc.* 0, *b.* 3.

Si extra officium, etiam si testis sit egregius vel illustris, *sc.* 0, *b.* 50.

Si absque interrogatoriis et interventu iudicis vel fisci in officio, *sc.* 0, *b.* 15.

Si extra officium, *sc.* 0, *b.* 25.

Si materiae in articulis vel interrogatoriis fuerint excessivae, in quolibet ex casibus praedictis attendatur taxa iuxta excessivitatem arbitrio domini iudicis.

Pro examine testis in officio summarie, absque articulis et interrogatoriis, *sc.* 0, *b.* 10.

Si extra officium, *sc.* 0, *b.* 15.

Pro ostensione depositionis testium publicatorum absque copia, solvatur medietas eius quod solutum fuerit pro examine respective.

Pro copia ipsius depositionis testium pro quolibet folio continente lineas XXIII, *sc.* 0, *b.* 7 1/2.

Pro quolibet folio copiae indiciorum continente lineas XXIII, et pro qualibet linea XII syllabas, si unus tantum reus fuerit, *sc.* 0, *b.* 5.

Si duo vel plures rei fuerint, pro quolibet folio simili, *carlenum* 1, *sc:* 0, *b.* 7 1/2.

Pro quolibet centenario foliorum regestri in causis ordinariis, si ad instantiam partis fieri contingat, dummodo pagina folii contineat lineas XXIV, et regestrum vel extractus Curiae Capitolii factus fuerit iuxta formam motus proprii sanctissimi D. N. D. Pii Papae IV, *sc.* 3, *b.* 1 1/2.

In causis vero commissariis a principio cum totidem XXIV lineis et iuxta formam eiusdem motus proprii, pro quolibet centenario, *sc.* 4.

Pro quolibet folio extractus facti cum

lineis et iuxta tenorem dicti motus proprii, *sc.* 0, *b.* 7 $^1/_2$.

Pro quolibet centenario rubricaturae processus de partibus, *sc.* 1, *b.* 50.

Pro mandato de relaxando aliquem in causa capitali vel alia, in qua veniret imponenda poena corporis afflictiva, ubi praecesserint indicia et reus fuerit examinatus, nec fuerit lata et subscripta sententia, *sc.* 0, *b.* 50.

Ubi vero reus, praecedentibus indiciis examinatus, fuerit condemnatus, vel etiam tam ante quam post composuerit, aut solverit poenam, seu ex gratia poena ei remissa fuerit, *sc.* 1.

Pro mandato de relaxando aliquem in alia causa, ubi praecedent indicia et reus componat vel poenam solvat, aut condemnatus ex gratia liberetur, *sc.* 0, *b.* 30.

In aliis vero quibusvis casibus pro simili mandato de excarcerando, *sc.* 0, *b.* 20.

Pro rogitu cuiuslibet fideiussionis in officio vel carcere, *sc.* 0, *b.* 10.

Si extra officium et carcerem, *scut.* 0, *b.* 20.

Pro mandato de capiendo aliquem pro indiciis vel pro Curiae informatione, nihil.

Pro mandato de capiendo pro cautione de non offendendo, *sc.* 0, *b.* 7 $^1/_2$.

Pro *Non gravetur*, *sc.* 0, *b.* 5.

Pro mandato de evacuando, servatis servandis, *b.* 20.

Pro inventario in causa capitali, *sc.* 1.

Pro simili inventario facto de mandato iudicis in quavis alia causa criminali, plus vel minus arbitrio iudicis, *sc.* 0, *b.* 50.

Pro simili inventario in causa civili, *sc.* 0, *b.* 20.

Pro existimatione, subhastatione et venditione bonorum mobilium vel semoventium fisco incorporatorum, usque ad valorem scut. 10, *sc.* 0, *b.* 15.

A scutis 10 usque ad 20, *sc.* 0, *b.* 30.

A scutis 20 usque ad 50, *sc.* 0, *b.* 75.

A scutis 50 usque ad 100, *sc.* 1.

A scutis 100 usque ad 500, *sc.* 2.

A scutis 500 usque ad quamcumque summam, *sc.* 3.

Pro adeptione possessionis bonorum stabilium fisco incorporatorum, intra moenia, *sc.* 1.

Si extra, solvatur iuxta importantiam causae et distantiam loci, arbitrio domini iudicis.

Pro subhastatione, venditione et deliberatione similium bonorum stabilium, usque ad valorem scut. 100, *sc.* 1, *b.* 2.

Abinde supra, capiatur arbitrio eiusdem domini iudicis.

Pro nota sententiae diffinitivae, declaratoriae vel interlocutoriae, in quavis instantia pro fisco, nihil.

Pro nota sententiae absolutoriae definitivae in causa capitali in prima instantia, pro quolibet reo, *sc.* 4.

Si in secunda instantia, *sc.* 3.

Si in tertia instantia, *sc.* 2.

Pro simili nota sententiae in alia causa, in qua veniret imponenda poena corporis afflictiva, in prima instantia, *sc.* 3.

Si in secunda, *sc.* 2.

Si in tertia, *sc.* 1.

Pro simili nota sententiae absolutoriae definitivae in causa non capitali et in qua non veniret imponenda poena corporis afflictiva, in prima instantia, *sc.* 2.

Si in secunda, *sc.* 1, *b.* 50.

Si in tertia instantia, *sc.* 1.

Pro simili nota sententiae declaratoriae in quavis causa et instantia, *sc.* 1.

Pro nota sententiae definitivae in causa discussionis, recipiatur, iuxta importantiam causae, arbitrio domini iudicis.

Pro nota decreti habentis vim sententiae definitivae in quolibet ex casibus praedictis capiatur pro medietate, iuxta taxam praedictarum sententiarum respective.

Pro quolibet folio copiae articulorum vel iurium productorum, *carlenum* 1, *sc.* 0, *b.* 7 $^1/_2$.

Pro restitutione iurium, *sc.* 0, *b.* 25.

Pro quolibet salvoconducto pro homicidio ad quodvis tempus, si forte dari contingat de mandato sanctissimi D. N., *sc.* 1.

Si pro alio minori delicto, *sc.* 0, *b.* 50.

Pro decreto ad exequendum mandatum iam decretum revocationis, inhibitionis vel sequestri de consignando bona depositata, vel similis naturae, una cum fide vel mandato desuper opportuno, *carlenum* 1, *sc.* 0, *b.* 7 1/2.

Pro cassatione cuiuslibet simplicis fideiussionis, obligationis vel querelae, *sc.* 0, *b.* 10.

Pro cassatione similis fideiussionis vel querelae in quibus secutus fuerit processus vel examen inquisiti, non tamen condemnatio, *sc.* 0, *b.* 20.

Pro cassatione similis fideiussionis vel obligationis in causa gravi et pro persona tertia, attendatur importantia ipsius causae et personae inquisitae, et stetur iudicio domini iudicis, nisi partes fuerint inter se concordes, *sc.* 1.

Pro cassatione processus in causa capitali, pro quolibet inquisito, *sc.* 1.

Si in causa minori, in qua tamen veniret imponenda poena corporis afflictiva, *sc.* 0, *b.* 75.

Pro cassatione processus in alia causa non capitali, in qua non veniret imponenda poena corporis afflictiva, *sc.* 0, *b.* 50.

Pro cassatione processus in causa gravi et pro persona tertia attendatur importantia causae et personae, et stetur iudicio domini iudicis, ut supra.

Pro instrumento sententiae in causa capitali, *sc.* 2.

Pro simili instrumento in causa, in qua tamen veniret imponenda poena corporis afflictiva, *sc.* 1, *b.* 50.

Pro simili instrumento in causa minori, *sc.* 1.

Pro instrumento sententiae declaratoriae, absolutionis vel decreti habentis vim similis sententiae, *sc.* 0, *b.* 50.

Pro susceptione censurarum vel termini in iudicio, *sc.* 0, *b.* 5.

Pro fide cuiuslibet actus iudicialis, *sc.* 0, *b.* 10.

Pro fide decreti visitae, extra diem visitae, *sc.* 0, *b.* 5.

Pro rogitu procurae in officio, *sc.* 0, *b.* 5.

Si extra officium, *sc.* 0, *b.* 10.

Pro expensis contumacialibus, in causa capitali ordinaria, in qua, praecedentibus indiciis, reus fuerit monitus et in contumaciam condemnatus, *sc.* 0, *b.* 50.

Si in causa non capitali, in qua tamen modo praemisso reus sit in poenam corporis afflictivam condemnatus, *sc.* 1.

Si in alia minori causa, in qua eodem modo reus sit tantum in poenam pecuniariam condemnatus, *sc.* 0, *b.* 50.

Pro similibus expensis contumacialibus in causa commissaria in primo capite, ut supra, *sc.* 2, *b.* 50.

Si in secundo, *sc.* 2.

Si in tertio capite, *sc.* 1, *b.* 50.

Si vero huiusmodi expensae fuerint in causa gravi vel pro persona tertia, exigatur, iuxta importantiam causae et qualitatem personae, arbitrio domini iudicis.

Pro quibusvis aliis instrumentis, expeditionibus et scripturis, quorum merces in praesenti taxa non exprimitur, et etiam in præinsertis in quibus videlicet controversia inter notarium et partem oriri contigerit, stetur arbitrio domini iudicis.

Eadem taxa præinserta servetur in quibusvis officiis criminalibus praedictis, etiam in causis mixtis vel etiam civilibus ac criminalibus dependentibus, aut quibus de interesse fisci agitur.

In aliis vero mere civilibus in eisdem officiis pertractandis, etiam in casibus praedictis, servetur taxa notariis civilibus novissime imposita.

In omnibus casibus praedictis et aliis quomodolibet contingentibus, pro paupere nihil penitus recipiatur, et de paupertate stetur relationi domini advocati vel procuratori pauperum; et ubi opus fuerit, loco copiae inditiorum vel iurium, ostendantur originalia ipsi domino advocato vel procuratori dictorum pauperum gratis.

LXIII.

Privilegia, gratias et indulta per Summos Pontifices, ab Innocentio II usque ad Iulium III inclusive, concessa congregationi Canonicorum Regularium Lateranensium approbat et confirmat, sicuti etiam pro bono congregationis regimine statuta edita ac edenda et promulganda [1].

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii cura nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissa, nos excitat et inducit ut circa statum personarum ecclesiasticarum quarumlibet, praesertim sub suavi Religionis iugo studio piae vitae vacantium, salubriter dirigendum operosis studiis iugiter intendamus; ac iis, quae propterea praecessisse dicuntur, ut firmiora persistant, cum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidium impartiamur, aliasque desuper disponamus, prout, locorum et temporum qualitate pensata, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Aliqui enunciantur Pontifices, qui privilegia concesserunt.

§ 1. Sane dilectus filius Iacobus Ferrariensis, Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini, congregationis Domini Salvatoris prior generalis, nobis nuper exposuit quod felicis recordationis Innocentius II, Eugenius III, Anastasius IV, Lucius II, Alexander III, Lucius, Urbanus et Honorius similiter III, Gregorius IX, Gregorius XII, Martinus V, Eugenius IV, Callistus III, Pius II, Paulus et ipse II, Sixtus IV, Innocentius VIII, Alexander VI, Iulius II, Clemens VII, Paulus III, Iulius etiam III ac diversi alii Romani Pontifices praedecessores nostri diversa privilegia, gratias, facultates, immunitates et indulta, tum spiritualia, tum temporalia, tam congregationi canonicorum praedictorum, quam eorum monasteriis et aliis regularibus locis ac personis per diversas eorum litteras concesserunt ac indulserunt; ac praefati praedecessores, seu eorum aliqui constitutiones congregationis huiusmodi, etiam eas quibus cavetur expresse ne generalia statuta vel diutius per eandem congregationem observatae et communiter approbatae consuetudines, et per priorem generalem aut visitatores congregationis ipsius ullo modo immutari, seu alia de novo edi vel institui queant, nec de novo edita vel instituta vim constitutionis habeant, nisi prius a duabus ex tribus electorum partibus in tribus capitulis generalibus, continue et immediate celebratis, approbata et confirmata fuerint, comprobarunt et confirmarunt; ac postea nonnullas etiam alias constitutiones, quae ad religionis incrementum et canonicorum aliarumque personarum congregationis eiusdem tranquillitatem, commodum et utilitatem facere viderentur, per tria capitula generalia rite et canonice, iuxta privilegiorum et constitutionum praedictorum formam approbatas et confirmatas, congregatio et canonici praedicti ediderunt ac promulgarunt, utpote de poena in constitutionum novatores, de actis congregationis conscribendis, de festis sanctorum Canonicorum Regularium celebrandis, de officio divino in choro, dum organa pulsantur, recitando, de locationibus ante tempus non prorogandis, de apostatis congregationis non recipiendis, de professis congregationes alias non admittendis, atque

Declaration. a quibusdam Pontificibus factae.

Constitutiones nonnullae a congregatione editae.

1 Ex Bull. Can. Later., tom. I, pag. 136.

alias quascumque, de quibus in diversis actis et documentis publicis Ordinis et congregationis praedictorum plenius dicitur contineri. Quare idem Iacobus, prior generalis, nobis humiliter supplicavit ut, pro salubri eorumdem congregationis directione, supradictis omnibus et singulis atque aliis quibuscunque privilegiis, gratiis, facultatibus, immunitatibus et indultis, eidem congregationi et canonicis, ac eorum monasteriis et aliis regularibus locis nec non bonis et personis, tam apostolica quam ordinaria auctoritate, ut supra concessis et indultis, atque usu receptis et consuetudine legitime praescripta acquisitis, necnon eorumdem congregationis constitutionibus, tam per Paulum III et Iulium similiter III, praedecessores præfatos, comprobatis et confirmatis, quam aliis postea editis et promulgatis, ac per tria eorumdem congregationis capitula generalia successive celebrata, rite et canonice, iuxta privilegiorum et constitutionum praedictorum formam, approbatis et confirmatis, quibuscunque, ac in posterum edendis et promulgandis, ac (ut praefertur) approbandis et confirmandis, ut uberiorem roboris firmitatem obtineant, nostrarum approbationis et confirmationis robur adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Omnia praedicta confirmat.

§ 2. Nos igitur, qui religiosarum personarum quarumlibet salubrem directionem sinceris desideramus affectibus, huiusmodi Iacobi, prioris generalis praefati, supplicationibus inclinati, supradicta omnia et singula atque alia quaecumque privilegia, gratias, facultates, immunitates et indulta, eidem congregationi et canonicis, ac eorum monasteriis et aliis regularibus locis, necnon bonis et personis, tam apostolica quam ordinaria auctoritate, concessa et indulta, atque usu recepta et consuetudine legitime praescripta acquisita, necnon eorumdem congregationis, tam per Paulum et Iulium praedecessores praefatos comprobatas et confirmatas, quam alias postea editas et promulgatas, ac per tria eorumdem congregationis capitula generalia successive celebrata, rite et canonice, iuxta privilegiorum et constitutionum praedictorum formam, approbatas et confirmatas, quascumque, ac in posterum edendas et promulgandas ac (ut praefertur) approbandas et confirmandas, quorum privilegiorum et constitutionum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, praesentibus haberi volumus pro expressis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa scientia approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan in constitutionibus praedictis intervenerint, supplemus; eaque omnia inviolabiliter observari et congregationi ac canonicis praefatis suffragari; sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque ordinarios ac alios iudices et commissarios, quavis auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari irritum et inane decernimus. Non obstantibus praemissis et quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus et generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon Ordinis et congregationis praedictorum, etiam iuramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, quomodolibet, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae

potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem et dicta auctoritate decernimus ut praesentium transumptis, etiam impressis, alicuius notarii publici manu subscriptis et alicuius personae in dignitate ecclesiatica constitutae sigillo munitis, ea prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis, MDLXII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 4 aprilis 1562, pontif. anno III.

LXIV.

De homicidis aliisque reis poenae capitalis vel sanguinis, etiam non condemnatis vel in contumaciam condemnatis, et infra sex menses non sponte se in carceribus constitutis 1 *non audiendis, appellationibusque condemnatorum in poenam fisco et Camerae Apostolicae applicatam non admittendis, nisi facto deposito. Ac de poenis fractae pacis vel treguae, et allegatione novae causae vel minoritatis, et legitimae filiorum confiscatione.*

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Etsi cuncta, quae ex multa Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum providentia processerunt, executioni debitae demandanda esse censemus, illa tamen praecipue, quae ad salubrem temporalis ditionis Apostolicae Sedis directionem, et pro Camerae Apostolicae indemnitate prudenter ordinata comperimus, ut illibata firmaque perpetuo subsistant, libenter non solum nostrae approbationis, verum etiam opportunae innovationis munimine roboramus.

Exordium.

§ 1. Dudum siquidem cum felicis recordationis Iulius Papa II, praedecessor noster, *etc.* 1. Iulius II edidit const. hic cit.

§ 2. Et deinde piae memoriae Paulus Papa III, etiam praedecessor noster, per eum ex plurium fide dignorum testimonio accepto quod nonnulli civitatum, terrarum *etc.* 2. Paulus III similiter hic cit

§ 3. Nos igitur, ne literae praedictae, ex eo quod illarum executio ab aliquibus fieri neglecta fuit seu, propter eorum forsan non usum, in desuetudinem abiisse a quoquam praetendi seu aliter quomodolibet allegari, deque earum viribus hæsitari contingat, sed illae, ut par est, suos debitos sortiantur effectus et ab omnibus observentur, providere volentes, motu et scientia similibus, praefatas et alias quascumque (quarum et inde secutorum quorumcumque aliorum circa praemissa, latius etiam de necessitate exprimendorum, tenores, ac si de verbo ad verbum similiter inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus) aliorum praedecessorum nostrorum super praemissis, tam sub plumbo quam in forma brevis, editas literas et in eis contenta ac inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, eisque apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac ea Hic Pontifex eas approbat.

1 *Constituentibus*, Cherub. (R. T.).

1 Omittitur haec bullae narratio, quia ipsa est in tom. V, const. XXIX, *Fide*, pag. 488.

2 Omittitur narrativa bullae, quia ipsa est in tom. VI, const. XXXII, *Cum sicut*, pag. 302.

valere, perpetuaque roboris firmitate ac suos effectus plene sortiri, et ab omnibus, quos illa concernunt et concernere poterunt quomodolibet in futurum integre observari debere decernimus; omnesque et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan tunc intervenerint in eisdem, supplemus.

Et capite aliter condemnatum decernit non audiri extra carceres etiam si petat remissionem ex eo quod bannitum occiderit;

§ 4. Et nihilominus, motu, scientia et auctoritate praefatis, per hanc nostram constitutionem in perpetuum valituram statuimus et ordinamus quod nullus in poenam capitis condemnatus, qui, sub praetextu quod ipse aliquem bannitum occiderit aut alias quovis modo ad manus Curiae pervenire fecerit, et propterea a dicta poena capitis, in quam condemnatus fuit, liberari et absolvi debere, aut alium bannitum per ipsum condemnatum nominandum, iuxta formam bannimentorum desuper emanatorum, remittere posse praetendit, per procuratorem, excusatorem, defensorem, velut quemlibet de populo, audiri vel admitti possit aut debeat, nisi prius reus ipse, qui liberationem aut absolutionem vel nominationem et remissionem huiusmodi consequi aut fieri posse vel debere praetendit, seipsum in carceribus, iuxta formam literarum Iulii II, praedecessoris nostri huiusmodi, personaliter constituerit.

Et ita iudicari iubet.

§ 5. Quodque literis praedictis et huic nostrae dispositioni, nisi de ipsis clara et expressa mentione facta, et per nostram et successorum nostrorum Romanorum Pontificum manus propriae signaturam derogari non possit. Sicque et non aliter in omnibus et singulis praemissis, ac tam praesentibus [1] quam futuris causis et litibus, per quoscumque iudices, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et de latere legatos ac Palatii Apostolici causarum auditores, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari debere; ac quidquid contra praesentium tenorem contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et provinciae nostrae Marchiae Anconitanae statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis civitatibus, terris et locis praefatis, eorumque gubernatoribus et communitatibus, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientia similibus, etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus (illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris), hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima aprilis, millesimo quingentesimo sexagesimosecundo, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 aprilis 1562, pontif. anno III.

Sequitur declaratio dictae constitutionis.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Relatio praecedentis constitutionis.

Cum nos dudum, vestigiis felicis recordationis Iulii Papae II, praedecessoris nostri, inhaerentes, nullum homicidii reum, qui se ab illo, etiam sub praetextu quod alium bannitum occiderit seu ab alio banniti occisore, iuxta formam bannimentorum id permittentium, nominatus fuerit, aut ex alia quavis causa absolvi debere praetendat, ad absolutionem petendum per procuratorem aut excusatorem seu defensorem, etiam velut quemlibet de

1 *Et pendentibus* addit Cherub. (R. T.).

populo comparentem, audiri vel admitti debere, nisi ipse reus se in carcere personaliter constituerit, statuerimus et ordinaverimus, prout in nostris desuper editis literis, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur.

Dubium desuper exortum.

§ 1. Verum, cum, ut nuper accepimus, a nonnullis in dubium revocetur an in dictis nostris literis solum homicidae banniti vel condemnati, non autem illi, qui nondum condemnati vel banniti essent, comprehendantur.

Declaratio et extensio dictae constitutionis, etiam ad non condemnatos.

§ 2. Nos propterea, omnem ambiguitatem circa praemissa amputare et penitus tollere volentes, motu simili et ex nostra certa scientia, hac nostra perpetuo valitura constitutione, nullum ab homicidio seu alio quovis crimine, pro quo poena corporalis veniat imponenda, ex aliqua causa, etiam quia alium bannitum occiderit vel ab alio banniti occisore, iuxta formam proclamatum et bannimentorum id permittentium vel constitutionum desuper editarum, nominatus fuerit, sive etiam quia ab ipso occisus bannitus et condemnatus extiterit, ac impune, ex dispositione dictorum proclamatum et bannimentorum seu constitutionum, occidi potuerit, se absolvi debere praetendentem, sive pro homicidio aut alio crimine per eum commisso bannitus et condemnatus, sive nondum bannitus nec condemnatus nec etiam inquisitus existat, per se vel aliam personam pro eo quomodolibet comparentem, ad absolutionem petendum admitti vel audiri posse, nisi se prius in carcere constituerit, et ad causam haeredes ab ipso occisi citari, et in eventum quod quis ab homicidio per ipsum commisso, ex eo quod alium bannitum occiderit vel ab aliquo banniti occisore, ut praefertur, nominatus fuerit, se absolvi obtineat.

§ 3. Eum nihilominus a loco, in quo haeredes occisi commorantur, quousque ab illis pacem obtinuerit, exulare debere, neque ad eum locum aliter, nisi pace ab illis habita, remitti posse, perpetuo statuimus et ordinamus.

Bannitosque prohibet remitti in loco ubi sunt haeredes occisi, nisi habita pace.

Omnibus officialibus id vetat;

§ 4. Inhibentes nihilominus omnibus et singulis iudicibus, quacumque auctoritate fungentibus, sub excommunicationis latae sententiae aliisque arbitrii nostri poenis, et nostris, etiam de latere, legatis, sub indignationis nostrae poena, ne, contra tenorem huius nostrae constitutionis, de cetero quempiam, sic, ut praemittitur, se absolvi petentem, nisi in carcere constitutum, quoquomodo audiant vel admittant; et ubi secus fecerint, processus taliter habitos ac sententias desuper latas nullius fore momenti ac vitio nullitatis subiacere; et, illis non obstantibus, reos sic absolutos poenis debitis puniri seu de novo inquiri posse.

Et ita iudicari mandat.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices, etiam S. R. E. cardinales et Palatii Apostolici auditores, sublata eis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et interpretari debere, irritumque et inane quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, decernimus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, legibus, ac provincialibus et municipalibus quorumvis locorum statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, necnon proclamatibus et bannimentis super praemissis editis et in posterum edendis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis in contrarium forsan concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, quoad praemissa, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Ac praesentium solam signaturam nostram sufficere et ubique fidem facere, in iudicio et extra, regula contraria non obstante; eorumque seu literarum desuper expediendarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ea prorsus fides, in iudicio et extra iudicium, adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptis credi iubet.

Placet, motu proprio. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, pridie nonas octobris, anno III.

Sequitur plenior declaratio supradictarum constitutionum.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Licet dudum per felicis recordationis Paulum III et forsan alios Romanos Pontifices praedecessores nostros ac deinde per nos, inter alia, iustissimis rationibus tunc expressis, provisum ordinatumque fuerit quod in causis criminalibus seu mixtis, fiscum et Cameram Apostolicam quomodolibet concernentibus, in quibus reos condemnari contingeret, appellationes vel provocationes, nisi prius facto deposito poenarum, in quibus ex delicto delinquentes ipsi, aut illi qui pro eis fideiussissent, vel ex contractu, quoquomodo condemnandi venirent, aut eatenus condemnati fuissent, omnino recipi et admitti non possent, sed appellationes et provocationes in causis huiusmodi interpositae et in futurum interponendae ac appellantes ipsi reiici deberent. Aut si sententia esset in poenam capitis condemnatoria, non admitteretur appellatio, neque aliter audiretur reus, nisi in carceribus constitutus. Et insuper, quod quaecumque rescripta et commissiones causarum similium appellationum et provocationum ad cuiusvis instantiam, per quemcumque ad commissiones signaturae iustitiae signandas deputatum, aut etiam manu nostra et successorum nostrorum signanda, non facto dicto deposito, nullius essent roboris vel momenti, sed, illis non obstantibus, ad ulteriora in causis ipsis, usque ad poenarum praedictarum effectualem exactionem, debere procedi. Quodque commissiones causarum, in quibus interesse fisci et Camerae praedictae ageretur, necnon [1] deberent signari neque expediri, nisi citato procuratore fiscali et thesaurario provinciae, ex qua quaelibet causa existeret, aliasque et aliter prout in singulis Pauli et aliorum praedecessorum et nostris, sub annulo Piscatoris, sub die decima aprilis, millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, expeditis literis, quarum tenores hic pro expressis haberi volumus, latius continetur.

Relatio praeinsertarum bullarum.

§ 1. Tamen ordinationes et dispositiones huiusmodi, nostraque et dictorum praedecessorum in illis edendis intentio cavillantium calumniis in dies eluduntur, et super earum sinistris interpretationibus agentes pro fisco et Camera praedicta fatigantur, ex eo praesertim quod nonnulli citra [2] faciendum depositum praedictum contendant satisfactum esse statutis et dispositionibus praedictis ex sola cautione in forma depositi, et quod citare procuratorem fiscalem et thesaurarium in expeditione singularum commissionum, tamquam nimis rigorosum, videatur esse praeter nostrae mentis intentionem. Insuper adversus obligationem constituendi reos appellatos in carcere diversas etiam cavillationes opponunt. Unde provenit quod ipsi rei, non coacti facere actuale depositum, non curant causas suarum appellationum expediri, sed potius de industria procurant illas in longum protrahi, maxime cum, non citatis procuratore fiscali et thesaurario praedictis, contingat per eos

Dubia desuper exorta.

1 Cherub. legit *non* (R. T.).
2 *Circa*, Cherub. (R. T.).

impetrari commissiones directas iudicibus vel in alma Urbe existentibus negociorum multitudine impeditis, vel extra Curiam eorum amicis, et in locis, in quibus non sunt, qui iura fisci tueri possint aut velint, narrando etiam in ipsis commissionibus multa mendacia, ut illorum medio possint, ad retardandum executionem et causam intricandum, inhibitiones ab ipsis iudicibus extorquere. Quae omnia non solum tendunt in Camerae praedictae detrimentum (quod tollerabilius esset), sed etiam, proveniente inde delictorum impunitate, datur aliis materia delinquendi et universis populis scandalum non modicum.

Declaratio circa deposita fienda a condemnatis ad favorem fisci et Camerae.

§ 2. Nos igitur, calumniis et aliis inconvenientibus huiusmodi, quantum cum Deo possumus, obviare et in his opportune providere volentes, hac nostra in perpetuum valitura declaratione, ordinatione et constitutione statuimus et ordinamus quod in supradictis, seu criminalibus aut civilibus, vel ex delicto sive ex contractu, ut praefertur, procedentibus causis, fiscum et Cameram praedictam illiusque interesse quomodolibet concernentibus, non liceat alicui condemnato, cuiuscumque status, gradus, ordinis, qualitatis et conditionis, etiam si universitates et collegia fuerint, a condemnationibus huiusmodi et sententiis desuper latis, seu illae definitivae fuerint seu interlocutoriae aut vim definitivae habentes, appellare, provocare aut de nullitate dicere; neque quomodolibet interpositae appellationes, provocationes et nullitatis dictiones huiusmodi per quosvis iudices ordinarios vel delegatos, in Romana Curia vel extra eam commorantes, etiam per camerarium nostrum ac praesidentes et clericos dictae Camerae, necnon eiusdem Camerae Apostolicae causarum generalem auditorem, modernos et pro tempore existentes, aut eorum aliquem, sub indignationis nostrae ac excommunicationis poena, recipi seu admitti possint, nisi prius eis et eorum cuilibet per publica instrumenta constito quod, ante interpositam unamquamque appellationem seu provocationem vel nullitatis dictionem, si condemnatio contineat poenam pecuniariam seu pecunia aestimabilem, fuerit eiusdem poenae seu illius aestimationis factum integrale, actuale et purum depositum in manibus thesaurarii provinciae illius. Ad quod quidem actuale et integrale depositum quoscumque teneri volumus, nisi forsan summa deponenda, respectu personae condemnatae, sit adeo magna ut, inspecta quantitate et qualitate facultatum ipsius, non sine maximo dispendio, in brevi temporis spatio provideri possit. Quo casu, habita fide super hoc a gubernatore seu vicelegato illius provinciae, quod, consideratis praefatis, condemnatus integre deponere non valeat, volumus ad medietatis seu alterius minoris summae, prout reorum facultates posse ferre per dictos gubernatores seu vicelegatos iudicabitur, depositionem omnino teneri, dummodo hoc casu praestent cautionem in forma depositi de solvendo residuum poenae, in qua condemnati fuerint, infra annum, nisi absolutionem legitime obtinuerint et de praedicta absolutione docuerint, dummodo per nos vel signaturam aliud super dicto deposito, citato tamen semper fisco, ordinatum seu decretum non fuerit.

Declaratio quoad capitaliter condemnatos et commiss non signandas nisi fisco et thesaurario citatis.

§ 3. Et si poena sit capitalis, pecunia non aestimabilis, nisi prius ipso condemnato in carceribus constituto, ac etiam facto deposito praefato, talium appellationum, provocationum et nullitatum commissiones signari, aut alias iurisdictione ordinaria per iudices supranominatos seu alios, inhibitiones, monitoria aut citationes extra Curiam decerni et expediri, vel per eorum notarios scribi et relaxari

non possint, nisi prius, antequam illorum singulae signentur aut respective decernantur, cum competenti termino ad dicendum causam quare signari aut expediri non debeant, ut moris est, procurator fiscalis, et thesaurarius vel procurator in Curia Romana existens, thesaurarii illius provinciae, ex qua fuerit condemnatio facta, coniunctim citati fuerint et signandae veniant, nonnisi in Curia vel in curia generali et loco residentiae praesidis illius provinciae, ex qua causa ipsa est, committi possint. Et si ob inadvertentiam seu alias, aliquas commissiones seu inhibitiones aut monitoria et citationes super praemissis aut aliquo praemissorum expedire contingat, iudices quibus illa praesentabuntur respective, illorum vigore ad inhibitionis decretum aut aliquem alium actum, sub simili indignationis nostrae, ac excommunicationis poena, non audeant neque possint procedere, nisi prius et ante omnia sibi apud acta legitime constito, quod depositum fuerit, ut praefertur, factum. Quodque in expeditione commissionis, inhibitionum, monitorii et citationum extra Curiam, citationes praedictae intervenerint et rei ipsi se in carceribus constituerint.

Declaratio circa poenam fractae pacis et treguae, et cautiones de non offendendo.

§ 4. Et insuper quoniam eo hominum protervitas devenit, ut hi, qui homicidium vel maleficium aliquod committere deliberarunt, prius quaerant eos, quos pro hostibus habent, treguae vel pacis praetextu assecurando, decipere, quo facilior postea delicti perpetratio reddatur, expeditque propterea, ut quos Dei timor non retinet, poenarum rigor deterrendo coerceat, populorum quieti consulere et flagitiosos sicariorum ac scandalosorum ausus deprimere, necnon cavillationibus, quas ad solutiones poenarum effugiendas hominum malitia in dies excogitat, subvenire volentes, quod poenae conventionales pacis et treguae ruptae, et fideiussiones de non offendendo, stipulentur in futurum per notarios in favorem Camerae Apostolicae et non communitatum vel alterius; et si aliter factae fuerint, in ipsius Camerae favorem stipulatae censeantur.

Allegationesque nov causæ.

§ 5. Quodque in causis treguarum pacisque fractarum, ipsi fractores vel eorum fideiussores allegare non possint quod offensa ex nova causa processit, nec allegata cuiquam suffragetur.

Declaratio circa promissiones de non offendendo.

§ 6. Et quia in cautionibus de non offendendo, partes intendunt ut sibi eo, quo melius fieri potest, modo, cautum sit ne offendatur impune, et ideo promittunt non solum pro seipsis, sed etiam pro aliis eorum coniunctis, quod non offendent neque offendi facient, sed aliquando notariorum imperitia, sensum et intentionem partium pervertente, contingit eos scribere quod partes promittunt non offendere *per se et alios*, ubi scriptum oportuisse *pro se et aliis*, differentiam videlicet inter has voces *per* et *pro* nescientes vel confundentes, ac propterea praebentes ansam cavillosis et delinquentibus praetendendi quod, facta offensione per unum ex comprehensis in fideiussione, non sit commissa stipulatio poenae nisi constet quod ille, qui offendit, de mandato principalis offenderit, unde etiam infinita scandala eveniunt, illaque remanent impunita. Idcirco quod si quis notarius errorem huiusmodi commiserit, mille ducatorum auri Camerae Apostolicae applicandorum poena plectatur et nihilominus sive ex dictione *per*, sive ex dictione *pro*, stipulatio concepta et offensio sequuta fuerit, principales promittentes ad poenam conventionalem perinde teneantur, ac si ipsis mandantibus offensio emanasset, et de eorum mandato legitime constaret, iidemque notarii sub simili poena in instrumentis fideiussionum de non offendendo, apponant clausulam: Quod, data contraventione alicuius comprehensi in stipulatione, etsi contingat talem contravenientem vere et realiter confiteri vel fiete, propter contumaciam

in non comparendo, poena conventionalis committatur et exigi possit a fideiussoribus, nulla excusatione vel exceptione penitus admissa, immo habeantur crimen et contraventio ac si per testes vel alias legitime probatum vel approbata fuissent. Et si clausula in stipulatione omissa fuerit, illa nihilominus pro apposita, contraventio pro legitime approbata habeatur.

Declaratio quod sententia contumacial. rei praeiudicet fideiussoribus, in his cautionibus,

§ 7. Et similiter si per principalem sive alium in fideiussione comprehensum, stipulationi contraventum et seu [1] contraveniens contumax, hicque in meram contumaciam condemnatus fuerit, fideiussor statim ad solvendum poenam conventionalem cogatur, nec possit audiri, suum principalem offendisse ex causa necessariae defensionis allegando et deducendo, ne videlicet delinquentes indirecte per procuratorem et interpositam personam audiantur: et quod dictum est in exemplo exceptionis huiusmodi, id etiam ad omnia alia extendatur. Et si talis clausula fuerit in praedictis stipulationibus omissa, nihilominus apposita similiter intelligatur.

Et etiam in casu legitimae solvendae a parentibus.

§ 8. Quod et ad legitimam per parentes solvendam extendimus ut illam solvere teneantur, etiam si eorum filii in meram contumaciam de aliquo delicto condemnati aut banniti fuerint, non obstante quocumque statuto aut forsan consuetudine in contrarium existente, quibus omnibus per praesentes in ampliori forma derogatum esse censemus et decernimus.

Contumaces infra sex menses se constituant.

§ 9. Praeterea, quoniam saepe contingit ut qui ex aliquo crimine in contumaciam condemnati fuerint, perdurent ad multos annos in contumacia, expectantes occasionem, ut per temporis diuturnitatem criminis probatio impossibilis reddatur, et tunc quaerant contumaciam sibi remitti, et super defensionibus audiri, cum criminibus [2] probandi facultas est fisco sublata, causam plerumque vel coram iudicibus in ipsos propensis, vel in locis, ubi iura fisci deduci non possunt, introducentes, statuimus quod rei in contumaciam condemnati, ad suas defensiones faciendas admitti non possint, nisi infra sex menses, quoad faciendas videlicet, a die condemnationis, quo vero ad iam factas condemnationes, a die publicationis praesentium computandos, nec alibi quam in loco, ubi condemnatio secuta est, vel in curia generali provinciae, ubi delictum fuerit commissum. Et si secus fieri contingat, quaecumque absolutiones desuper obtinendae, etiam si vigore commissionis signaturae nostrae, nullius sint roboris vel momenti, sed ad ipsarum condemnationum iam factarum executionem deveniri possit et debeat. Quo termino sex mensium elapso, sententiae in contumaciam latae, crimen notorium efficiant, et tamquam in rem iudicatam transiverint, realiter et personaliter executioni demandentur.

Homicidis non prodest minoritas.

§ 10. Nec homicidis prosit minor aetas viginti annorum, dum tamen maiores quatuordecim annorum extiterint.

Banniti gratis liberandi, si absolvendi sunt.

§ 11. Quod si banniti huiusmodi, in contumaciam condemnati, veniant postmodum absolvendi, iudices, sub poena mille scutorum et infamiae perpetuae, illos gratis et sine ulla sportularum solutione, absolvere debeant.

Praeventio declaratur inter iudices laicos et ecclesiasticos.

§ 12. In causis vero clericorum criminalibus mere ecclesiasticis, ordinarii ecclesiastici privative quoad saeculares iudices cognoscant, sed in aliis mixtis sit locus praeventioni inter ordinarium et iudicem saecularem, dataque praeventione ex parte ordinarii ecclesiastici, nonnisi contra clericos tantum procedere possit. Et si praetenderetur ratione connexitatis adiuncti, vel alias quomodocumque laicum eius forum sortiri debere, iudex tamen saecularis ita praeveniens, quavis inhibitione sibi facta non obstante, absque censura-

1 Forsitan *sit* (R. T.).
2 *Criminis*, Cherub. (R. T.).

rum vel aliarum poenarum incursu, procedere possit. Nec non quibuscumque appellationibus, provocationibus, nullitatum dictionibus, commissionibus, inhibitionibus et aliis decretis contra formam superius traditam per quoscumque etiam iudices praefatos pro tempore quomodolibet emanatis et factis non attentis, libere et licite per ipsos iudices, a quibus, ad suarum condemnationum totalem executionem, alias tamen legitime, sub similis indignationis et excommunicationis poena, procedi posse et omnino debere ac ut procedant praecipimus et mandamus.

Contraventium poenae.

§ 13. Et insuper tam iudicibus praefatis quam notariis, sub eadem excommunicationis ac indignationis nostrae privationisque officiorum poena, ne contra praemissa aut quicquam praemissorum facere et attentare praesumant, districtius inhibemus.

Decretum irritans.

§ 14. Sicque et non aliter, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque *etc.*, sublata *etc.*, iudicari, et interpretari in quavis causa et instantia debere; irritum quoque *etc.* decernimus.

Contrariorum derogatio.

§ 15. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus singularum provinciarum praedictarum, civitatum, oppidorum et locorum eorumdem, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, universitatibus, communitatibus et hominibus provinciarum, civitatum et locorum praedictorum, ac etiam singulis praenominatis et aliis quibuscumque iudicibus, *etc.* per nos et praedecessores nostros concessis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, quibus omnibus *etc.* illorum tenores *etc.* hac vice latissime derogamus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Fiat, motu proprio. I.

Forma et effectus publicationis.

§ 16. Et cum declaratione, statuto, ordinatione, inhibitione, decretis, derogatione et aliis praemissis, quae ad partem, etiam quoad singulas partes, repetita esse censeantur et sint, latissime extendendis. Et quoad praemissorum omnium et singulorum et praesertim singularum literarum praenarratarum, privilegiorumque, indultorum et aliorum contrariorum praedictorum, aliorumque forsan latius exprimendorum tenores, pro sufficienter expressis habeantur, ac exprimi, narrari et inseri possint in literis per breve nostrum expediendis, quae in dictae Camerae et Cancellariae nostrae et Audientiae causarum Palatii Apostolici valvis, et in acie Campi Florae, dimissis ibi copiis, affixae, post mensem a die affixionis huiusmodi computandum, omnes et singulos ita afficiant atque arctent, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Fiat. I.

Datum Romae apud S. Petrum XII kalendas iunii, anno sexto.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini MDLXV, indictione nona[1], die vero XXVI mensis martii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae quarti anno VI, suprascriptae literae apostolicae, lectae, affixae et publicatae fuerunt in locis suprascriptis, ut moris est, dimissis illarum copiis affixis, per nos Bernardinum Andreutium et Iulium Parinum, apostolicos cursores.

Io. Freille, magister cursorum.

LXV.

Reformatio officii Poenitentiariae Apostolicae.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In sublimi beati Petri solio, meritis licet imparibus, superna dispositione lo-

1 Lege *octava* (R. T.).

cati, statim ab ipso nostri pontificatus initio, officii nostri esse duximus ut, omni adhibita diligentia, errores, quos circa omnes gradus et hominum conditiones, nimia forsan licentia et impunitate, magno cum animi moerore hisce potissimum temporibus committi animadvertimus, providentiae nostrae ministerio corrigere et emendare, ac ea, quae, hominum licentia crescente, deformata essent, reformare, illaque praesertim circa Romanae Curiae officia et tribunalia ad veram debitamque normam et observantiam reducere curaremus.

Causa reformationis.

§ 1. Hinc est quod nos ad Poenitentiariae nostrae officium, in quo morum censura et animarum salus praecipue vertitur, nostrae considerationis oculos dirigentes, et attendentes in eo plures et diversos abusus, propter superiorum temporum licentiam et incuriam, irrepsisse, ne illi sese latius diffundant, quantum in nobis est, occurrere volentes, habita desuper cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, ipsoque maiore poenitentiario ac eius officialibus auditis et eorum iuribus diligenter visis ac omnibus mature consideratis, de ipsorum fratrum consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Reformatio super

§ 2. Quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, pro tempore existens maior poenitentiarius ac eiusdem Poenitentiariae regens, correctores, scriptores, procuratores ac alii quicumque eius officiales et ministri, ab eorum omnium, quae in infrascriptis capitulis et prohibitionibus continentur, concessione, commissione et expeditione penitus cessare et abstinere debeant.

Commutationibus ultimarum voluntatum,

§ 3. Et in primis, idem poenitentiarius abstineat a commutationibus ultimarum voluntatum et earum derogationibus.

Unionibus etc. beneficiorum,

§ 4. Necnon ab unionibus perpetuis et suppressionibus ac translationibus beneficiorum ecclesiasticorum et applicationibus unius beneficii alteri beneficio et illarum confirmationibus.

Concessionibus iurispatronatus etc.,

§ 5. Item a concessione iuspatronatus seu praesentandi ad beneficia ecclesiastica propter augumentum fructuum, sed tantum ex causa fundationis vel dotationis illud concedere possit.

Licentiis standi extra claustra,

§ 6. Similiter abstineat a licentiis standi extra pro monialibus ex quacumque causa.

Nullitate professionum,

§ 7. Necnon a declaratoriis pro religiosis propter vim et metum, quos in ingressu Religionis vel emissione professionis sibi illatos fuisse praetendant, quando post emissam professionem huiusmodi susceperunt sacros ordines in Religione, etiam si asseratur quod, eisdem vi et metu durantibus, illos susceperint. In aliis autem casibus declaratoriae ipsae committantur ordinario loci et vocato priore monasterii, in quo fuerit emissa professio et numquam in Curia, etiam si pars et testes praesentes essent.

Licentiis pro religiosis infirmis,

§ 8. Nec concedat religiosis licentias standi extra propter infirmitates et similia impedimenta, et nec etiam pro subventione parentum aut pupillorum vel aliorum consanguineorum, nisi obtenta licentia suorum superiorum; et in facultatibus pro religiosis eisdem transeundi de Ordine ad Ordinem, etiam in casibus a iure permissis, apponatur semper clausula, quod perpetuo ibidem in claustro Domino famulari teneantur.

Absolutione ab apostasia,

§ 9. Apostatis vero absolutionem non concedat, nisi ea lege expressa, ut statim ad claustrum proprii Ordinis redeant vel ad alium Ordinem transeant aequalis vel arctioris observantiae, ut ibi perpetuam vitam agant.

Licentiis ut obtineant beneficia,

§ 10. Nec illis aut aliis translatis praedictis indulgeatur, ut beneficia ecclesiastica obtinere, vel illis uti mercenarii

deservire, aut alias, etiam de superiorum suorum licentia, extra claustrum quoquo modo degere valeant.

Commissionibus permutandi vel alienandi bona ecclesiastica,

§ 11. Similiter non concedat commissiones alienationum vel permutationum aut affrancationum aut illarum confirmationum de bonis ecclesiasticis in forma, quae dicitur *Si in evidentem*, pro rebus quarum redditus annuus summam viginti ducatorum auri de Camera excedat; et commissiones huiusmodi semper ordinario loci et alteri personae in dignitate ecclesiastica constitutae coniunctim committantur. Et si de ipsius ordinarii interesse vel praeiudicio agatur, tunc loco ipsius committantur metropolitano. Et si res ad ipsum metropolitanum pertineat, ordinario viciniori; et numquam similes concedantur commissiones quando agitur de alienatione iurisdictionum vel vassallorum ad Ecclesiam quovis modo pertinentium.

Absolutione a criminibus,

§ 12. Praeterea, ne ordinarii in corrigendis subditorum excessibus impediantur, et delicta impunita remaneant, non concedat absolutiones vel mandata de absolvendo ab homicidiis vel aliis gravibus delictis, etiam occultis, pro quibus de iure civili poena capitalis imposita sit, praeterquam in foro conscientiae dumtaxat. In reliquis vero minoribus et levioribus excessibus, de quibus tamen delinquens non fuerit citatus vel inquisitus, committere possit ordinario ut, imposita illi poena eius arbitrio, eum etiam in foro fori absolvat, ipsumque ab executione ordinum, si secum super irregularitate dispensatum fuerit, similiter eius arbitrio suspendat. Episcopis tamen vel eorum superioribus aut aliis praelatis Sedi Apostolicae immediate subiectis et quibusvis personis in terris Ecclesiae, et multo minus in Urbe delinquentibus, ab aliquibus delictis extra forum conscientiae absolutionem minime concedere possit.

Simoniacorumque

§ 13. Caveat etiam poenitentiarius ne in absolutionibus a simonia reali vel conventionali, etiam occulta, umquam concedat ut ipsi simoniaci beneficia, super quibus simoniam commiserunt, seu pecunias vel alia pro illis accepta, aut fructus exinde post commissam simoniam perceptos, in toto vel in parte retinere possint; quinimmo in absolutionibus huiusmodi apponatur clausula quod uterque ad beneficium, super quo fuit commissa simonia, perpetuo inhabilis existat.

Et homicidar.,

§ 14. Et insuper homicidae voluntario, etiam alias canonice absoluto, altaris ministerium, aut ascensum ad superiores ordines et restitutionem aut retentionem beneficiorum, quibus ipso iure quis privatus vel privandus sit, concedere minime valeat.

Literis promovendi ad sacros ordines,

§ 15. Nec minus literas de promovendo ad sacros ordines, ac etiam ad primam tonsuram a quocumque catholico antistite, nisi allegetur iusta causa, propter quam ab ordinariis suis promoveri, nec ab eis aut eorum officialibus literas dimissorias obtinere valeat, et tunc concedi possint a quocumque ordinario vel pro eo pontificalia exercente; et si causa allegata falsa fuisse deprehendatur, sic promoti ab executione ordinum per suos ordinarios suspendi, vel illa etiam perpetuo privari possint.

Absolutione a iuramentis.

§ 16. Similiter idem poenitentiarius non concedat absolutiones a iuramento, nisi ad effectum agendi dumtaxat.

Dispensationibus matrimon.,

§ 17. Nec dispensationes matrimoniales in forma gratiosa, sed semper committantur ordinariis, prout alias fieri consuevit.

Licentiis doctorandi,

§ 18. Neque concedat religiosis licentiam suscipiendi gradum doctoratus vel magisterii contra statuta Ordinis, nisi ex aliqua probabili causa et nisi de licentia suorum superiorum.

§ 19. Nec absolutiones a fructibus in-

Absolutione a fructibus indebite perceptis,

debite perceptis, ratione intrusionis beneficio, vel ob non promotionem aut alium tituli defectum, etiam in foro conscientiae, nisi facta restitutione fructuum huiusmodi.

Usurpataque iurisdict. ecclesiastica,

§ 20. Nec etiam absolutiones concedat pro usurpata iurisdictione vel violata libertate ecclesiastica, etiam in foro conscientiae, nisi cum clausula *Satisfacto prius de damnis et expensis parti laesae.*

Facultate testandi,

§ 21. Neque facultates testandi iuxta formam quinterni simpliciter, sed cum clausula, *Dummodo non supra summam centum ducatorum, etiam ad pias causas, ac pro servientibus.* Religiosis vero extra claustrum, etiam cum apostolica dispensatione degentibus, facultates testandi nullo modo concedantur.

Confirmatione gestorum ab ordinario,

§ 22. Et insuper non confirmet gesta per ordinarios aut alios inferiores illis de iure communi non concessa, nec suppleat eorum defectus.

Dispensation. super aetate.

§ 23. Minus etiam dispenset super aetate promovendorum ad sacros ordines de iure requisita, nec tempus praefatis ad munus consecrationis suscipiendum a iure statutum ultra tres menses, et terminum anni rectoribus parochialium ecclesiarum et aliis quibusvis, ad sacros, etiam presbyteratus, ordines suscipiendos, a iure aut in fundatione beneficiorum quomodolibet constitutorum extra casus a iure permissos, ultra sex menses minime prorogare valeat.

Poenitentiarius suas facultates non excedat.

§ 24. Et ultra praemissa abstineat etiam ab expeditionibus quibuscumque, quae sibi per literas suarum facultatum expresse non conceduntur, nisi alias de iure communi in casibus, de quibus agetur, ordinario concessae reperiantur. Nec suffragetur praetextus consuetudinis seu styli, aut quasi possessionis ipsius maioris poenitentiarii et praedecessorum suorum in similibus concedendis, etiam si consuetudo aut stylus vel quasi possessio huiusmodi per literas facultatum suarum generaliter approbata reperiantur.

Sede vacante, poeniten. officium vacat, in his quae ad forum fori.

§ 25. Volumus insuper quod officium sacrae Poenitentiariae, Sede Apostolica vacante, in omnibus et singulis, quae ad forum fori quomodolibet pertinent, penitus et omnino conquiescat. Quodque ea tantum, pro animarum salute, expedire valeat, quae forum conscientiae respiciunt.

Inhibetque poenitentiar. et officialibus ne aliquid expedire praesum. contra praedictorum tenorem.

§ 26. Districtius inhibentes moderno et pro tempore existenti maiori poenitentiario, in virtute sanctae obedientiae, ac regenti, correctoribus, scriptoribus, procuratoribus, revisoribus, sigillatoribus aliisque dictae Poenitentiariae officialibus quibuscumque, sub nostrae indignationis et excommunicationis latae sententiae, necnon privationis et amissionis suorum huiusmodi et aliorum officiorum et beneficiorum quorumcumque per eos obtentorum, et inhabilitatis ad aliam [1] et alia in posterum obtinenda, aliisque gravioribus nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis et applicandis poenis, ne de concessionibus et expeditionibus sibi per praesentes interdictis, contra praemissorum tenorem, etiam praetextu quorumvis privilegiorum et indultorum eis quomodolibet concessorum, se intromittere quoquomodo audeant seu praesumant.

Decretum irritans.

§ 27. Decernentes quascumque concessiones, gratias ac expeditiones deinceps ab eodem officio Poenitentiariae contra praesentium tenorem, quod absit, pro tempore emanatas, etiam si in illis asseratur vivae vocis oraculo ac de mandato nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis speciali et expresso factas fuisse, nullas nihilominus et invalidas ac extortas et subreptitias esse et censeri, neminique propterea suffragari posse; et ita per quoscumque locorum ordinarios ac iudices et commissarios,

1 *Ad illa,* Matth. (R. T).

quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter indicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 28. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque et indultis eidem maiori poenitentiario ac eius officio, etiam in illius erectione et institutione, etiam motu proprio, consistorialiter ac de fratrum eorundem consilio et assensu, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie et alias quomodolibet, etiam per felicis recordationis Eugenium IV, Sixtum etiam IV et Paulum III ac alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam nos concessis, approbatis et innovatis, ac decretis et censuris in illis appositis. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indultis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus praesentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum habenda esset in eisdem literis mentio specialis.

Forma et effectus publicationis.

§ 29. Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam deducantur, et omnes, quorum interest vel interesse poterit, omnino afficiant, volumus et mandamus illas in Palatii nostri Apostolici ac officii Poenitentiariae huiusmodi valvis et acie Campi Florae affigi, et per aliquod temporis spatium, relicta ibidem copia, detineri, ut ii, quos literae ipsae concernunt seu concernere poterunt quomodolibet in futurum, quod ad ipsorum notitiam non pervenerint, vel illas ignoraverint, quo minus eos arctent, perinde ac si eis personaliter intimatae forent, nullam possint excusationem praetendere vel ignorantiam allegare; cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum quod tam patenter extiterit publicatum.

Sanctio poenalis.

§ 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis, inhibitionis, decreti, derogationis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, quarto nonas maii, pontificatus nostri anno tertio.

† Ego Pius catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur subscriptiones cardinalium, et publicatio.

Dat. die 4 maii 1562, pontif. anno III.

LXVI.

Episcopos titulares nuncupatos pontificalia exercere in aliena dioecesi, nisi de ordinarii licentia, minime posse sancit 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Causae huiusce ferendi decreti.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nonnulli episcopi ecclesiar., quae in partibus infidelium consistunt, clero carentes ac populo christiano, cum fere vagabundi sint et permanentem sedem non habeant, non quae Iesu Christi, sed alienas oves, inscio proprio pastore, quærentes, pontificalia officia, quæ nisi de ipsorum locorum ordinariorum licentia et in personas eisdem ordinariis subiectas tantum exercere deberent, in alienis civitatibus et dioecesibus, seu in locis nullius dioecesis quasi episcopalem cathedram, propria temeritate ac praetextu literarum sacrae nostrae Poenitentiariae officio vel alias emanatarum, erigere, et quoscumque ad se venientes, etiam si suorum praelatorum literas commendatitias non habeant, clericali caractere insignire et ad sacros, etiam presbyteratus, ordines promovere audeant et praesumant, quo plerumque fit ut minus idonei ac rudes et ignari et qui a suo episcopo, tamquam inhabiles et indigni, reiecti fuerint, ab illis ordinati, nec divina officia peragere, neque ecclesiastica sacramenta recte valeant administrare, in clericalis sacerdotalisque ordinis dedecus et contemptum, ac christifidelium devotionis diminutionem et scandalum plurimorum.

Declaratio *(de qua in rubrica)*.

§ 2. Nos igitur, pro nostri pastoralis officii, nobis divinitus iniuncti, debito, opportunum in praemissis remedium adhibere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, quascumque literas ab eodem Poenitentiariae nostrae officio seu alias a Sede Apostolica quomodolibet emanatas harum serie revocantes penitus et annullantes, ac nemini de cetero suffragari, nec quemquam illis se ullo pacto iuvare neque uti posse decernentes, auctoritate apostolica, tenore præsentium, statuimus, ordinamus atque declaramus quod posthac nullus episcopus ex eis, qui titulares vocantur, in qualibet civitate seu dioecesi, etiam si in loco nullius dioecesis, quantumcunque exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis Ordinis, etiam quibuslibet privilegiis et immunitatibus suffulti, ubilibet consistente, resederit aut moram traxerit, praetextu quarumvis literarum ab eodem Poenitentiariae officio seu alias ab ipsa Sede Apostolica sibi de promovendo quoscumque ad se recurrentes pro tempore concessarum, pontificalia officia, nisi, ut praefertur, de ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem ordinario subiectas, dumtaxat exercere, vel aliquem alterius subditum, etiam sub colore familiaritatis, continuae commensalitatis suae, absque sui proprii praelati expresso consensu aut literis dimissoriis, ad primam clericalem tonsuram aut aliquos alios minores, aut etiam sacros et presbyteratus, ordines, ullatenus possit aut debeat.

Pœnæ contra inobedientes.

§ 3. Quodque quilibet ex dictis episcopis titularibus contrafaciens, ab exercitio ipsorum pontificalium per annum; taliter vero promoti ab executione ordinum per eos, ut praemittitur, susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso iure suspensi sint et esse censeantur.

Observantia huiusce decreti.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac qui-

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Obstantium derogatio.

busvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon civitatum, dioecesum, monasteriorum, Ordinum et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis quomodolibet concessis et confirmatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimaprima maii, millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 21 maii 1562, pontif. anno III.

Sequitur declaratio superius editae constitutionis.

Pius Papa IV, ad futuram rei memoriam.

Enunciat superiores literas.

§ 1. Alias emanarunt a nobis literae in forma brevis, tenoris subsequentis, videlicet *Pius etc.*

Ordinariis dat facultatem procedendi contra inobedientes.

§ 2. Volentes autem, per nostrae sollicitudinis vigilantiam, in praemissis diligentius et efficacius providere ne episcopi titulares, in praeinsertis literis nominati, aliquid, etiam praeter mentem ac voluntatem nostram et sacras constitutiones, in ecclesiastici ordinis iacturam et detrimentum, attentare seu praesumere audeant: motu et scientia similibus, quod episcopi titulares praefati posthac nullos actus pontificales exercere, neque ordines sacros aut minores nec etiam primam clericalem tonsuram cuiquam conferre possint, tam temporibus a iure statutis quam extra ipsa tempora, non solum personis et in locis subiectis dioecesanis in quorum diœcesi pro tempore resederint, sed nec etiam aliis personis, quae ad illam dioecesim cum licentia proprii ordinarii seu superioris venirent et peterent se promoveri aut ordinari, nisi habita prius expressa licentia episcopi vel eius vicarii in cuius dioecesi fuerint, etiamsi in monasterio vel loco nullius dioecesis seu quomodolibet exempto dictos actus pontificales exercere, aut ordines et tonsuram huiusmodi conferre vellent; quodque si dicti episcopi titulares contrafecerint, et in praemissis non paruerint vel in eis excesserint, episcopi ordinarii seu illorum vicarii tamquam delegati Sedis Apostolicæ, contra eos ad suspensionis ab eorum ordinibus ad tempus sibi bene visum, necnon, illorum crescenti contumacia, ad privationis omnium et singulorum beneficiorum, per eos ex dispensatione apostolica seu alias quomodolibet obtentorum, ac etiam pecuniarias arbitrio ipsorum ordinariorum seu vicariorum infligendas et applicandas poenas, procedere, et eos a suis dioecesibus expellere libere et licite valeant; nec illi in monasteriis aut locis exemptis vel nullius dioecesis, quae consistant intra ipsorum ordinariorum dioecesim, vel ei contigua sint, sine permissione episcopi vel eius vicarii huiusmodi, stare, habitare seu moram trahere ullo modo possint, auctoritate apostolica, tenore praesentium, similiter statuimus, decernimus atque declaramus.

Novas contumacibus infligit pœnas Pontifex.

§ 3. Inhibentes, sub suspensionis a divinis et excommunicationis aliisque arbitrii nostri poenis, eisdem episcopis titularibus, ne, quovis praetextu aut quaesito colore, huic statuto, decreto et declarationi ac praesentibus literis nostris in aliquo ullatenus contrafacere seu contravenire audeant vel praesumant.

Contraria tollit.

§ 4. Decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his ab illis seu eorum aliquo fieri vel attentari contigerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis literis,

tam ab ipsa Sacra Poenitentiaria, quam sub plumbo et in forma brevis a nobis et Sede Apostolica quomodolibet emanatis et in futurum forsan emanandis; necnon omnibus illis, quae in praeinsertis literis huiusmodi voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima octava iunii, millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, pontificatus nostri anno quarto.

LXVII.

Reformatio officii correctoris Cancellariae Apostolicae et literarum minoris iustitiae, contradictarum nuncupatarum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Universi gregis dominici curam nobis divina dispositione commissam, pro pastoralis officii debito, divina favente gratia, diligenter et salubriter exercere cupientes, ad ea potissimum, pro christifidelium animarum salute, nostrae dirigimus considerationis intuitum, per quae iuris et iustitiae cultus a nostris et Sedis Apostolicae officialibus servetur et inviolabiliter custodiatur.

Causae huius reformationis,

§ 1. Sane cum nos, una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, singulorum Romanae Curiae tribunalium et officiorum correctioni et emendationi iugiter intendentes, inter cetera, ad officium correctoris Cancellariae Apostolicae ac literarum iustitiae contradictarum respexerimus, animadvertimus etiam officium ipsum, quod antiquissimum existit, et per quod literae apostolicae iustitiae sub nomine Romani Pontificis ac sub plumbo expediuntur, pro superiorum temporum licentia, antiquam disciplinam ac puritatem in literarum huiusmodi expeditione [1] et emendatione, vocato et audito dilecto filio magistro Paulo Odescalco, Cancellariae et literarum huiusmodi moderno correctore, motu proprio et ex certa scientia, de eorumdem fratrum consilio et assensu, statuimus et ordinamus.

Super expedition. in causis, in quibus Papa vel eius signatura rescripsit,

§ 2. Quod deinceps perpetuis futuris temporibus dictus Paulus ac pro tempore existens corrector, necnon literarum earumdem procuratores in causis, in quibus rescripta a nobis vel a signatura nostra iustitiae pro tempore emanare contigerit, in eadem instantia se nullatenus intromittant. Possint tamen causas appellationum a sententiis definitivis vel definitivae vim habentibus committere.

Indulgentiisque, testamentis, contractibus, *etc.*,

§ 3. Item confirmationes indulgentiarum, sive perpetuarum sive temporalium, et testamentorum aut ultimarum voluntatum ac iurispatronatus et praesentandi nullo modo expediant, sed nec contractuum, nisi ad utriusque contrahentis supplicationem et sine praeiudicio tertii.

Sententiis, laudis, compromissis,

§ 4. Et minus sententiarum, nisi cum clausula, quatenus rite et recte latae sint et in rem transiverint iudicatam, neque adversus illas aliquid fuerit impetratum. A confirmationibus etiam compromissorum et laudorum ante utriusque partis expressam homologationem.

Unionibus beneficiorum,

§ 5. Necnon unionum perpetuarum vel suppressionum aut translationum beneficiorum ecclesiasticorum aut illorum fructuum applicationum omnino abstineant.

Alienationibus bonorum ecclesiastic.,

§ 6. Similiter non concedant confirmationes alienationum, permutationum aut liberationum de bonis ecclesiasticis, quorum annuus redditus summam quinque ducatorum excedat, id quod dispositive in literis exprimi debeat, et confirmationes huiusmodi semper ordinario loci et alteri personae in dignitate ecclesiastica constitutae coniunctim committantur. Et si de ipsius ordinarii interesse vel praeiudicio agatur, tunc loco ipsius committantur me-

1 Cherub. hic addit *relaxasse*, *ac propterea pro illius reformatione* etc.

tropolitano; et si res ad ipsum metropolitanum pertineat, ordinario viciniori; et nunquam similes commissiones concedant quando de alienandis iurisdictionibus vel vassallagiis ad ecclesias quomodolibet pertinentibus agitur.

Professionibus regularium.

§ 7. Literas etiam declaratorias nullitatis professionis propter vim et metum, quando religiosi, post ingressum Religionis vel emissam professionem, sacros ordines in Religione susceperunt, etiam si asseratur quod, eisdem vi et metu durantibus, dictos ordines susceperint, minime concedant. In aliis autem casibus declaratoriae huiusmodi committantur ordinario loci, vocato priore monasterii loci eiusdem, in quo fuit emissa professio, et nunquam in Romana Curia, etiam si pars et testes in ea praesentes essent.

Religiosorum licentiis standi extra claustra, etc.,

§ 8. Sed nec licentias religiosis eisdem standi extra monasterium, etiam in casibus infirmitatis vel aliis a iure permissis, nec pro subventione parentum, pupillorum aut aliorum consanguineorum, nisi de expressa licentia suorum superiorum petita et obtenta.

Absolutione iuramentorum,

§ 9. Et similiter absolutiones a iuramento, praeterquam ad effectum agendi et excipiendi.

Facultatibus testandi,

§ 10. Ac facultates testandi de bonis ecclesiasticis in forma quinterni, ultra summam centum ducatorum, minime concedere valeant; religiosis vero, etiam extra claustra cum legitima dispensatione degentibus, similes facultates testandi nullatenus concedantur.

Ordinariorum gestis,

§ 11. Item, gesta per ordinarios aut alios inferiores, nisi in casibus illis expresse de iure permissis, et quando ex eorum narrativa formam iuris minime per eos servatam esse constat, nullatenus confirment, nec eorum defectus iuris vel facti aliquo modo suppleant.

Beneficiorum titulis vel possessionibus,

§ 12. In primis autem abstineant a confirmatione tituli vel possessionis beneficiorum ecclesiasticorum, etiam pro pacificis possessoribus, etiam cum clausula *sicuti iuste et pacifice possidetis,* cum, sicut accepimus, confirmationes huiusmodi plerumque petantur in fraudem ad confovendos intrusos et alios, qui literas apostolicas provisionis beneficiorum eorumdem minime expediverunt, ac minime curant expedire.

Declaratoriis super homicidiis et irregularitate,

§ 13. Abstineant etiam a declaratoriis super homicidiis et irregularitate exinde contracta, etiam si illa vim vi repellendo et ad necessariam defensionem commissa fuisse asseratur.

Decimarum confirmation.,

§ 14. Item, a confirmationibus decimarum et illarum acquisitionum, etiam pro pacificis possessoribus, nisi illas ante concilium Lateranense, tempore recolendae memoriae Alexandri III celebratum, legitime acquisitas esse expresse dicatur.

Rebus litigiosis,

§ 15. Et insuper a confirmationibus quibuscumque de rebus litigiosis omnino cessent.

Indultorum confirmatione,

§ 16. Privilegia vero ac facultates et gratias per Sedem Apostolicam concessa, in genere tantum, non autem in specie, confirment, nisi privilegia ipsa de verbo ad verbum inserantur, de quibus per literas apostolicas aut earum transumpta authentica, omni prorsus suspicione carentia, ipsi correctori constiterit, de quo in confirmatione ipsa expressa mentio fieri debeat.

Rebus dubiis

§ 17. Postremo cum officium ipsum correctoris potissimum versetur in concessione vel confirmatione eorum, quae sunt de iure permissa, nullatenus concedendo vel confirmando rescribat in materiis quoquomodo in iure dubiis vel ubi variae sunt iurisperitorum opiniones, etiam pro communi illorum sententia, sed tantum ubi de re ipsa clara et expressa de iure decisio apparet et de cuius intellectu nullatenus apud iuris interpretes dubitetur.

§ 18. Procuratores autem literarum ipsa-

Procuratores non immutent facti veritatem.

rum contradictarum materias iniustas aut indebitas non procurent, nec minus [1] literarum forment contra vel praeter continentiam memorialium et veritatem facti illis a partibus exhibiti, ne, facto variato et veritate immutata, literas expediant, quae alias expediri non possent, prout saepius attentatum fuisse accepimus. In reliquis vero, per praesentes non immutatis aut alteratis, antiquum stylum in expeditionibus literarum earumdem servari solitum inviolabiliter observent.

Contravenientium poenae.

§ 19. Districtius inhibentes praefato ac pro tempore existenti correctori, sub indignationis nostrae; procuratoribus vero, praesentibus et futuris, sub excommunicationis latae sententiae necnon privationis officiorum et beneficiorum quorumcumque per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, aliisque nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio inferendis et applicandis poenis, ne de causis ac expeditionibus per praesentes interdictis, et alias quam ut praefertur, etiam praetextu quorumvis privilegiorum et indultorum, eis et eorum officio quomodolibet concessorum, aut consuetudinis vel quasi possessionis, in similibus materiis prohibitis expediendis se intromittere quoquomodo audeant vel praesumant.

Irritatio contrariorum.

§ 20. Decernentes nihilominus quascumque concessiones, commissiones et alias expeditiones ab illis et a dicto officio deinceps contra praesentium tenorem pro tempore quomodolibet, quod absit, attentatas, nullas et invalidas ac extortas et subreptitias fore et esse ac censeri, neminique propterea suffragari posse.

Clausula sublata, etc.

§ 21. Sicque per quoscumque locorum ordinarios ac iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 22. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque et indultis, eisdem correctori et procuratoribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac forsan nos concessis, approbatis et innovatis, ac decretis et censuris in illis appositis (quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus) contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus praesentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis..

Iussio publicandi.

§ 23. Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam deducantur, et eos, quorum interest vel interesse poterit, omnino afficiant, volumus et mandamus illas in Palatii nostri Apostolici ac Audientiae literarum contradictarum valvis et acie Campi

1 *Minutas*, Cherub. (R. T.).

Florae per aliquos ex cursoribus nostris affigi et per aliquod temporis spatium, relicta ibidem earum copia, affixas detineri, ut ii, quos literae ipsae concernunt seu concernere poterunt quomodolibet in futurum, nullam possint excusationem praetendere vel allegare quod ad ipsorum notitiam non pervenerint, cum non sit verisimile apud eos incognitum remanere quod tam patenter publicatum fuerit.

Sanctio poenalis.

§ 24. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, inhibitionis, decreti, derogationis, voluntatis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXII, sexto kalendas iunii, pontificatus nostri anno tertio.

✝ Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur subscriptiones cardinalium et publicatio.

Dat. die 27 maii 1562, pontif. anno III.

LXVIII.

Reformatio tribunalis Reverendae Camerae Apostolicae 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, Christi vicarius, uti prudens paterfamilias, provide animadvertens in agro dominico multam messem et multos iam operarios esse, ut opus Domini recte et sine confusione adimpleatur, singulis curas partitur et officia distribuit, ac ne quis muneris sibi commissi limites excedat, aut in alterius messem falcem imponat, solerti studio et diligentia providet, sicut, pro felici ipsius agricultura et directione, in Domino conspicit salubriter expedire.

Studium Papae reformandi eius Curiam.

§ 1. Sane, postquam nos sacrum oecumenicum et generale concilium pro extirpandis haeresibus et christiani populi moribus emendandis in civitate Tridentina celebrandum indiximus, prout illud, divina favente gratia, frequentissimo praelatorum conventu iam feliciter congregatum extitit, et suos salutares progressus habere coepit, dum concilium ipsum generali totius Ecclesiae reformationi diligenter incumbit, nos Curiae nostrae ac illius officiorum et tribunalium peculiari correctioni animum adiecimus, et a sacrae Poenitentiariae officio, in quo salus praecipue vertitur animarum, initio sumpto, illius reformationem feliciter absolvimus.

Causa huius reformationis.

§ 2. Nunc vero Camerae nostrae Apostolicae tribunal, tamquam reliquis totius Curiae dignius et excellentius, in quo non solum Patrimonii Beati Petri, sed universorum fisci apostolici iurium conservatio et administratio versatur, direximus oculos nostrae mentis, animadvertimusque in eamdem Cameram, pro superiorum temporum licentia et incuria, pleraque negocia extra propriam ipsius tribunalis naturam, tam circa ditioni ecclesiasticae in temporalibus subiectas, quam reliquas totius christiani orbis provincias, irrepsisse, per quae camerarii nostri ac praesidentium et clericorum eiusdem Camerae studia a propriis et peculiaribus eorum curiis distrahuntur, aliorumque tribunalium et officiorum dictae Curiae, ac totius Ecclesiastici Status iurisdictio, cum magno fisci nostri ac partium litigantium detrimento et reliquorum christifidelium scandalo, confunditur et impeditur. Idcirco, ad tol-

1 De munere officialium Camerae, plene habes de clericis in constitutione XVII Eugenii IV, *Inter*, tom. V, pag. 32; et in constitutione I Callisti III, *Quae laudabili*, ibid., pag. 116; in constitutione X Iulii II, *Ex iniuncto*, ibid., pag. 418.

lendos abusus huiusmodi, et ut camerarius ac clerici et praesidentes praedicti eorum proprio muneri commodius et diligentius intendere valeant, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, et dilecto filio nostro Guidone Ascanio Sanctae Mariæ in Via-Lata diacono cardinali de Sancta Flora nuncupato, moderno camerario nostro, ac dilectis filiis praesidentibus et clericis dictae Camerae eiusque notariis auditis, et eorum facultatibus et iuribus diligenter inspectis, omnibusque mature consideratis, de eorumdem fratrum consilio, apostolica auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Camerarius et clerici causas fisci interesse concern. et non alias causas privatorum cognoscant,

§ 3. Quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, praedicti Guido Ascanius cardinalis ac pro tempore existentes camerarius ac praesidentes et clerici fisci nostri negociis diligenter incumbant; utque illud liberius et facilius facere et exequi possint, causis inter fiscum nostrum et privatos, iuxta propriam eorum tribunalis naturam, contenti sint, et propterea a cognitione causarum inter privatos, etiam per viam appellationis, etiam in terris Ecclesiae, ad Sedem Apostolicam interpositæ, omnino abstineant, nisi causae a negociis fiscalibus dependeant, aut ab illis originem trahant.

Et abstineant a commissionibus causarum

§ 4. Similiter abstineant a commissionibus et avocationibus causarum, necnon literis monitorialibus et inhibitoriis, ac sequestrationibus et aliis huiusmodi, ubi non agitur de interesse fisci, etiam in terris Ecclesiae, cum haec ad signaturam nostram spectare noscantur, et alias ordo iudiciorum multipliciter confundantur. Permittimus tamen illis, pro minori pauperum dispendio, ut causas appellationum a sententiis definitivis vel earum vim habentibus interlocutoriis, intra quadraginta milliaria ab Urbe, in rebus minimis et profanis, summam vigintiquinque ducatorum non excedentibus, de qua dispositione [1] mentionem facere teneantur, per simplices literas, alias iuxta formam iuris, committere possint.

Alienationumque bonorum eccles.,

§ 5. Interdicimus etiam illis commissiones alienationum de bonis ecclesiasticis in forma, quae dicitur *Si in evidentem*, pro rebus, quarum redditus annuus summam quinque ducatorum auri de Camera excedat, de quo redditu similiter expressa mentio in dispositiva literarum habeatur, et commissiones huiusmodi semper ordinario loci et alteri personae in dignitate ecclesiastica constitutae coniunctim committantur; et si de ipsius ordinarii interesse vel præiudicio agatur, tunc loco ipsius committantur metropolitano; et si res ad ipsum metropolitanum pertineat, ordinario viciniori; et numquam similes commissiones concedant, quando agitur de alienatione iurisdictionum vel vassallorum ad Ecclesiam quovis modo pertinentium.

Absolutionibus a delictis, etc.,

§ 6. Insuper ne delicta impunita remaneant, ab absolutionibus et remissionibus delictorum quorumlibet, etiam levium, aut illorum commissionibus, necnon salvisconductibus pro delinquentibus, etiam de delictis extra terras Ecclesiae commissis, omnino abstineant.

Moratoriis,

§ 7. Et similiter a moratoriis dilationibus, nisi ad modicum tempus et non ultra mensem, ac data idonea cautione, et pro his debitoribus tantum, qui aliam dilationem non obtinuerint.

Hebraeorum tolerantiis,

§ 8. Hebræis vero tolerantias aut alia privilegia præiudicium christianorum quomodolibet concernentia.

Extractionibus,

§ 9. Et quibusvis personis, frumentorum aut aliorum victualium ex Urbe vel aliis terris Ecclesiae [2].

Represaliis,

§ 10. Et tam in illis quam extra eas, ad cuiusvis instantiam, represalias, etiam pro debitis fiscalibus, nisi de particulari et expresso mandato nostro aut Pontificis pro tempore existentis.

§ 11. Necnon literas camerales pro adi-

1 Cherub. legit: *quo dispositive* (R. T.).
2 Deesse videtur *asportationem* (R. T.).

Possessione beneficior. etc.,

piscenda possessione beneficiorum ecclesiasticorum, etiam nobis et Sedi Apostolicae reservatorum; et prorogationem temporis ad expediendas literas apostolicas quarumcumque gratiarum, aut ad solutionem annatarum vel aliorum iurium collegio cardinalium aut officialibus debitorum minime concedere valeant.

Vectigalibus,

§ 12. Caveant etiam ab impositione vel augmento vectigalium seu datiorum vel illorum diminutione aut alteratione ex quacumque causa, etiam publicam utilitatem concernente.

Spoliis clericorum.

§ 13. Sed nec spolia clericorum decedentium, aut decimas vel alia regalia aut credita fiscalia in toto vel in parte donare vel remittere possint. Commissarii vero ad praemissa exigenda et recuperanda, non nisi idonei et probatae vitae, nullum habentes in ea re interesse, constituantur, qui etiam iureiurando ac idoneis cautionibus de eorum officio fideliter et diligenter exercendo adstringantur.

De clericorum iurisdic.

§ 14. Clerici vero Camerae, cum nullam iurisdictionem ut singuli, sed tantum collegialiter et in plena Camera habere noscantur, nihil expediant privatim et singulariter, nec aliquas literas aut patentes de quacumque re subscribant, nisi ex commissione eis facta in eadem plena Camera, in qua omnia clare et distincte proponi, ac in libro propositionum annotari debeant.

Notariorum munere,

§ 15. Notariique in expeditionibus et scripturis desuper conficiendis, de propositione et commissione huiusmodi mentionem expressam habere teneantur.

Indultis circa spiritualia,

§ 16. Sed et tam camerarius quam clerici ipsi, ultra prohibita in praesenti reformatione, a quibuscumque licentiis, gratiis et indultis de rebus spiritualibus in forma gratiosa vel commissaria, etiam cum clausulis iustificativis et alias, tam in terris Ecclesiae quam extra illas, omnino abstineant.

§ 17. Et similiter a quibuscumque aliis expeditionibus, quae sibi, ratione suae ordinariae iurisdictionis, propter publicam utilitatem vel alias, expresse per literas suarum facultatum concessae non reperiuntur. Nec praetextus consuetudinis aut quasi possessionis, etiam antiquissimae et immemorabilis, in similibus concedendis eis suffragetur, etiam si consuetudo et quasi possessio huiusmodi per literas aliquorum Pontificum generaliter approbatae fuerint.

Expeditionibus,

Notariorum extorsionibus,

§ 18. Notarii vero Camerae abstineant ab extorsionibus et indebitis exactionibus, utpote pro obligationibus solvendi annatas, quae tamen in promptu solvuntur, prout hactenus usurpatum esse accepimus, et aliis huiusmodi, super quibus et aliis per praesentes statutis et prohibitis, camerarius ac eius vicarius diligentem inquisitionem adhibere et delinquentes condignis poenis pro modo culpae punire debeant.

Camerarii et clericorum officio pro tempore Sedis vacantis.

§ 19. Sede autem Apostolica vacante, officium camerarii, quod per constitutionem piae memoriae Clementis Papae V, etiam praedecessoris nostri, in concilio Viennensi editam, durare decernitur, ita durare declaramus ut tam ipse camerarius quam praesidentes et clerici ac notarii praedicti non solum ea, quae praesenti constitutione prohibentur et quae, Pontifice vivente, etiam pro eiusdem Pontificis reverentia aut alias quomodolibet exercere et expedire non consueverunt, minime usurpent, sed tantum exactioni pecuniarum Camerae Apostolicae debitarum ac illarum reservationi necnon provisionibus ratione Sedis vacantis necessario faciendis, incumbere et propterea a solutione debitorum ante Pontificis obitum contractorum, aut illorum declaratione vel novatione, ac rationum solidatione et quibuscumque aliis expeditionibus, tam gratiam quam iustitiam aut illarum executionem quomodolibet concernentibus, omnino abstinere debeant.

§ 20. Districtius inhibentes praefato ac

Contravenientium poenae.

pro tempore existenti camerario, in virtute sanctae obedientiae; clericis vero ac notariis et aliis officialibus et eorum ministris quibuscumque, sub excommunicationis latae sententiae, necnon privationis officiorum et beneficiorum quorumcumque per eos obtentorum ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, aliisque nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrii poenis, ne de causis, negociis ac expeditionibus per praesentes interdictis, etiam praetextu quorumvis privilegiorum et indultorum eis quomodolibet concessorum, aut consuetudinis vel quasi possessionis huiusmodi se intromittere quoquo modo audeant seu praesumant.

Annullatio aliter gestorum.

§ 21. Decernentes quascumque concessiones, commissiones et expeditiones ab illis et a dicta Camera deinceps contra praesentium tenorem pro tempore forsan, quod absit, attentatas, etiam si illas vivae vocis oraculo emanassae asseratur, nihilominus nullas et invalidas ac extortas et subreptitias fore et esse ac censeri, neminique propterea suffragari posse.

Clausula sublata.

§ 22. Et ita per quoscumque locorum ordinarios ac iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales, etiam provinciarum et terrarum ditionis esclesiasticae legatos, eorumque vicelegatos, gubernatores et alios officiales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 23. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis ac facultatibus eisdem camerario ac praesidentibus et clericis, etiam motu proprio et consistorialiter, ac de fratrum eorumdem consilio et assensu, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie et alias quomodolibet, etiam per piae memoriae Martinum V, Eugenium IV, Innocent. VIII et prædictum Leonem X et Paulum III ac Iulium etiam III et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac forsan etiam nos concessis, approbatis et innovatis, ac decretis et censuris in illis appositis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus praesentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Forma et effectus publicationis.

§ 24. Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam deducantur, et eos, quorum interest vel interesse poterit, omnino afficiant, volumus et mandamus illas in Palatii nostri ac Camerae Apostolicae valvis et acie Campi Florae per aliquos ex cursoribus nostris affigi et per aliquod temporis spatium, relicta ibidem earum copia, affixas detineri, ut ii, quos literae ipsae

concernunt seu concernere poterunt quomodolibet in futurum, nullam possint excusationem praetendere vel allegare quod ad ipsorum notitiam non pervenerint, cum non sit verisimile apud eos incognitum remanere quod tam patenter publicatum fuerit.

Sanctio poen. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, sexto kalendas iunii, pontificatus nostri anno III.

† Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur cardinalium subscriptiones et publicatio.

Dat. die 27 maii 1562, pontif. anno III.

LXIX.

Reformatio tribunalis auditoris causarum Curiae Reverendae Camerae Apostolicae.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. Inter multiplices pastoralis officii nostri curas, illa nos potissimum urget ut provisionis nostrae ministerio Romanae Curiae tribunalia iuste et salubriter dirigantur, ac subditis nostris et aliis christifidelibus causas et negocia sua in eis tractantibus ius et iustitia aequa lance et minoribus, quam fieri poterit, dispendiis ministrentur.

Causa huius reformationis. § 1. Sane cum nos, una cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, generali tribunalium et officiorum eiusdem Curiae reformationi solerti studio ac vigilantia intenderemus, inter cetera, respeximus ad antiquissimum et nobilissimum tribunal nostri et Curiae causarum Camerae Apostolicae generalis auditoris, qui non solum Romanae Curiae iudex ordinarius existit, sed in tota temporali iurisdictione nostra ac universis christiani orbis provinciis et regnis, ex indulto diversorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, in civilibus et criminalibus iurisdictionem exercet, animadvertimusque in eodem tribunali, pro temporum incuria et negociorum multiplicitate, nonnullos abusus irrepsisse, ac non modica emendatione et correctione opus esse.

Reformatio § 2. Et propterea, ut tam auditor quam eius locumtenentes et notarii, intra iurisdictionis suae fines se contineant, neque causas, contra iuris ordinem, cum rectorum et gubernatorum eiusdem ditionis nostrae et aliorum ordinariorum iniuria ac subditorum nostrorum et reliquorum christifidelium nimio dispendio, ad se trahant, aliasque, ut decet, eorum officio rite et recte fungantur, providere volentes, vocato et audito venerabili fratri nostro Flavio, episcopo Muranensi, moderno nostro et dictae Curiae auditore, et habita super his cum eisdem cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio, apostolica auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, auditor ac locumtenentes seu iudices et notarii dictae Curiae pro tempore existentes, ad infrascriptorum capitulorum et in eis contentorum quorumcumque plenariam observationem teneantur.

Super monitoriis specialibus, § 3. Et in primis auditor praefatus non decernat monitoria specialia in causis profanis, etiam in terris Ecclesiae, ultra quadraginta milliaria ab Urbe, quando valor causae non excedit summam centum florenorum.

Appellat. admittendis, § 4. Deinde non recipiat nec admittat appellationes de partibus, nisi cum clausula expressa, quatenus a sententia definitiva vel vim definitivae habente appellatum sit.

§ 5. Successive in monitoriis generali-

Monitoriis generalibus,

bus reservet facultatem, etiam ordinario loci, absolvendi incurrentes censuras in eis contentas.

Cedulonibus,

§ 6. Praeterea non permittat affigi cedulones cum picturis daemonum et aliis similibus.

Sequestris,

§ 7. Item, non decernat sequestra, nisi iuxta formam constitutionis felicis recordationis Clementis Papae V, praedecessoris nostri, quae incipit *Ad compescendas*, prout servatur in Rota, et in illis semper apponatur clausula *Proviso quod de fructibus sequestratis cultus divinus manuteneatur ac animarum cura exerceatur, et alia onera beneficio incumbentia supportentur.*

Monitoriis contra episcopos et eorum superiores,

§ 8. Porro non decernat contra episcopos et eorum superiores monitoria ad personaliter comparendum, nisi praevia commissione signata manu nostra aut pro tempore existentis Romani Pontificis; et pro decreto monitorii ad personaliter comparendum nihil percipiat.

Expensis contumacialibus instigatoris,

§ 9. Subsequenter expensae contumaciales restituantur instigatori, si illas fecerit; alioquin notario causae ac aliis, qui in ea expeditiones scripserunt ac eas gratis ad instantiam fisci concesserunt.

Remissoriis in causis criminalibus,

§ 10. Item, non concedat auditor in causis criminalibus remissoriam ad partes ad probandum delictum vel fundandam fisci intentionem, sed advocentur testes ad Curiam, vel causa remittatur ad partes, ubi delictum est commissum.

Literis pro capien. indiciis,

§ 11. Nec concedat literas ad partes ad capienda indicia contra aliquem, nisi prius in Curia aliqualiter constiterit de delicto.

Examine reorum et testium,

§ 12. Praeterea non permittat quod procurator fisci examinet reos, sed tantum examini interesse possit, ac reus per iudicem examinetur; et idem servetur in testibus, qui pro reo examinabuntur, vel det interrogatoria in scriptis.

§ 13. Deinde curet ne rei ultra triduum retineantur in carceribus secretis antequam examinentur, nisi tamen natura causae aliud suadeat.

Reorum in carcere retentione,

Dilationibus fisci,

§ 14. Studeatque generaliter dilationes in fisci favorem abbreviare ne rei diutius laboribus et expensis fatigentur.

Interesse fisci in causis privatorum,

§ 15. Nec differat expeditionem causarum inter privatos pendentium, licet procurator fisci protestetur causam non expediri, nisi ipso citato pro eius interesse, nisi de eo incontinenti saltem summarie doceat.

Causis usurae contra mercatores,

§ 16. Nec inhibeat aut retardet mercatoribus creditorum suorum exactionem ad fisci instantiam, sub praetextu usurariae pravitatis in eis commissae, sed procedatur separatim in causa usurarum, sine retardatione causae civilis, iuxta iuris dispositionem.

Appellationibus fisci,

§ 17. Minus etiam admittat appellationem fisci ab absolutoria lata pro reo, iuxta laudabilem consuetudinem hactenus in Curia servatam.

Inventariis de bonis inquisitorum,

§ 18. Item, inquisito reo, non fiat inventarium illius bonorum, nisi agatur de delicto, pro quo veniat imponenda poena[1], nisi detur idonea fideiussio de stando iuri, et iudicato solvendi. Quando autem inventarium conficiendum fuerit, non describatur inventarium huiusmodi in registro, sed tantum moderata merces pro qualitate rei a notario accipiatur.

Sportulis iudicum,

§ 19. Et in causis ordinariis auditor praedictus seu eius in civilibus locumtenens non recipiat sportulas, neque notarius aliquid pro nota sententiae, sed in causis commissariis et declaratoriis contumacialibus tantum.

Notariorum procura vel pactis,

§ 20. Insuper caveat dictus auditor ne sui notarii vel eorum substituti sint procuratores causarum eiusdem tribunalis, aut paciscantur de quota litis vel lucri cum procuratoribus vel sollicitatoribus, sub poena privationis et infamiae.

§ 21. Nec audeant notarii ipsi facere

1 Cherub. legit: *poena capitalis vel confiscationis bonorum, aut alia notabilis poena, nisi* etc. (R. T.).

Decretisque, ex se decreta, etiam quantumvis ordinaria et solita, sed semper ad iudicem recurrant, sub poena falsi et privationis exercitii.

Contrahentium cognitione, § 22. Curentque etiam notarii ut cognoscant contrahentes saltem per depositionem unius ex testibus in instrumento apponendis, ne fiat suppositio personarum.

Officiorum arrendis, § 23. Item, eorum officia arrendare non possint, nisi personis per ipsum auditorem approbatis.

Inhibitionibus vigore Eugenianae, § 24. Praeterea auditor praefatus non concedat monitoria vel inhibitiones in vim constitutionis Eugenianae in favorem curialium, nisi pro illis, qui saltem per annum in Curia continue residentiam fecerint.

Terminis referendi, § 25. Et si contingat unum notarium accipere terminum pro alio notario ad referendum, teneatur ipse accipiens per totam illam diem, qua acceperit, relationem facere.

Mandatis de manutenendo, § 26. Et insuper auditor praefatus non concedat mandata de manutenendo aliquem in possessione, in qua existit, nisi constito saltem extraiudicialiter eum accepisse et retinuisse vere et actualiter, non autem verbaliter et momento tantum, possessionem vacantem, et non cum spolio alterius.

Mandatis suspicionis fugae, § 27. Porro non concedat mandatum de capiendo ratione suspicionis fugae, nisi constito sibi saltem summarie et extraiudicialiter de credito liquido et de suspicione fugae saltem per iuramentum ipsius creditoris, et nisi facta solutione vel deposito actuali per actorem de expressis [1] capturae, in eventum in quem illa indebite facta detegatur.

Copiis dandis ante torturam, § 28. Insuper praefatus auditor seu eius locumtenens in criminalibus faciat semper dare copiam indiciorum reo vel petentibus pro eo ante torturam; et pendente termino ad faciendas defensiones, detur commoditas carceratis libere loquendi cum eorum advocatis et procuratoribus, etiam semotis arbitris, nisi tamen qualitas causae aliud necessario suadeat; quae quidem indiciorum copiae dentur pauperibus gratis et absque aliqua pecuniarum exactione.

Registris in causis ordinar. civilibus, § 29. Praeterea notarii non conficiant regesta in causis ordinariis nec commissariis non excedentibus valorem ducentorum florenorum, ac in ipsis regestis et extractibus et quibuscumque aliis eorum expeditionibus teneantur servare taxas, iuxta reformationem in novissimo concilio Lateranensi editam.

Iurisdictione aud. Camerae. § 30. Tandem, ut tollantur controversiae inter tribunalia dictae Curiae, et unicuique sua iurisdictio servetur, declaramus executionem obligationis in forma Camerae ad praefatum auditorem Cameræ privative quoad alia tribunalia pertinere, præterquam in instrumentis dependentibus a causis et actis in aliis tribunalibus huiusmodi gestis, et sine praeiudicio motus proprii per nos in favorem populi Romani editi.

Inhibitio et poenae in contravenientes. § 31. Districtius inhibentes auditori, sub indignationis nostrae; et locumtenentibus sive iudicibus ac notariis praedictis, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis officiorum suorum huiusmodi et aliis, etiam gravioribus, nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis et applicandis, poenis, ne de expeditionibus ac decretis et aliis sibi per praesentes interdictis, ac contra praedictorum capitulorum formam et tenorem, etiam quorumvis privilegiorum, indultorum ac literarum eis quomodolibet concessarum, vel alio quovis praetextu, se intromittere aut illa immutare vel alterare quoquomodo audeant seu praesumant.

Clausula sublata. § 32. Decernentes quaecumque decreta et acta ab eisdem auditore, iudicibus et

1 *Expensis*, Cherub. (R. T.).

notariis pro tempore contra praesentium formam et tenorem, quod absit, emanata et facta, nulla et invalida, ac extorta et subreptitia, nulliusque roboris vel momenti fore et censeri, neminique propterea suffragari posse vel debere; et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 33. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque et indultis eidem tribunali ac illius auditoratus officio ac auditori, etiam in eiusdem officii erectione et institutione, ac iudicibus et notariis ipsius, illorumque collegio, etiam motu proprio, consistorialiter ac de fratrum eorumdem consilio et assensu, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, et alias quomodolibet, etiam per nos, concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, a praefata sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indultis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus praesentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum habenda esset in eisdem literis mentio specialis.

Iussio publicandi hanc bullam.

§ 34. Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam deducantur, et omnes, quorum interest vel interesse poterit, afficiant, volumus et mandamus illarum copiam in Palatii nostri Apostolici ac domus seu Curiae praefati auditoris valvis et acie Campi Florae affigi, et ibidem, relicta earum copia, aliquandiu detineri, ut ii, quos literae ipsae concernunt seu concernent in futurum, quod ad ipsorum notitiam non pervenerint vel illas ignoraverint, quo minus eos arctent, perinde ac si eis personaliter intimatae forent, nullam possint excusationem praetendere vel ignorantiam allegare, cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum quod tam patenter extiterit publicatum.

Sanctio poenalis.

§ 35. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, declarationis, inhibitionis, decreti, derogationis, voluntatis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimosecundo, quarto nonas iunii, pontificatus nostri anno III.

✝ Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur cardinalium subscriptiones et publicatio.

Dat. die 2 iunii 1562, pontif. anno III.

LXX.

Loca pia et confraternitates, etiam institutae vel dependentes a capitulo sacrosanctae Lateranensis Ecclesiae vel Sancti Spiritus aut Sancti Sebastiani ad Catacumbas de Urbe, subiiciuntur iurisdictioni et obedientiae ordinariorum ac rectorum parochialium. Et eisdem capitulis prohibetur de cetero erigere loca pia et ecclesias, vel in eorum membra recipere.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Regimini universalis Ecclesiae, divina favente clementia, praesidentes, inter cetera, ad quae nostri pastoralis officii ratione tenemur, in primis satagendum nobis fore arbitramur, ut ne quid quorumvis privilegiorum, facultatum et indultorum apostolicorum quibusvis personis et locis, ob quasvis, etiam quantumlibet pias, causas concessorum, aut alio quopiam praetextu, tam in eorum, quos in partem universalis Ecclesiae regiminis sibi Sedes Apostolica assumpsit, quam aliorum quorumvis iurisdictionis praeiudicium vel auctoritatis diminutionem temere a quoquam agendo, attentetur, et ex quo, sumptis scandalorum causis, universus christifidelium coetus cum animarum periculo coinquinetur.

Ministri ecclesiarum institutarum sive dependent. ab hospitali Sancti Spiritus vel monasterii S. Sebastiani ad Catacumbas sive capitulo Sancti Ioannis Later. de Urbe praetendebant exemptos esse a iurisdict. ordinariorum 1.

§ 1. Cum itaque, sicut magna cum animi nostri molestia accepimus, quamplurimi ecclesiarum, cappellarum, cappellaniarum, oratoriorum, altarium, societatum et confraternitatum archipresbyteri, rectores, priores, gubernatores, guardiani, societates, officiales et ministri, ex eo forsan quod eorum ecclesiae, cappellae, cappellaniae, oratoria, altaria, societates ac confraternitates huiusmodi, a primaeva illorum erectione et institutione vel alias, in membra seu grangias per praeceptorem hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, Sancti Augustini et abbatem monasterii Sancti Sebastiani ad Catacumbas, prope et extra muros dictae Urbis, Cisterciensis Ordinum, ac capitulum ecclesiae Sancti Ioannis Lateranensis de eadem Urbe, quorumdam per nonnullos praedecessores nostros Romanos Pontifices ac Sedem praedictam ac forsan nos eisdem hospitali, monasterio et pro tempore existentibus illorum praeceptori et abbati ac ecclesiae Lateranensi et capitulo, cum facultate illa aliis ecclesiis, cappellis, cappellaniis, oratoriis, altaribus, societatibus et confraternitatibus impartiendi et communicandi, desuper forsan concessorum privilegiorum, facultatum et indultorum praetextu, vel alias, etiam cum huiusmodi impartitione et communicatione, recepta existunt ac ab eis dependent; ac alias se ac ecclesias, cappellas, oratoria, altaria, cappellanias, societates ac confraternitates huiusmodi, illorumque bona quaecumque ab ordinariis locorum eorumque iurisdictione, obedientia et visitatione ac correctione exemptos et exempta esse praetendant, ac proinde, nulla ab eis requisita vel obtenta licentia, in ecclesiis, cappellis, cappellaniis, oratoriis et altaribus huiusmodi, per quosdam sacerdotes conductitios, ad eorum nutum amovibiles, divina officia celebrare ac christifidelium eorumdem confessiones audire, eisque sanctissimum Eucharistiae necnon Baptismatis et alia sacramenta ecclesiastica ministrare, defunctorum cadavera, certa emolumenta mortuaria nuncupata percipiendo ac in eorum utilitatem convertendo, sepelire, ac diversa alia, in ordinariorum praedictorum ac parochialium ecclesiarum rectorum, infra quorum dioecesum et parochiarum limites ecclesiae, cappellae, oratoria, cappellaniae et societates ac confraternitates hu-

1 Multae lites ortae fuerunt inter illos et locorum ordinarios.

iusmodi erectae et institutae existunt, iurisdictionis et auctoritatis praeiudicium, facere audeant seu praesumant; ac ordinarios et parochialium ecclesiarum rectores huiusmodi suis debitis iuribus et emolumentis defraudent, illorumque praecepta et monitiones floccipendentes, diversa excessus et delicta committant; ob idque per ordinarios ac parochialium ecclesiarum rectores huiusmodi, necnon archipresbyteros, rectores, priores, gubernatores, guardianos et officiales ac ministros praedictos variae lites et controversiae coram diversis iudicibus et commissariis in Romana Curia et extra eam ortae sint et forsan adhuc pendeant indecisae, in grave christifidelium eorumdem animarum periculum, populique scandalum et ordinis clericalis vilipendium non modicum.

Idcio Pontifex iste easdem lites omnes ad se advocat et extinguit;

§ 2. Nos, quorum est quemlibet in suis iurisdictione et auctoritate manutenere, ac ne in eis indebite a quoquam impediatur solertiae nostrae curas impendere, cunctorum quoque christifidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus, consulere, litium, causarum et controversiarum quarumcumque in praemissis motarum et forsan pendentium status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ac lites, controversias et causas huiusmodi ad nos harum serie advocantes illasque penitus annullantes, cassantes et extinguentes, partibusque litigantibus perpetuum silentium imponentes, necnon eisdem iudicibus, ne se de eis ulterius intromittere, sub nostrae indignationis et excommunicationis latae sententiae poenis, audeant seu praesumant, districtius inhibentes; ac ulterioribus scandalis, quae ex praemissis oriri possent, debite ac salubriter obviare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, omnia et singula privilegia, facultates et indulta, etiam motu simili, etiam consistorialiter, ac ad quorumvis instantiam, ac sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, efficacioribusque et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, per nos ac Sedem seu praedecessores huiusmodi praeceptori hospitalis ac abbati monasterii, necnon capitulo ecclesiae Sancti Ioannis Lateranensis huiusmodi, etiam super facultate erigendi et instituendi ecclesias, cappellas et cappellanias, oratoria, altaria, societates et confraternitates, illaque in grangias vel membra recipiendi; ac per eos erectis et institutis ecclesiis, cappellis, cappellaniis, oratoriis, altaribus, societatibus et confraternitatibus, illorumque archipresbyteris, prioribus, gubernatoribus, guardianis, sacerdotibus, officialibus et ministris, quocumque nomine nuncupatis, et aliis quibusvis, etiam ex certa scientia concessa ac forsan auctoritate apostolica approbata et confirmata, dicta auctoritate, tenore praesentium, ex simili nostra scientia, cassamus, extinguimus, irritamus penitus et abolemus. Necnon ecclesias, cappellas, cappellanias, altaria, oratoria, societates et confraternitates, illorum archipresbyteros, priores, gubernatores, guardianos, sacerdotes, officiales et ministros huiusmodi, cum omnibus illorum bonis, iurisdictioni, correctioni et obedientiae ordinariorum ac rectorum parochialium ecclesiarum, in quorum dioecesibus et parochiis illa respective extiterint, ut praefertur, praedictis et aliis quibusvis sibi alias concessis privilegiis, immunitatibus, facultatibus, exemptionibus et gratiis non obstantibus, subiicimus et supponimus. Ac ordinariis, per se vel alium seu alios, quos duxerint eligendos et deputandos, ecclesias, cappellas, cap-

Et revocat hospitalis et monasterii et capituli praedictorum facultates erigendi ecclesias et societates, sive illas in eorum membra recipiendi cum facultatum et indulgentiarum communicatione; ecclesiasque et societates huiusmodi subiicit iurisdictioni ordinariorum et rectorum parochialium.

pellanias, oratoria, altaria, societates et confraternitates, illorumque archipresbyteros, priores, gubernatores, guardianos, sacerdotes, officiales et ministros quoscumque, quoties eis videbitur, visitandi, corrigendi, inobedientes quoque et rebelles quoscumque, appellationis et quibusvis aliis sublatis atque remotis obstaculis, sententias, censuras et poenas ecclesiasticas et pecuniarias sibi benevisas et in eos propterea latas incurrisse declarandi, aggravandi, reaggravandi, ac brachii secularis auxilium invocandi et poena debita puniendi, plenam et liberam facultatem concedimus.

Contravenientium poenae.

§ 3. Districtius inhibentes archipresbyteris, prioribus, guardianis, gubernatoribus, sacerdotibus, officialibus et ministris praedictis ac aliis quibusvis, quavis dignitate et auctoritate fungentibus, sub eisdem ac duorum millium ducatorum auri de Camera, Camerae Apostolicae applicandorum, necnon privationis quorumcumque beneficiorum, qualitercumque qualificatorum, per eos pro tempore obtentorum et concessorum, eo ipso, absque aliqua desuper facienda declaratione, per contravenientes incurrendis poenis, ne deinceps, perpetuis futuris temporibus, quorumvis privilegiorum, facultatum et indultorum sibi quomodolibet pro tempore concessorum, aut alio quovis praetextu, praeceptor videlicet, abbas et capitulum praedicti ecclesias, cappellas, cappellanias, oratoria vel altaria aut societates vel confraternitates erigere et instituere; ac illas et illa sic erectas et institutas seu erecta et instituta, cum facultatum et indulgentiarum participatione et communicatione, in grangias vel membra eorum hospitalis vel monasterii aut ecclesiae Lateranensis huiusmodi recipere; archipresbyteri vero et priores et gubernatores ac guardiani, sacerdotes quoque, officiales et ministri praedicti divina officia celebrare seu celebrari facere, confessiones audire vel alia sacramenta ecclesiastica cuipiam ministrare, defunctorum cadavera sepelire aut aliquos sacerdotes pro praemissis exequendis deputare audeant seu praesumant. Immo, sub poenis praedictis, mandantes et praecipientes eisdem ut ordinariis ac rectoribus parochialium ecclesiarum huiusmodi, necnon piis eorum mandatis, monitionibus et exhortationibus in omnibus et per omnia parere et obedire debeant, salubresque eorum correctiones prompto et libenti animo suscipiant. Decernentes eosdem archipresbyteros, priores, gubernatores, guardianos, sacerdotes, officiales et ministros, necnon eorum ecclesias, cappellas, cappellanias, altaria, oratoria, societates et confraternitates ac alios quoscumque, sub eisdem privilegiis, indultis et facultatibus comprehensos, eisdem ordinariis omnino subiecta fuisse, fore et esse.

Decretum irritans.

§ 4. Et ita per quoscumque praedictos et alios iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus, si opus sit, de non tollendo iure quaesito et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon hospitalis et monasterii ac ecclesiae Sancti Ioannis Lateranensis et Ordinum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis eorumque praeceptori, abbati et capitulo praedictis respective, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere

vel in specie, et alias, etiam motu et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, a praedicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam, praesentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae advocationis, annullationis, cassationis, extinctionis, irritationis, abolitionis, subiectionis, suppositionis, inhibitionis, concessionis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimosecundo, idibus iunii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 iunii 1562, pontif. anno III.

LXXI.

Reformatio tribunalium ordinariorum et aliorum iudicum Romanae Curiae, officiique tam advocati et procuratoris pauperum quam fisci Reverendae Camerae Apostolicae.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pontifex reformavit Poenitentiariam, Cameram eiusque auditoratum 1;

§ 1. Cum ab ipso nostri pontificatus initio id praecipuum semper corde gesserimus ut Romanae Curiae officia et tribunalia, sublatis omnibus, qui, ex nimia forsan praeteritorum temporum licentia, invaluerant, abusibus, in meliorem formam reducerentur. Ac, ob id, in primis ad Poenitentiariam nostram, utpote in qua de animarum salute maxime agitur, mentis nostrae aciem convertentes, pro illius reformatione, nonnulla statuta perpetuo observanda ediderimus. Et deinde considerantes nobis, ex iniuncto summi apostolatus officio, etiam incumbere, non solum rebus spiritualibus convenientia remedia adhibere, sed etiam temporali Sedis Apostolicae dominio subiectos, praesertim pauperes, ab oneribus, quantum fieri potest, sublevare, ac ut in tranquillitate recte gubernentur providere, Camerae nostrae Apostolicae officia ad honestum modum reduxerimus, et illius etiam ac nostri auditoratus officium reformaverimus.

Nunc aliorum iudicum reformationem profert

§ 2. Verum, pro ulteriori reformatione huiusmodi prosequenda, opportunum, quinimmo necessarium esse censentes, reliqua etiam praedictae Urbis et Curiae ordinaria tribunalia et ab illis dependentia, nostrique etiam fisci procuratoris officium ad debitam normam reducere, illorum magistratibus ac notariis et aliis officialibus in unum pluries congregatis, et in praesentia nostra ac nonnullorum

1 Vide supra pp. 193, 203 et 207.

venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, ob hoc a nobis specialiter electorum auditis, ac omnibus mature consideratis, etiam de ceterorum omnium fratrum nostrorum consilio, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, statuimus et ordinamus.

Super sportulis iudicum in causis civilibus ordinariis,

§ 3. Quod nullus iudicum ordinariorum almae Urbis et Romanae Curiae, cuiuscumque sit dignitatis, in causis civilibus ordinariis ratione sportularum aliquid prorsus accipiat, etiam a sponte dare volentibus.

Et in criminalibus ordinariis et commissariis,

§ 4. In criminalibus vero, pro sportulis sententiae definitivae absolutoriae a praetensis criminibus, in quibus alias poena a deportatione supra veniret imponenda, non ultra decem; a deportatione vero infra, non ultra quinque aureos accipere possint. Et sibi ipsis caveant ne, pro extorquendis huiusmodi sportulis, aliquem nolentem quovis modo absolvi, ad petendum sententiam huiusmodi per causarum expeditionis dilationem vel rei in carceribus detentionem, vel per cautiones de se repraesentando vel non discedendo, ubi alias illis de iure locus non sit praestandi cautionem, aut alias quoquomodo inducant. Pro sententia autem in causis capitalibus et ultimi supplicii, vel in qua alias poena corporalis imponitur, etiam si in illa indemnitati partis offensae vel prosequentis proprium interesse, etiam pecuniarum, provideatur et in illius favorem pronuncietur, nihil prorsus accipiat. Et pro ea, in qua poena pecuniaria vel relegationis imponitur et incidenter indemnitati consulitur et in illius favorem etiam pronunciatur, non ultra quinque aureos habere possint. In commissariis causis criminalibus, quae scilicet in vim commissionis a principio coram eis introducuntur, non ultra duplum eius quod in ordinariis accipere valeant.

In civilibus commissariis,

§ 5. In civilibus simili modo commissariis, ubi de summa a vigintiquinque infra agitur, nihil prorsus; a vigintiquinque usque ad centum, scuta tria; a centum usque ad ducenta, scuta sex; a ducentis usque ad quamcumque summam, scuta decem et non ultra. Pro quacumque sententia declaratoria, ob non paritionem monitorii in contumaciam, non ultra decem carlenos. Pro declaratoria in vim literarum aut alias habente vim definitivae, si summa sit certa, accipiant prout supra taxatum fuit; ubi autem non sit certa, sed agatur ad ipsarum literarum executionem, accipiant secundum causae et personae qualitatem, dummodo non ultra quinque aureos. Pro quocumque interlocutorio seu decreto ante definitivam sententiam, nihil omnino.

Mercede iudicum pro decretis in contractibus,

§ 6. Et similiter pro decretis in contractibus et obligationibus virorum et mulierum aut rerum ecclesiae et piorum locorum, in domo ipsorum iudicum interponendis, ac etiam pro cassatione cuiuscumque querelae sive processus, nihil; pro decretis vero extra domum interponendis, dimidium unius scuti tantum accipiant. Quae quidem decreta nonnisi a gubernatore, auditore Camerae, vicario et senatore ac eorum iudicibus in contractibus et obligationibus praefatis interponantur.

Sportulis capitanei appellationum,

§ 7. Capitaneus tamen appellationum Curiae Capitolii recipiat sportulas secundum taxam per statuta Urbis ei traditam [1].

Tempore receptionis sportularum,

§ 8. Quas etiam sportulas superius taxatas, nonnisi e manibus notarii causae, et sententia prius ab ipsis subscripta, accipere eis ullo modo liceat.

Taxa pro sigillo iudicum,

§ 9. Pro sigillo, praesertim in mandatis de relaxando carceratos, pro quovis crimine, etiam capitali, et in quovis alio genere expeditionum in causis criminalibus apponendo, non exigant ultra iulium

[1] Lib. I, cap. 46.

unum, excepto auditore Camerae, quoad eius expeditiones taxam requirentes dumtaxat. In civilibus autem, unusquisque exigat iuxta solitum. Pro sigillo in expeditionibus, quae fiunt in Curia, cum clausula *Si quis*, nihil.

Prohibitione aliquid a baririsello, *etc.* recipiendi,

§ 10. A barigello et quibusvis aliis executoribus, etiam curiarum suarum particularibus, etsi sponte dare velint, sub quovis praetextu, nihil prorsus recipere praesumant.

Observantia bul. Pauli III [1],

§ 11. Et quoad expeditionem carceratorum observent in omnibus et per omnia motum proprium a felicis recordationis Paulo III circa eorumdem carceratorum expeditionem editum.

Declaratione termini pro servato,

§ 12. Idemque iudices, tam in criminalibus quam in civilibus, qui sententias, prout in cedula, ferre, et terminos pro servatis habere consueverunt, dictarum sententiarum cedulas subscribere et terminos pro servatis habitos declarare intra decem dies omnino teneantur. Nec citationes, in quarum terminis pronunciare vel earum terminos pro servatis haberi contigerit, penes se ipsos retinere possint, sed penes notarios actuarios dimittant. Alioquin sententiae et termini ipsi, lapsis dictis decem diebus, pro circumductis habeantur.

Nullitatibus attendendis,

§ 13. Non attendant nullitates, nisi ex defectu citationis, iurisdictionis vel mandati, sed, illis non obstantibus, ad causarum expeditionem procedant.

Expeditione causarum a duobus scutis infra,

§ 14. Expediant causas a duobus scutis infra summarie, manu regia, partibus tantum oretenus auditis et sine scriptis, nisi aliter ipsis ex rationabili causa visum fuerit, quam Burgi, de Sabellis, Ripae et Ripettae iudices exprimere in actis teneantur.

Carcerum visitatione,

§ 15. Gubernator semel in mense, una cum pauperum ac fisci advocatis et procuratoribus ac deputato a societate Caritatis, ultra visitationem ordinarie semel in hebdomada fieri solitam, visitet carceres, tam secretos quam publicos, per seipsum, ne carcerati indebite a custodibus carcerum opprimantur; ac ut tabula novissime a dilecto filio Guido Ascanio, sanctae Romanae Ecclesiae cardinali et camerario nostro, edita et in ipsis carceribus affixa tenenda observetur, provideat.

Medicorum pro carceratis electione et munere,

§ 16. Protector vero Caritatis et illius deputati, cum interventu gubernatoris et procuratoris fisci, eligat duos medicos fideles et expertos, unum videlicet physicum, alterum vero chirurgicum, qui visitent carceratos infirmos et eos curent, ac de eorum infirmitate, cum opus fuerit, fidem faciant eidem gubernatori et aliis iudicibus; provideatque eisdem de competenti salario ex poenis maleficiorum solvendo.

Confessorum pro carceratis electione,

§ 17. Et in primis eligat aliquem presbyterum saecularem vel regularem, qui confessiones ipsorum infirmorum vel aliorum carceratorum, non tamen ultimo supplicio damnatorum, postquam in manibus executorum consignati fuerint, quorum cura ad confratres Societatis S. Ioannis Baptistae Misericordiae nuncupatos spectat, audiat, eosdem carceratos visitet, ac spiritualiter consoletur.

Fisco citando in causis criminalibus,

§ 18. Nullus iudicum, etiam Burgi, de Sabellis, Ripae et Ripettae, in causis criminalibus procedat seu sententiam ferat, nisi fisco in omnibus actis, in quibus de iure citari debet, legitime citato.

Advocatis *etc.* domi iudicum non retinendis,

§ 19. Non retineant domi suae familiariter aliquem procuratorem nec advocatum nec etiam notarium suae curiae.

Iudicis de Sabellis deputatione,

§ 20. Iudex de Sabellis nullas pecunias pro obtinendo iudicatus officium marescallo pro tempore existenti persolvat aut ei, etiam post assecutum officium, mutuet, nec sub quovis praetextu quicquam ei det; minus ipse marescallus ab eodem iudice, quavis occasione vel causa, etiam in vim

1 Vide tom. VI, pag. 384.

cuiuscumque praetensi indulti sibi a Sede Apostolica concessi, aut praetensae consuetudinis, quod et quam per praesentes revocamus et improbamus, percipere audeat.

Notariorum Curiae numero,

§ 21. Liceatque eidem marescallo duos tantum notarios actuarios in eius curia habere, nec quovis praetextu numerum notariorum huiusmodi augere possit. Supprimendo ex nunc, prout supprimimus, omnia dictae Curiae notariatus officia, duobus tantum exceptis ad ipsius marescalli electionem. Ita tamen quod dicti duo ceteris de pretio officiorum suorum satisfacere teneantur.

Eiusque custodum electione,

§ 22. Item marescallus officium commentariensis et capitanei curiae suae nullo modo arrendet, sed per fideles et idoneos custodes et executores illa exerceri faciat, ipsis prius carcerum custodibus a gubernatore Urbis approbatis.

Iudicum dictae Curiae et Burgi, Turris Nonae, Ripae et Ripettae syndicatu,

§ 23. Iudices Burgi et de Sabellis ac Turris Nonae coram gubernatore et auditore Camerae, in fine cuiuslibet anni; et Ripettae ac Ripae, in fine officii coram clerico Camerae eiusdem Ripae praesidente syndicatui stare teneantur.

Camerarii Ripae officio ad sex menses,

§ 24. Nec idem camerarius Ripae ultra sex menses in eius officio permanere nec confirmari valeat.

Iudicis Burgi iurisdictione,

§ 25. Causae tamen eorum, qui in Burgo habitant, in prima instantia coram iudice Burgi cognoscantur et terminentur, exceptis causis obligationum in forma Camerae, quae coram suis iudicibus, et mercedum ac miserabilium personarum, quae, ad instantiam creditorum, coram omnibus ordinariis iudicibus introduci et ab illis terminari possint.

Conservatorum Urbis residentia in palatio Capitolii,

§ 26. Conservatores Urbis in palatio pro ipsis deputato residere teneantur, hoc videlicet modo, primus ipsorum primo mense, secundus secundo, et tertius tertio, ita quod unus ipsorum in dicto palatio semper resideat.

Conservatorum eorumdem iurisdictione,

§ 27. Non possint de poenis statutariis vel per eorum proclamata inflictis aliquo modo gratiam facere in totum, et praesertim de corporalibus, nec illas commutare, sine consensu ipsorum omnium insimul convocatorum, et eo casu non ultra medietatem poenae remittere; nec in domo super huiusmodi gratiis aliquid signare possint, sed ad earumdem poenarum executionem, postquam de illarum incursu constiterit, celeriter procedant. Ad quarum etiam poenarum, praesertim corporalium, executionem, in eventum in quem non mittantur executioni per ipsos conservatores a die delati criminis intra quindecim dies, quilibet alius iudex ordinarius procedere possit, dummodo poenas pecuniarias in manibus camerarii populi a reis persolvi faciat, nec ipsos reos a carceribus sine dictorum conservatorum consensu relaxet. Et cum potissime ipsorum officium consistat in coercendis et puniendis pistoribus, laniis, salsamentariis, olitoriis, fructarolis et aliis artificibus, ut Urbs ipsa omnibus ad victum necessariis magis quam fieri possit abundet, abstineant ab omni genere muneris, etiam ab esculentis et poculentis, ab huiusmodi scilicet speciei hominibus, nec ab eis aliquid sub quovis praetextu accipiant. A quibus etiam abstinere faciant omnino eorum scribam, notarium et secretarium ac fideles et alios eorum officiales et in primis extraordinarios, corporali poena eos coercendo et deinde ab officio removendo.

Extraordinariorum populi Romani cautione et fide,

§ 28. Quos extraordinarios ad officium extraordinariatus huiusmodi exercendum nullatenus admittant, nisi recepta ab eis cautione, saltem iuratoria, sub poena ipsis conservatoribus benevisa, de officium ipsum fideliter exercendo et praemissa observando, ac de se ipsos repraesentando pro omni eo, quod in exercitio dicti eorum officii admittere possint.

Fide eis danda,

§ 29. Quibus quidem extraordinariis fidem adhibeant iuxta formam decreti a modernis conservatoribus ultimo loco editi et non aliter. Cogant extraordinarium maiorem ad exercendum officium etiam per se ipsum et per substitutum idoneum ab ipsis conservatoribus approbandum.

Officio eorumdem,

§ 30. Et idem extraordinarius maior et eius substitutus, ac minores extraordinarii cogere possint quoscumque, etiam per detentionem corporum, ut permittant ponderare carnes et alia omnia, quae sub eorum cura sunt, et pretium denuntient, et recusantes, pro prima vice puniantur in duplum valoris rei penes eos inventae, et pro alia vice, si illud idem admiserint, in duplum et alia, etiam corporali, arbitrio conservatorum; et nihilominus extraordinarius et eius substitutus ac alii minores extraordinarii praedicti omnia conservatoribus denuncient, et res taliter inventas nullatenus sibi retineant, sed ad ipsos conservatores deferre teneantur. Et barigellus ac alii executores quarumcumque curiarum eidem extraordinario maiori et eius substituto in praedictis ac aliis eorum officium concernentibus obedire teneantur.

Mandatorum executione,

§ 31. Mandata executiva quaecumque, tam in civilibus quam in criminalibus a quibuscumque iudicibus decreta, passim et indistincte, ubique, tam in Urbe quam in Burgo et Ripa, nulla locorum distinctione habita, absque alicuius licentia et praesertim capitanei et iudicis Burgi ac camerarii Ripae, per quoscumque executores liberae executioni demandentur: nec executio, sub eo etiam praetextu quod locus iudici, qui mandatum decrevit, subiectus non sit, aliquo modo impediri possit.

Magistrorum viarum taxa in vendendis locis ad exponenda venalia, *etc.*,

§ 32. Magistri viarum a pistoribus, laniis, salsamentariis, fructarolis et ceteris huiusmodi, pro pretio locorum ad exponenda venalia, tam in plateis quam in viis, illis concedi solitorum, exigant quartam partem minus quam hactenus exigi consueverit, praeterquam a deferentibus res venales ad mercatum in platea Agonis, a quibus nihil prorsus exigere possint.

Eorumdem officio,

§ 33. Ad strata lateritia in viis, prout opus esse eis videbitur, dominos contiguarum domorum, cuiuscumque sint dignitatis, aut si ipsi abfuerint vel solvendo non sint, illorum inquilinos, iuris remediis opportunis, ac sub eorum arbitrii poenis cogant. Curent ex pecuniis, quae ab Urbis artificibus exiguntur et deponuntur, etiam a carrecteriis, quae similiter deponentur, nec ab eisdem magistris quovis modo percipiantur, vias eiusdem Urbis continuo ac Agonis et ceteras plateas dictae Urbis, ad minus quater in anno, idemque in martii, iunii, septembris et decembris mensibus, munditiis purgari. Nullos actus nullaque negocia, quae alicuius momenti fuerint, sine rogitu sui notarii expediant.

Submagistrorum relationibus,

§ 34. Submagistri vero illorum, relationes, quas tamquam periti facere solent, nonnisi mediante iuramento faciant; et si quid dolo vel fraude egerint, periurii et alias poenas arbitrio camerarii et clerici Camerae pro tempore praesidentis incurrant, et ad interesse partibus condemnentur.

Magistrorum edictis,

§ 35. Edant in initio eorum officii proclamata sub nomine dicti camerarii, et de poenis in illis contentis ac statutariis nullam, sine eiusdem camerarii aut saltem clerici praesidentis mandato, gratiam facere possint. In ceteris, tam quoad appellationes ab eorum sententiis, quam quoad reliqua omnia, observent nova et vetera statuta.

Advocati pauperum officio.

§ 36. Advocatus pauperum solicite studeat ne carcerati in aliquo, tam a iudicibus, quam etiam ab executoribus et carcerum custodibus, graventur. Et propterea non desit umquam in visitationibus carcerum, tam publicis quam privatis; et

procuratores pauperum ac illorum substitutos et etiam carcerum visitatorem singulis hebdomadis una vice ad se evocet, et de omnibus carceratis, praesertim his qui in secretis detinentur, diligenter se informet. Et si ipsos procuratores vel substitutos et visitatorem negligentes invenerit, visitatoribus carcerum denunciet, ac ut de aliis provideatur instet. Et cum, ratione officii sui, gratis pauperes defendere et illis patrocinari debeat, nihil prorsus ab illis accipiat. Et ut facilius ipsis pauperibus operam suam impendere possit, visitator carcerum quolibet die, post visitationem carceratorum, ad ipsum accedere, et ipsi nomina eorum, qui in dies carcerantur, in scriptis, et pariter etiam iudicibus deferre teneatur.

Procuratoris pauperum officio,

§ 37. Procuratores vero eorumdem pauperum et ipsorum substituti singulo quoque die carceres visitare et nomina omnium, qui ad illos ducuntur, ac iudicum de quorum mandato, ac etiam causas eorum detentionis, et diem cum ad largam ponuntur, et ante vel post prandium sive coenam, adnotare teneantur. Et similiter pecunias et alias quascumque res, quas invenerint repertas fuisse penes ipsos carceratos, et deinde omnia ad notitiam dicti advocati deducant, ad quem, etiam quod ab ipso minime requisiti fuerint, semel in hebdomada et interim toties quoties carceratis opus erit, accedant. Nihil omnino accipiant a pauperibus, nec etiam ab aliis carceratis, etiam quod divites sint, sine speciali licentia gubernatoris aut saltem pauperum advocati. Non possint aliquo modo dicti procuratores et substituti contra reos ad offensam, etiam si extra carceres ipsorum reorum causa agatur, neque etiam advocatus patrocinando, vel alius quomodolibet sub quovis praetextu intervenire.

Advocati fiscalis officio,

§ 38. Fisci advocatus in omnibus causis criminalibus et alias fiscum tangentibus, ubi articuli iuris emerserint, interveniat, et procurator fisci ipsum super hoc omnino requirere teneatur, et in eis absque ullo praemio patrocinetur. Possit tamen ab instigatoribus propriam iniuriam vel interesse prosequentibus, si quid sponte dare voluerint, illud percipere. Idemque in omnibus visitationibus carcerum adesse teneatur, nec reorum, etiam extra carceres existentium, defensionem assumat, sed pro veritate et iustitia causam fisci tueatur.

Procuratoris fiscalis officio, in causis prosequendis.

§ 39. Procurator autem fisci in primis prospiciat quod, sicut in admissione ad eius officium in Camera Apostolica de illud recte et fideliter administrando iuramentum praestat, ita in illius prosecutione taliter se gerat, ut causam nullam promoveat, quam calumniosam esse cognoverit; et cum primum de calumnia post litem coeptam, vel de rei innocentia constiterit, ab illa desistat, et aliter non expectata sententia.

Fiscus a reis nihil, ac ab instigatoribus moderate recipiat;

§ 40. Et cum, ratione sui officii, cogatur ad introducendas causas, in quibus de interesse fisci agitur, nihil omnino ab instigatoribus accipiat pro decreto vel subscriptione cuiuscumque monitorii, etiam ad personaliter comparendum; in prosecutione vero causarum, nonnisi moderate pro labore per eum sive eius substitutos, ad utilitatem et commodum eorumdem instigatorum, subeundo; nihil vero accipiat a reis, sub quovis praetextu, et praesertim ab iis, qui obtinuerint sententiam absolutoriam, a qua ipse procurator appellare noluerit. Nec etiam pro appositione manus in mandatis de relaxando, quibus nihilominus custodes carcerum, ubi id eis a iudicibus committitur expresse, sine dicti procuratoris fisci manus appositione, obedire et carceratos dimittere teneantur.

Et de expensis contumacia-

§ 41. Quoad expensas contumaciales, vel quae aliàs a reo reficiuntur, si insti-

libus instigatoribus et notario impensum vel debitum solvat, et residuum retineat pro se;

gator aderit, sive apertus sive secretus, qui ipsas fecerit, ipsi instigatori procurator fiscalis, cui ratione condemnationis solvendae veniunt, restituat; ubi vero nullus adfuerit instigator, satisfacto prius de illis notariis pro mercede laborum suorum, residuum dictarum expensarum (cum non sit iustum reum ex contumacia sua commodum consequi debere) eidem procuratori fisci persolvatur. Reos non interroget, nec testes examinet, nisi in praesentia iudicis; et pro assistentia sive examine reorum vel testium, sive ad offensam sive ad defensam vel alias pro reo inductorum, nihil prorsus accipiat, nec etiam sui substituti accipiant, et ubi in termino citationis examini testium non interfuerit, vel interrogatoria non dederit, testes inducti sine ulteriori dilatione examinentur.

Citationesque expediat;

§ 42. Citatus originalem citationem non possit retinere penes se ultra diem, sed illam cursori restituere sequenti die teneatur, illius copia dimissa si voluerit; in qua citatione pars, ad cuius instantiam fit, nomen notarii, in cuius officio causa tractatur vel tractari debet, et procuratoris, si principalis absit ab Urbe, apponere debeat; alioquin dicta citatio nulla censeatur, nec ipsum procuratorem fisci afficiat.

Capturam non committat nisi etc.;

§ 43. Non det mandata de capiendo quempiam voce vel in scriptis, nisi ubi adfuerit periculum fugae, et iudicis copia incontinenti haberi non possit.

Appellet, et dein signatura indicet de admissione vel reiectione suae appellationis;

§ 44. Et cum ad signaturam spectet causam appellationum, nomine dicti procuratoris fiscalis a sententiis contra eum latis interpositarum, reiicere vel committere, idem procurator appellare non prohibeatur. Verum, quoad illarum reiectionem vel commissionem, pro causarum et personarum qualitate, signatura ipsa, occurrentibus casibus huiusmodi, providere poterit, in cuius commissionis signatura citetur prius, antequam signetur, pars, quae sententiam absolutoriam obtinuit, et aliter signatura nullius sit roboris vel momenti.

Supersessorias causarum civilium non procuret.

§ 45. Et cum officium procuratoris fisci principaliter, quoad causas criminales, consistat in prosecutione vindictae publicae, non se intromittat pro obtinendis inhibitionibus de supersedendo in causis civilibus et praesertim praetextu usurarum, nisi ubi de iure ad eius instantiam inhiberi potest.

Remissoriae fisco et instigatori denegandae.

§ 46. Nec ei vel etiam instigatori concedatur remissoria, etiam praetextu indulti a felicis recordationis Paulo III concessi, nisi in casibus, in quibus alias de iure concedi debet.

Literae pro capiendis iudiciis quando dentur.

§ 47. Minus ei concedantur literae ad partes pro capiendis indiciis, nisi prius dato aliquo summo arbitrio iudicis, a quo impetrantur; et tunc non committantur alteri, quam loci ordinario, vel eius vicario, nisi subsistente probabili causa suspicionis.

Dilationes reis quae concedendae.

§ 48. Nec etiam dilationes non necessariae, nec debito longiores; quinimmo potius studeant iudices quam primum causas expedire, ne rei, diutius taedio carceris vel laboribus et expensis fatigati, componere et se redimere cogantur.

Compositiones cum quibus tractandae.

§ 49. Procurator praefatus, cum pro debito eius officii curare debeat ut rei puniantur, non tractet de compositione cum ipsis reis, sed expeditioni causarum incumbat; et ubi reus compositionem fieri petierit, non fiat nisi cum interventu iudicis et ipsius procuratoris fisci.

Absolutorum cautiones non requirendae.

§ 50. Nec ad eius instantiam, aut alias ex officio eius absolutus definitive a crimine cogatur dare cautionem de se repraesentando vel non discedendo ab Urbe.

Fiscus quando appellat. prosequatur, si adest instigator.

§ 51. Non prosequatur causam appellationis a sententia contra eum lata, ubi adsit instigator secretus vel apertus, nisi data cautione per eumdem instigatorem

de reficiendo expensas, tam prioris quam ulterioris instantiae, in eventum succumbentiae.

Fiscus interesse statim ostendat.

§ 52. Non audiatur fiscus protestando causam, quae agitur inter privatos, non expediri nisi ipso citato, sub praetextu interesse ipsius, nisi de illo incontinenti, quantum iudici sufficere videbitur, docuerit.

Fiscus ubique citandus.

§ 53. Et ut delicta impunita non remaneant, interveniat etiam in curia de Sabellis, Ripae ac Burgi. Et cum sit fisci et Camerae Apostolicae procurator generalis, rationi convenit ut de omnibus criminibus et causis fiscum ipsum tangentibus notitiam habeat.

Fisci facultas deputandi substitutos,

§ 54. Propterea ad eum spectet procuratores fiscales, uti eius substitutos, in terris Sanctae Romanae Ecclesiae deputare, quos legati etiam de latere cum literis patentibus dicti procuratoris fiscalis ad eorum officia admittere teneantur, et admitti faciant. Qui substituti, sub poena privationis eorum officii ac aliis arbitrio nostro imponendis, ipsum procuratorem generalem de omnibus fiscum ipsum concernentibus, et praesertim de sententiis tam absolutoriis quam condemnatoriis, certiorem facere debeant.

Prohibitioque participan. cum eis.

§ 55. Caveat autem idem procurator generalis ne a dictis eius substitutis, sive pro substitutione facienda sive quavis alia ratione vel causa, quicquam recipiat, sed omnia emolumenta eisdem substitutis libere et integre dimittat.

Fisci Capitolini statuta.

§ 56. Procurator fisci Curiae Capitolinae, in omnibus et per omnia, illud idem observet, quod Camerae nostrae Apostolicae procurator, quoad ea videlicet capitula superius adnotata, quae ipsum etiam concernere et sibi convenire possint.

Poenarum inflictio in contravenientes.

§ 57. Et si plus vel a personis supra prohibitis, aut alias quam ut supra adnotatum fuit, omnes supradicti receperint, vel super hoc contravenerint, maiores iudices et advocati sententiam excommunicationis et arbitrii nostri poenas; inferiores autem et omnes alii supradicti, ultra dictam excommunicationis sententiam, etiam privationis officii poenam incurrant et alias arbitrio nostro puniantur.

Taxa a notariis servanda.

§ 58. Notarii curiarum supradictarum, tam criminalium quam civilium causarum, non exigant, nisi iuxta taxam eis praescriptam: et si plus exegerint, pro prima vice, viginti quinque; pro secunda, quinquaginta; et pro tertia centum scutorum et privationis officii, ac etiam corporales arbitrio iudicum imponendas poenas respective incurrant. Quam taxam in vulgari sermone scriptam in eorum officiis, sub eisdem poenis, appensam, ita quod ab omnibus legi possit, habere teneantur.

Officia notariatuum non arrendanda.

§ 59. Exerceant eorum officia per se ipsos, nec illa arrendent sine licentia iudicum, exceptis notariis gubernatoris, Burgi, de Sabellis, Ripae, Turris Nonae et Ripettae, ac capitolinis, qui nullo modo illa, sine expressa licentia nostra, etiam in scriptis obtenta, arrendare possint.

Substituti per eos recipiendi.

§ 60. Nec substitutos recipiant, nisi ab ipsis iudicibus approbatos, pro quibus ad damna et interesse, quae, illorum culpa, partibus evenerint, etiam si ipsos exhibuerint et solvendo non fuerint, teneantur et obligati sint.

Actus prohibiti a duobus scutis infra.

§ 61. Nihil scribant in causis a duobus scutis infra, sine speciali licentia iudicum.

Registra fienda iuxta motum proprium.

§ 62. Non conficiant registra, nisi iuxta formam nostri motus proprii, nec illa vel etiam extractus in causis ordinariis, etiam utraque seu altera partium petente, nisi de iudicum licentia in scriptis obtenta, vel nisi acta essent ad alium iudicem transportanda. In causis tamen excedentibus summam ducentorum scutorum, dummodo non sint causae merce-

dum et miserabilium personarum vel alias tales, in quibus executive proceditur, si commissiones supervenerint, registra conficere possint, servata semper in reliquis forma dicti motus proprii nostri.

Taxa pro copiis inditiorum.

§ 63. Nec pro copia indiciorum, quam effectualiter reo non dederint, quicquam percipere, nisi loco arrhae habeant; et ubi reus amplius ipsam copiam habere noluerit, etiam quod arrham dederit, ab ipso non exigant, nisi pro rata copiae confectae.

Notariorum Capitolii numerus, electio, etc.

§ 64. Notarii capitolini deservientes collateralibus senatoris pro actuariis non possint esse ultra numerum viginti, nec recipi nisi servata forma statutorum, sed ad dictum numerum reducantur ad electionem senatoris et conservatorum, et per se ipsos coram collateralibus acta conscribant, nullumque aliud officium notariatus in alia quavis curia obtineant.

Taxa eorumdem.

§ 65. Et tam ipsi quam ceteri notarii Curiarum Capitolii, ac etiam scriba senatus et secretarius conservatorum, pro eorum mercede, non accipiant ultra taxam eis a statutis limitatam; et ubi non sit a statutis limitata, iuxta taxam notariorum causarum civilium gubernatoris accipiant, excepto notario magistrorum viarum, qui indistincte exigere possit secundum dictam taxam notariorum gubernatoris.

Protonotarii et notarii criminalis Capitolii taxa.

§ 66. In criminalibus vero protonotarius et notarius maleficiorum senatoris taxam notarii in criminalibus dicti gubernatoris, prout et notarii aliarum curiarum, etiam auditoris et vicarii, observent, et nihil ultra quocumque praetextu accipere audeant.

Extractuum taxatio.

§ 67. Non deferant notarii praefati Capitolii extractus ad iudices, nisi prius, per correctores aut per unum ex eis visi, taxati fuerint; et nihil, praeter arrham, ante dictam taxationem recipere possint, quam taxationem intra terminum unius diei a receptione dicti extractus correctores absque ullo praemio faciant.

Notariorum eorumd. decedentium scripturae cui denunciandae.

§ 68. Eorumdem notariorum Capitolii in posterum decedentium et etiam defunctorum haeredes et quicumque alii eorum scripturas detinentes, intra quindecim dies ab obitu ipsorum notariorum et publicationis praesentium respective computandos, dictas scripturas et nomen notarii, cuius fuerint, sub poena amissionis dictarum scripturarum et illarum emolumentorum, secretario conservatorum denuncient, et praefatus secretarius librum teneat, in quo denunciationes huiusmodi scribat.

Rogitus ad referendum prohibitio.

§ 69. Nullus ex notariis, etiam cameralibus et auditoris Camerae, nec eorum substituti de instrumentis, quae extra iudicium fient, ad referendum alteri notario seu connotario, se rogare possint; sed notarii principales per se ipsos, et eorum substituti pro ipsis notariis, in quorum officiis commorantur, de instrumentis se rogent, non autem ad alteri referendum.

Plurium notariatuum retentio damnata,

§ 70. Nec possint notarii omnium curiarum supradictarum in futurum obtinere plura officia notariatus in diversis tribunalibus, sed officia notariatus huiusmodi inter se incompatibilia censeantur.

Et procuratio.

§ 71. Et tam ipsi notarii quam eorum substituti non possint esse procuratores in Curia, in qua notarii sunt et officium substituti exercent.

Consulum artium obligationes,

§ 72. Consules artium quarumcumque observent eorum statuta legitime approbata ac usu recepta.

Iurisdictio.

§ 73. Nec reassumant causas, praesertim mercedum et miserabilium personarum, coram maioribus magistratibus introductas.

Notariorum artis taxa,

§ 74. Et illorum notarii taxam eis per dicta statuta praescriptam, et ubi aliqui ipsorum nullam habuerint minorem ta-

xam, aliorum, qui illam habuerint, sequantur et secundum illam exigant.

Assessorumque eorumdem.

§ 75. Assessores autem dictorum consulum ac aliorum officialium Curiae Capitolii salarium non habentes caveant ne in causis minimis, videlicet a quinque scutis infra, quidquam pro eorum voto et consilio, et in aliis non ultra sportulas dictis statutis taxatas percipiant.

Iudicis Turris Nonae iurisdictio.

§ 76. Iudex Turris Nonae non se intromittat in causis a decem scutis supra, nec in criminalibus, nisi levibus et minimis.

Notariorum psius taxa.

§ 77. Eiusque notarius observet tabulam notariorum Curiae de Sabellis, cuius notariatus officium per obitum illud nunc obtinentis extinctum sit et suppressum esse censeatur, prout in eventum praedictum illud ex nunc prout ex tunc supprimimus.

Cursorum Papae taxa pro citationibus, *etc.*

§ 78. Cursores nostri pro qualibet citatione, inhibitione vel quavis alia intimatione cuiuslibet actus iudiciarii non exigant ultra bolendinos duos, nisi forsitan executio citationis vel alterius actus iudiciarii huiusmodi facienda esset in loco satis distante a tribunalibus Urbis, quo casu exigere possint bolendinos quatuor et non ultra; et loca intelligantur esse distantia, si executio sit facienda in regione Transtyberim, Montium, Trivii et prope ecclesiam Beatae Mariae de Populo; et si extra moenia Urbis, in illius tamen suburbiis, non ultra carlenum unum. Pro citatione vero, inhibitione vel intimatione simili contra episcopos et praelatos ac alias personas qualificatas et procuratorem fisci facienda, non ultra bolendinos quinque. Pro subhastatione quorumcumque pignorum, tam mobilium quam immobilium, exigant similiter, prout hactenus exigere consueverunt. Nec aliquis ipsorum, pro ea intimatione, in qua parti intimatur mandatum procurae esse in actis productum, vel procuratores in causa esse revocatos, ultra iulium unum percipere audeat. Minus officium ipsorum cuiquam impartiri dolose recusent seu differant. Nec etiam sub praetextu modicae mercedis vel ob id quod maiorem habere vellent. Et quia de cetero in causis tot commissiones, quot hactenus fieri consuevit, pro reformatione signaturae nostrae de proximo publicanda fieri prohibemus, pro prima commissione, per quam scilicet causa coram aliquo iudice introducitur, exigant bolendinos quinquaginta; pro aliis vero, si quae in causa supervenerint, carlenos duos Cancellariae. In reliquis autem observent in omnibus et per omnia normam eis a concilio Lateranensi traditam, nec praemissis in aliquo contravenire praesumant, sub poena excommunicationis latae sententiæ et privationis officiorum eo ipso incurrenda.

Mandatariorum taxa pro citationibus, *etc.*

§ 79. Mandatarii quarumcumque curiarum non exigant ultra bolendinum unum pro citatione, nisi sit citatio facienda in longinquis locis ab eorum curiis, quo casu exigant duos, et non ultra. Illud idem faciant in intimatione cuiuslibet sequestri, monitorii, inhibitionis, decreti et cuiuscumque actus iudiciarii, exceptis citationibus faciendis contra fiscum, pro quibus exigere possint bolendinos tres. Pro subhastatione et deliberatione pignorum sive rerum et bonorum mobilium et immobilium, usque ad summam trium scutorum, bolendinum unum pro quolibet scuto; ab inde supra, bolendinos duos pro quolibet scuto, ita tamen quod ultra unum scutum non exigant pro quacumque summa, etiam quod res subhastatae et deliberatae ad magnam summam ascendant.

Barigelli et executor. taxa.

§ 80. Barigellus et executores quarumcumque curiarum ac custodes carcerum observent in omnibus et per omnia tabulam novissime a camerario nostro editam, sub poenis in ea contentis.

§ 81. Idemque barigellus et ceteri executores contra committentes fraudes, quas inventiones vocant, eo modo ut extraordinarii et alii Curiae Capitolii et conservatorum executores faciunt, ad executionem procedere possint, dummodo in fraude deprehensos ad ipsos conservatores deferant et deducant, habeantque partem poenarum huiusmodi inventionum, prout et dicti extraordinarii. Nec eorum quispiam, qui executionem non fecerit, praetextu quod facta fuerit executio ab eo executore, a quo fieri non poterat, vel in loco, in quo certus executor deputatus erat, aliquid prorsus a partibus, contra quas executio facta fuerit, sub poena furti, exigere audeat.

Eorumdem potestas circa fraudes artificum.

§ 82. Si quis vero ex notariis et consulibus ac illorum assessoribus aliquid contra praemissa, eos respective concernentia, in quibus specialiter poena adiecta non sit, admiserint, praeter excommunicationis sententiam, quam ipso facto incurrere volumus, etiam pecuniariis et corporalibus poenis, quoad notarios et mandatarios curiarum praefatarum ipsorum iudicum: et quoad consules et illorum notarios et assessores, conservatorum arbitrio afficiantur.

Poenarum inflictio in notarios, consules, assessores, *etc.*, praemissis contravenientes.

§ 83. Et nihilominus omnes et singuli supradicti in hac nostra constitutione comprehensi sciant et sane intelligant id quod sibi, in quibusvis casibus, accipere concessum extitit, ad pauperes et impotentes nullo modo extendi, a quibus aliquid prorsus accipi posse, sub poenis superius respective expressis, omnino prohibemus.

A pauperibus quicquam exigi prohibetur.

§ 84. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, legibus ac Urbis et Romanae Curiae praefatarum statutis, etiam iuramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, stylis et consuetudinibus, quos et quas per praesentes improbamus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, officiis et illorum officialibus supradictis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam per nos contra praemissa vel aliquod praemissorum forsan hactenus concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti forent, pro plene et sufficienter expressis habentes, quoad praemissa dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae derogatoriae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae sanctionis, statuti, ordinationis, voluntatis, prohibitionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.*

Sanctio poenalis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimosecundo, secundo kalendas iulii, pontificatus nostri anno III.

† Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur Cardinalium subscriptiones et publicatio.

Dat. die 30 iunii 1562, pontif. anno III.

LXXII.

Reformatio referendariorum signaturae iustitiae Romani Pontificis et ordinationes a iudicibus Romanae Curiae observandae [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Cum nuper nos generali officiorum et tribunalium Romanae Curiae, pro abusibus extirpandis, ac universali in ea litigantium commoditate, reformationi intenderimus

Causa huius reformationis.

1 Referendariorum huiusmodi privilegia, vide in constit. XXX Pauli III, *Debita*, tom. VI, pag. 286.

et providerimus, cupientes eorumdem litigantium indemnitati in totum consulere, ac ut celerius lites terminentur providere, valde opportunum, immo necessarium esse censuimus etiam signaturam iustitiae, a qua plerumque hi, qui lites in longum protrahere aliosque diutius et gravioribus impensis defatigare quaerunt, cavillationibus et versutiis diversa rescripta, aut superflua aut dilationem inducentia extorqueant, reformare. Ideirco pro illius reformatione, visis et etiam mature discussis nonnullis per dilectos filios referendarios nostros adnotatis et coram nobis, etiam in praesentia nonnullorum ex venerabilibus fratribus sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, propositis, de eorumdem ac ceterorum fratrum nostrorum consilio, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus.

De commissionibus reiectis in signatura iustitiae,

§ 1. Quod nullus ex dictis referendariis propositas et reiectas in signatura iustitiae commissiones, in signatura gratiae coram nobis proponere audeat, nisi talis sit materia, quae scientiam nostram requirat, aut quae per signaturam iustitiae ad eamdem signaturam gratiae remissa fuerit.

Avocatoriis et aliis praeiudicialibus,

§ 2. Nec in antiquis ac arduis materiis, in quibus plures hinc inde expeditae fuerint commissiones, et in avocatoriis a prioribus iudicibus et quovis modo praeiudicialibus manum apponere, nisi prius citata coram eo parte interesse habente.

Praeinsertarum reformatoriis,

§ 3. Et cum agitur de revocatione aut moderatione alicuius praeinsertae, similiter manum non apponat, nisi in praeinserta appositum sit nomen referendarii, qui illi manum apposuit, ut rationem reddere et eam iustificare possit. Nec etiam reformatio sive moderatio eiusdem praeinsertae ab habente signaturam iustitiae, nisi nomen referendarii, ut praemittitur, in ipsa praeinserta appositum fuerit, aliquo modo signetur.

Appellationum commissionibus

§ 4. Minus in commissionibus appellationum ab interlocutoriis, nisi expresso relevanti gravamine. Nec cum appellatur a definitiva cum clausula aut vim definitivae habente, nisi res adeo exprimatur, ut videat referendarius an tale sit gravamen, quod per definitivam reparari non possit. Et si in commissione apposita fuerit clausula *cum toto negotio principali*, tunc addatur *iustificato tamen dicto gravamine*.

Nullitatumque et attentatorum etc.

§ 5. Abstineant ulterius referendarii ab appositione manuum in commissionibus nullitatum et attentatorum, nisi exprimantur nullitates ex defectu iurisdictionis, citationis vel mandati, et ipsa attentata. Et pariter in illis, in quibus narratur, pronunciatum fuisse, prout in cedula.

Prorogationis fatalium,

§ 6. Nec etiam manum apponant in commissionibus prorogationis fatalium, nisi in quibus, prima vice, ipsa prorogatio petitur; illas vero commissiones, in quibus pro ulteriori prorogatione supplicatur, in signatura nostra gratiae proponant.

Criminalibus et matrimonialibus.

§ 7. Causae criminales et matrimoniales non inferioribus episcopis; et in terris Ecclesiae, causae criminales clericorum in sacris constitutorum, ordinario; reliquorum vero clericorum et laicorum, locorum gubernatoribus committantur.

Reformatio in causis restit. in integ., nullitatis et attentatorum,

§ 8. Et ut lites, quanto citius fieri possit ac minori partium dispendio expediantur, decernimus quod quilibet iudex, cui causae restitutionis in integrum, nullitatis et attentatorum de cetero committentur, possit, absque speciali commissione, praefigere terminum ad docendum de causis restitutionis ac de ipsius nullitatibus seu attentatis, et, eo lapso et non docto, ad negocii principalis expeditionem procedere.

Terminorumque reiteratione,

§ 9. Similiter quilibet iudex, in quibuslibet causis coram eo introductis et introducendis, et etiam auditor Rotae, in causis extra Rotam commissis, possint

omnes terminos substantiales, in vim commissionis a felicis recordationis Innocentio Papa VII, praedecessore nostro, quam ad omnes iudices et etiam auditores in causis praemissis tenore praesentium extendimus, absque alia speciali commissione reiterare.

Expensarumque taxatione;

§ 10. Quodque ab excessiva taxatione expensarum semel tantum appellatio committatur, et duae sententiae habeant vim trium.

Causis quoque discussionum;

§ 11. Causae discussionum inter creditores et haeredes defuncti seu alterius debitoris, de cuius bonis inter ipsos creditores agitur, intra tres menses [1]; quoad absentes vero, citra montes, intra sex menses; ultra autem, intra novem expediantur, et nullo modo, nisi ex magna causa et per signaturam nostram gratiae, instantia praedicta prorogetur.

Aditione haeredit. et confectione inventar.

§ 12. Et a die obitus debitoris intra duos menses haeredes praesentes; absentes autem, citra montes, intra quatuor, ultra vero montes, intra sex, inventarium conficere, et an velint haereditatem adire deliberare teneantur.

Discussionum causis pendentibus, credita liquida executioni mandentur.

§ 13. Et interim iudices, coram quibus causas discussionis huiusmodi pendere contigerit, bona ipsius debitoris defuncti vel decoctoris debitoris creditoribus habentibus credita eorum liquida, interim recepta idonea cautione de restituendo habentibus priora et potiora, et contribuendo habentibus aequalia iura, consignari mandent et faciant.

Decretum irritans.

§ 14. Si quis autem constitutioni nostrae huiusmodi in aliquo contravenerit, indignationis nostrae ac alias arbitrii nostri poenas eo ipso incurrat. Et nihilominus commissiones contra tenorem praesentium signatae nullius sint roboris vel momenti, ac per praeoccupationem extortae censeantur, illisque iudices, quibus eas praesentari contigerit, minime parere teneantur. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae sanctionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimosecundo, kalendis iulii, pontificatus nostri anno III.

✠ Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur subscriptiones Cardinalium et publicatio.

Dat. die 1 iulii 1562, pontif. anno III.

Declaratio dictae reformationis circa prorogationes fatalium.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causa huius declarationis.

Cum nuper nostris literis, quas super reformatione signaturae edidimus, inter cetera caveatur quod prorogationes fatalium non nisi semel a signatura iustitiae concedi possent, sperantes infra prima vel saltem secunda fatalia causas decidi et terminari posse: cumque, ut accepimus, tam propter causarum multitudinem quam etiam propter illarum implicitatem, sit quodammodo impossibile id fieri, et, propter eamdem causarum multitudinem, contingere posse signaturam nostram quandoque totam impediri in prorogationibus praedictis.

Declaratio quod signatura iustitiae concedat prorogationes fatalium iuxta eius solitum, non ob-

§ 1. Igitur, cupientes non solum publicae utilitati, sed etiam commoditati salubriter providere, motu simili decernimus, statuimus et ordinamus eorumdem fatalium prorogationem in quibusvis cau-

[1] Cherub. addit *quoad praesentes* (R. T.).

stante praemissa reformatione.

sis a nostra signatura iustitiae, prout ante dictarum nostrarum literarum editionem fieri consuevit, concedi. Et quatenus, post emanatas a nobis literas super reformatione signaturae iustitiae usque in diem publicationis praesentis nostri motus proprii, instantia seu fatalia alicuius causae lapsa fuerint defectu prorogationum, partes litigantes laesas adversus peremptorium instantiae ac fatalium huiusmodi in integrum arbitrio dilecti filii nostri Ludovici, tituli Sancti Cyriacii in Thermis, presbyteri cardinalis Simonettae nuncupati, dictae signaturae praesidentis, restitui posse et indulgeri, et taliter concessas et indultas suae firmitatis robur obtinere, perinde ac si dictae nostrae literae talem clausulam non habuissent, illis aliter in suo robore permansuris; et sic per quoscumque iudices *etc.*, sublata *etc.*; irritum quoque *etc.*

Derogatio contrariorum.

§ 2. Praemissis, ceterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Declaratio de prorogationib.

§ 3. Volumus tamen quod in secunda sive ulteriori prorogatione et restitutione concedenda per dictum Ludovicum cardinalem adhibeatur diligentia, ut ex causa et non aliter tales prorogationes concedantur, super quo eius conscientiam oneramus.

Sola signatura sufficit.

§ 4. Ac quod praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat, et sumptus illius impressi ubique fidem faciat in iudicio et extra, attento quod in Urbe.

Placet, motu proprio. I.

LXXIII.

Decanatus collegii auditorum Rotae Romanae, cum omnimoda praecedentia, spectat ad auditorem tempore vacationis in Curia praesentem, aut ex causa publica absentem, et extra Curiam a Romano Pontifice destinatum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Dudum siquidem a felicis recordationis Paulo IV, praedecessore nostro, emanarunt literae tenoris subsequentis. Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam *etc.* [1]

Causae huius constitutionis.

§ 1. Nos, considerantes quod dilecti filii causarum Palatii Apostolici auditores ad causas audiendum et iura reddendum constituti, personaliter in Romana Curia residere debent; ac, eorum in eadem Curia continua residentia id exigente, in assecutione dignitatum aliis absentibus merito praeferendi et amplioribus privilegiis honorandi veniunt, ex praemissis et diversis aliis causis animum nostrum moventibus, ne in posterum decanatus collegii dominorum auditorum, illius occurrente vacatione, in aliquem ex causarum Palatii auditoribus tunc [2] ex causis praemissis absentem et, propter absentiam suam, in iniuriam aliorum eiusdem Palatii auditorum tunc praesentium deveniat, aut super eodem decanatu aliquae controversiae seu dissensiones inter ipsos auditores oriantur.

Definitio quod decanatus collegii auditorum Rotae Romanae spectet ad auditor. tempore vacationis in Curia praesentem, aut ex causa publica absentem, et extra Curiam a Summo Pontifice destinatum.

§ 2. Literas praedictas, cum decretis ac omnibus et singulis in eis contentis clausulis, ad decanatum collegii auditorum huiusmodi, etiam ad hoc ut eiusdem decanatus, quem dilectus filius Iulius Oradinus electus Perusinus, locum unius ex causarum Palatii huiusmodi auditoribus de mandato nostro tenens, tempore provisionis de persona sua et illius praefectionis ecclesiae Perusinae, tunc certo modo pastoris solatio destitutae, per nos nuper apostolica auctoritate factarum, obtinebat et exercebat, per provisionem et praefectionem huiusmodi, non nisi ad dilectum filium Ioannem Baptistam de Rubeis, causarum Palatii huiusmodi auditorem, in dicta Curia officium auditoratus causarum huiusmodi laudabiliter exercendo residentem et alias de republica benemeritum, ex nunc et de cetero, per-

1 Omittitur tenor, quia habes in ipsius Pauli IV constit. VI, *Cum venerabiles*, tom. VI, pag. 502.

2 Hunc locum ita refert Cherub.: *Palatii huiusmodi auditorem, nisi ex causis* etc. (B. T.).

petuis futuris temporibus, occurrente vacatione, ad antiquiorem causarum Palatii huiusmodi auditorem in dicta Curia residentem, aut ex causa publica absentem et extra eandem Curiam per Romanum Pontificem destinatum, devenire possit. Et Ioannes Baptista, ac, postquam dictus decanatus ad eum devenerit, in dicta Curia praesens, aut, ut praefertur, absens et extra dictam Curiam destinatus auditor antiquior praefatus, omnes alios auditores, etiam antiquiores, semper in quibusvis sessionibus, disputationibus, votis et aliis actibus, publicis et privatis, praecedat, nec per alios auditores, etiam antiquiores, tunc absentes, etiam si postmodum incontinenti ad dictam Curiam se conferant et in ea continuo residcant, super ipso decanatu aut illius sessionibus vel aliis actibus seu disputationibus ad eum pertinentibus impediri aut molestari valeat, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine extendimus et ampliamus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac stylo palatii necnon collegii auditorum praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ac omnibus illis, quae dictus praedecessor in dictis literis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae extensionis et ampliationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, sexto kalendas augusti, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 iulii 1562, pontif. anno III.

LXXIV.

Revocatio privilegiorum quibuscumque locis piis et aliis concessorum, dispensandi super irregularitatibus impedimentisque matrimonialibus, etc.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

De commisso nobis universalis Ecclesiae regimine, ita nos oportet esse solicitos ut propensiore studio caveamus ne illa, quae hactenus multorum precibus et instantiis pro animarum salute, tam a nobis[1], mentis hominum abusu, in gravem cedant animarum iacturam, neve christifideles, cuiusvis indulgentiae, peccatorum remissionis vel facultatis aut privilegii obtentu, procliviores ad illicita in posterum perpetranda reddantur, ac nimia veniae facilitas eis peccandi tribuat incentivum.

Hic Pontifex et alii praedecessores concesserunt fabricae S. Petri et hospitali S. Spiritus et aliis locis piis multa privilegia;

§ 1. Sane cum nos, auspice Christo, nuper ad generalem tribunalium almae Urbis Curiaeque nostrae officiorum omnium debitam ac salubrem reformationem, certis tunc rationabilibus causis moti, perrexerimus, ac quosdam, qui in illis diversimode, praeter mentem nostram, committebantur abusus, per nostram providentiam removerimus, reformationem huiusmodi insequentes, in alios etiam hominum status, non minores ob causas dirigere[2] saluberrimum esse censemus. Attendentes igitur quod, licet alias nos ac diversi Romani Pontifices praedecessores nostri, ut christifideles praefati ad charitativa et pia opera exercenda promptiores redderentur, sicque illorum animarum saluti, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe manutentioni et statui, ac hospitalis nostri Sancti Spiritus in Saxia de eadem Urbe ac aliorum piorum locorum et confraternitatum commoditati et pauperum ac miserabilium et aliarum personarum in eis pro

1 Ita hunc locum supplemus: *tam a nobis, quam a praedecessoribus nostris concessa fuerunt, mentis* etc. (R. T.). 2 Legimus: *aciem mentis nostrae dirigere* etc. (R. T.).

tempore degentium sustentationi ac opportunae subventioni rite consuleretur, ac ex certis tunc expressis rationabilibus causis diversas indulgentias, peccatorum remissiones, concessiones, gratias, privilegia, facultates, etiam dispensandi super impedimentis matrimonialibus vel aliis quibuscumque defectibus et irregularitatibus, et absolvendi, indulta eisdem fabricae et hospitali ac illorum commissariis, praeceptori et ministris concesserimus.

Quibus eorum ministri abutuntur.

§ 2. Nihilominus, sicut non sine gravi mentis nostrae perturbatione nuper intelleximus, tam basilicae fabricae, quam hospitalis et aliorum locorum et confraternitatum commissarii et ministri, huiusmodi indulgentiis, peccatorum remissionibus, concessionibus, gratiis, privilegiis, ac dispensandi, ut praemittitur, ac absolvendi et aliis facultatibus et indultis sibi concessis praedictis, in grave illorum animarum periculum diversimode abutantur, ac circa illa non mediocres committantur errores, in scandalum plurimorum ac divinae Maiestatis offensam.

Hic ideo Pontifex generaliter ea revocat, non tamen quoad fabricae relicta et legata.

§ 3. Nos igitur, debitam gregis dominici curam habere, et ne tales abusus piorum mentes polluant, ac pie concessa, hominum malitia, animarum saluti detrimentum afferant, ut par est providere, quantum in nobis est, scandalis obviare et animarum saluti consulere volentes; necnon indulgentiarum, remissionum, concessionum, gratiarum, privilegiorum, facultatum et indultorum fabricae ac hospitali necnon aliis locis et confraternitatibus ac commissariis, praeceptori et ministris concessorum huiusmodi veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, omnia et singula indulgentias, etiam plenarias, ac peccatorum remissiones, necnon concessiones, privilegia, indulta et facultates, etiam dispensandi, ut praemittitur, et absolvendi (non tamen relicta et haereditates etiam ad pias causas exequi faciendi, et illa seu eorum partem dictae fabricae, iuxta tenorem privilegiorum praedictorum, applicandi, necnon commissarios et debitores ipsius fabricae ad illi reddendum computa et satisfaciendum de administratis et debitis per eos, prout hactenus fieri consuevit, cogendi et compellendi), fabricae et hospitali praedictis, necnon monialium Spiritus Sancti Venetiarum, aliisque eiusdem Sancti Augustini, seu aliorum Ordinum, tam virorum quam mulierum monasteriis ac hospitalibus, ecclesiis, cappellis, altaribus, confraternitatibus, societatibus et aliis piis locis a dicto hospitali Sancti Spiritus dependentibus, seu in eius membrum aut grangiam, quavis, etiam apostolica, auctoritate erectis, ac illorum praeceptoribus, abbatibus, abbatissis, prioribus et priorissis, confratribus seu illorum conventibus ac commissariis necnon ministris, quoad fabricam videlicet in Italia dumtaxat; quo vero ad hospitalia et monasteria, confraternitates et societates ac alia loca huiusmodi, tam in Italia quam alias ubivis locorum, ex quibusvis causis et ad quorumvis, etiam principum quorumcumque, instantiam, vel eorum intuitu, consideratione vel contemplatione, etiam motu simili, etiam consistorialiter ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam si illa sub quibusvis revocationibus, alterationibus vel limitationibus similium vel dissimilium indulgentiarum, concessionum, gratiarum, privilegiorum, facultatum et indultorum, in toto vel in parte minime comprehenderentur, et quoties illa revocari contingeret, toties in pristinum statum restituta essent et esse censerentur, irritanti etiam decreto desuper forsan adiecto, ac cum aliis quibusvis clausulis quomodolibet concessa, ac ite-

ratis vicibus approbata et innovata (praeterquam quoad ea in quibus iam suum sortita sunt effectum), apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo revocamus, cassamus, annullamus, irritamus et viribus vacuamus.

Prohibitio eis de cetero utendi.

§ 4. Districtius inhibentes eisdem praeceptoribus, abbatibus, abbatissis, conventibus, confratribus et ministris, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, ac etiam archiepiscopali, episcopali aut alia maiori dignitate fungentibus, in virtute sanctae obedientiae, indignationis necnon excommunicationis latae sententiae poenis, ne de cetero indulgentiis, concessionibus, gratiis, facultatibus, etiam dispensandi, ut praemittitur, et absolvendi, privilegiis et indultis praedictis uti, ac de illis se intromittere quoquomodo audeant seu praesumant. Ac decernentes ex nunc irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis privilegiis, indultis et literis apostolicis, forsan in contrarium, etiam motu et scientia similibus, etiam per nos, concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum omnium veriores tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam, praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiae impediri valeat vel quomodolibet differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Fides danda transumptis huius bullae.

§ 6. Ut autem praesentes literae ad cunctorum notitiam deveniant, volumus et mandamus illas in dictae basilicae valvis ac acie Campi Florae affigi, ut hi, quos literae ipsae concernunt seu concernere poterunt quomodolibet in futurum, quod ad ipsorum notitiam non pervenerint vel illas ignoraverint, quo minus eos arctent, perinde ac si personaliter intimatae forent, nullam possint excusationem praetendere vel ignorantiam allegare, cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum quod tam patenter extiterit publicatum.

Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae MDLXII, XIII kalendas octobris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 19 septembris 1562, pont. an. III.

LXXV.

Ordinationes pro tempore Sedis Apostolicae vacantis, circa electionem Summi Pontificis et observantiam conclavis. Declarationesque iurisdictionum collegii S. R. E. cardinalium, camerarii et clericorum Camerae, maioris poenitentiarii, datarii, praefectorum et praelatorum signaturae gratiae et iustitiae et custodum conclavis [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Electio Rom. Pont. quam mature fieri debet.

In eligendis ecclesiarum praelatis, quibus et humana et divina ministeria com-

1 Quoad electionem Papae habes etiam sanctionem Greg. X in cap. III *De elect.* in VI; et aliam Clem. V in clem. IX eodem titulo; necnon Clem. VI in const. XV, *Licet*, tom. IV, pag. 501; Iulii II, in constit. V, *Cum tam*, tom. V, pag. 405; et Pauli IV const. XXV, *Cum secundum*, tom. VI, pag. 545.

mittuntur, quantam adhiberi curam oporteat, testantur Patrum nostrorum sacratissimae constitutiones, quas illi magna severitate de episcoporum et aliorum praelatorum qualitate ediderunt, propterea quod a bonis bona omnia, videlicet charitas, vigilantia, ecclesiastica disciplina, denique animarum eis commissarum salus proficiscerentur; a malis vero contra, nonnisi mala, nempe avaritia, negligentia, fastus et animarum periculum possit expectari. Quod si in quibuslibet ecclesiarum pastoribus tantopere providendum est ne quis assumatur indignus, maiorem certe et perspicaciorem diligentiam in Romano Pontifice eligendo, qui ceteris pastoribus est praefuturus, et totius dominici gregis curam habiturus, oportet adhiberi.

Ideo Pontifices in nota ad rubr. citati providas constit. ediderunt.

§ 1. Hac sancta meditatione permoti, praedecessores nostri et praesertim felicis recordationis Alexander III, Gregorius X, Clemens V, Clemens VI et Iulius II nonnullas constitutiones sanxerunt ad providendum ut Summorum Pontificum electiones libere et recte et mature fierent. Sed quoniam res humanae semper in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas assidue retineat et conservet, verendumque sit ne aliquando, propter earum constitutionum transgressionem, suborti abusus longius serpant et progrediantur.

Hic etiam Pontifex alias addit, videlicet quod cardinales absentes decem diebus expectentur, et interim novem diebus fiant defuncti Pontificis exequiae.

§ 2. Nos, quantum cum Deo possumus, futuris casibus et periculis occurrere volentes, eorumdem praedecessorum nostrorum constitutiones, tum innovando, tum declarando et pro rerum ac temporum necessitate supplendo, de fratrum nostrorum unanimi consilio atque assensu, definimus, statuimus et declaramus ut cum Pontificem de hac vita migrare contigerit, cardinales praesentes decem tantummodo diebus, iuxta dicti Gregorii praedecessoris constitutionem in concilio Lugdunensi editam, cardinales absentes expectare teneantur, et interim solitas novem continuorum dierum exequias omnino peragant, nec ullo praetextu ulterius differant. Et ne quid impedimento esse possit quo minus exequiae ipsae nono die absolvantur, si quando, per observantiam alicuius magni impedimenti et praecipui festi, cardinalibus videretur officium exequiarum intermitti debere, dies illi sic intermissi in numerum novem dierum nihilominus computari debeant, et impensa, quae in eis pro exequiis facienda esset, inter pauperes Christi distribuatur. Ac ut superfluis quoque sumptibus, qui iam in immensum excreverunt, modus imponatur, funus simplicius quam consueverit fiat, ita ut illius ratione (praeter regalia populo Romano praestari solita), decem millium ducatorum summam, pannis lugubribus et regalibus tam camerarii et clericorum ac aliorum cameralium, quam aliorum quorumcumque ministrorum et officialium, ac aliis omnibus omnino computatis, impensa non excedat. Summa autem decem millium huiusmodi, vel, si collegio visum fuerit, etiam minor, at nullo modo maior, per tres cardinales antiquiores, unum videlicet de quolibet ordine, et camerarium proportionabiliter, pro rata distributionis alias fieri solitae, inter praedictos omnes et singulos dividatur.

Elapsis decem diebus, cardinales praesentes, celebrata missa Spiritus Sancti, conclave ingrediantur, et electioni Pontificis incumbant.

§ 3. Lapsis vero decem diebus a die obitus Pontificis, ingressus conclavis nullatenus prorogetur aut differatur, sed sequenti die, missa de Spiritu Sancto celebrata, sive cardinales absentes venerint sive non, qui fuerint praesentes statim conclave ingredi teneantur; et ingredientes ipsi, absque mora aliqua, omissa omnino capitulorum confectione, primis diebus fieri solitorum, in electionis negotio procedant, et singulis diebus scrutinium fiat, et in primo scrutinio etiam accedere liceat.

Ingredi nolentes aut absque causa inde re-

§ 4. Si qui vero forte intrare noluerint, vel ingressi, absque manifesta infirmitatis

cedentes poenam constitutionis Greg. X incurrant.

causa, iuramento medicorum et a maiori parte cardinalium per secreta suffragia approbata, exiverint, dictae constitutionis Gregorii poenam incurrant.

Cardinales praesentes, in conclavi et extra, Pontificem eligere valeant, lapsis decem diebus.

§ 5. Declarantes nihilominus quod, postquam cardinales praesentes, aliis cardinalibus, etiam de latere legatis, aut ex alia quacumque, etiam publica, causa, etiam cum licentia Summi Pontificis, absentibus, ulterius non expectatis, post tamen lapsum dictorum decem dierum a morte Pontificis, electionem sive intra sive extra conclave fecerint, electio sic, ex itineris aut alterius, etiam probabilis et notorii, ipsorum cardinalium absentium impedimenti praetextu, impugnari minime valeat, quum publica utilitas ex matura electione proveniens cuivis alteri rationi praeferri debeat.

Sede vacante, collegium cardinalium de hic enarratis tantum disponat.

§ 6. Sedis autem vacatione durante, collegium cardinalium in iis, quae ad Pontificem Maximum, dum viveret, pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat, neque gratiam neque iustitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur. Neque de statu temporali Romanae Ecclesiae, neque de pecuniis Camerae Apostolicae aut datarii, vel pro solutione debitorum ante obitum Pontificis quomodolibet contractorum, aut alias ex quavis causa (casibus infrascriptis dumtaxat exceptis), quicquam disponere, nec contra dictam Gregorii constitutionem pro se ipsis aliquid percipere, nec aes alienum, ultra necessarios sumptus praesentibus comprehensos, contrahere debeant; neque camerarius, thesaurarius, datarius, depositarius, castellanus arcis S. Angeli aut alii officiales, contra harum constitutionum tenorem, collegio obedire teneantur sive debeant; quinimmo, si eis in talibus obtemperaverint, aut ipsi cardinales vel officiales ex eorum officiis contra praemissa aliquid attentare praesumpserint, de suo proprio Camerae Apostolicae plenarie satisfacere et pecunias erogatas restituere, ac quaevis damna ad eligendi Pontificis arbitrium resarcire cogantur. Quod autem expendi possit, erit praefata decem millium ducatorum summa. Illud item quod pro victu familiae pontificiae ante conclavis ingressum, ac post ingressum pro pauperum officialium Palatii tantum per camerarium et priores Ordinum describendorum victu, ac etiam pro eleemosynis Sede vacante fieri consuetis. Itemque pro defensione terrarum Ecclesiae vel partis earum. Necnon pro regalibus populo Romano et illius magistratibus ac custodia Urbis et conclavis, illiusque provisionibus opportunis necessarium erit. Quae vero impensa pro defensione terrarum et locorum Ecclesiae et securitate ac provisionibus conclavis facienda sit, cardinales praesentes per secreta suffragia ordinare debeant, ita ut maioris partis sententia obtineat id quod observandum erit, etiam in gubernatoribus Urbis, tam ultra pontem quam citra, et aliis officialibus, etiam pro Status Ecclesiastici regimine, si opus fuerit, eligendis. Si vero ultra praedicta aliquod grande periculum imminerct, cui omnibus et singulis cardinalibus praesentibus, iuxta ordinationem Gregorii X, aut saltem duabus illorum tertiis partibus per secreta suffragia videretur celeriter occurrendum, tunc collegium, iuxta maioris partis sententiam, similiter per secreta suffragia, de remedio opportuno ac provide, de necessaria impensa providere possit et debeat.

Tres cardinales et camerarius occurrentes necessitates proponant, et conclavis negotia curent.

§ 7. Statuimus etiam quod tres cardinales antiquiores, unus videlicet ex quolibet Ordine, una cum camerario, post Pontificis obitum, reliquos cardinales congregandi et occurrentes necessitates in congregationibus generalibus proponendi

et ut conclave bene undique claudatur curandi, ius habeant.

Ingressi conclave, alii tres qualibet tertia die eorum loco subintrent.

§ 8. Ipsorum autem officium tertia die post conclavis ingressum omnino expiret, eorumque loco tres alii sequentes in ordine, quolibet tertio quoque die, cum eodem camerario in eadem potestate succedant.

Camerarius suique officiales rebus hic praescriptis et non aliis incumbant.

§ 9. Camerarii quoque et maioris poenitentiarii officia, quae etiam, Sede vacante durante, ita durare decernimus et declaramus, ut non solum ea, quae praesenti constitutione prohibentur, et quae Pontifice vivente exercere non consueverunt, seu a quibus, pro eiusdem Pontificis reverentia aut alias, quomodolibet abstinebant, minime usurpent, sed camerarius ac praesidentes et clerici aliique ministri et officiales Cameræ Apostolicæ exactioni pecuniarum eidem Camerae debitarum, ac provisionibus ratione Sedis vacantis iuxta praemissa necessario faciendis dumtaxat incumbere; et propterea a solutione debitorum ante Pontificis obitum contractorum, aut illorum declaratione, rationum solidatione, extractionibus frumentorum, remissionibus delictorum, executionibus delinquentium et quibuscumque aliis expeditionibus, tam gratiam quam iustitiam aut illarum executionem quomodolibet concernentibus omnino abstinere.

Poenitentiarius et eius officiales, quae ad forum conscientiae spectant, tantummodo expediant.

§ 10. Poenitentiarius vero et eius officiales ea tantum facere et expedire valeant, quae ad forum conscientiae pertinent; in reliquis officium eorum conquiescat. Itaque a quibuscumque matrimonialibus et aliis dispensationibus ac absolutionibus et declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus, forum, quod aiunt, fori, mixtim vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino abstineant. Alioquin in quibus, tam camerarius quam poenitentiarius et alii praedicti, etiam de licentia aut mandato totius collegii, contrafecerint, ea nulla et irrita sint, ac nemini suffragentur. Et nihilominus eorum excessus et inobedientiae rationem Pontificis arbitrio quandocumque reddere teneantur. Literis etiam nostris super reformatione Camerae et Poenitentiariae huiusmodi editis in suo robore permansuris.

Datarii officium morte Pontificis expirat.

§ 11. Datarii vero ministerium per eiusdem Pontificis obitum omnino expiret, ita ut non solum datas per eum antea notatas extendendi potestatem minime habeat, sed quascumque supplicationes gratiarum et iustitiae penes eum aut eius ministros adhuc existentes, etiam si datae fuerint, collegio cardinalium statim, sub sigillo clausas, præsentare teneantur, futuro Pontifici reservandas. Quod si contra praemissa quisquam, ad cuiusvis, etiam cardinalis, instantiam, attentare praesumpserit, irritum et inane existat, et nihilominus falsi crimen incurrat, illius rationem futuro Pontifici redditurus.

Cardinalium et praelatorum signaturae gratiæ et iustitiae officium conquiescit.

§ 12. Prohibentes insuper ne cardinales et praelati signaturae gratiarum et iustitiae praefecti, Sede vacante, supplicationes et commissiones aliquas, etiam si supplicantes, parvas datas, ut moris est, antea obtinuerint, signare valeant, sed officia eorum omnino cessare intelligantur. Quod si aliter fecerint, pro excessibus huiusmodi, futuri Pontificis arbitrio puniantur.

Conclavis cellae sorte distribuantur.

§ 13. Mandamus quoque quod cellae conclavis cardinalibus sorte distribuantur, nec liceat eas, etiam infirmitatis praetextu, mutare, aut desuper aedificare, vel illas dilatare, sed quilibet, etiam decanus, sit sua sorte contentus.

Apud conclave habitare vel morari prohibetur.

§ 14. Post conclavis vero ingressum indicimus [1] et expresse prohibemus, sub officiorum et beneficiorum privationis poena, atque etiam sub alia arbitrio gubernatoris, ad custodiam conclavis deputari soliti, infligenda, ne quis immediate supra aut infra conclave seu a lateribus habitare vel morari possit. Quae loca muris claudi et a praesidentibus custodiae con-

1 *Interdicimus*, Cherub. (n. t.).

clavis ac a dicto gubernatore saepius visitari debeant. Et si qua fraus commissa fuerit, teneatur ipse gubernator, sub periurii poena eo ipso incurrenda et alia arbitrio futuri Pontificis infligenda, delinquentes huiusmodi cardinalibus pro tempore deputatis revelare, curareque ut delinquentes ipsi carcerentur et acriter puniantur.

Conclave a cardinalibus deputatis visitetur, etc.

§ 15. Teneantur quoque cardinales pro tempore deputati cellas cardinalium et alia conclavis loca saepius visitare et diligenter perquirere, ne in ipsius conclavis muris aut laquearibus seu pavimentis vetita foramina fiant. Et si quid tale deprehensum fuerit, auctores privationis officiorum et beneficiorum, ac aliis etiam corporalibus et severissimis poenis, gubernatoris ac etiam futuri Pontificis arbitrio, afficiantur; et conscii de praemissis eisdem poenis teneantur, nisi statim, si intra conclave fuerint, eisdem cardinalibus deputatis; si vero extra conclave, gubernatori et praelatis praepositis revelaverint. Qui quidem gubernator et praelati, sub periurii poena, in hoc invigilare et opportune providere debeant.

Cardinales non infir. duos, infirmi tres servient. habeant.

§ 16. Quilibet autem cardinalis in conclavi duobus servientibus, clericis vel laicis, contentus sit; infirmis autem et graviter affectis a maiori parte collegii per secreta suffragia tertius ad summum indulgeri possit.

Conclavistae a cardinalibus approbentur.

§ 17. Qui servientes familiares domestici et continui conmensales ipsius cardinalis et ab anno ante fuisse et tunc esse debeant, et non mercatores, ministri principum, domini temporales et iurisdictionem habentes, neque fratres aut nepotes cardinalium, etiam si expensis eorum viverent. Et de qualitatibus conclavistarum cardinales deputati ante conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere et eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter providere debeant.

Sacrista unus stet in conclavi, magistrique caeremoniarum duo, confessor unus, medici duo, chirurgus unus, aromatarius unus, faberlign. unus, cement. unus, barbitons. dun, servientes decem.

§ 18. Sacrista quoque cum uno clerico coadiutore in officio sacristiae; duo quoque magistri caeremoniarum conclave ingrediantur missis celebrandis, et aliis, quae ad ipsos pertinent, vacaturi. Adsit praeterea unus religiosus pro confessionibus audiendis, a maiori parte cardinalium per secreta suffragia eligendus; unus collegii secretarius tantum; duo medici; unus chirurgus; unus aromatarius, cum uno aut duobus servientibus; unus faber lignarius; unus cementarius; duo barbitonsores, cum uno aut duobus servientibus. Item octo aut decem servientes publicae utilitati et commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, pro verrendo conclavi et similibus necessariis ministrandis, qui omnes a collegio cardinalium, non tamen ex familia alicuius cardinalis, per fabas secretas eligantur, ita tamen ut is obtineat, qui plura vota tulerit, et eis salaria de publico persolvantur. Quod si ultra praefatas personas, in conclavi aliquis inventus fuerit, expelli statim debeat. Et si quis uspiam se occultasse deprehendatur, ignominiose expellatur, et infamia notetur, et officiis atque beneficiis privetur; conscii vero, sub eadem poena illos collegio revelare teneantur, praemium reportaturi, si indicaverint.

Eo clauso, colloquium prohibetur.

§ 19. Clauso conclavi, nulli ad colloquium, etiam extra portam conclavis, etiam principum oratores, nisi ex magna et urgenti causa a maiori parte collegii approbanda, admittantur. Et si quis forte, quod absit, clam ipsum conclave et aliunde quam per ostium ingrediatur, omni honore, gradu ac officio et beneficio ipso facto privatus existat et tradatur curiae saeculari acerrimis poenis puniendus.

Literae vel signa transmitti prohibetur.

§ 20. Literas vero aut cuiusvis generis scripta ad eos, qui in conclavi erunt, seu nuncium vel notam aut signum mittere seu recipere, aut contra e conclavi ad eos qui foris erunt, ullo modo liceat; qui contrafecerint, quacumque dignitate, etiam

si cardinalatus honore, praefulgeant, poenae excommunicationis latae sententiae subiaceant, absolvendi facultate, praeterquam in mortis articulo, soli Pontifici Maximo reservata, a quo nihilominus pro qualitate delicti, ultra dictam excommunicationis poenam, puniendi erunt.

Sponsiones super electione Pontificis damnantur.

§ 21. Prohibentes etiam super futura electione Pontificis sponsiones, quas excommissas vocant, fieri; et si forte contra praesentium tenorem factae fuerint, illas nullas et irritas, in iudicio et extra, fore et omnino censeri, et contrafacientes ac proxenetas arbitrio gubernatoris et futuri Pontificis puniri debere decernimus.

Cardinales unico ferculo et moderato, et in propria cella vescantur iuxta bullam Clementis VI.

§ 22. Cardinales autem primo ipso die, quo conclave ingressi fuerint, tam in prandio quam in coena, uno solo ferculo unius speciei tantum, eoque moderato et alias iuxta constitutionem praefati Clementis VI qualificato, contenti sint et esse debeant, nec quisquam in alterius cella vel de alterius ferculo vescatur.

Praelati custodes conclavis ne literae, etc. transmittan. curent.

§ 23. Praelati quoque ad custodiam conclavis deputati, sub poena periurii et suspensionis a divinis, maxima et exquisita diligentia utantur in inspiciendis ac praeservandis [1] epulis et aliis rebus ac personis conclave intrantibus et de eo exeuntibus, ne, sub earum rerum velamine, literae aut notae vel signa aliqua transmittantur. Quod si tale quid inventum fuerit, familiares cardinalium aut alii delinquentes poenam privationis officiorum et beneficiorum, ac inhabilitatis ad obtenta et obtinenda incurrant. Et ulterius per gubernatorem carceribus mancipentur, exinde, nisi de mandato novi Pontificis, minime relaxandi, sed eius arbitrio acrius puniendi, omni facultate collegio cardinalium in favorem quorumcumque, qui in praemissis vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta.

Conclavistae discoden. non

§ 24. Conclavistae vero et quicumque alii servientes conclavi, ex causa infirmitatis manifestae et notabilis, a medicis medio iuramento probatae et de consensu deputatorum, quorum etiam conscientiam desuper oneramus, et non aliter exituri, nullo modo reverti possint, sed eorum loco alii eodem prorsus tempore, quo infirmi exibunt, ingrediantur.

ingrediantur ulterius.

Cardinales non diaconi votum in electione non habent.

§ 25. Statuimus etiam et declaramus quod si forte aliquis cardinalis saltem in diaconatus ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat.

Cardinales in electione servent hic expressa.

§ 26. Cardinales autem per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi enixe rogamus et hortamur, ac eis nihilominus, sub divini interminatione iudicii, praecipimus et mandamus ut, attendentes magnitudinem ministerii, quod per eos tractatur, in dandis suffragiis ac aliis omnibus et singulis electionem quomodolibet concernentibus, omni dolo ac fraude, factionibus et animorum passionibus remotis, ac principum saecularium intercessionibus, ceterisque mundanis respectibus minime attentis, sed solum Deum prae oculis habentes, sese pure, libere, sincere, quiete et pacifice gerere et habere debeant. Nec pro ipsius Pontificis electione, conspirationes, condicta, pactiones et alios illicitos tractatus inire, signa aut contrasigna votorum suorum alteri dare, minasve aliquibus inferre, tumultus excitare, aut alia facere, per quae electio retardetur, vel minus libere suffragia praestentur, per se vel alium, directe vel indirecte, quovis colore vel ingenio, audeant vel praesumant. Quod si secus fecerint, aut contra prohibita in praesenti constitutione aliquid admiserint, ultra divinam ultionem, arbitrio futuri Pontificis pro modo culpae in eos quandocumque animadverti possit.

Custodes conclavis praemissa faciant observari

§ 27. Quia vero parum esset iura condere, nisi forent qui executioni ea demandarent, statuimus et ordinamus ut praelati, rectores, officiales Urbis ac principum oratores, illustres viri, quos omnes a collegio pro custodia conclavis eligi con-

[1] *Praesentandis*, Cherub. (R. T).

tinget (eligere autem collegium debebit eos, qui ad id magis idonei videbuntur), praemissa omnia plene et inviolabiliter, ac sine fraude et dolo aliquo observari faciant, de quo corporale iuramentum coram ipso collegio, ante ingressum conclavis et quoties opus fuerit, praestare teneantur; quae quidem nisi fecerint, vel si in eis dolum et fraudem commiserint, praedictas poenas et ceteras in dicta constitutione Gregorii X contentas incurrant.

Cardinales nihil de hic contentis immut., sed hanc const. servari, una cum aliis curent.

§ 28. Volumus autem neque per praelatos, neque per rectores aut officiales praefatos, ultra quam praemittitur, cardinales arctari, neque praesentes has nostras constitutiones per collegium cardinalium ullo modo alterari, corrigi aut immutari posse, sed illas coram omnibus de verbo ad verbum in prima congregatione post obitum Pontificis fieri solita et deinde post conclavis ingressum legi et iurari, eo modo, quo leguntur et iurantur constitutiones Iulii II et aliorum praedecessorum nostrorum, quorum constitutionibus et poenis in eis contentis ultra praemissa per hanc nostram constitutionem derogare non intendimus, sed magis eas confirmare, innovare et comprobare.

Cardinales non excludantur ab electione praetextu quarumcumque censurarum, *etc.*

§ 29. Et ne dissensionis occasio aut schismatis oriatur, volumus, censurarum et excommunicationum praefatarum et aliarum quarumcumque praetextu, cardinales a Pontificis electione active vel passive excludi nullo modo posse, quas quidem excommunicationes et censuras, ad electionis effectum tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus et suspensas esse volumus et declaramus. Decernentes quoque excommunicationes et censuras ipsas eum solum afficere, qui deliquerit, non autem alios conclavi durante cum eo conversantes.

§ 30. Ac praesentes nostras, ubicumque electionem Summi Pontificis, etiam extra Urbem, fieri contigerit, locum habere et observari debere.

Haec constit. ubique servetur;

§ 31. Ac insuper illas in valvis basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae per aliquos cursores nostros legi et publicari, ac illarum copiam ibidem affixam dimitti et deinceps omnes et singulos cardinales, etiam absentes, præsentes et futuros, et alios quoscumque, quorum interest vel interesse poterit quomodolibet in futurum, afficere et ligare, nullumque earum ignorantiam praetendere posse, ac si eis personaliter intimatae forent, praemissis ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Publicetur et omnes afficiat.

§ 32. Nulli ergo *etc.*

Sanctio poen.

Datum Romae apud Sanctum Petrum [1], anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, septimo idus octobris, pontificatus nostri anno tertio.

✝ Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur subscriptiones Cardinalium et publicatio.

Dat. die 9 octobris 1562, pontif. anno III.

LXXVI.

Sanctae Inquisitionis officium a Paulo Papa tertio institutum in Italia, et extra eam decernit, gratiasque, praerogativas et facultates Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus pravitatis haereticae inquisitoribus elargitas confirmat [2].

Pius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Rodulpho Ostiensi, Christophoro Sabinensi, Ottoni Albanensi episcopis, et dilectis filiis Iacobo Sanctae Mariae in Via, Bernardino Sancti Matthaei, Scipioni Sanctae Poten-

1 S. *Marcum*, Cherub. (R. T.).
2 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

tianae, Ioanni Sanctae Priscae, Michaeli Sanctae Sabinae summo inquisitori, Clementi Sanctae Mariae de Aracaeli, ac Iacobo Sanctae Mariae in Cosmedin titulorum presbyteris S. R. E. cardinalibus, super officio Sanctae Inquisitionis haereticae pravitatis in alma Urbe et tota christiana republica deputatis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Pastoralis officii munus, sicut Domino, sine meritis nostris, placuit, sustinentes, id enixe agimus et conamur, ac in id omni mentis nostrae studio, sollicitudine ac diligentia incumbimus, ut, pestiferis haeresibus repressis, quas humani generis hostis excitavit, catholicae fidei integritas et orthodoxae religionis cultus vigeat, et qui, diabolica fraude decepti, ab Ecclesia catholica recesserunt, ad eius gremium, aspirante Domino, revocentur, aut si pertinaciter in haeresibus suis permanserint, debitis affecti poenis, ceteros exemplo suo a simili pravitate pertinaciaque deterreant.

Inquisitionis officium a Paulo III institutum.

§ 1. Cum autem sacrum istud inquisitionis haereticae pravitatis officium, cui praeestis, sapientissime nec sine divinae providentiae instinctu a felicis recordationis Paulo Papa tertio, praedecessore nostro, institutum et successoribus eius deinceps conservatum, tantum Ecclesiae Dei utilitatem attulerit, ut vere arx quaedam religionis appellari possit.

Eius auctorit. augendam statuit Pius IV.

§ 2. Nos, quam utile id sit, ac potius quam salutare ac necessarium his gravissimis temporibus attendentes, potestatem eius non modo confirmandam a nobis, sed etiam augendam esse duximus ut tanto maior ex eo ad Ecclesiam Dei pervenire possit utilitas, quanto maiorem ab Apostolica Sede auctoritatem habuerit.

Inquisitores procedere possunt etiam extra Italiam et contra quascumque personas.

§ 3. Itaque, perspectum atque explo-ratum habentes in isto munere fungendo vestrum omnium singulare in catholicam religionem studium, eximiam prudentiam ac summam diligentiam, vos ceterosque quos deinceps vobis addi, aut succedere in eodem officio contigerit, in hac alma Urbe, tamquam christianae religionis capite, haereticae pravitatis inquisitores, non per Italiam modo, sed etiam extra Italiam per omnes christiani nominis provincias, regiones et loca, apostolica auctoritate, tenore praesentium, motu proprio, confirmamus et, quatenus opus sit, de novo constituimus et deputamus, et in quoscumque Lutheranae, Zuinglianae, Calvinianae, Anabaptistarum et aliarum quarumvis haeresum sectatores, aut etiam a fide apostatas, seu sortilegia haeresim quovis modo redolentia committentes, eorumque fautores et defensores, seu auxilium illis, consilium aut favorem, directe vel indirecte, palam vel occulte, impartientes, cuiuscumque gradus, ordinis, conditionis et dignitatis sint, etiam si episcopali, archiepiscopali, primatiali et patriarchali dignitate aut cardinalatus honore sint praediti, atque etsi regia dignitate praefulgeant, inquirendi, et contra eos secundum sacros canones aut speciales constitutiones vel indulta et privilegia apostolica, quomodolibet vobis vel inferioribus inquisitoribus quibuscumque concessa, procedendi.

Contra episcopos, archiepiscopos, primates et cardinales procedere possunt, sententiae vero Summo Pontifici reservantur.

§ 4. Ac eos, praeterquam in episcopali, archiepiscopali, primatiali patriarchalive dignitate constitutos, cardinalesve aut regali honore praeditos, quorum causas sicuti vobis cognoscendas relinquimus, ita si, quod absit, condemnandus quisque eorum fuerit, nobis et successoribus nostris, postquam processus per vos facti et formati usque ad sententiam diffinitivam exclusive fuerint, diffiniendas reservamus.

Ceteros autem in inferiori gradu constitutos possunt e-

§ 5. Ceterosque in inferiori gradu constitutos praelatos et alias quascumque ecclesiasticas laicasque personas, nemine

tiam condemnare;

excepto, si culpae eorum ita exegerint, condemnandi, ita ut si aliquos vestrum ferendae sententiae tempore, morbo aliave de causa impeditos, congregationi vestrae deesse contingeret, duos saltem adesse sufficiat.

Procuratorem fiscalem ceterosque tribunalis officiales instituere, corrigere et amovere;

§ 6. Ac procuratorem fiscalem, notarios publicos, ceterosque ministros, quorum opera muneri isti necessaria et opportuna est, etiam clericos saeculares, seu Ordinum quorumcumque regulares constituendi, eosque si visum fuerit, amovendi, aliosque in eorum locum substituendi, et, ut iniunctum sibi officium fideliter exequantur, in virtute sanctae obedientiae eis praecipiendi atque mandandi; contumacesque et quovis modo officium vestrum impedientes, ac vobis non parentes opportunis iuris et facti remediis compescendi.

Brach. saecul.

§ 7. Et ad haec omnia auxilium brachii saecularis invocandi.

Abiurationes recipere;

§ 8. Resipiscentes autem et errores ac haereses suas abiurare volentes, facta ab eis prius haeresum et errorum suorum abiuratione apud vos substitutosve vestros publice vel occulte, quod vestrae successorumque vestrorum circumspectioni relinquimus, et dato, ut mos est, iureiurando quod talia amplius delicta non admittent, nec admittentibus consilium, auxilium favoremve ullum quovis modo per se nec per alios impartient, ab eis erroribus et haeresibus ac quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis ac temporalibus, in quas ob huiusmodi culpas incidissent, iniuncta poenitentia salutari, vestro substitutorumve vestrorum arbitrio moderanda, commutanda, minuenda aut etiam post aliquod tempus remittenda, prout circumspectioni vestrae expedire et personarum qualitas mereri videbitur, absolvendi et Ecclesiae catholicae, omni abolita infamia, reconciliandi, et pristino statui atque officio et habilitati restituendi.

Haereticos atque apostatas absolvere;

§ 9. Haereticos quoque ac etiam a fide apostatas, quamvis relapsos, quos corde sincero ac fide non ficta ultro, libere ac sponte ad vos accedentes, erroresque suos detestantes, atque ad gremium matris Ecclesiae recipi et admitti instantius postulantes noveritis, recipiendi, admittendi, reconciliandi, absolvendi, ac cum eis poenarum severitatem, prout vobis benevisum fuerit, mitigandi, auctoritatem et facultatem vobis concedimus et elargimur.

Commissarios intra et extra Italiam instituere;

§ 10. Praeterea commissarios et inquisitores haereticae pravitatis intra et extra Italiam quibuscumque in terris, civitatibus et locis, prout necessarium et opportunum vobis successoribusque vestris visum fuerit, clericos saeculares regularesve constituendi, eosque, cum placuerit, removendi, ac etiam tam ipsos quam omnes et singulos ipsius sancti officii ministros, si in officio suo delinquerint, puniendi, aliosque substituendi cum ea, qua vobis visum fuerit, facultate et potestate.

Omnia denique agere ad extirpation. haeresum, etc.;

§ 11. Omnia denique alia agendi, quae, ad extirpandas haereses, apostasias, ac sortilegia huiusmodi reprimendum, et ad vestrum officium fungendum, quovis modo necessaria opportunave fuerint, agendi, gerendi, mandandi, exercendi et exequendi.

Idonearum personarum opera uti.

§ 12. Praelatos quoque, aliasque personas in dignitate ecclesiastica constitutas, theologiae magistros aut decretorum doctores, licentiatos aut baccalaureos, eiusmodi titulos et gradus in aliquo generali gymnasio consecutos, aut alias vobis probatos, quos aetate, prudentia et moribus idoneos esse, ac Dei timorem et christianae fidei zelum habere cognoveritis, assumendi et vobis in hac alma Urbe eorum opera utendi, vel quotiescumque

et quandocumque opus fuerit, cum ea, qua vobis visum fuerit, potestate, negotiorum causa, quae ad officium istud pertinet, mittendi, eosque, cum vobis placuerit, revocandi, vobis successoribusque vestris plenam et liberam eisdem auctoritate et tenore damus et concedimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§ 13. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus in conciliis generalibus aut provincialibus editis, indultis privilegiisque apostolicis, etiam si specialis et expressa ac de verbo ad verbum de eis mentio facienda esset, etiam si aliquibus vel alicui a nobis vel a Sede Apostolica concessum foret non posse excommunicari, neque sub censuris quovis modo comprehendi, nisi nominatim et expresse de eo mentio fieret, seu per quascumque clausulas fortiores. Quibus omnibus, eorum tenores pro expressis habentes, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, pridie idus octobris, pontificatus nostri, anno tertio.

Dat. die 14 octobris 1562, pontif. anno III.

LXXVII.

Indulgentiarum gratiae ab omnibus officialibus, circa clausulam porrectionis manuum adiutricum, gratis expediantur, excepto salario registraturae [1].

Pius Papa IV motu proprio, etc.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem, quem Dominus noster Iesus Christus vicarium suum coelestibus thesauris dispensandis in terris constituit, providere ut, sicut ipse thesauros huiusmodi et gratias coelestes gratis acceptas ad honorem Dei et illius sanctorum, animarumque christifidelium salutem absque lucro dispensat, idem quoque a Romanae Curiae officialibus, quibus literarum apostolicarum super gratiis a Sede Apostolica pro tempore concessis expeditio incumbit, observetur.

Indulgentiae gratis expediantur, excepta solutione registraturae et sine clausula manuum adiutricum.

§ 1. Quapropter inconveniens esse censentes pro concessionibus indulgentiarum, quae in solis meritis passionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi et eius gloriosorum martyrum et sanctorum consistunt, aliquid temporale exigere, nos praemissis, prout nostro incumbit officio, de remedio opportuno providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus S. R. E. vicecancellario eiusque in Cancellaria Apostolica locumtenenti, necnon summistae, scriptoribus, illorumque pro tempore rescribendario, computatori, receptori et defensoribus, necnon secretariis literarum apostolicarum, illarumque tam maioris quam minoris praesidentiae abbreviatoribus ac sollicitatoribus, plumbique et registri magistris, collectoribus, earumdem literarum apostolicarum registratoribus, bullatoribus, fratribus barbatis nuncupatis, et illorum famulis, necnon in registro supplicationum, manu et praesentia nostra signatarum, magistris et scriptoribus aliisque Romanae Curiae officialibus et personis, etiam eorum officia ex causa quantumvis onerosa obtinentibus, cuiuscumque qualitatis et conditionis existant, ac quocumque nomine appellentur, in virtute sanctae obedientiae et sub maioris excommunicationis latae sententiae, necnon amissionis ad semestre omnium emolumentorum eorum officiorum, quae ipso iure, quoties contrafecerint, fabricae

1 Quinimmo hodie nec pro registratura quicquam solvitur, ut experientia hoc omnes docet.

basilicae Principis Apostolorum de Urbe applicata esse censeantur; et, crescente inobedientia, etiam privationis eorumdem officiorum ipso facto incurrendis poenis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, quatenus videlicet in registro supplicationum, magistri et scriptores huiusmodi, ultra salarium inibi pro signaturis ordinariis exigi solitum; alii vero officiales literas apostolicas, tam sub plumbo, quam in forma brevis, super gratiis indulgentiarum et peccatorum remissione, etiam plenaria, tam pro vivis quam defunctis, tam ad tempus quam perpetuo, ad futuram seu perpetuam rei memoriam, vel alia forma ac cum quavis narrativa, pro quibusvis particularibus personis seu ecclesiis, etiam cathedralibus et collegiatis, monasteriis, prioratibus, cappellis perpetuis, cappellaniis, oratoriis, hospitalibus, capitulis, collegiis, conventibus, confraternitatibus, societatibus, universitatibus et quibuscumque aliis piis locis a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus, etiam facultatem eligendi confessorem cum votorum commutatione in se continentibus, pro tempore, citra tamen clausulam porrectionis manuum adiutricum, concessis et concedendis, conficiendis gratis pro Deo ubique per eorum officia, absque aliqua taxa regalium seu iocalium aut cuiusvis alterius generis solutione vel exactione, quantumvis ordinaria vel extraordinaria, omnibus recusatione et contradictione cessantibus, illico, nullo alio a nobis aut altero desuper expectato mandato, expediant, et prosequentibus illarum expeditionem, etiam si partes, quorum intuitu fuerint concessae, in Romana Curia non sint praesentes, sed longe ab illa absint, expeditas tradant et consignent.

§ 2. Mandantes dilectis filiis nostro et pro tempore Romani Pontificis datario et ciusdem Cancellariae regenti quatenus ipsi vel alter eorum, per se vel alium seu alios, praesens mandatum nostrum per omnes et singulos, ad quos spectat, inviolabiliter observari faciant. Inobedientesque et rebelles quoscumque in censuras et poenas antedictas incidisse declarent, dictasque poenas ab illis irremissibiliter persolvi et in arcam collegii dictae fabricae inferri et reponi; et si contra praeceptum hoc nostrum exactum aliquid fuerit, illico eis, qui illud solverint, integre restitui curent, et pro celeriori huius mandati nostri observatione dictarumque poenarum exactione et ablati restitutione, mandatum executivum, si eis videbitur, contra eosdem inobedientes et rebelles, quoties opus fuerit, decernant et relaxent. Executorum deputatio et facultates.

§ 3. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictorum officialium collegiorum institutionibus et erectionibus, necnon statutis, etiam iuramento *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem vicecancellario, summistae, officialibus et personis ac collegiis, etiam in eorum institutionibus et erectionibus huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis, etiam vim contractus inducentibus, decretis, concessis, confirmatis et innovatis, quae eis aut eorum alicui, quoad praemissa volumus nullatenus suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque. Clausulae derogatoriae.

§ 4. Volumus autem quod praeceptum et mandatum nostrum huiusmodi, ad hoc ut ad plenam et indubitatam notitiam deveniant, in dicta Cancellaria publicentur et in illius libro describantur ac perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observentur. Iussio publicandi.

Placet, publicetur et describatur. I.

Affixum et publicatum fuit supradictum mandatum Romae in Cancellaria Apostolica anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimosecundo, die vero septima mensis novembris, pontificatus praefati sanctissimi domini nostri Papae anno III.

Pub. die 7 nov. 1562, pontif. anno III.

LXXVIII.

Facultas collegii deputatorum fabricae Sancti Petri de Urbe cogendi, pro executione piorum legatorum, quoscumque notarios ad ei tradendum exemplar instrumentorum, post annum a die obitus testatoris, soluta eis debita mercede.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Collegium exequitur pias disposition. testatorum infra annum non executas;

Etsi per diversos Romanos Pontifices, praedecessores nostros, et nos diversae facultates, privilegia et indulta dilectis filiis collegio deputatorum fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, super executione testamentorum et legatorum ad pias causas factorum, concessa fuerint, inter aliaque, ut plenius piis testantium voluntatibus satisfieret, collegio praefato, et per eum commissariis deputandis, ut si, infra annum a die obitus testatorum, eorum testamenta per haeredes vel alios, ad quos spectaret, plenarie executioni demandata non forent, ipsi illa debitae executioni demandare facerent, indultum fuerit.

Sed multa testamenta quæ clausa notariis dantur, non aperiuntur, et executioni mandari non possunt;

§ 1. Multa tamen testamenta, in quibus diversa legata et relicta ad pias causas reperiuntur, ex eo quod testatores illa, dum vixerunt (sicut in regno Neapolitano per multos fieri solet), clausa notariis consignarunt, et haeredes ab intestato succedentes, omniaque bona defunctorum possidentes, non curant testamenta ipsa clausa aperiri facere et testatorum voluntates adimplere, in grave animarum suarum periculum, et tam praedictae fabricæ quam aliorum piorum locorum ac plurimorum pauperum detrimentum, et contra testatorum huiusmodi intentionem, hactenus, sicut accepimus, executioni demandata non fuerunt.

Hic ideo Pontifex dat collegio facultatem (*de qua in rubr ca*);

§ 2. Nos, fabricae, piorum locorum pauperumque subventioni, voluntatum testatorum implemento ac saluti animarum haeredum huiusmodi, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et de apostolicæ potestatis plenitudine, praedictis collegio et eius commissariis, ut, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac aliis pœnis, iuxta formam facultatum, privilegiorum et indultorum praedictorum, omnes et singulos notarios, penes quos huiusmodi testamenta clausa, ut praefertur, vel alias reperiuntur vel in futurum reperientur, post annum a die obitus testatorum, ad illa aperienda et ipsis commissariis ostendenda, solutaque ipsis notariis debita mercede, iuxta formam privilegiorum prædictorum, ad tradendum sibi exemplar ipsorum testamentorum, in forma probanti et authentica, etiam cum invocatione brachii saecularis, si opus fuerit, quacumque appellatione remota, cogere possint, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Et sic iudicari iubet;

§ 3. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per locorum ordinarios ac quoscumque alios iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et cardinales, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, et iudicari et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in

Contrariis derogat.

provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac locorum, civitatum et provinciarum, in quibus notarii existent vel testamenta huiusmodi confecta fuerint, iuramento *etc.*, roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, ac efficaciores et insolitas clausulas in se continentes, quorum tenores *etc.* haberi volumus pro expressis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua *etc.* mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, hac vice dumtaxat, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 5. Volumus autem quod praesentis motus proprii sola signatura sufficiat, eiusque exemplaribus, etiam impressis, manu secretarii ipsius collegii et sigillo praefatae fabricae munitis, eadem fides in iudicio et extra adhibeatur, quæ præsenti motui proprio adhiberetur, si esset originaliter exhibitus vel ostensus.

Placet, motu proprio. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, decimoquinto kalendas ianuarii, anno III.

Dat. die 18 dec. 1562, pontif. anno III.

LXXIX.

Revocatio exemptionum a solutione dohanae Urbis, quibuscumque, praeterquam locis piis, concessarum, vel in capitulis dohanae expressarum; et declaratio quoad exemptiones ob numerum duodecim filiorum.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Licet felicis recordationis Paulus Papa tertius, praedecessor noster, rationabilibus causis praenarratis, motum proprium ediderit; nihilominus tanta est hominum importunitas, ut etiam a procuratore nostro fiscali nobis fuit expositum quod multae similes et dissimiles praenarratae exemptiones postea, tam ab ipsomet Paulo tertio quam a Iulio tertio, Marcello secundo et Paulo quarto successoribus Pontificibus et etiam a nobis, etiam sub signatura motus proprii, extortae fuerunt, unde dohanae Urbis, illarumque dohanerii in easdem et forsan maiores, quam in praeinserto narrantur, difficultates et controversias denuo inciderunt, cum magno etiam nostro et Camerae praefatae praeiudicio, cum omnia tandem in ipsius Camerae detrimentum retorqueantur.

Causa constitutionis.

Revocatio exemption. quoad solutionem dohanarum Urbis quibuscumque, praeter quam piis locis vel ob numerum duodecim filiorum, concessarum.

§ 1. Nos igitur eisdem, quibus praefatus Paulus praedecessor, et aliis rationabilibus animum nostrum moventibus rationibus et causis, et praesertim quia nunc multo plures sunt ex proventibus dictarum dohanarum in certos usus per ipsam Cameram assignatae summae, ita quod nihil restat unde summae, pro exemptionibus huiusmodi, defalcari, sumi seu detrahi possint, omnes et singulas lites et causas, praemissorum occasione quomodolibet in quacumque instantia et coram quibuscumque iudicibus pendentes, ad nos pari modo advocamus et extinguimus. Omnesque et singulas gratias per quoscumque praedecessores nostros et etiam per nos quomodolibet et ex quacumque etiam maxima causa, praeter expressas in capitulis inter Cameram et dohanerios praefatos stipulatis, concessas exemptiones, immunitates ac privilegia, quoad praefatas almae Urbis dohanas, earumque dohanarum solutionem, et inviolabilem observationem dictorum capitulorum cum dohaneriis praesentibus et futuris per eamdem Cameram factorum et faciendorum, praeterquam pro piis et miserabilibus locis, et pro illis dumtaxat,

quibus, ob numerum duodecim filiorum, concessae et concessa fuerint, et quousque duodecim illi superstites in communi vivent, in ipsaque Urbe cum eorum familiis continuo degent, et pro rebus dumtaxat, quas aliunde (excepto vino, quod pro eorum usu, in Ripa almae Urbis nostrae in barca existenti comparaverint) in Urbem ipsimet suo sumptu convehi facient pro suo proprio usu tantum, non autem pro mercimoniis et aliis rebus, quae ad Urbem, ut vendantur, per eos seu per alios convehentur, seu quas ipsi aliter quam pro usu proprio convehi et portari facient; in ceteris autem rebus et pro aliis personis, nullis prorsus exceptis, praesentium tenore cassamus, irritamus, annullamus et revocamus, ac pro cassis, irritis et nullis habemus, haberique et eis nullatenus suffragari volumus.

Declaratio circa exemptiones ob numerum duodecim filiorum.

§ 2. Insuper super eo quod res et bona praefata, etiam victualia, quas et quae, immunitates praefatas habentes, pro usu velle et esse dicent, debeant fieri mandata in scriptis subscripta per patremfamilias, si vivet, aut, illo defuncto, per illum ex ipsis duodecim filiis, qui erit maior natu, aut qui domus regimen habebit, etiam cum iuramento attestari res, bona et victualia huiusmodi esse pro eorum usu proprio et ad eorum instantiam advecta. Et quod etiam fachini, gestatores et barilarii, quorum opera in illis deferendis usi fuerint, fiat solita fides quomodo res, bona et victualia praefata, in ipsorum immunitatem habentium domum delata et recondita fuerint; alias dohanerii non debeant immunitates ipsas admittere, sed consuetam ab aliis non immunibus solutionem exigant. Et insuper quod, si contingat aliquem ex ipsis filiis ob praelaturam fortasse adeptam, vel ob aliam quamcumque causam, propriae suae familiae et sibi inservientium numerum augere, non debeat immunitas praefata suffragari pro numero personarum, ut praefertur, seu alias quomodolibet accrescentium, sed suffragetur, admittaturque dumtaxat pro numero et habita ratione personarum, quae erant tempore impetratae immunitatis. Et si ipsi dohanerii aliter quam ut praefertur immunitates ipsas receperint, pro illis quantitatibus, in quibus praemissa excedent et non observabunt, Camera non teneatur eis facere aliquam remissionem.

Decretum irritans.

§ 3. Et sic per ipsos camerarium et clericos Camerae et alios quoscumque iudices, etiam S. R. E. cardinales, in quacumque instantia, sublata *etc.*, iudicari; irritumque *etc.* quidquid secus *etc.* decernimus.

Executorum deputatio.

§ 4. Mandantes camerario, praesidenti et clericis praefatis ut revocationem, cassationem, irritationem et annullationem ac decretum nostrum huiusmodi, omniaque et singula alia praemissa, sub indignationis nostrae poena, observent et ab aliis inviolabiliter observari mandent et faciant.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis, indultis et immunitatibus praedictis, tam sub plumbo quam per breve, aut alias hactenus, ut praefertur, concessis, et in futurum, etiam cum praesentis expressa derogatione, etiam motu proprio et manu nostra propria, concedendis, sub quibuscumque verborum expressionibus et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibus et aliis quantumcumque fortissimis decretis, etiamsi de illis, pro illorum sufficienti derogatione, certa et expressa forma et individua ac de verbo ad verbum expressio seu insertio facienda esset, illorum omnium tenores *etc.* pro expressis *etc.*, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Sola signatura sufficiat, nota-

§ 6. Praesentis autem cedulae solam signaturam, regula contraria non obstante,

riique exemplum probet.

sufficere, et eius exempla, manu unius ex notariis Camerae praedictae subscripta, ubique, in iudicio et extra, fidem facere, in librisque Camerae praefatae consuetis registrari volumus et mandamus.

Placet, motu proprio. I.

LXXX.

Confirmatio Sacri et Œcumenici Concilii Tridentini 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Concilium Tridentinum indictum fuit a Paulo III.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui respicere dignatus Ecclesiam suam sanctam, tot procellis et tempestatibus agitatam atque vexatam, et gravius in dies laborantem, apto tandem ei subvenit optatoque remedio. Ad plurimas et perniciosissimas haereses extirpandas, ad corrigendos mores et restituendam ecclesiasticam disciplinam, ad pacem et concordiam christiani populi procurandam, indictum iampridem in civitate Tridentina oecumenicum et generale concilium a piae memoriae Paulo III, praedecessore nostro, et sessionibus aliquot habitis, coeptum fuerat. Ab eius autem successore Iulio in eamdem urbem revocatum, post alias sessiones celebratas, variis impedimentis et difficultatibus obiectis, ne tum quidem peragi potuerat. Itaque diutius intermissum fuerat, non sine maximo moerore piorum omnium, cum quotidie magis Ecclesia eiusmodi remedium imploraret.

1 Istud concilium indixit Paulus III in constit. XLII, *Initio*, tom. VI, pag. 337, et post Iulium III prosecutus est hic Pontifex in constit. XXVII, *Ad Ecclesiae*, tom. VII, pag. 90. Ac praelatis ei interessentibus indulta concessit in constitut. XXXV, *Circumspecta*, ibid., pag. 110; ordinemque loci, quem ibi in actibus publicis praelati haberent declaravit in constit. XXVIII, *Sicut ea*, ibid., pag. 92.

Hic autem Pontifex illud prosequi iussit, ut supra, constit. XXVII 1;

§ 1. Nos autem, post susceptum Sedis Apostolicae regimen, tam necessarium ac salutare opus, sicut pastoralis sollicitudo monebat, divinae misericordiae fiducia perficere aggressi, adiuti pio studio carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum imperatoris electi, et aliorum christianorum regum, rerumpublicarum ac principum, tandem consecuti sumus quod nec diurnis nec nocturnis curis elaborare destitimus, quodque a Patre luminum assidue precati sumus. Cum enim eam in urbem undique ex christiani nominis nationibus convenisset, nostris convocata literis, et sua etiam ipsorum pietate excitata, episcoporum et aliorum insignium praelatorum maxima et oecumenico concilio digna frequentia, praeter plurimos alios pios et sacrarum literarum scientia divinique et humani iuris cognitione praestantes viros, praesidentibus ipsi synodo Sedis Apostolicae legatis, nobis adeo concilii libertati faventibus, ut etiam de rebus Sedi Apostolicae proprie reservatis liberum ipsi concilio arbitrium per literas ad legatos nostros scriptas ultro permiserimus, quae de sacramentis et aliis rebus, quae quidem necessariae visae sint, tractanda, definienda et statuenda restabant, ad confutandas haereses, ad tollendos abusus et emendandos mores, a sacrosancta synodo, summa libertate diligentiaque tractata, et accurate ac mature admodum definita, explicata, statuta sunt. Quibus rebus perfectis, concilium tanta omnium, qui illi interfuerunt, concordia peractum fuit, ut consensum eum plane a Domino effectum fuisse constiterit, idque in nostris atque

1 Huic concilio interfuerunt legati card. 2, patriarchae 3, archiepiscopi 25, episcopi 168, abbates 7, procuratores absentium 39, generales Ordinum 7, qui omnes subscripserunt se concilio, et fuerunt numero 255, ut legitur in fine Concilii.

omnium oculis valde mirabile fuerit. Pro quo tam singulari Dei munere supplicationes statim in alma hac Urbe indiximus, quae magna cleri et populi pietate celebratae fuerunt, laudesque et gratias divinae Maiestati merito persolvendas curavimus; cum eiusmodi concilii exitus spem magnam et prope certam attulerit, fore ut maiores in dies fructus ad Ecclesiam ex ipsius decretis constitutionibusque perveniant.

Confirmat Pontifex concilium, quam confirmationem synodus petiit, ut habetur prope finem dicti concilii,

§ 2. Cum autem ipsa sancta synodus, pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum etiam conciliorum vestigiis inhaerens, decretorum suorum omnium, quae nostro et praedecessorum nostrorum tempore facta sunt, confirmationem a nobis petierit, decreto de ea re in publica sessione facto; nos ex legatorum literis prius, deinde, post reditum eorum, ex iis quae synodi nomine diligenter retulerunt, postulatione ipsius synodi cognita, habita super hac re cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, Sanctique Spiritus in primis auxilio invocato, cum ea decreta omnia catholica, et populo christiano utilia ac salutaria esse cognovissemus, ad Dei omnipotentis laudem, de eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu, in consistorio nostro secreto, illa omnia et singula, auctoritate apostolica, hodie confirmavimus, et ab omnibus christifidelibus suscipienda ac servanda esse decrevimus; sicut, harum quoque literarum tenore, ad clariorem omnium notitiam confirmamus, et suscipi observarique decernimus.

Praecipitque praelatis et aliis ut illud observent;

§ 3. Mandantes autem in virtute sanctae obedientiae et sub poenis a sacris canonibus constitutis aliisque gravioribus, etiam privationis, arbitrio nostro infligendis, universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis quibusvis ecclesiarum praelatis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et dignitatis sint, et etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, ut eadem decreta et statuta in ecclesiis suis, civitatibus et dioecesibus, in iudicio et extra iudicium, diligenter observent et a subditis quisque suis, ad quos quomodolibet pertinet, inviolabiliter faciant observari; contradictores quoslibet et contumaces per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, etiam in ipsis decretis contentas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

Hortatur etiam imperatorem, reges et principes ad observationem eiusdem concilii;

§ 4. Ipsum vero charissimum filium nostrum imperatorem electum ceterosque reges, respublicas ac principes christianos monemus, et per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi obtestamur, ut qua pietate concilio per oratores suos affuerunt, eadem pietate ac pari studio divini honoris et populorum suorum salutis causa, pro Sedis quoque Apostolicae et sacrae synodi reverentia, ad eiusdem concilii exequenda et observanda decreta, praelatis, cum opus fuerit, auxilio et favore suo adsint, neque adversantes sanae ac salutari concilii doctrinae opiniones a populis ditionis suae recipi permittant, sed eas penitus interdicant.

Prohibetque edi commentarios vel interpretationes super decretis concilii;

§ 5. Ad vitandum praeterea perversionem et confusionem, quae oriri possent, si unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta concilii commentarios et interpretationes suas edere, apostolica auctoritate inhibemus omnibus, tam ecclesiasticis personis, cuiuscumque sint ordinis, conditionis et gradus, quam laicis, quocumque honore ac potestate praeditis; praelatis quidem sub interdicti ingressus ecclesiae; aliis vero, quicumque fuerint, sub excommunicationis latae sententiae poenis, ne quis, sine auctoritate nostra, audeat ullos commentarios, glossas, adnotationes, scholia, ullumve omnino in-

terpretationis genus super ipsius concilii decretis quocumque modo edere, aut quicquam quocumque nomine, etiam sub praetextu maioris decretorum corroborationis aut executionis, aliove quaesito colore statuere.

Declarationemque concilii sibi reservat 1.

§ 6. Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum et statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apostolicam, omnium fidelium magistram, cuius auctoritatem etiam ipsa sancta synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates et controversias, si quae ex eis decretis ortae fuerint, nobis declarandas et decidendas quemadmodum ipsa quoque sancta synodus decrevit, reservamus; parati, sicut ea de nobis merito confisa est, omnium provinciarum necessitatibus ea ratione, quae commodior nobis visa fuerit, providere.

Decretum irritans.

§ 7. Decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Iussio publicandi hanc bullam.

§ 8. Ut haec autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorationis uti possit, volumus et mandamus ut hae literae per aliquos Curiae nostrae cursores in basilica Vaticana Principis Apostolorum, et in ecclesia Lateranensi, tunc cum in eis populus, ut missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam et clara voce recitentur; et postquam recitatae fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque Cancellariae Apostolicae et in loco solito Campi Florae affigantur, ibique, ut legi et omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, relictis de more ibidem exemplis, in alma Urbe ad impressionem tradantur, quo commodius per christiani nominis provincias et regna divulgari possint.

1 Hoc voluit etiam synodus Tridentinua in sessione XXV.

Transumptorum fides.

§ 9. Transumptis quoque earum, quae manu alicuius publici notarii scripta, subscriptaque et sigillo ac subscriptione alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, fidem, sine ulla dubitatione, haberi mandamus atque decernimus.

Sanctio poen.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto 1, septimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.
† Ego F. cardinalis Pisanus, episcopus Ostiensis, decanus.
† Ego Fed. card. Caesius, episcopus Portuensis.
† Ego Io. cardinalis Moronus, episcopus Tusculanus.
† Ego A. cardinalis Farnesius, vice-canc., episcopus Sabinensis.
† Ego R., cardinalis S. Angeli, maior poenitentiarius.
† Ego Io. Bapt. cardinalis S. Vitalis.
† Ego Io. Mi. cardinalis Saracenus.
† Ego Io. B. Cicada, cardinalis S. Clementis.
† Ego Scipio, cardinalis Pisarum.
† Ego Io., cardinalis Reumanus.
† Ego Fr. M. G., cardinalis Alexandrinus.
† Ego F. Clemens, cardinalis Araecaeli.
† Ego Iac. cardinalis Sabellus.
† Ego B. cardinalis Salviatus.
† Ego Ph. cardinalis Aburd.
† Ego Lud. cardinalis Simoneta.
† Ego F. cardinalis Pacieccus, y de Tol.
† Ego Marcus Antonius cardinalis Amulius.
† Ego Io. F. cardinalis de Gambara.
† Ego Carolus cardinalis Borromaeus.
† Ego M. S., cardinalis Constantiensis.
† Ego Alph. cardinalis Gesualdus.
† Ego Hip., cardinalis Ferrariensis.

1 Nonnulli legunt *anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio* (R. T.).

† Ego Franciscus cardinalis Gonzaga.
† Ego Guid. Asc., cardinalis camerar.
† Ego Vitellotius, cardinalis Vitellius.
Dat. die 26 ianuarii 1563, pontif. anno IV.

LXXXI.

Damnatio et excommunicatio Odetti a Castillione, cardinalis, in haeresim Hugonotorum prolapsi.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Onerosum supremi pastoris officii munus nobis ex alto commissum, mentem nostram continuo premit et urget ut, illud exequi in primis satagentes, gregem dominicum curae nostrae divinitus creditum, omni studio et diligentia, in perfecta ac ea, qua decet, fidei unitate tueri et conservare, ac in agro universalis Ecclesiae zizaniam seminare tentantes, ac Domini nostri Iesu Christi, cuius vice, quamvis indigni, gerimus in terris, tunicam inconsutilem, videlicet eiusdem Ecclesiae unitatem, scindere molientes, eos praesertim, quos omni spe ad verum Dei cultum revertendi novimus esse destitutos, tamquam membra putrida et infructuosos palmites ab eadem Ecclesia succidere ac penitus evellere, et si qua gregis praedicti ovis morbo incurabili correpta reperiatur, illam, ne ceteras contagione inficiat, foras eiicere, ac provide gregem ipsum ab omni labe purgatum servare, ne culpa ac negligentia nostris quandoque oves perditas aut huiusmodi morbo infectas, summus ipsius gregis pastor Dominus, iustus iudex, de eis in districto illius iudicio rationem a nobis exquirat, et quo in maiori dignitate vel honore constituti reperiuntur, qui in eorumdem gregis et Ecclesiae perniciem talia praesumunt, eo severius in eos animadvertere ipsosque spirituali et temporali mucrone ferire studeamus.

Odettus a Castillione, cardinalis, Hugonotorum haeresim secutus est.

§ 1. Sane cum nuper, magno cum animi nostri moerore, plurimorum fide dignorum relatione ac fama publica, non quidem a malevolis et suspectis, sed gravibus et honestis ac veridicis personis exorta, etiam per modum notorii facti permanentis, ad aures nostras pervenit, iniquitatis filium Odettum a Castillione, sanctae Romanae Ecclesiae diaconum cardinalem et ecclesiae Beluacensis perpetuum administratorem in spiritualibus et temporalibus alias per Sedem Apostolicam deputatum, ad quem, velut ipsius universalis et Romanae Ecclesiae cardinalem et honorabile membrum, pertinebat, pro fidei catholicae defensione Apostolicaeque Sedis conservatione, proprium sanguinem, ubi opus fuisset, effundere vitamque exponere, ac haereticos undique et praecipue ab ecclesia Beluacensi prædicta illiusque civitate et dioecesi, quarum curam gerebat, potissimum expellere, illosque totis viribus ac omni conatu persequi, suorum muneris, status, decoris, honoris ac propriae salutis necnon beneficiorum, quibus illum Sedes Apostolica tot tantisque dignitatibus decoraverat, receptorum, et fidelitatis iuramenti eidem Sedi per eum praestiti, nobilitatisque suæ originis prorsus immemorem, Deique timore postposito, contra Sedem eamdem se temere erigentem, adeo in profundum malorum prolapsum fuisse, ut in pessimam illam, quae his calamitosis et deplorandis temporibus, in inclyto regno Franciae, proh dolor! maxime invaluit, Hugonotorum nuncupatam haeresim, ne dum inciderit, sed ipsos Hugonotos haereticos, quos, praesertim in civitate et dioecesi praedictis, corrigere et punire vel saltem ab eis profligare debebat, defendere, fovere, protegere ac tueri curaverit, et quamplures huiusmodi pesti-

ferae sectae viros, pseudotheologos, in rectores et concionatores, quibus alios seducere ac inficere posset, familiariter retinuerit, arma sumpserit, ac alia gravissima haeresim manifestam denotantia, pertinaciter contra fidem catholicam sanctamque Romanam Ecclesiam commiserit vel perpetraverit, in gravem divinae Maiestatis offensam ac omnium christifidelium scandalum.

Cuius adhaesionis verificatio ab isto Pontifice cardinalibus inquisitoribus commissa fuit.

§ 2. Nos igitur, quorum est pro nostro pastoralis officii ministerio praemissis debite providere, non valentes citra immensae illius divinae Maiestatis offensam, necnon christifidelium eorumdem scandalum, modo aliquo praemissa, utpote tam impia et enormia conniventibus oculis pertransire; ut tamen videremus an clamorem, qui ad nos pervenerat, idem Odettus opere complevisset, venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, haereticae pravitatis inquisitoribus generalibus in Romana Curia deputatis, ut de praemissis omnibus et singulis se diligenter informarent veritatemque desuper inquirerent, ac deinde nobis in consistorio nostro secreto referrent, commisimus et mandavimus.

Qua verificatione habita, et huic Pontifici relata, ipse contra Odettum procedi, et ad sententiam citari iussit;

§ 3. Cumque cardinales inquisitores praefati, mandatis nostris huiusmodi parentes, super his diligenter inquisivissent, ac dictum Odettum, nedum superius expressa, sed etiam longe deteriora commisisse et perpetrasse, nempe, inter alia, dixisse et pertinaciter tenuisse, Ecclesiam, usque ad ista tempora haereticorum Hugonotorum, errasse, necnon palam et publice partes dictorum Hugonotorum haereticorum illorumque conventiculas et sectas fuisse secutum ac tutatum fuisse et laudasse, abiectisque cardinalatus habitu et insigniis, quibus se indignum reddiderat, ad Hugonotos haereticos ipsos declinasse, eorumque sectam expresse professum fuisse, seque illorum exercitus ductorem fecisse et adhuc existere, aliaque in sanctam fidem et catholicam religionem commisisse comperiissent et nobis in consistorio praedicto retulissent, illaque adeo notoria essent ut nulla possent tergiversatione celari, eisdem cardinalibus inquisitoribus, etiam vivae vocis oraculo, dedimus in mandatis ut praefatum Odettum, sub excommunicationis latae sententiae aliisque censuris et poenis tunc expressis, ad personaliter comparendum et se a praemissis expurgandum, infra certum tunc expressum, ac alias, sub certis modo et forma, monerent, requirerent et citarent; ac literas monitoriales et citatorias contra eumdem Odettum, per edictum publicum, in dicta ecclesia Beluacensi et illius palatii episcopalis valvis ac in alma Urbe nostra, in locis consuetis, exequendas et publicandas decernerent; ac illis sic, ut praemittitur, exequutis ac coram ipsis inquisitoribus reproductis, terminisque ad docendum se illis paruisse servari solitis servatis, dictoque Odetto prius ad audiendam sententiam per nos ferendam legitime citato, et dilecto filio Petro Belo[1], procuratore fisci eiusdem haereticae pravitatis generalis inquisitionis[2] ad hoc instante, ad huiusmodi causae expeditionem, iustitia mediante, devenire volentes.

Et modo de voto cardinalium illum excommunicatum, omniumque dignitatum et bonorum privatum declarat.

§ 4. Habita desuper cum praedictis et aliis venerabilibus fratribus nostris eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus matura deliberatione, de eorumdem unanimi voto, consilio et assensu, Christi prius Salvatoris nostri nomine invocato, in throno iustitiae pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram sententiam, quam ferimus in his scriptis, pronunciamus, decernimus et declaramus praefatum Odettum in excommunicationis latae sententiae, privationis, confiscationis omnium bonorum suorum, praesentium et futurorum, officiorum et dignitatum, etiam cardinalatus,

1 *Bedo*, Cherub. 2 *Inquisitoris*, Cherub. (R. T.).

iurium, privilegiorum et actionum, ac criminis haeresis pro confesso habiti, poenas in dictis literis monitorialibus et citatoriis contentas, ob ipsius Odetti illis non paritionem, damnabiliter incidisse et incurrisse; et nihilominus, quia tam ex processu contra eum formato et per dictos inquisitores, ut praemittitur, relato, quam notorietate facti, quod nulla prorsus excusatione palliari aut tergiversatione celari potest, et ex quamplurimis aliis, quae nobis innotuerunt, ac de quibus alias multipliciter conscientiam nostram plene informatam habemus, de haeresis et schismatis criminibus huiusmodi, omnibusque superius enarratis, per eum commissis et perpetratis, clare et aperte constitit et constat, ipsum Odettum haereticum, excommunicatum, Hugonotum, schismaticum et blasphemum, a fide catholica et sancta Romana Ecclesia apostatam et transfugam, fidei fractorem et periurum pronunciamus et iudicamus ac declaramus; et propterea eum ab omni cardinalatus commodo et honore ac privilegio, etiam clericali, a die commissorum criminum huiusmodi ipso iure depositum, dictaeque ecclesiæ Beluacensis [1] administratione ac omnibus beneficiis et officiis, honoribus, dignitatibus ac praelaturis privatum et ad illa inhabilem et perpetuo incapacem, ac eius bona, iura et iurisdictiones publicata fuisse et esse, et ab his, ad quos spectant, capi posse, dictamque ecclesiam Beluacensem et cetera beneficia quaecumque et qualiacumque ecclesiastica et officia per eum obtenta vacavisse et vacare similiter declaramus et decernimus; ac eumdem Odettum, quatenus opus sit, deponimus, privamus et inhabilem facimus, eiusque bona omnia, iura et iurisdictiones publicamus, depositumque et privatum ac inhabilem effectum, ac velut talem haereticum, schismaticum et blasphemum et infructuosum palmitem ab Ecclesia praecisum, ulterius legitime puniendum fore decernimus; eiusque personam a christifidelibus capiendam, et detinendam, et ad iustitiae et ministrorum manus, ut poenis debitis affici possit, tradendam, omni meliori modo et forma, quibus possumus et debemus, exponimus.

1 *Belvacensis* perpetuo legit Cherub. (R. T.).

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.* Sanctio poenalis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimotertio, pridie kalendas aprilis [1] pontificatus nostri anno quarto.

✝ Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur Cardinalium subscriptiones et publicatio.

Dat. die 31 martii 1563, pontif. anno IV.

1 *Iunii,* Cherub. (R. T.).

LXXXII.

Facultates cardinalium reipublicae christianae generalium inquisitorum in Urbe procedendi etiam contra praelatos haereticos vel haereticorum fautores.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, Christi vicarius ac beati Petri successor, cui ipse Christus Dominus noster oves suas pascendas enixe ter commendavit, ne oves deperditae de eius manu quandoque requirantur, omni studio et solertia continue invigilare debet, ut a S. R. E., quae ceterarum caput est et magistra, deviantes ac aberrantes, ad gregem dominicum totis viribus reducat, et quas Dei timore proposito et salutaribus monitionibus ad illam allicere nequiverit, temporalium saltem poenarum metu coerceat. Exordium.

Causa constitutionis.

§ 1. Cumque nos propterea, postquam ad summi apostolatus apicem, licet immeriti, divina favente clementia assumpti fuimus, statim mentis nostrae aciem eo direxerimus, ut haereticae pravitatis undique extirpatis erroribus, fides catholica ubique augmentum suscipiat et diffusius protendatur; nihilque, quod huic rei profuturum cognovimus, praetermiserimus: et nihilominus, sicut nuper, non sine gravi cordis dolore et animi amaritudine accepimus, nonnulli praelati et in dignitate ecclesiastica, ac episcopali ordine constituti, ad quos, veluti in partem sollicitudinis nostrae vocatos, magis spectaret ceteros, praesertim eorum curae creditos, ab erroribus revocare et in eisdem erroribus pertinaciter persistentes insequi, nedum in similes errores haereticos graviter prolapsi fuere, sed etiam ceterorum haereticorum fautores, receptatores et auxiliatores existunt, et eandem fidem catholicam, cuius defensores esse deberent, in dies oppugnare non verentur.

Iurisdictio cardinalium generalium inquisitorum proced. contra quoscumque, quacumque dignitate ecclesiastica praeditos, haereticos, et c.

§ 2. Volentes igitur huic tam pernicioso morbo, prout nostro incumbit officio, occurrere, ac ne ulterius progrediatur, quantum in nobis est, providere, motu proprio, per apostolica scripta venerabilibus fratribus nostris et dilectis filiis nostris inquisitoribus contra haereticam pravitatem generalibus in alma Urbe nostra pro tempore residentibus, quibus ut contra quoscumque, etiam episcopali ac quacumque alia, etiam cardinalatus, praeditos dignitate, procedere possint, per alias nostras indulsimus, tenore praesentium, committimus et mandamus ut omnes et singulos haereticos et haereticorum fautores, receptatores et auxiliatores praedictos, de huiusmodi criminibus diffamatos, in provinciis et locis, in quibus Lutherana secta invaluit, commorantes, ad quos, ob ipsorum haereticorum frequentiam, notorium est tutum seu saltem liberum non patere accessum, etiamsi episcopali, archiepiscopali, patriarchali et alia quacumque, etiam cardinalatus, dignitate praefulgeant, nullis aliis desuper habitis super non tuto vel non libero accessu huiusmodi informationibus (receptis tamen summarie et extraiudicialiter, quantum ipsis inquisitoribus sufficere videbitur, prius indiciis), etiam per edictum in valvis palatii officii sanctae Inquisitionis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac in Cancellaria nostra Apostolica et acie Campi Florae tantum per unum ex nostris cursoribus, vel etiam in locis finitimis terrarum in Italia consistentium, nobis et eidem sanctae Romanae Ecclesiae immediate subiectis, prout ipsis inquisitoribus visum fuerit, affigendum et publicandum, citent, moneant et requirant, ut infra certum et competentem terminum, eis ipsorum inquisitorum arbitrio praefigendum, sub excommunicationis latae sententiae, suspensionis a divinis et privationis etiam a cathedralibus ecclesiis et quibuscumque dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis, ac officiis et ordinibus quae obtinent et in quibus constituti existunt, et inhabilitatis ad illa et alia quaecumque in posterum obtinenda, necnon confessionis criminum haeresis eis obiectorum, aliisque tam ecclesiasticis quam temporalibus, etiam pecuniariis, et bonorum confiscationis, ac corporalibus et etiam relapsus et aliis per ipsos inquisitores imponendis poenis, coram ipsis personaliter et non per procuratorem, defensorem vel excusatorem aliquem comparent, et se a criminibus praedictis expurgent; et si in termino praedicto non comparuerint et se a dictis criminibus legitime non expurgaverint, ad observationem terminorum ad docendum se dictis literis citatoriis et monitorialibus paruisse pro sententia declaratoria, incursu censurarum et poenarum in eisdem li-

teris contentarum, ferenda, servari solitorum, ac etiam in causa ipsa criminis haeresis inquirendo, ad receptionem probationum pro definitiva super crimine, etiam contra absentes, sic ut praefertur monitos, ferenda sententia, usque ad ipsius sententiae ferendae calculum procedant; ac demum processum omnem nobis, ut ad sententiae, quae iusta visa fuerit, prolationem devenire possimus, in consistorio nostro secreto referant. Nos enim citationem et monitionem per publicum edictum, ut praefertur, decernendas et exequendas praedictas, dictos sic citatos et monitos perinde arctare, ac si personaliter citati forent, illasque ac processus desuper habendos sententiasque inde ferendas validos et validas fore.

Decretum irritans.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores in quavis instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter interpretandi et definiendi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac Palatii nostri stylo, etiam certam aliam formam, quoad citationes per edictum decernendas et exequendas, inducentibus, quibus, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poen.

Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIII, septimo idus aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 7 aprilis 1563, pont. an. IV.

LXXXIII.

Praefinitio emolumentorum magistris caeremoniarum a singulis S. R. E. cardinalibus tam in eorum promotione, quam in obitu persolvendorum 1.

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Nonnulli cardinales, eorumque agentes emolumenta magistris caeremoniarum debita non persolvebant.

§ 1. Licet, sicut nobis constat et, dum in minoribus essemus, saepe vidimus et ipsimet experti sumus, dilecti filii magistri nostri caeremoniarum a singulis S. R. E. cardinalibus, in promotionibus eorum ad cardinalatus honorem, centum; et in obitu seu post obitum ipsorum cardinalium, ab haeredibus eorum, quinquaginta ducatos auri de Camera habere et consequi consueverint; dictique centum in promotione et quinquaginta ducati in obitu huiusmodi praefatis magistris solvi debeant; nihilominus nonnulli ex dictis cardinalibus seu eorum agentes et successores, nescitur quo praetextu, dictam summam per eos, ut praefertur, debitam, eisdem magistris solvere recusant in eorum grave praeiudicium.

Ea solvenda decernit Pius;

§ 2. Nos igitur, attendentes praefatos cardinales officio dictorum magistrorum egere et uti, dictamque summam a Romanis Pontificibus, tamquam mercedem, seu pro mercede eorumdem magistrorum ab immemorabili tempore citra constitutam fuisse et esse, propterea indemnitatibus eorum opportune consulere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, centum in promotione ad cardinalatus honorem, et quinquaginta ducatos auri de Camera praedictos in obitu seu post obitum singulorum cardinalium huiusmodi, sive in Romana Curia sive extra eam et ubicumque decesserint vel decedere contigerit, praefatis magistris deberi, ac sibi per modernos, qui illos solvere recusant et pro tempore existentes S. R. E. cardinales seu eorum agentes et hae-

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

redes respective solvi et eis consignari debere, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo statuimus, volumus et ordinamus.

Camerarium sacri collegii huiusce decreti exequut. facit;

§ 3. Mandamus propterea dilectis filiis Guidoni Ascanio, Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali de Sancta Flora nuncupato, nostro et eiusdem Romanae Ecclesiae collegii dictorum cardinalium moderno et pro tempore existentibus camerariis, quatenus eisdem magistris caeremoniarum de dictis ducatis sic debitis et solvi recusatis per cardinales seu eorum agentes et haeredes praefatos respective plenarie et integre responderi faciant. Et nihilominus de cetero, pro potiori cautela, infra mensem a die promotionis eorumdem cardinalium computandum, per dicti collegii depositarium vel alias, prout melius expedire videbitur, centum; quinquaginta vero ducatus huiusmodi in obitu seu post obitum praefatorum cardinalium, sive in dicta Curia sive extra eam et ubicumque decesserint vel decedere contigerit, ut praefertur, ab haeredibus eorumdem cardinalium, quibusvis appellationibus, subterfugiis et cavillationibus remotis, ipsis magistris caeremoniarum persolvi curent et etiam cum effectu faciant, et ad id illos omnibus remediis opportunis sibi benevisis, etiam cum invocatione auxilii brachii saecularis, cogant et compellant.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis praefatis cardinalibus et quibusvis aliis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa mentio habenda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima maii, millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 10 maii 1563, pontif. anno IV.

LXXXIV.

Erectio ecclesiae Urbinatensis in metropolitanam [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Super universas orbis ecclesias, Eo disponente, qui cunctis imperat et cui omnia obediunt, meritis licet insufficientibus, a Domino constituti, levamus in circuitu agri dominici oculos nostrae mentis, more pervigilis pastoris inspecturi quid ecclesiarum ipsarum, praesertim cathedralium insignium, statui et decori congruat. Quid vero operis circa illas earumque statum prosperum et felicem impendi debeat et, divino fulti praesidio, quo cuncta ex benignitate pro populorum suorum fidelium salute dignoscuntur, ad ea, quae statui ecclesiarum huiusmodi congruunt, nostri officii partes salubriter et utiliter impendere curamus, prout etiam fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium exposcit devotio, nosque in Domino conspicimus expedire.

Causa huiusce faciendae erectionis.

§ 1. Sane considerantes ecclesiam Urbinatensem Sedi Apostolicae immediate subiectam, cui venerabilis frater Felix, episcopus Urbinatensis, praesse dignoscitur,

1 Ex Ughellio, Italia Sac., ubi de ecclesia Urbinatensi.

et ad quam alias regressus seu accessus et ingressus, per cessum vel decessum dicti Felicis episcopi, ac forsan in certos alios tunc expressos eventus, dilecto filio nostro Iulio S. Petri ad Vincula, diacono cardinali de Urbino nuncupato, apostolica auctoritate concessus extitit, inter alias illarum partium cathedrales ecclesias insignem ac nobilem, necnon civitatem ducatus titulo egregiarumque personarum multitudine celebri, ac cleri et populi numerositate decoratam, ac metropolitica praelatione merito dignam existere. Quodque si ecclesia ipsa Urbinatensis in metropolitanam et in ea una archipresbyteratus, et alia diaconatus t nuncupandae dignitates eligerentur; necnon Calliensis, Senogalliensis, Pisaurensis, Forosemproniensis, Feretranensis et Eugubinensis ecclesiarum praefatarum, ac illi pro tempore praesidentium praelatorum necnon dilectorum filiorum cleri et populi civitatum et dioecesum earumdem commoditatibus et utilitatibus plurimum consulerctur, ex his et nonnullis rationabilibus causis, praefato Iulio cardinali, qui mensae episcopali dictae ecclesiae Urbinatensis, ultra illius fructus annuos, quingenta 2, et archipresbyteratui centum, et decanatui praefatis alia centum scuta, ex bonis suis patrimonialibus, pro illarum dote, annuatim donavit et assignavit, hoc summopere desiderante, ac nobis desuper supplicante.

Erectio Urbinaten. ecclesiæ in metropolit.

§ 2. Habita super his cum venerabilibus fratribus nostris deliberatione matura, ad omnipotentis Dei laudem et honorem, necnon totius militantis Ecclesiae gloriam, praefatam ecclesiam Urbinatensem in metropolitanam cum archiepiscopali dignitate ac omnimoda iurisdictione et superioritate, necnon pallii et crucis delatione, ac aliis metropoliticis insigniis, necnon in ea unum archipresbyteratum pro uno archipresbytero, ac unum decanatum, quae inferiores inibi dignitates existant, pro uno decano, qui post præpositum et subdiaconum, ac ante omnes canonicos eiusdem ecclesiæ Urbinatensis stallum in choro, locumque ac vocem in capitulo ipsius ecclesiæ habeant, de ipsorum fratrum consilio et auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Ecclesiae suffraganeæ ei assignatae.

§ 3. Ac eidem ecclesiae Urbinatensi Calliensem, Senogalliens., Pisaurens., Forosemproniens., Feretranens., Eugubinens. civitates et dioeceses, cum illarum districtu et territorio, pro eius provincia; ac praesules pro tempore existentes, pro suis suffraganeis episcopis; necnon dilectos filios capitula ipsarum Calliensis, Senogalliensis, Pisaurensis, Forosemproniensis, Feretranensis, Eugubinensis ecclesiarum, ac clerum et populum Calliensis, Senogalliensis, Pisaurensis, Forosemproniensis, Eugubinensis, Feretranensis civitatum et dioecesum pro suis provincialibus: Calliensem videlicet, Senogallien., Pisauren., Forosempronien. et Feretranen., ex nunc venerabilium fratrum nostrorum Calliensis, Senogalliensis, Pisaurensis, Forosemproniensis et Feretranensis episcoporum ad hoc expresso accedente consensu; Eugubinensem vero ecclesias praefatas, ex nunc prout ex tunc et e contra, cum venerabilis fratris nostri Mariani episcopi Eugubini et (cui alias regressus, accessus et ingressus ad ipsam ecclesiam Eugubinensem, in certos tunc expressos eventus dicta auctoritate concessus fuit) dilecti filii nostri Iacobi S. Mariae in Cosmedin presbyteri cardinalis de Sabellis nuncupati accesserit assensus, alias ipsius ecclesiae Eugubinensis vacatione pro tempore occurrente, perpetuo concedimus et assignamus.

Dos ecclesiae et capituli.

§ 4. Necnon mensae episcopali ecclesiae Urbinatensis huiusmodi quingenta, et archipresbyteratui centum, et decanatui praefatis alia centum scuta per dictum Iulium cardinalem, ut praefertur, donata

1 *Decanatus*, Ughellius. 2 *Quinquaginta*, Ughellius (R. T.).

et assignata etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Obedientia archiepisc. praestanda.

§ 5. Necnon eosdem praesules, clerum et populum, quoad omnia metropolitanam archiepiscopalem superioritatem, iurisdictionem ac iura, pro tempore existenti archiepiscopo Urbinatensi subiectos esse, et tamquam membra capiti obsequentes, ac de archiepiscopalibus iuribus responderi debere volumus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, pridie nonas iunii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 4 iunii 1563, pontif. anno IV.

LXXXV.

Studii generalis Bononiensis, eiusque rectoris atque scholarium indulta [1].

Pius Papa IV ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacri Apostolatus ministerio, meritis licet imparibus, superna dispositione praesidentes, ad ea libenter intendimus, per quae literarum studia ubique nostrae provisionis ope continua suscipiant incrementa et iis quae propterea ac pro personarum quarumlibet, praesertim literarum scientia praeditarum, commodo provide facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, nostrae approbationis robur libenter adiicimus, ac alias desuper providemus, prout, locorum et personarum qualitatibus debite pensatis, in Domino conspicimus expedire.

Studii Bononiensis commendatio.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in civitate nostra Bononiensi Studium Generale iuris civilis et pontificii semper adeo floruerit et floreat, ut ad eamdem, veluti ad Studiorum matrem, undique confluant variae et diversae personae, et ex qua quamplures famosissimi viri prodiisse et in dies prodire dignoscantur, quorum scientia, nedum ipsa civitas, sed etiam totus illustratur orbis; et cum nuperrime pro commodiori utilitate scholarium in eadem civitate et Universitate studentium ac etiam ibidem legentium, per dilectum filium nostrum Carolum, tituli S. Martini in Montibus presbyterum cardinalem Boromæum nuncupatum, nostrum et Sedis Apostolicae in civitate legatum, dicta Universitas seu Sapientia, in qua doctores legunt, in melius reformata et seu de novo constructa fuerit. Nos, Universitatem ipsam ac dilectum filium Antonium de Ripa, utriusque iuris doctorem, nuperrime eiusdem Universitatis rectorem et ab ea ad id ad nos deputatum et scholares ad eam accedentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et ut facilius ad eam accedendum et studia prosequendum invitentur ac excitentur, statutorum, ordinationum, privilegiorum et capitulorum dictae Universitatis tenores, ac si de verbo ad verbum inscererentur, praesentibus pro expressis habentes, ipsosque Antonium et scholares a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat con-

1 Hoc Studium antiquissimum est, et de eo habetur in const. X, *Quasi*, Innoc. VI, tom. IV, pag. 517. Et in hac civitate Bononiae Rot. instituit Paulus III, ut in eius constit. V, *Ex iniuncto*, tom. VI, pag. 189. Ad materiam Studiorum generalium, vide cap. fin., *De Magistr.*, et cap. II, *De Privileg.* in VI; et etiam Conc. Trid. sess. V, cap. 1.

sequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes.

Rectoris Studii iurisdictio.

§ 2. Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, pro tempore existenti rectori eiusdem Universitatis liberam et absolutam facultatem eamdem Universitatem regendi et gubernandi; ac, ultra alias facultates, honores, privilegia et emolumenta quaecumque sibi attributa ac concessa, omnes et quascumque causas civiles tantum inter ipsos scholares eiusdem Universitatis et alios quoscumque in futurum movendas videndi, audiendi [1], decidendi ac fine debito terminandi, ita ut omnimoda et libera iurisdictio respective dictarum causarum civilium ad eumdem rectorem libere et pleno iure spectet et pertineat, etiam privatione ad vicelegatum eiusdem civitatis, ac omnes alios et quoscumque iudices, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus.

Recteris privilegium.

§ 3. Ac ut eadem Universitas sine rectore non remaneat, quinimmo ut scholares ad officium rectoratus eiusdem Universitatis acceptandum invitentur, auctoritate et tenore praedictis, volumus et mandamus quod de cetero rectoribus ipsis, finito dicto eorum officio et postquam in dicta Universitate Bononiensi publice doctorati fuerint, de aliquo gubernio seu praetoria aut alio officio, iuxta qualitatem et merita personae, in provinciis Marchiae vel Romandiolae per legatos seu gubernatores earumdem pro tempore, sub indignationis nostrae et mille ducatorum poenis Camerae Apostolicae applicandorum, provideri debeat; ipsisque gubernio aut alii ex praedictis officiis in aliquibus civitatibus ex dictis provinciis praefici ac ad gubernium seu praetoriam aut officium huiusmodi admittendos fore et esse. Mandantes pro tempore existentibus legatis seu prolegatis, vicelegatis vel gubernatoribus ut eosdem ad gubernium seu praetoriam huiusmodi, ut supra, admittant, ac de illis eisdem, ut praefertur, provideant seu admittant et provideri faciant, iuxta tamen qualitatem et merita personae ipsius rectoris.

Privilegiorum et ordinationum eiusdem Studii confirmatio.

§ 4. Et insuper omnia et singula dictae Universitatis et gymnasii praefati statuta, ordinationes, privilegia et capitula quaecumque, ac desuper forsan confecta instrumenta et documenta, sive alias scripturas, publicas et privatas, ac in eis contenta, ac inde sequuta quaecumque, dummodo licita et honesta sint, et contra canonicas sanctiones et libertatem ecclesiasticam non tendant, eisdem auctoritate et tenore perpetuo approbamus et confirmamus, eisque perpetuae firmitatis robur adiicimus; illaque omnia, valida et efficacia existere, ac suos plenarios et integros, etiam executivos, effectus sortiri, ac perpetuis futuris temporibus ab omnibus cuiuscumque gradus personis, vicelegatis ac iudicibus et officialibus dictae civitatis, tam ordinariis quam extraordinariis ac delegatis et subdelegandis, necnon collegiis et congregationibus ac auditoribus et magistratibus, aliisve quibuscumque etiam in foris eorum propriis inviolabiliter et inconcusse observari, ac iuxta eorum dispositionem debite exequi, nec per quempiam illis contrariari, aut ea etiam in aliquo alterari posse, nec debere decernimus, supplentes omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus, potiori pro cautela, praemissa omnia, modo et forma praemissis ac in dictis documentis et scripturis contentis, auctoritate et tenore praefatis, perpetuo statuimus, concedimus et ordinamus.

[1] *Cognoscendi* addit Cherub. (R. T.).

Clausulae praeservativae.

§ 5. Quodque illis ac praesentibus literis, etiam per quascumque literas apostolicas, quasvis, etiam derogatoriarum derogatorias et efficaciores ac insolitas, clausulas, necnon irritantia et alia decreta insolita continentes, minime derogari nec derogatum esse censeri possit; et si illis derogari contingat, derogatio huiusmodi nemini suffragetur. Sicque in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in qualibet causa et instantia iudicari et interpretari debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Executorum deputatio et facultates.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus episcopo Bononiensi sive eius vicario in spiritualibus generali ac vicelegato civitatis nostrae Bononiensis ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicæ generali auditori per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte rectoris et scholarium praedictorum vel alicuius eorum seu aliorum, quorum intererit, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, easdem praesentes literas plenum effectum sortiri ac, iuxta illarum tenorem, firmiter observari; necnon singulos, quos literae ipsae concernunt, præmissis omnibus et singulis, pacifice frui et gaudere, non permittentes illos vel eorum aliquem per quoscumque desuper, contra earumdem literarum tenorem, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, per sententias et censuras ecclesiasticas ac poenas pecuniarias, eorum arbitrio moderandas et applicandas, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando. Super quibus, necnon contradictores et rebelles praedictos ac quoscumque molestatores et alios praemissorum occasione citandos, constito eis summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, etiam per edicta publica locis publicis ac ipsis citandis circumvicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad eorumdem citandorum notitiam pervenire valeant, affigenda, quae perinde illos arctent, ac si eis personaliter intimata fuissent, citandi; eisque ac quibusvis iudicibus et aliis personis, quibus dicta occasione inhibendum fuerit, etiam sub sententiis, censuris et poenis praedictis, ac per similia edicta inhibendi, eisdem auctoritate et tenore, eis facultatem concedimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac dictae civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ac reformationibus et decretis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis concessis et approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita

forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in eis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimaquinta septembris, millesimo quingentesimo sexagesimotertio, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 25 septembris 1563, pontif. an. IV.

LXXXVI.

Iurisdictio cardinalis protectoris et iudicis causarum hospitalis et Societatis S. Hieronymi Illyricorum de Urbe.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causa constitutionis.

Cum, sicut accepimus, hospitale Illyricorum S. Hieronymi prope Ripettam de Urbe, ob lites et quaestiones, quibus ad diversa Urbis tribunalia, occasione locationum, censuum, donationum, haereditatum et legatorum et diversarum aliarum rerum eiusdem, tam agendo quam defendendo, iugiter implicitum existit, quamplurima damna et incommoda patiatur, ac impensae litis, valorem rei, de qua ex tempore agitur, saepenumero exuperet.

Iurisdictio (*de qua in rubrica*).

§ 1. Nos, hospitale ipsum, in quo piissima charitatis et misericordiae opera pauperibus Christi continuo impendi spectantur, ab huiusmodi dispendiis, quantum possumus, sublevare volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas causas, inter dictum hospitale sive dilectos filios custodes et officiales, ac ministros societatis eiusdem hospitalis et quascumque alias, etiam saeculares, personas, universitates ac loca, coram Sanctae Romanae Ecclesiae camerario, regente, praesidente ac clericis Camerae Apostolicae, necnon vicario, gubernatore et senatore Urbis, illiusque primo et secundo collateralibus, ac appellationum causarum Curiae Capitolii eiusdem Urbis capitaneo, necnon magistro stratarum, aliisque quibuscumque iudicibus ordinariis et delegatis, etiam causarum Palatii Apostolici auditoribus et eiusdem Romanae Ecclesiae cardinalibus, nunc et pro tempore pendentes, super quibuscumque locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommissis, testamentis, executionibus, revocationibus, bonis, rebus, iuribus et actionibus, hospitale et societatem, officiales, litis consortes et alios praefatos, tam coniunctim quam divisim, ac tam active quam passive concernentibus, ac ad hospitale et societatem huiusmodi quomodolibet spectantibus, in quacumque instantia, inter illos necnon alia aeque vel magis pia loca, universitates et collegia quomodolibet privilegiata, ac viduas, pupillos et alias personas, etiam exemptas, pendentibus, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis et naturae existant, etiam praemissis expressis maiores, quorum omnium statum et merita, ac iudicum et collitigantium nomina et cognomina et qualitates ceteraque, etiam de necessitate exprimenda, praesentibus haberi volumus pro expressis, in statu et terminis, in quibus reperiuntur, dummodo instructae non sint, harum serie ad nos avocantes, dilectum filium nostrum Rodulphum Pium, episcopum Ostiensem, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium

decanum, cardinalem de Carpo nuncupatum, modernum et pro tempore existentem protectorem eiusdem hospitalis, iudicem ordinarium et perpetuum, ad praefatas necnon quascumque alias similes vel dissimiles, causam et causas, civiles et criminales ac mixtas, ad hospitale et societatem huiusmodi pertinentes, tam per eos quam contra eos et inter eos, ac personas, universitates, collegia seu loca, etiam privilegiata et exempta, tam active quam passive, pro tempore movendas, iuxta ordinariam iurisdictionem seu facultatem, tam gubernatori sive regenti vel auditori Camerae Apostolicae, quam vicario praefatis et eorum cuilibet attributas, ac, prout rerum qualitas exegerit seu postulaverit, cum omnibus et singulis eorum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, summarie, simpliciter et de plano, ac sola facti veritate inspecta et absque terminorum aliquorum substantialium observatione, aut alicuius registri confectione, per se vel alium seu alios audiendas, et fine debito terminandas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo constituimus et deputamus, etiam ad hunc effectum illi, etiam per alium seu alios quoscumque, tam in Romana Curia quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi prius, etiam summarie, de non tuto accessu ad illos, citandi et monendi, eisdemque et praefatis, ac quibuscumque aliis eiusdem Urbis curiarum iudicibus et personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quibus et quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis, quibus sibi sive ab eo deputando auditori videbitur, inhibendi; et in eventum non paritionis, contra inobedientes et rebelles, ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi, illarumque aggravationes, et alias iuxta stylum et morem dictarum curiarum in similibus servari solitum, ac alias, prout sibi videbitur, procedendi; sententiamque sive sententias debitae executioni demandandi, sive demandari faciendi. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias, aliaque iuris et facti opportuna remedia, appellatione postposita, compescendi, auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi; omniaque et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exequendi, plenam et liberam licentiam seu facultatem concedimus. Decernentes hospitale, societatem et eius officiales et personas huiusmodi ex nunc deinceps, occasione praemissorum, alibi quam coram Rodulpho Pio, cardinali et pro tempore protectore praefato, conveniri, aut ad alios conveniendum constringi non posse; ac sententias, processus per alium seu alios iudices, tam ordinarios quam delegatos, in causis praefatis pro tempore formatas, datas, latas et factas, cum inde secutis quibuscumque, nulla, irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti fore.

Clausulae praeservativae huius concessionis.

§ 2. Praesentes quoque literas sub quibusvis revocationibus, suspensionibus et exemptionibus similium vel dissimilium gratiarum, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices et Sedem praefatam vel eius legatos, etiam per regulas Cancellariae Apostolicae pro tempore factas, etiam in favorem fabricae Principis Apostolorum de Urbe, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis penitus et omnino exceptas esse et censeri; nec eisdem praesentibus per quascumque literas et quasvis alias clausulas generales et speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione in se continentes derogari posse et si illis ullo umquam tempore, ex ali-

qua, etiam quantumvis necessaria et urgenti, causa derogari contingat, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil omisso, insertus, et huiusmodi derogatio consistorialiter facta, ac per trinas et distinctas eundem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, administratoribus sive custodibus, gubernatoribus, rectoribus et oeconomis hospitalis et societatis huiusmodi legitime intimata et insinuata fuerit, eorumque expressus ad id accedat assensus, derogationem huiusmodi nemini suffragari. Sicque per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, et praefatae etiam Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari.

Clausulae derogatoriae contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis et felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon fabricae praefatae ac hospitalium, ecclesiarum, monasteriorum et aliorum quorumcumque locorum et Ordinum, etiam exemptorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, conservatoriis, exemptionibus et literis apostolicis, eisdem et dilectis filiis populo Romano, necnon iudicibus, curiis et tribunalibus, eorumque personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, etiam motu et scientia et potestatis plenitudine similibus ac alias, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; necnon reformationibus, etiam noviter factis, ac paribus motu et scientia approbatis, etiam disponentibus quod causae huiusmodi ad forum seu Curiam Capitolii reassumi debeant. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, aliter de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse, ac eisdem motu et scientia ac potestatis plenitudine derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Fiat, motu proprio. I.

Repetitio clausularum.

§ 4. Et cum absolutione a censuris ad effectum praesentium, et de auctoritate, constitutione, deputatione, licentia, facultate, concessione, decreto et derogatione et aliis praemissis, quae hic pro sigillatim repetitis ad partem habeantur, latissime extendendis; et quod praemissorum omnium et singulorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in literis per breve nostrum ad perpetuam rei memoriam, si videbitur, latissime expedienda. Quodque earumdem literarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo protectoris vel societatis huiusmodi seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae, vel curiae, etiam saecularis, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem literis ori-

ginalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Et quod ad causas in futurum movendas tantum.

Datum Romae apud S. Marcum, pridie nonas septembris, anno IV.

Dat. die 4 septembris 1563, pont. an. IV.

LXXXVII.

Renovatio antiquarum ordinationum, gratiarum et privilegiorum Ordinis Cisterciensis monachorum Sancti Benedicti, iurisdictionisque et auctoritatis abbatis et aliorum praelatorum dicti Ordinis.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In eminenti dignitatis apostolicae specula, meritis licet imparibus, divina dispositione vocati, ad ea libenter intendimus per quae singuli Religionum Ordines, abusibus et incommodis, quae in eos tractu temporis diversimode irrepserunt, eliminatis, non solum antiquis suis praerogativis et dignitati restituantur, sed etiam regularia eorum instituta, ad divinae Maiestatis laudem et gloriam, in posterum stabiliantur. Et, ut id votive succedat, his, quae per Romanos Pontifices, praedecessores nostros, prudenter concessa ordinataque fuerunt, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici roboris firmitatem adiicimus, illaque nonnumquam innovamus et ampliamus, ac alias super his disponimus, prout, personarum temporumque conditione pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ordo monachorum Cisterciensium iamdiu in summa puritate vitaeque sanctitate floruit, s dp ulati n in desolationem prolapsus est.

§ 1. Sane, exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Ludovici, abbatis monasterii Cistercii, Cabilonensis dioecesis, petitio continebat quod licet Ordo Cisterciensis in summa puritatis et devotionis perfectione, per multa retroactorum annorum saecula ac tamdiu exemplari religiosorum suorum vita atque sanctimonia, non solum in regno Franciae, ubi supremum eius caput, videlicet Cistercii praedictum, cum aliis quatuor illius praecipuis, nempe Firmitatis, Pontiniaci, Clarevallis et Morimundi, Cabilonensis praedictae ac Antisiodorensis et Lingonensis dioecesis respective monasteriis, quae filiae Cistercii nuncupantur, sed etiam per alia fere universa christiani orbis climata, cum bonae famae et virtutum odore, eximioque religionis decore, ad aedificationem militantis Ecclesiae, quamdiu, iuxta sanctorum Patrum institutiones et regularia illius instituta, praefatis aliisque monasteriis, de monacorum dicti Ordinis personis provisum, eiusque laudabilia instituta, ritus, consuetudines et privilegia firmiter observata fuerunt, Domino cooperante, floruerit; nihilominus a pluribus annis citra, praesertim postquam pleraque monasteriorum et prioratuum suorum aliis quam dicti Ordinis personis commendari, a superioris obedientia, per exemptionum, unionum aliasque diversas vias, tamquam membra a suo corpore, divelli, abstrahi et dismembrari coeperunt, specioso illo regularis disciplinae candore paulatim offuscato, universus Ordinis status in miserabilem dispersionem et desolationem prolapsus est.

Cuius reformatio et restitutio tunc fieri posse praeponitur, si eius institutum et ritus renoventur, et exemptiones in contrarium concessæ amoveantur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tantis huius olim Deo mortalibusque gratae Religionis incommodis, aliter quam per antiquorum statutorum, consuetudinum, rituum et privilegiorum praedictorum undique convulsorum et diversimode oppressorum restitutionem mederi non posse videatur, pro parte eiusdem Ludovici abbatis, asserentis se Romam his periculosis temporibus, opis super hoc a nobis implorandae gratia, personaliter accessisse, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus, afflictis eius-

dem Ordinis rebus succurrentes, exemptiones ab ipsius Ordinis superioribus, per eius personas, aliaque privilegia contra illum per quosvis ab Apostolica Sede obtenta, moderari, ac praefatis statutis, consuetudinibus, ritibus et privilegiis, pro illorum firmiori subsistentia, robur apostolicae confirmationis adiicere, illaque innovare ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontifex exemptiones omnes ab abbate, capitulo et aliis concessas adversus Ordinis statuta revocat;

§ 3. Nos igitur, qui Ordinis praedicti, nobis et dictae Sedi in primis devoti, decus et integritatem suique pristini candoris restitutionem sincero desideramus affectu, ipsum Ludovicum abbatem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; necnon omnium et singulorum infrascriptorum immunitatum, libertatum, exemptionum, indulgentiarum, etiam plenariarum, conservatoriarum, facultatum, ordinationum, statutorum, privilegiorum, indultorum et aliarum gratiarum ac literarum desuper expeditarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas ab abbate monasterii Cistercii aliisque superioribus et capitulo generali Ordinis huiusmodi eiusque deputatis immunitates, libertates et exemptiones, quibusvis, tam virorum quam Sanctae Catharinae Caietanensis et Sanctae Mariae de Coelestia nuncupatae Venetiarum, aliisque monialium monasteriis ac prioratibus et aliis regularibus locis dicti Ordinis, ac dilectis filiis abbatibus et prioribus, dilectisque in Christo filiabus abbatissis et priorissis, necnon conventibus, capitulis et personis eorumdem, tam in Gallia, Italia, Hispania, Portugallia, Germania, Anglia et Scotia quam alibi ubilibet consistentibus.

Abbatemque et alios superiores omnia loca et personas visitare et corrigere posse iubet;

§ 4. Ita quod immunitatibus, libertatibus et exemptionibus huiusmodi non obstantibus, pro tempore existentes abbas generalis nuncupatus et alii superiores dicti Ordinis eorumque vicarii, iuxta ipsius Ordinis instituta, monasteria, prioratus et loca praedicta ac illorum personas, tam in capitibus quam in membris, visitare libere et licite valeant.

Indulta episcopis et aliis concessa visitandi loca et personas annullat, quatenus impediant abbatem et superiores Ordinis in visitando.

§ 5. Ac quaecumque privilegia et indulta apostolica visitandi monasteria, tam virorum quam mulierum Ordinis huiusmodi, quibusvis venerabilibus fratribus nostris, patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis aliis locorum ordinariis, abbatibus et aliis quam generali Cisterciensi praedicto, ac aliis quatuor primis nuncupatis, quatuor monasteriorum filiarum Cistercii nuncupatorum praedictorum abbatibus, ceterisque superioribus eiusdem Ordinis ad id ab ipso generali capitulo deputatis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et praeeminentiae existentibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam ad quorumvis, etiam imperatorum, regum, reginarum, ducum et aliorum principum, instantiam, vel etiam motu proprio et ex certa scientia, etiam consistorialiter et cum causae cognitione, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis, irritantibus ac aliis decretis hactenus quomodolibet concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, et apostolicas ac alias literas desuper confectas et inde secuta quaecumque, ad hoc dumtaxat ut abbati generali et aliis superioribus Ordinis, eorumque vicariis, monasteria huiusmodi, ut supra dictum est, visitare liceat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, moderamur et limitamus.

Inhibitio contra episcopos et alios impedientes eos in visitationibus.

§ 6. Inhibentes patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis superioribus, praelatis videlicet sub interdicti ingressus ecclesiae ac suspensionis a divinis; abbatibus vero et aliis inferioribus praefatis, ceterisque quibuscumque personis, sub excommunicationis latae sententiae poenis, ne abbatem generalem et alios superiores Ordinis eorumque vicarios praefatos, quo minus visitationes, iuxta regularia Ordinis instituta huiusmodi, libere facere possint, per se vel interpositas personas, directe vel indirecte aut alias quoquomodo impedire audeant vel praesumant.

Monast. recipiant eosdem visitatores

§ 7. Ipsis autem monasteriorum et aliorum locorum praedictorum abbatibus, abbatissis, prioribus, conventibus, monacis, monialibus et personis, ut generalem, aliosque abbates, superiores et vicarios praefatos, ut praefertur, visitare volentes, benigne recipiant, eisque et eorum mandatis, in concernentibus eorum visitandi officium huiusmodi, pareant et humiliter obediant, in virtute sanctae obedientiae et sub similis excommunicationis poena, districte praecipiendo mandamus.

Confirmatio omnium gratiarum et indultorum Ordinis Cisterciensis.

§ 8. Et insuper, universa et singula privilegia, praerogativas, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, etiam quatenus sint in usu, plenarias, conservatorias, facultates et indulta et alias gratias Cistercii et quatuor filiabus nuncupatis monasteriis et Ordini, eiusque capitulo generali, definitoribus et aliis superioribus praefatis, per piae memoriae Pascalem II, Callistum etiam II, Eugenium III, Alexandrum etiam III, Lucium similiter III, Honorium etiam III, Gregorium IX, Innocentium IV, Sixtum pariter IV, praesertim commendas et commendatarios monasteriorum et aliorum locorum Ordinis huiusmodi concernentia; et quod commendatarii pro tempore existentes nullam in monasteria dicti Ordinis sibi commendata et eorum monacos iurisdictionem exerceant; ac etiam super privilegiorum, aliarumque gratiarum ipsi Ordini concessarum confirmatione, sub quarto et sexto idus martii, quinto nonas et quarto idus martii, quinto et sexto idus martii, sexto annis pontificatus sui data respective, et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam hactenus quomodolibet concessa.

Confirmatio statutorum eiusdem Ordinis.

§ 9. Necnon ordinationes et statuta ab exordio fundationis eiusdem Ordinis usque in praesentem diem in dicto generali capitulo concorditer edita, etiam si in usu esse desierint, dummodo infra lapsum temporis immemorabilis, videlicet centum annorum, in desuetudinem non abierint; ac praeterea, super contributionibus, per omnia et singula eiusdem Ordinis monasteria abbati Cistercii seu capitulo generali praedictis faciendis et solvendis, ita quod omnes, etiam commendatarii, ad illarum solutionem, etiam sub similis excommunicationis latae sententiae poena, teneantur, et ad id, etiam quibuscumque privilegiis, etiam ab ipsa Sede obtentis, non obstantibus, compelli possint; ac prout illa concernunt omnia et singula alia in literis apostolicis, aliisque documentis desuper confectis contenta et inde secuta quaecumque, licita tamen et honesta eisdem auctoritate et tenore, ex certa scientia confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Renovatio eorumdem indultorum.

§ 10. Ac potiori pro cautela, eadem omnia et singula privilegia, praerogativas et facultates, exemptiones, indulgentias, conservatorias, indulta et alias gratias eisdem modo et forma, quibus Ordini, eiusque abbatibus, capitulo generali et superioribus praefatis per dictos praedecessores concessa sunt, illis de novo, aucto-

ritate et tenore praedictis, concedimus et innovamus.

In commendatis monasteriis personis extra Ordinem institui debet mensa conventualis distincta ab abbatiali, et sufficiens pro monachis, *etc.*

§ 11. Et praeterea, quod in monasteriis dicti Ordinis, quae diversis personis (etiam si episcopi, archiepiscopi, patriarchae et S. R. E. cardinales existant) de praesenti commendata esse reperiuntur, et in futurum commendari, seu alias quoquomodo aliis, quam Ordinis ipsius personis concedi continget, ubi non fuerit, instituatur mensa conventualis ab abbatiali mensa distincta et separata, cum annuis fructibus, redditibus et proventibus, iuxta monasteriorum ipsorum facultates, competentibus et honestis, pro sufficienti conventus et monacorum aliorumque religiosorum eiusdem Ordinis numero, in unoquoque ex ipsis monasteriis per ipsos generalem et ceteros Ordinis ipsius superiores aut eorum vicarios ordinando, ad quam mensam sic instituendam congruosque redditus assignandos ipsi commendatarii omnino teneantur, et ad id etiam per censuras ecclesiasticas, fructuum, redditum et proventuum sequestrationes et alia opportuna iuris remedia cogi possint et debeant.

Religiosi alterius Ordinis intrusi aut eiiciantur, aut eiusdem Ordinis profession. faciant.

§ 12. Et quia, sicut accepimus, in multis dicti Ordinis, tam virorum quam mulierum, monasteriis quamplures Mendicantium et aliorum Ordinum religiosi utriusque sexus, ab immemorabili tempore citra se intruserunt et persaepe intrudere praesumunt, quod illi vel inde realiter et cum effectu eiiciantur, vel saltem habitum infra annum suscipiant, ac professionis regularis eiusdem Cisterciensis Ordinis expresse emittant, debitamque obedientiam et reverentiam illius abbati generali et reliquis superioribus praefatis praestent; ac divinum officium, secundum ipsius Ordinis morem, celebrent, seque regularibus eius institutis omnino conforment.

§ 13. Uniones autem, annexiones et incorporationes ac suppressiones et extinctiones monasteriorum et prioratuum eiusdem Ordinis, aut fructuum, redditum et proventuum illorum, dismembrationes, et locis aliis, quamtumlibet piis, applicationes, et aliae quaevis perpetuae illorum alienationes cuicumque alteri loco ex quavis causa quantumcumque honesta, urgenti et necessaria, absque speciali et expresso eiusdem abbatis generalis pro tempore existentis consensu, in scriptis, causaque prius a capitulo praefatis vel alias rite cognita, etiam per nos et Sedem praedictam, etiam de fratrum consilio, ac ad quorumvis, etiam imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum, instantiam, deinceps nullatenus fieri possint; et si aliter fiant, nullius omnino sint roboris, neque Ordo eiusque superiores et personae praefatis literis desuper conficiendis obedire debeant.

Uniones et suppression. et dismembr. fieri nequeant.

Monachi degentes in monasteriis unitis aliis piis locis remanent sub correctione superiorum huius Ordinis.

§ 14. In his vero, quae hactenus unita, annexa et incorporata fuerunt, servetur praecise forma singularum literarum super his unionibus, incorporationibus seu applicationibus aut aliis quibuscumque dispositionibus expeditarum. Ita tamen quod monachi in singulis monasteriis huiusmodi degentes, sint et remaneant sub obedientia et correctione abbatis generalis, aliorumque superiorum Ordinis Cisterciensis praedictorum et suorum vicariorum in omnibus et per omnia, perinde ac si uniones, annexiones et incorporationes huiusmodi non emanassent, etiam si in illis aliter caveretur, et usus, non tamen a tempore immemorabili, ut praefertur, contrarius obtineat, quae contra praesentis statuti tenorem nemini suffragentur.

Moniales alterius Ordinis quando recipi possint in abbatissas huius Ordinis.

§ 15. Postremo, quod nullae alterius Ordinis moniales, abbatissas monasteriorum monialium dicti Ordinis assumi, vel si assumantur in eisdem monasteriis recipi possint, nisi illorum immediato pa-

tre superiore praesente, qui illis habitum exhibeat, et ab eis tria substantialia vota, necnon iuramenta observandi statuta dicti Ordinis, ac secundum ea vivendi recipiat.

Monasteria quaecumq. tenentur ad contributiones solvendas abbati et capitulo.

§ 16. Quodque omnia et singula monasteria Ordinis huiusmodi, tam virorum quam mulierum, ubicumque existentia, seu eorum abbates vel priores, etiam commendatarii, abbatissaeque vel priorissae, in signum obedientiae et superioritatis, solita regalia, videlicet contributiones solitas, etiam abbati monasterii Cistercii et capitulo generali praefatis, omnibus exceptione, recusatione, praescriptione et alia excusatione penitus cessantibus, annuatim solvere teneantur, et ad id compelli possint, sub excommunicationis latae sententiae poena, eisdem scientia, auctoritate et tenore, perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae huius constitutionis praeservativae.

§ 17. Ac limitationem, moderationem, inhibitionem, praeceptum, mandatum, approbationem, confirmationem, adiectionem, suppletionem, concessionem, innovationem, statuta et ordinationes, aliaque praemissa ac praesentes literas de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu, quovis praetextu quaesitove colore, aut ingenio, nullatenus notari, argui vel impugnari posse; neminemque illa, quavis de causa, etiam iustissima, impugnantem, in iudicio vel extra audiendum esse, nec illa sub quibusvis similium vel dissimilium concessionum gratiarumque revocationibus, suspensionibus, modificationibus, limitationibus vel derogationibus, etiam per nos et successores nostros ac Sedem praedictam, etiam imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum intuitu et contemplatione, aut in eorum vel etiam in nullius favorem, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, ac etiam vim contractus aut legis seu statuti perpetui inducentibus decretis, et alias quomodolibet concessis et concedendis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis desuper quomodolibet editis et edendis aliquatenus comprehendi, neque illis ullo unquam tempore, etiam per Sedem praedictam derogari posse, nec derogatum censeri, nisi de toto tenore et data praesentium expressa mentio habita, et derogatio, suspensio, limitatio, revocatio aliaque praedicta, de Cistercii aliorumque quatuor primorum nuncupatorum abbatum praedictorum expresso consensu, facta fuerint; et si aliter derogari, revocari, suspendi, limitari, corrigi aut emendari contigerit, huiusmodi derogationem, revocationem, suspensionem, limitationem, correctionem et emendationem nullius esse roboris vel momenti, et quoties illae vel illa emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta et de novo, etiam sub quacumque data, per ipsum abbatem monasterii Cistercii pro tempore existentem eligenda, concessa esse et censeri.

Decretum irritans.

§ 18. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari, definiri et interpretari debere; et quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 19. Non obstantibus praemissis, ac nostra de non tollendo ius quaesitum et aliis quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, declarationibus et de-

cretis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, praefatis aliisque congregationibus, praesulibus, abbatibus, ecclesiis, monasteriis, capitulis, conventibus, provinciis ac personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, aut etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, et etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum veriores tenores, formas, datas et decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et sufficienter derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis huius bullae.

§ 20. Et quia difficile foret easdem praesentes ad diversa loca provinciasque circumferre, volumus, et dicta auctoritate decernimus, quod illarum transumptis seu exemplis, etiam formis impressis, manu alicuius publici notarii subscriptis, et sigillo abbatis generalis aut alicuius ex aliis superioribus Ordinis huiusmodi munitis, plena et indubia ac ea prorsus fides ubique, etiam in iudicio, adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIII, sexto kalendas octobris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 26 sept. 1563, pontif. anno IV.

LXXXVIII.

Caupones et albergatores Urbis non tenentur de furtis rerum eis non consignatarum, commissis in eorum hospitiis, si hoc ipsi hospitibus notificent in eorum ingressu.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causae huius constitutionis.

Cum, sicut non sine animi nostri displicentia nobis innotuit, a quampluribus annis citra, in alma Urbe nostra contigerit et in praesentiarum saepe contingat quod dilecti filii societas hospitum, albergatorum et cauponum dictae Urbis, ab hospitibus et advenis ad dictam accedentibus, ac aliis in ea moram trahentibus hospitariis et albergatoriis, super eo quod hospites et advenae et albergatorii asseruerint et asserant, seu verius eorum versutia et calliditate finxerint et fingant se multas et diversas pecuniarum et aliorum bonorum, quae numquam hospitibus et albergatoribus huiusmodi consignaverant neque consignarunt, aut in rei veritate forsan non habuerant neque habuerunt, quantitates secum ad hospitia attulisse; et deinde, ut a sumptibus et expensis per eos factis exoluti et liberi evadere possent atque possint, illas et illa perdidisse, ac ab hospitibus, albergatoribus et cauponibus ipsis vel aliis personis furto subtracta et sublata fuisse, illos de facto huiusmodi accusando et calumniando, diversimode, etiam usque ad incarcerationem ac alia iuris et facti remedia, ultra refectionem sortis principalis molestati fuerint, ac quotidie molestentur et vexentur, in scandalum plurimorum, dictaeque societatis dedecus et vilipendium, ac rerum et bonorum suorum non modicum dispendium et gravamen.

Hospites Urbis non possint molestari, pro rebus in eorum hospitiis furto

§ 1. Idcirco, ad fraudibus, versutiis, calumniis ac inconvenientibus, necnon coinquinamento et gliscenti contagio huiusmodi ac aliis praemissis omnibus et sin-

subtractis, et eis antea non consignatis, per advenas, quibus hospites et caupones hoc notificaverint.

gulis obviandum, motu simili et certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, volumus, statuimus et ordinamus deinceps, perpetuis futuris temporibus, quascumque merces, pecuniarum summas, alia res et bona, usque ad quamcumque quantitatem ascendentia, per eosdem hospites et advenas ac alios albergatorios, sibi quomodocumque et qualitercumque furto subtracta et sublata fore asserentes ac praetendentes, a dictis hospitibus, albergatoribus et cauponibus ac eorum quolibet in solidum, nisi illa prius per eosdem advenas ac hospitarios et albergatorios eisdem hospitibus, albergatoribus et cauponibus in custodiam data et consignata fuerint, minime repeti; nec eosdem hospites, albergatores et caupones desuper conveniri, capi, arrestari, incarcerari, detineri aut quoquomodo realiter vel personaliter molestari, vexari posse neque debere. Quae omnia praedictis hospitibus et advenis ac albergatoriis in eorum ingressu dicti hospites, albergatores et caupones notificare et intimare debeant et teneantur.

Confirmatio privilegior. et ordination. societatis hospitum.

§ 2. Necnon omnia et singula gratias, concessiones, immunitates, privilegia et indulta per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam praedictae societati et eorum singulis, in genere vel in specie, concessas et concessa, necnon quaecumque capitula, statuta et ordinationes per eos hactenus quomodolibet condita et facta, licita tamen et honesta, quatenus sint in usu, eadem auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, si qui forsan intervenerint, ac solemnitatum desuper forsan omissarum defectus supplemus.

§ 3. Seu in eisdem, si societati videbitur, sibi quaecumque alia statuta, ordinationes et capitula rationabilia et honesta ac sacris canonibus non contraria, condendi et edendi, ac condita et edita, pro temporum qualitate et quoties eis videbitur, alterandi, mutandi et delendi, ac alia de novo faciendi, quae, postquam condita et edita ac mutata et de novo facta et per camerarium approbata fuerint, eo ipso eadem auctoritate approbata et confirmata sint et esse censeantur, plenam et liberam facultatem, licentiam et potestatem concedimus.

Facultas condendi statuta licita et sacris canonibus non contraria.

§ 4. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate et potestate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, necnon dilectos filios nunc et pro tempore existentes dictae Urbis conservatores, iudicari et definiri ac observari debere, sublata *etc.* Si quis *etc.*, irritum quoque *etc.* decernimus et declaramus.

Decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus ac statutis, etiam iuramento *etc.* roboratis; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis praedictis, conservatoribus et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, etiam iteratis vicibus, etiam pari motu, concessis, *etc.* et concedendis, quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis *etc.*, tenores *etc.*, in literis latissime extendendis *etc.*, hac vice derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Clausulae derogatoriae.

Fiat ut petitur. I.

§ 6. Et cum absolutione a censuris, ad effectum *etc.*; et quod tenores capitulorum ac statutorum et ordinationum per societatem praedictam quomodolibet confectarum habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi possint. Et de voluntate, statuto, ordinatione, confirma-

Clausularum repetitio.

tione, approbatione, adiectione, suppletione, concessione, decreto, declaratione et derogatione ac aliis praemissis, quae hic pro sufficienter ad partem repetitis habeantur, perpetuo in forma gratiosa latissime extendendis, ex certa nostra scientia, et ad perpetuam rei memoriam. Et cum deputatione executorum opportuna, qui assistant, cum potestate citandi *etc.*, etiam per edictum *etc.*, etiam dictos conservatores *etc.* inhibendi *etc.*, etiam simili edicto aggravandi, reaggravandi, interdicendi *etc.*, invocato *etc.* brachii saecularis *etc.*, cum derogatione constitutionis de una et duabus, non tamen tribus diætis, ac quorumcumque statutorum *etc.*, privilegiorum, indultorum et literarum apostolicarum quibusvis, etiam S. R. E. cardinalibus, necnon dictis conservatoribus et aliis quibuscumque, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet, etiam aequali motu *etc.*, concessis et concedendis, quorum omnium tenores *etc.* latissime exprimi possint, ad effectum sufficientis derogationis eorum, ita quod non obstent *etc.*, latissime extendendis. Et quod praemissorum omnium et singulorum aliorumque circa praemissa necessariorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit, in literis per breve nostrum seu officium contradictarum in forma gratiosa, si videbitur, expediendis; seu quod praesentis motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria non obstante.

Datum Romae apud S. Petrum, quarto idus novembris, anno quarto.

Dat. die 10 novembris 1563, pontif. anno IV.

LXXXIX.

Iurisdictio consulum artis merciariorum almae Urbis.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Cum pastorali nostro incumbat officio, iuxta facti exigentiam et temporum varietates, quoscumque ad suas iurisdictiones temporum calamitate collapsas restituere et reintegrare. Exordium.

§ 1. Nos, attendentes dilectos filios collegium et universitatem merciariorum et illis adhaerentium huius almae Urbis et Curiae nostrae non modicae utilitati et commoditati, immo etiam necessitati, dum varia praesertim mercimonia humano usui apprime necessaria, longinquis ex partibus, maximis eorum nedum sumptibus, verum etiam saepe dispendiis ac laboribus et periculis, quotidie ad Urbem et Curiam praefatas, maxima etiam cum vectigalium et portoriorum sanctae Ecclesiae fructu et utilitate, terra marique vehunt et vehi procurant, consulere. Et propterea dilectos filios conservatores almae Urbis, considerantes eosdem collegium et universitatem, illiusque particulares homines, pro eorum creditis exigendis, coram diversis Urbis tribunalibus et iudicibus, maximis cum laboribus et dispendiis defatigari, et ea de causa, bona et mercimonia huiusmodi fieri cariora, eisdem collegio et universitati, ut consulatum et peculiare tribunal, ad aliarum artium et praesertim mercatorum instar, construerent et erigerent, commisisse et mandasse, eisdem solum et locum ad dictum tribunal et consulatum construendum, inibique de rebus ad eorum artem spectantibus et pertinentibus iusdicendum, causasque sui fori cognoscendum, prout alias consueverant, assignasse. Conservatores Urbis assignarunt universitati merciariorum locum in foro Capitolino, ut ibi consules ius dicerent de rebus spectantibus ad artem.

§ 2. Ac felicis recordationis Bonifacium Papam nonum, praedecessorem nostrum, seu de illius mandato quondam Zacha- Senator Urbis tempore Bonifacii IX eidem universitati fa-

cultatem dedit vendendi quascumque res, etiam concernentes alias artes, et erigendi unum colleg.

riam Trivisanum Venetum, tunc Urbis senatorem, eisdem collegio et universitati habilitatem, licentiam, facultatem, libertatem et potestatem quascumque res et spetiarias, ferreas, argenteas, aureas vel alias humano usui necessarias et pertinentes, etiam quascumque alias artes et artificum quaecumque collegia in specie quomodolibet concernentes, exponendi et expositas publice etiam per Urbem portandi, vendendi, sine aliquibus quomodolibet eis a quoquam aliarum artium proposito obstaculo seu impedimento, imposito vel inferendo, concessisse; nec ob id aliud quam unum et idem merciariorum collegium, sed seorsum ab aliis, uti haec alma Urbs in usu habebat, censeri mandasse; nec etiam ea re cuique dictarum aliarum artium collegio collegiique praeposito ipsos universos et singulos merciarios Urbis fieri subiectos voluisse. Quinimo ipsos omnes, tamquam ministrantes negocia et exercitia, quae uberiorem civitatem alunt, tueri et manuteneri ac defendi censuisse ab omnibus contrariantibus, maxime ab his, qui, avaritia ducti, earum rerum faciebant pretia cariora. Idemque senator praefatus per concessam potestatem a Bonifacio, praedecessore nostro, etiam auctoritate et potestate senatus, praemissa sancivisse et perpetuo valitura mandavisse.

Collegium statuit consules cognoscere causas de rebus spectantibus ad artem, usque ad quamcumque summam inter homines de arte, et inter alios usque ad ducat. xxx;

§ 3. Ipsumque collegium et universitatem nonnulla statuta ad dictum tribunal et ad artem huiusmodi necessaria, in libro statutorum descripta edidisse et ordinasse, illaque per senatores et conservatores respective approbata et confirmata fuisse. Et novissime, inter cetera, statuisse et ordinasse quod consules ius et rationem inter homines artis et pro quibuscumque causis ad artem huiusmodi spectantibus et pertinentibus et ab eis dependentibus usque ad quamcumque summam ius reddere valeant; et si aliquis ipsius artis conveniret in iudicio aliquam aliam personam, quae non esset eiusdem artis, dummodo foret pro re ad artem ipsam spectante, consules, qui pro tempore fuerint, iurisdictionem contra tales, cuiuscumque status, gradus aut conditionis existant, ementes bona dictae artis, et alias super eis quomodolibet contrahentes conventos, usque ad summam triginta ducatorum auri in auro de Camera haberent, et personae sic conventae iurisdictionem huiusmodi, usque ad dictam summam inclusive, sub quovis praetextu, causa vel occasione, etiam si essent nobiles et Romani cives, Urbis incolae vel curiales omnes, seu alias quoquomodo declinare non possint.

Librisque eorum mercantiliter tentis fidem adhiberi;

§ 4. Et ne in unaquaque summa praesentia notarii et illius stipulatio requiratur, statuisse quod codicibus et libris rationum merciariorum, velectariorum, berrectariorum, setarolorum seu banderariorum dictae universitatis et aliorum eiusdem collegii confectis, usque ad summam triginta ducatorum auri de Camera, omnibus partitis eiusdem rationis simul computatis plene credatur et fides adhibeatur, cum iuramento, contra quoscumque. Inter homines vero de arte usque ad quamcumque summam occasione merciariae et cuiuslibet alterius generis ad artem huiusmodi pertinentis. Ita quod agentes et exigere volentes cum iuramento, perinde plena fides dictis libris adhibeatur, ac si legitime et concludenter probatum esset, dummodo ipsi libri, mercantiles et mercatorum more et ordine scripti, confecti et tenti sint, rationabili suspicione carentes, et ad personas scribentes respectu habito.

Falsitatem contra dolos committentes in eorum libris coerceri;

§ 5. Et si falsitas in aliquo loco dolose annotata reperiretur, talis liber per consules universitatis praedictae in foro publico Capitolii sono tubae comburatur, cum publicatione falsitatis et illius au-

ctoris; et alias poenas incurrat, quas de iure communi vel municipali incurrisse diceretur, et perpetuo infamis remaneat, et per eum scribendis de cetero non credatur.

Appellarique non posse a sententiis consulum a decem scutis infra.

§ 6. Necnon a sententiis, a summa decem scutorum et infra, aliquae ex partibus coram dictis consulibus litigantes, quemadmodum aliis iudicibus et curiis concessum extitit, appellare vel alias reclamare minime possint nec valeant; et quicquid per eosdem consules decerneretur aut fieret, esset validum, firmum et efficax, realique executioni demandandum.

Quae statuta senator et conservatores approbarunt.

§ 7. Haecque et alia ultimo dictae ordinationes et statuta per dilectos filios modernos ipsius Urbis senatorem et conservatores, tamquam rationi consonantia, approbata et confirmata fuisse.

Hic Pontifex modo confirmat et innovat supradictas concessiones senatorum et conservatorum, et statuta universitatis, et consulum iurisdictionem et facultates;

§ 8. Idcirco idem collegium et universitatem, tamquam praemissis de causis de republica optime meritos, specialibus favoribus et gratiis prosequentes, motu simili, *etc.*, non ad ipsius collegii et universitatis aut alterius eiusdem artis instantiam et requisitionem, sed ex certa nostra scientia ac potestatis plenitudine, mandatum, assignationem, consignationem, constructionem et erectionem dicti consulatus et tribunalis, ut praemittitur, factum; necnon licentiam, libertatem, habilitatem, facultatem et potestatem ab eodem Bonifacio, prædecessore nostro, seu Zacharia, olim senatore, praefatis concessas, ac ab ipsa universitate condita statuta et ordinationes, facta, et ut supra approbata, et in posterum per ipsam universitatem fienda, et per senatorem et conservatores eiusdem Urbis, iuxta formam statutorum praefatae Urbis, approbanda, illorumque et illarum confirmationes, ac eiusdem Bonifacii praedecessoris seu Zachariae senatoris concessionem, illorum ac omnium et singulorum praemissorum ceterorumque hic etiam de necessitate exprimendorum veriores tenores et effectus, pro hic plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum penitus et omnino insertis habentes, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus, confirmamus et innovamus, eisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; ac ea omnia et singula perpetuo et inviolabiliter observari debere decernimus et mandamus; et, quatenus opus sit, de novo concedimus et ut supra statuimus et ordinamus, omniaque et singula inviolabiliter perpetuis futuris temporibus observari mandamus. Ac omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, si quae solemnitates omissae fuerint, supplemus. Ita quod eiusdem collegii et universitatis moderni et reliqui in posterum pro tempore existentes consules super huiusmodi et in specie super praefato statuto de iurisdictione, iuxta illius tenorem usque ad quamcumque summam, exercendi quoad personas de arte huiusmodi; et qui de arte non fuerint, usque ad dictam summam triginta ducatorum auri de Camera, absque aliquo alio obstaculo vel impedimento aliarum curiarum, iurisdictionem et potestatem habeant, prout tenore praesentium damus, concedimus et elargimur facultatem, licentiam et potestatem ac auctoritatem in omnibus et singulis causis, litibus et differentiis, ex quavis causa vel occasione ad artem huiusmodi spectantibus et pertinentibus seu dependentibus, una cum omnibus et singulis suis incidentibus, emergentibus, dependentibus, annexis et connexis, coram eis vertentibus, et quae in futurum contigerint moveri, procedendi summarie, simpliciter et de plano, nulla iuris solemnitate vel ordine servato, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, pro-

cedant et cognoscant, terminent et decidant, et procedere perpetuis futuris temporibus possint et valeant, usque ad totalem finalemque et effectualem executionem et paritionem omnium et singulorum eorum mandatorum, realiter vel personaliter, prout eis videbitur, relaxandorum.

Et praecipit iudicibus Urbis ne consules desuper Imped.

§ 9. Nec per praefatos modernos et pro tempore existentes Urbis gubernatorem, senatorem, vicarium nostrum et Camerae Apostolicae auditorem vel alios quosvis eiusdem Urbis iudices et officiales, tam ordinarios quam commissarios, etiam praetextu obligationum in forma Camerae Apostolicae, iuxta motum proprium populo Romano concessum, sub poena excommunicationis latae sententiae incurrenda, impediri, vel alias quomodocumque et qualitercumque molestari seu reassumi aut avocari seu inhiberi possint, nec respective valeant.

Clausula subata, *etc.*

§ 10. Et ita per quoscumque iudices, quavis auctoritate, dignitate vel facultate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, reassumendi, inhibendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari et definiri debere decernimus.

Clausulae præservativae.

§ 11. Et quod praesentibus seu literis desuper conficiendis, sub quovis praetextu, per quascumque clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias, derogari non possit, nisi cum tota praesentium praeinsertione et specifica nominum eorumdem consulum mentione; irritum et inane quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Ita quod praefati pro tempore existentes consules procedere possint et valeant, illis non obstantibus, absque aliquo attentatorum et innovatorum vitio.

§ 12. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac gubernatori, senatori, vicario nostro aut Camerae Apostolicae auditori, ceterisque aliis iudicibus, quoad causas dicti fori, et de rebus ad artem spectantibus et pertinentibus; necnon statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, *etc.*, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis ac facultatibus eisdem gubernatori, senatori, vicario nostro et Camerae Apostolicae auditori, collateralibus et quibusvis aliis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam quantumvis efficacissimis, clausulis et decretis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus ac si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita servata foret, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse, omni meliori modo, *etc.* derogamus. Necnon omnibus illis, quae dictus Bonifacius seu idem Zacharias senator in eorum literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae derogatoriae.

Fiat ut petitur. I.

Repetitio clausularum.

§ 13. Et cum absolutione a censuris, ad effectum *etc.*, etiam in casibus regulae *etc.*, cum illius opportuna derogatione, quatenus opus sit, extendendis; et quod tenores literarum et statutorum praedictorum habeantur pro expressis, et latissime ac de verbo ad verbum exprimi et inseri possint; et de approbatione, innovatione, confirmatione, indulto, decreto, derogatione, processu et aliis praemissis, de omnibus et singulis praedictis, quae

hic pro repetitis habeantur perpetuo in forma gratiosa et ex certa scientia.

Ampliatio iurisdictionis consulum quando partes consentiunt.

§ 14. Quodque, si qui tacite vel expresse in eorumdem consulum iurisdictionem consenserint, etiam usque ad quamcumque summam ius dicere et causas cognoscere et terminare possint et valeant, nec propterea per viam nullitatis impugnari vel retractari possint decernimus. Et quod praesentium sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria non obstante, attento quod in Urbe, seu, si videbitur, literae desuper, etiam cum deputatione executionum [1] qui assistant.

Facultates citandi infra districtum.

§ 15. Cum potestate pro illis ac dictis consulibus monendi, cogendi, gravandi et reaggravandi ac citandi per senatorium edictum, infra districtum, iuxta formam statutorum Urbis, ac etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu; et reassumendi quascumque causas, ad instantiam rei volentis iurisdictionem dictorum consulum, a quibuscumque iudicibus; et inhibendi sub quibuscumque poenis pecuniariis eorum arbitrio, praemissorum omnium ac singulorum, ac cum qualitatis aliorumque circa praemissa necessaria maiori specificatione, et expressione eorumdem et quorumcumque statutorum ipsius artis, ipsius collegii arbitrio, etiam cum eorumdem praeinsertione, toties quoties eidem collegio videbitur, semel et pluries, per breve nostrum, simul vel separatim, expediri possit.

Fiat. I.

Datum Romae apud S. Petrum, nonis februari, anno V.

Videat vicarius. I.

Visa. M. Antonius, archiepiscopus Theatinus, vicesgerens.

Dat. die 5 februarii 1564, pontif. anno V.

1 Fortasse *executorum* (R. T.).

XC [1].

Graeci subiiciuntur iurisdictioni ordinariorum, circa ea quae Dei cultum, sacramentorum administrationem, animarumque salutem et haeresum extirpationem concernunt [2].

Pius Papa IV, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, praecipuus aequitatis et religionis assertor, facultates et gratias ab Apostolica Sede concessas, ex quibus, tempore procedente, animarum pericula et inter catholicos scandala provenire animadvertit, pro sui pastoralis officii debito, mature revocare consuevit.

Graeci praetendentes se exemptos a iurisdictione ordinarior., impunitate sibi proposita, committebant multos errores hic expressos.

§ 1. Sane nonnulli locorum ordinarii nuper ad audientiam nostram referri curarunt quod, in quampluribus regni Siciliae citra et ultra Pharum et aliis christiani nominis civitatibus et locis, magna Graecorum, tam religiosorum et saecularium clericorum quam laicorum, multitudo reperitur, qui, Ecclesiae Graecae mores et ritus observantes, seque suos proprios eiusdem nationis praelatos habere, ac illis, non autem locorum ordinariis, subesse; sed, immunitatum aliorumque privilegiorum sibi per felicis recordationis Leonem X, Paulum III, Iulium etiam III et forsan alios Romanos Pontifices, praedecessores nostros, et dictam Sedem antiquitus concessorum praetextu, se ab eorumdem ordinariorum iurisdictione et superioritate exemptos esse praetendentes; impunitate sibi proposita, in diversas haereticas nefariasque opiniones et absurda deliramenta passim prolabuntur, asserentes, inter alias eorum blasphemias, nullum esse defunctorum purgatorium; Romanum Pontificem aliquam in eos iurisdictionem vel auctoritatem habere negantes; indulgentias ab illo concessas damnantes; ecclesiasticas senten-

1 Haec constitutio bis inserta reperitur in editione Mainardiana, sub numeris LXXXVIII et CVIII (R. T.).

2 Alia de Graecis vide in const. XXXV Innoc. IV, *Sub catholicae*, tom. III, pag. 580.

tias et censuras ab eo latas spernentes; sanctissimae Dei genitricis Virginis Mariae, beatorum apostolorum et aliorum Dei sanctorum festivitates, ab Ecclesia Romana sanctisque Patribus ordinatas, non observantes; sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suis infantibus in baptismo exhibentes; inhumata defunctorum cadavera, superstitione quadam impia et plusquam barbarica, e sepulcris eruentes, igneque comburentes; ordinariorum locorum, quae habitant, visitationem iurisdictionemque contemnentes, et ecclesiasticam disciplinam perturbantes; ac demum huiusmodi aliisque suis opinionibus erroneis atque sacrilegis populos Latinos inficientes, correctionem legitimam suae praetensae exemptionis clypeo repellentes, in suis impietatibus abusibusque consenescunt et immoriuntur, in suarum vicinorumque populorum, praesertim simplicium, animarum perniciem, et scandalum plurimorum.

Ideo Pontifex iste eos subiicit iurisdict. ordinariorum circa ea, quae spectant Dei cultum, *etc.*; et ritus alios eorumdem Graecorum approbatos reservat.

§ 2. Nos igitur, provide considerantes eiusdem Sedis intentionem numquam fuisse exemptionem aliudve privilegium a se concessum iri, ut inde scelerum impunitas et animarum periculum emergat, abusibus et periculis huiusmodi, quantum cum Deo possumus, tempestive obviare volentes; ac quarumcumque exemptionum aliorumque privilegiorum dictis Graecis, eorumque praelatis, rectoribus, abbatibus, et aliis, tam Sancti Basilii et alterius Ordinis regularibus, quam saecularibus ac etiam laicis personis, quocumque nomine nuncupatis, per praefatos et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praefatam in genere vel in specie hactenus concessorum ac etiam iteratis vicibus approbatorum et innovatorum, literarumque desuper confectarum et inde secutorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas exemptiones, ac, prout illas concernunt, desuper confectas literas praefatas, ad hoc videlicet ut ipsi locorum ordinarii quascumque Graecorum ecclesias, monasteria, prioratus et alia pia loca, tam saecularia quam cuiusvis Ordinis regularia, eorumque praelatos, etiamsi episcopali, archiepiscopali ac maiori dignitate praefulgeant, necnon abbates, rectores, ministros et quasvis alias eiusdem nationis personas, in suis civitatibus et dioecesibus consistentia, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam ordinariam iurisdictionem, plenamque et omnimodam superioritatem, in iis quae Dei cultum, sacramentorum administrationem et animarum salutem, haeresumque extirpationem concernunt, exercere et exequi libere et licite valeant, reliquis ipsorum Graecorum in divinis celebrandis aliisque ritibus a Sede Apostolica [1] intactis remanentibus, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo revocamus, cassamus et annullamus, ac revocatas, cassatas et annullatas esse, nec ipsis Graecis, clericis vel laicis, eorumque praelatis, ecclesiis, coenobiis aut aliis piis locis in aliquo suffragari, sed illos omnes et singulos locorum, in quibus moram traxerint, ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, iurisdictioni et omnimodae superioritati in praemissis subesse, illisque, tamquam superioribus suis suarumque animarum pastoribus, humiliter obedire.

Decretum irritans.

§ 3. Et sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, sublata eis quavis aliter iudicandi facultate, iudicari et definiri debere; ac quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

1 *Approbatis, necnon privilegiis et gratiis apostolicis intactis*, Cherub. (R. T.).

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Per hoc tamen non intendimus quod ipsi Graeci ab eorum graecanico ritu distrahantur, vel alias desuper quoquomodo per locorum ordinarios aut alios impediantur.

Declaratio praedictorum.

§ 6. Et quia difficile foret *etc.*

Fides transumptorum.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDLXIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 16 februarii 1564, pontif. anno V.

XCI.

Decisio in favorem congregationis Lateranensis canonicorum regularium Ordinis S. Augustini, super lite, quam de praecedentia habebat cum congregatione Cassinensi, alias S. Iustinae, monachorum Ordinis S. Benedicti.

Pius Papa IV, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta, ne rursus ea, quae in controversiis inter personas ecclesiasticas, praesertim Altissimo sub regulari professione famulantes, exortis, pro tranquillo religionis statu prudenter ordinavit, in molestos contentionis anfractus relabantur, maiorem solet, dum id res ipsa requirit, adhibere cautionem.

Lis exorta (*de qua in rubrica*).

§ 1. Sane nuper postquam, sicut nobis innotuerat, ab antiquis usque temporibus, etiam supra centum annos retroactos, lis et causa seu controversia inter dilectos filios rectorem generalem et canonicos regulares S. Augustini, congregationis Lateranensis, ex una, ac monacos S. Benedicti, Ordinis Cassinensis, alias Sanctae Iustinae de Padua, congregationum partibus ex altera, super illorum praecedentia seu praecedendi [1] suborta, et coram diversis iudicibus, etiam in nostro Palatii Apostolici auditorio, ventilata, ac demum, non sine animi nostri molestia, in œcumenico concilio Tridentino, inter earumdem congregationum abbates, revocata fuerat.

Quam iste Pontifex audien. et sibi referendam commisit tribus cardinalibus hic nominatis.

§ 2. Nos, considerantes lites et controversias huiusmodi in Ecclesia, praesertim inter religiosas et reformatas personas, quae, relictis mundi vanitatibus, votum suum in humilitatis spiritu Domino et Deo nostro, qui se pro nobis usque adeo humiliavit, ut formam servi acciperet, persolvere profitentur, non modicum illi praeclarae Deoque praecipue dilectae virtuti, quae est humilitas, labem infundere, populoque scandalum generare, ac propterea illas omni ratione submovendas, publicaeque religionis tranquillitati, ac ministrorum Dei reconciliationi et mutuae dilectioni quamprimum consulendum esse rati, motu proprio dictas causas et controversias ubilibet et coram quibusvis iudicibus motas et in quibusvis instantiis indecisas pendentes, ab eisdem iudicibus ad nos avocavimus, illasque dilectis filiis nostris Ioanni Michaeli S. Anastasiae Saraceno, Ioanni Baptistae S. Clementis Cicadae, ac Bernardino Scoto nuncupatis, sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris cardinalibus, audiendas, cognoscendas et decidendas, per quamdam motus proprii schedulam, et deinde illas per aliud nostrum rescriptum eisdem cardinalibus per eos audiendas tantum, nobisque referendas commisimus.

Qui cardinales retulerunt Pontifici praelatos canonicos praecedere debere.

§ 3. Qui quidem cardinales, dictis partibus earumve procuratoribus et advocatis pluries auditis, dubiisque emergentibus ad plenum discussis et resolutis, comperto satis per eos ex compluribus literis apostolocis diversisque aliis documentis, rationibus et probationibus, quod ipsi canonici fuerunt et sunt de illis clericis a S. Augustino, quinimmo a san-

1 *Iure* (R. T.).

etis apostolis institutis, eosdem canonicos, tam suae antiquae institutionis huiusmodi, quam etiam dignitatis clericalis, qua eos, statim quod professionem regularem emittunt, insignitos esse oportet, aliarumque qualitatum in eis existentium ratione, dictam illorum congregationem Lateranensem praefatos monacos et eorum congregationem Cassinensem praecedere debere censuerunt et concluserunt, suamque conclusionem huiusmodi ad audientiam nostram, iuxta ultimi nostri rescripti praefati tenorem, retulerunt.

Pontifex ideo sententiavit pro canonicis;

§ 4. Unde nos, illorum relatione intellecta, eaque per nos diligenter examinata, quoniam eam in omnibus suis partibus veritati et iuri consonam comperimus, per nostram definitivam sententiam pronunciavimus, sententiavimus, decrevimus et declaravimus abbates, praelatos et canonicos regulares congregationis Lateranensis, uti clericos, dimissa superiori veste, pallio seu cappa, in linea veste clericalique habitu incedentes (quod etiam in alma Urbe consuetum fuerat et tunc observabatur), in processionibus et omnibus aliis actibus publicis et privatis, tam in dicta Urbe nostroque et aliorum Romanorum Pontificum successorum nostrorum conspectu, quam alias in universis et quibuscumque aliis civitatibus, terris, oppidis et locis, abbates, prælatos [1] et dictos praecedere debuisse et debere; ac eosdem abbates, praelatos et canonicos regulares, dictamque eorum congregationem, ut praefertur incedentes, dictis abbatibus, praelatis et monacis S. Benedicti et eorum congregationi in omnibus et singulis praemissis praeferendos, anteponendos et in digniori loco collocandos fore et esse.

Abbatesque ipsorum Religionum debere praecedere sin-

§ 5. Abbates vero dictarum congregationum singulariter et de per se, absque eorum conventibus, in conciliis generalibus, provincialibus et synodalibus ac aliis actibus publicis et privatis, in quibus abbates de iure vel consuetudine locum et votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter sese, iuxta singulorum ipsorum abbatum ibidem intervenientium priorem et antiquiorem promotionem ad abbatiam, ac illorum promotione dumtaxat, non autem congregatione et Ordine cuius sint, attentis, praecedere et praeferri et in digniori loco collocari debuisse et debere, prout ex tunc praetulimus, anteposuimus et collocavimus, praeferrique, anteponi et collocari mandavimus. Iactationes quoque, molestationes, oppressiones, perturbationes, vexationes et impedimenta quaecumque per abbates, praelatos et monachos praedictos et eorum congregationem Cassinensem eisdem abbatibus, praelatis et canonicis regularibus congregationis Lateranensis, super praefatis omnibus et singulis et illorum occasione quomodolibet factas, praestitas et illatas, factaque, praestita et illata, fuisse et esse temerarias, illicitas, indebitas et iniustas, temerariaque, illicita, indebita et iniusta ac de facto praesumptas et praesumpta, illasque et illa abbatibus, praelatis et monacis congregationis Cassinensis huiusmodi fecisse et facere minime licuisse neque licere de iure. Et propterea de et super illis ac dicto iure praecedendi, omnibusque et singulis aliis praemissis perpetuum silentium imponendum fore et esse et tunc imposuimus, prout in rescripto, relatione et sententia praedictis plenius continetur.

gulariter, et de per se, absque eorum conventibus, iuxta antiquiorem promotionem;

Et supplet eiusdem sententiæ defectum et illam invio labiliter observari mandat.

§ 6. Ne autem de sententiae aliorumque praemissorum validitate ullo umquam tempore dubitari, ac propter ea vel alio quovis praetextu rem mature discussam et iudicatam rursus in controversiam retrahi, neve denuo in Ecclesia Dei inter tales personas religiosas contentiones exoriri, ac populo scandala generari

1 Cherub. legit: *praelatos et monachos Ord. S. Benedicti, congr. Cassinensis, praedictos praecedere* etc. (R. T.).

contingat, tempestive providere, ac supremam huic negotio manum apponere cupientes, necnon veriores literarum singulorum praedecessorum, ac rescripti, processus, relationis sententiaeque praefatorum, et inde secutorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu simili, non ad ipsorum abbatum, praelatorum et canonicorum regularium congregationis Lateranensis vel alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad effectum executionis dictae sententiae tantum, omnes et singulos processus et sententiae praefatorum defectus, etiam substantiales, si qui forsan in eisdem intervenerint, harum serie supplemus, ac eandem sententiam, una cum eius processu, validos et efficaces esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et inviolabiliter ab omnibus observari debere; nec partes ipsas ab eis ullo umquam tempore, quovis praetextu quaesitove colore, resilire posse, sed ad illorum observationem teneri, censurisque et poenis, tam ecclesiasticis quam pecuniariis, ad id cogi et compelli, neque monacos eorumve congregationem, adversus sententiam aliave praemissa, in pristinum statum, quovis quaesito colore vel ingenio, restitui, nec illa oppugnantes audiri.

Clausulae praeservativae, et decretum irritans.

§ 7. Praesentesque literas de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae aut alio quovis defectu notari seu impugnari posse; sicque et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus; praemissaque omnia perpetuo statuimus.

Executorum huius constitutionis deputatio et facultates.

§ 8. Et quod ita fiant et observentur volumus atque mandamus, similiter venerabili fratri episcopo Amerinensi, et dilectis filiis nostro in alma Urbe et eius districtu vicario in spiritualibus ac Curiae causarum Camerae Apostolicae auditori generalibus, per praesentes motu pari mandantes quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte rectoris generalis et abbatum, praelatorum ac regularium canonicorum S. Augustini congregationis Lateranensis praefatorum vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos suppletione, decreto, statuto, voluntate et mandato aliisque praemissis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos vel eorum quempiam desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, deturbari vel inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras, et tam ecclesiasticas et pecuniarias, etiam arbitrio suo moderandas et applicandas, quam etiam privationis beneficiorum ecclesiasticorum per ipsos contradictores obtentorum poenas, aliaque iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, illosque etiam iteratis vicibus aggravando et interdictum ecclesiasticum imponendo, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo

quispiam praesentium vigore ultra tres diaetas ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasteriorum et Ordinum ac congregationum praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis vel consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis eorumque superioribus ac personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientia similibus, quomodolibet concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 10. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, in iudicio et extra ubilibet locorum plena et indubia, eademque prorsus fides adhibeatur, [1] si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimaoctava februarii, millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 18 februarii 1564, pontif. anno v.

Sequitur tenor sententiae praedictae.

Enarratio differentiae.

Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, quam ferimus in his scriptis, in causa et causis, quae coram nobis, et quas dilectis filiis nostris Ioanni Michaeli Saraceno, tituli S. Anastasiae, Ioanni Baptistae Cicadae, tituli S. Clementis, ac Bernardino Scoto, tituli S. Matthaei, S. R. E. cardinalibus, primo audiendas, cognoscendas et per eos decidendas et terminandas, et deinde per praefatos cardinales per apostolica nostra rescripta nobis referendas commissimus, inter dilectos filios abbates, praelatos et canonicos regulares Ordinis S. Augustini, congregationis Lateranensis, et universam congregationem ex una, et praelatos, abbates et monacos Ordinis S. Benedicti, congregationis Cassinensis, alias S. Iustinae de Padua nuncupatos, et dictam eorum congregationem, de et super praecedentia et iure inter eos praecedendi, tam in processionibus quam in generalibus et synodalibus seu provincialibus conciliis, omnibusque actibus publicis et privatis, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis et illorum occasione in prima seu alia versae fuerint et vertebantur instantiis, partibus ex altera, causa huiusmodi coram dictis cardinalibus ad plenum ventilata, ac saepius auditis partibus, et dubiis in ea plene discussis et resolutis, ac visis de iure videndis, et demum per dictos cardinales nobis matura desuper facta relatione, pronunciamus, sententiamus, decernimus et declaramus abbates, praelatos et canonicos regulares congregationis Lateranensis, uti clericos, dimissa superiori veste, pallio seu cappa, in linea veste clericalique habitu incedentes (quod etiam in alma nostra urbe Romae consuetum fuit et nunc observatur), in processionibus et omnibus aliis actibus publicis et privatis, tam in dicta alma Urbe nostra nostroque et successorum nostrorum conspectu, quam alias

Decisio quoad praecedentiam inter praefatos canonicos et monachos.

[1] Cherub. addit: *quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent* etc. (R. T.).

universis ac quibuscumque aliis civitatibus, terris, oppidis et locis dictis abbatibus, praelatis et monacis Ordinis Sancti Benedicti Cassinensis praecedere debuisse et debere; eosdemque abbates, praelatos et canonicos regulares, dictamque eorum congregationem, ut supra incedentes, dictis abbatibus, praelatis et monacis S. Benedicti et eorum congregationi, in omnibus et singulis præmissis, praeferendos, anteponendos et in digniori loco collocandos fore et esse. Abbates vero dictarum congregationum Lateranensis et Sancti Benedicti, singulariter et de per se, absque eorum conventibus, in conciliis generalibus, provincialibus et synodalibus et aliis actibus publicis et privatis, in quibus abbates de iure vel consuetudine locum et votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter sese, iuxta singulorum ipsorum abbatum ibidem intervenientium priorem et antiquiorem promotionem ad abbatiam, ac illa promotione dumtaxat, non autem congregatione et Ordine cuius fuerint, attentis, praecedere ac praeferri et in digniori loco collocari debuisse et debere, prout praeferimus, anteponimus, collocamus, praeferrique, anteponi et collocari respective mandamus. Iactationes quoque, molestationes, oppositiones, perturbationes, vexationes et impedimenta quaecumque per praefatos abbates, praelatos et monacos dicti Ordinis S. Benedicti et dictam eorum congregationem eisdem abbatibus, praelatis, canonicis regularibus dicti Ordinis et eorum congregationi, de et super praefatis omnibus et singulis et illorum occasione quomodolibet factas, praestitas et illatas, factaque, praestita et illata, fuisse et esse temerarias, illicitas, indebitas et iniustas, temerariaque, illicita, indebita et iniusta, ac de facto praesumptas et praesumpta, illasque et illa praefatis abbatibus, praelatis et monacis fecisse et facere minime licuisse nec licere de iure. Et propterea de et super illis ac dicto iure praecedendi, ut supra, omnibus aliis et singulis praemissis perpetuum silentium imponendum fore et esse, ac imponimus. Utramque partem in expensis iustis ex causis absolventes.

Decisio quoad praecedentiam abbat. de per se absque conventibus.

Impositio perpetui silentii.

Absolutio partium ab expensis.

Ita est. I.

Ita refero et censeo pronunciandum esse. Ioannes Michael, cardinalis Saracenus.
Ita refero et censeo pronunciandum esse. Ioannes Baptista, cardinalis S. Clementis.
Ita refero et censeo pronunciandum esse. Bernardinus, cardinalis Tranensis.

Nomina cardinalium, qui causam cognoverunt et Pontifici retulerunt.

XCII.

Revocatio quorumcumque indultorum, confessionalium, Maris Magni, *aliorumque privilegiorum, quibuscumque, etiam regularibus, concessorum, in his, quae concilio Tridentino adversantur* [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

In Principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti, nihil neque universali Ecclesiae curae et solicitudini nostrae commissae salubrius, neque iniuncto nobis apostolicae servitutis officio decentius praestare possumus, quam quod providentiae nostrae ministerio oecumenicum concilium Tridentinum, sicut nostris potissimum auspiciis, summaque sanctorum patrum concordia, per Dei misericordiam feliciter absolutum fuit, ita per universos, qui christiana pietate censentur, ubique suscipiatur, et, remotis quibuslibet obstaculis, ab omnibus aequaliter observetur.

Proœmium.

1 Indictionem huius concilii et eius prosecutionem videre est hic in constitutione XXVII, *Ad Ecclesiae*, pag. 90. Et indulta praelatorum concilio interessentium sunt in constitut. XXXV, *Circumspecta*, pag. 110; quando ligare coeperit, vide in constitutione *Sicut ad*.

Concilium Tridentinum multa statuit ad morum reformationem, quibus plurimorum indulta adversantur.

§ 1. Cum itaque in eodem concilio quamplura salubria et ad universalem morum reformationem valde utilia decreta atque statuta, maturo praesentium ipsorum examine praecedente, sint edita, quibus multa atque diversa privilegia, exemptiones, immunitates, dispensationes, facultates, conservatoriae, indulta et, ut vocant, *Confessionalia* et *Mare Magnum*, et aliae gratiae, quae variis, tam cathedralibus, etiam metropolitanis, quam collegiatis ecclesiis, monasteriis, conventibus et aliis religiosis, etiam fratrum Mendicantium domibus et Ordinibus, necnon Sancti Spiritus in Saxia, Sancti Ioannis Lateranensis ac Incurabilium de Urbe, Sancti Antonii Viennensis et Sancti Bernardi Iurensis, aliisque hospitalibus, militiis, eorumque capitulis et conventibus ac universitatibus, etiam Studiorum generalium collegiis, tam saecularibus quam ecclesiasticis, confraternitatibus, societatibus, et tam Principis Apostolorum de Urbe quam aliis fabricis, Sanctae Cruciatae, aliisque piis locis et operibus, necnon patriarchis, archiepiscopis, episcopis, praelatis, abbatibus, abbatissis, prioribus, praepositis et aliis ecclesiasticis, tam saecularibus quam diversorum Ordinum et militiarum regularibus, ac etiam laicis, cuiuscumque dignitatis, status ac gradus et excellentiae, ac etiam ducali, regia et imperiali dignitate fulgentibus, utriusque sexus personis, necnon aliquibus notariis et etiam de latere legatis atque nunciis, tam perpetuo quam ad tempus, per Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam eiusque legatos hactenus, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, seu etiam imperatorum, regum, ducum et aliorum principum contemplatione et intuitu, etiam de fratrum consilio, diversimode, variisque temporibus, in genere vel specie, ex quavis, etiam honesta, causa concessa et etiam pluries confirmata et innovata fuerint, in plerisque contrariantur.

Illa ergo indulta hic Pontifex revocat;

§ 2. Nos, quibus in primis cordi est, tam sancta et Ecclesiae Dei saluberrima decreta suos, ut par est, effectus ubique consequi et ab omnibus obedienter observari, privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, *Maris Magni* et aliarum gratiarum praedictarum ac quarumcumque apostolicarum et aliarum literarum desuper confectarum, processuumque, decretorum et aliorum inde secutorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et plene insertis habentes, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod eadem omnia et singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatoriae, indulta, *Confessionalia*, *Mare Magnum* et aliae gratiae in his omnibus et singulis, in quibus illa statutis et decretis concilii huiusmodi contrariantur, ipso iure revocata, cassata et annullata, ac ad ipsius concilii terminos atque limites reducta sint et esse censeantur; nec quicquam adversus ipsa decreta et statuta, quominus ubique et apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi et reputari debere, ac si numquam emanassent, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus, ac etiam statuimus et ordinamus.

Et eorum vigore acta et agenda, a die quo dictum concilium ligare coepit, nulla esse decernit.

§ 3. Decernentes nihilominus omnia et singula, quæ, vigore privilegiorum, exemptionum, immunitatum et dispensationum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium et aliarum quarumcumque gratiarum huiusmodi, post id tempus, quo concilium obligare coepit, facta et gesta quomodolibet fuerunt et in posterum fient, in iis, in quibus dicti con-

cilii decretis adversantur, nulla, invalida et irrita esse et censeri, ac nemini, etiam quantumlibet, ut praefertur, qualificato, tam in foro, quod aiunt, fori, quam conscientiae, suffragari posse et debere.

Clausula sublata.

§ 4. Et ita, per quoscumque locorum ordinarios aliosque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, in utroque foro iudicari et definiri debere; ac quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, statuti, ordinationis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimoquarto, decimotertio kalendas martii, pontificatus nostri anno v.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimoquinto, indictione octava, die vero vigesimaquarta mensis februarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri Pii divina providentia Papae IV anno eius VI, retroscriptae literae apostolicae affixae et publicatae fuerunt in acie Campi Florae et valvis Cancellariae Apostolicae per nos Nicolaum de Matthaeis et Camillum Cherubinum, sanctissimi domini nostri Papae cursores.

Philibertus Chapuis, magister cursorum.

Dat. die 18 februarii 1564, pontif. anno v.

XCIII.

Revocatio licentiarum omnium quibuscumque (exceptis commissariis et inquisitoribus haereticae pravitatis) concessarum, tenendi vel legendi libros Lutheranos aut de haeresi suspectos. Et prohibitio illos de cetero habendi vel legendi.

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum pro munere quod sustinemus, id praecipue nobis propositum habeamus et omni studio diligentiaque curemus, ut omnes christifideles tam gravibus calamitosisque temporibus in recta et catholica fide contineamus, id agere et providere necesse est, ut omnem omnibus aberrandi ab ea occasionem subtrahamus. Nemini autem mirum videri debet, si Romanus Pontifex nonnunquam facultates aliquas, quas ipse vel praedecessores eius, probabili adducti ratione, concesserint, postea revocet, cum, ipso rerum usu edoctus, animadverterit eas iustiori de causa esse revocandas.

Causae revocationis.

§ 1. Ad notitiam nostram pervenit, ex data nonnullis licentia habendi et legendi libros haereticos aut de haeresi suspectos, ad haereses et errores, qui in eis libris continebantur, refellendos, non raro evenire solere ut illis ipsis eorum librorum lectio noceat, quibus ob eam causam concessa fuerit, ut aliis prodesse possent, illis ipsis haeresibus et erroribus, propter humanae mentis imbecillitatem, eos implicans, a quibus se alios revocaturos esse confisi fuerant.

Revocatio licentiarum habendi et legendi libros Lutheranos vel de haeresi suspectos.

§ 2. Huic rei providere et animarum periculo, quantum fieri potest, pro pastorali solicitudine occurrere cupientes, cogitantesque nobiscum nuper in sacro generali concilio haereses horum temporum ita confutatas atque damnatas fuisse, ut tantae synodi auctoritas, cuius decreta huius sanctae Sedis auctoritate, cum de-

liberatione matura confirmata et comprobata sunt, ad vitandos errores, et catholicae fidei veritatem agnoscendam sufficere omnibus debeat, nec ullius praeterea confutatio requirenda sit, praedecessorum nostrorum, praesertim felicis recordationis Iulii III et Pauli IV, vestigiis insistentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac deliberatione matura, omnes et singulas facultates habendi et legendi libros Lutheranos aut aliorum haereticorum seu de haeresi suspectos, omnibus, tam clericis saecularibus aut regularibus, quam laicis, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis sint, etiamsi episcopali vel archiepiscopali aut alia maiori ecclesiastica seu saeculari dignitate praefulgeant (inquisitoribus et commissariis haereticae pravitatis a Sede Apostolica deputatis, quoad eo officio fungentur, exceptis), a nobis aut quocumque praedecessorum nostrorum seu Apostolicae Sedis legatis maiorive poenitentiario vel quibuscumque aliis, quibuscumque verborum formis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, quomodolibet, etiam motu et scientia simili, ad hoc tempus concessas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, revocamus, et pro revocatis et irritis, perinde ac si numquam concessae fuissent, habemus et haberi volumus.

Prohibitio legendi et habendi libros prohibitos et prohibendos.

§ 3. Inhibentes omnibus sub censuris, sententiis et poenis, tam a sacris canonibus quam a Sede Apostolica ad hoc tempus constitutis in eos, qui huiusmodi libros legant aut habeant, ne quis eorum posthac eis facultatibus uti, neve ullos omnino libros huiusmodi improbatos et prohibitos, aut quos in posterum a Sede Apostolica inquisitoribusque haereticae pravitatis aut locorum ordinariis improbari prohiberique contigerit, legere habereve quacumque de causa audeat.

Monitio ut tales libri inquisitoribus locorum consignentur.

§ 4. Impressores autem et bibliopolas, et alios, quicumque eiusmodi libros habent habuerintve (inquisitoribus et commissariis iisdem dumtaxat exceptis), monemus, et cuilibet eorum, in virtute sanctae obedientiae, et sub poena incursus criminis haeresis et aliis contra haereticos a iure inflictis et irrogatis, tam ecclesiasticis quam temporalibus sententiis, censuris et poenis, praecipimus ac mandamus ut eos libros intra sexaginta dies a die quo hae literae publicatae fuerint numerandos, quorum viginti pro primo, alios viginti pro secundo, reliquos viginti pro tertio ac peremptorio termino et monitione canonica eis assignamus, inquisitoribus haereticae pravitatis in civitatibus, in quibus ii libri sint, tradant atque consignent.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma publicandi hanc constitutionem.

§ 6. Ut vero hae literae et quae in eis continentur ad omnium, quorum oportet, notitiam perveniant, nec quisquam ea excusatione uti possit quod illa ignoraverit, volumus et mandamus ut in basilica Vaticana Principis Apostolorum et in ecclesia Lateranensi, tunc cum in eis populus, ut missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam et clara voce, a Curiae nostrae cursoribus seu notariis aliquibus publicis recitentur; et postquam recitatae fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque Cancellariae Apostolicae et in loco solito Campi Florae affigantur, ibique, quo legi et omnibus innotescere possint, aliquamdiu relinquantur.

§ 7. Transumptis quoque earum, quae

Fides transumptorum.

manu alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, ut sine dubitatione ulla fides habeatur, mandamus atque decernimus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV martii MDLXIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 martii 1564, pontif. anno V.

XCIV.

Approbatio indicis librorum prohibitorum, cum regulis firmatis per patres a sacro concilio Tridentino deputatos; et prohibitio illos de cetero habendi et legendi.

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Lectio librorum haereticor. nedum simplices, sed etiam doctos viros corrumpit.

Dominici gregis custodiae, Domino disponente, praepositi, vigilis more pastoris non desistimus ipsi gregi ab imminentibus periculis, quanta maxima possumus cura et diligentia, praecavere, ne propter negligentiam nostram pereant oves, quae pretiosissimo Domini nostri Iesu Christi sanguine sunt redemptae. Etsi autem quae ad fidei veritatem patefaciendam et ad horum temporum haereses confutandas pertinebant, in oecumenico et generali concilio Tridentino, Sancti Spiritus assistente gratia, nuper adeo enucleata ac definita fuerunt, ut facile iam sit unicuique sanam catholicamque doctrinam a falsa adulterinaque internoscere; tamen, cum librorum ab haereticis editorum lectio non modo simpliciores homines corrumpere soleat, verum saepe etiam doctos eruditosque in varios errores et a veritate fidei catholicae alienas opiniones inducere, huic quoque rei esse duximus providendum.

Ideo concilium Trid. delegit praelatos ad formandum indicem librorum prohibitorum.

§ 1. Cum autem aptissimum ei malo remedium esse sciremus, si componeretur atque ederetur index sive catalogus librorum, qui vel haeretici sint vel de haeretica pravitate suspecti, vel certe moribus et pietati noceant, id negocium ad sacram Tridentinam synodum reieceramus; ea vero, ex tanta episcoporum et aliorum doctissimorum virorum copia, delegit ad eum conficiendum indicem multos cum doctrina tum iudicio insignes praelatos ex omnibus fere nationibus. Qui quidem, non sine maximo labore plurimisque vigiliis, eum indicem tandem, Deo iuvante, perfecerunt, adhibitis etiam in consilium lectissimis quibusdam theologis. Peracto autem concilio, cum, ex ipsius synodi decreto, is index nobis oblatus fuisset, ut ne ante ederetur quam a nobis approbatus fuisset, nos doctissimis quibusdam probatissimisque praelatis eum accuratissime legendum examinandumque tradidimus, et ipsi etiam legimus.

Illum ideo iam perfectum modo approbat hic Pontifex;

§ 2. Cum igitur eum magno studio, acri iudicio, diuturna cura confectum, et praeterea commodissime digestum esse cognoverimus, nos, saluti animarum consulere, eamque ob causam providere cupientes, ne libri et scripta cuiuscumque generis, quae in eo improbantur, sive ut haeretica sive ut de haeretica pravitate suspecta, sive ut pietati ac morum honestati inutilia aut aliqua correctione saltem indigentia, posthac a christifidelibus legantur, ipsum indicem, una cum regulis ei praepositis [1], auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus, imprimique ac divulgari et ab omnibus universitatibus catholicis ac quibuscumque aliis ubique suscipi, easque regulas observari mandamus atque decernimus.

Illosque legi vel teneri prohibet;

§ 3. Inhibentes omnibus et singulis, tam ecclesiasticis personis, saecularibus et regularibus, cuiuscumque gradus, ordinis et dignitatis sint, quam laicis, quocumque honore ac dignitate praeditis, ne quis, contra earum regularum praescriptum aut ipsius prohibitionem indicis, libros ul-

1 Vide *Regulas* X *De libris prohibitis* ad calcem *Canon. et Decret. Conc. Trid.* editas (R. T.).

los legere habereve audeat. Si quis autem adversus eas regulas prohibitionemque fecerit, is quidem, qui haereticorum libros vel cuiusvis auctoris scripta propter haeresim vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit habueritve, ipso iure in excommunicationis poenam incidat, eamque ob causam in eum, tamquam de haeresi suspectum, inquiri et procedi liceat, praeter alias poenas super hoc ab Apostolica Sede sacrisque canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit habueritve, praeter peccati mortalis reatum, episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum.

Contrariis derogat;

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum ne excommunicari possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Formam publicationis huius bullae profert;

§ 5. Ut haec autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorationis uti possit, volumus et mandamus ut hae literae per aliquos Curiae nostrae cursores in basilica Vaticana Principis Apostolorum et in ecclesia Lateranensi, tunc cum in eis populus, ut missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam et clara voce recitentur; et postquam recitatae fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque Cancellariae Apostolicae et in loco solito Campi Floræ affigantur, ibique, ut legi et omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, earum exempla in iisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem et affixionem omnes et singulos, qui in his literis comprehenduntur, post tres menses a die publicationis et affixionis earum numerandos, volumus perinde adstrictos et obligatos esse, ac si ipsismet illae editae lectaeque fuissent.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Transumptis quoque earum, quae manu alicuius publici notarii scripta, subscriptave, et sigillo ac subscriptione alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi mandamus atque decernimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV martii MDLXIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 martii 1564, pontif. anno V.

XCV.

Approbatio confraternitatis sub invocatione Sanctissimi Nominis Dei, ad cavendum blasphemias, periuria illicitaque iuramenta institutae, cum indulgentiarum et aliarum gratiarum concessione.

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniunctum nobis apostolicae servitutis officium nos admonet ut animarum saluti, quantum cum Deo possumus, etiam multiplicatis gratiis, omni ratione consulamus.

Institutio sodalitatis Nominis Dei in Hispaniis.

§ 1. Hodie siquidem per nos accepto quod in Burgiensi et pluribus aliis Hispaniarum civitatibus et aliis locis una saluberrima confraternitas sub vocabulo Nominis Iesu instituta erat, cuius confratrum partes potissimum essent diligenter cavere ne vel ipsi vel alii coram eis aliquo modo, nisi ob causam gravissimam, iurarent, et contrafacientes modeste admonerent. Quodque ipsi confraternitati plurimi christifideles se conscribi fecerant, quorum opera et studio blasphemiae, periuria et alia illicita iuramenta commode prohibebantur.

§ 2. Nos, ut ipsa confraternitas in ma-

Approbatio Pontificis dictae sodalitatis ubique terrarum cum indulgen. pro die Circumcisionis,

iori semper reverentia habeatur, et christifideles eo libentius illam ingrediantur, quo ipsa amplioribus decorata spiritualium gratiarum donis, et apostolicis fuerit suffulta privilegiis, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis dictae confraternitatis, ubivis terrarum et locorum nunc et pro tempore diffusae, utriusque sexus confratribus in illa nunc et pro tempore descriptis, ubilibet constitutis, sive sub eiusdem confraternitatis Regula prius edita sive sub alia simili comprehendantur, qui vere poenitentes et confessi die festo Circumcisionis Domini nostri Iesu Christi annis singulis, in perpetuum, sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum susceperint, et solemnitati per ipsam confraternitatem in dicto die festo ubivis locorum pro tempore celebrari solitae in toto vel in parte interfuerint, quoties id egerint, toties, pro quolibet die festo huiusmodi, plenariam omnium et singulorum ac quorumcumque peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et absolutionem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et elargimur.

Primaque dominica cuiuscumque mensis,

§ 3. Illis vero dictae confraternitatis confratribus, qui qualibet prima die, dominica cuiusque mensis totius anni, similiter in perpetuum ad missam, quam ipsi confratres audire tenentur, audiendam convenerint, quotiescumque id egerint, decem annos.

Admonentibus quoque temere iurantes et blasphemantes.

§ 4. Qui vero temere iurantem aut alias divinum nomen blasphemantem, modeste et charitative quandocumque admonuerint, pro qualibet vice, centum dies. Et cuicumque verbi Dei praedicatori sæculari vel cuiusvis Ordinis regulari, qui christifideles ut a iuramentorum abusibus caveant et hanc dictae confraternitatis Regulam amplectantur hortatus fuerit, decem annos de iniunctis sibi poenitentiis in forma Ecclesiae consueta misericorditer in Domino relaxamus.

Facultas confratr. eligendi in die Circumcisionis confessores approbates, qui eos absolvant *etc.*

§ 5. Et ut ipsi confratres dictae indulgentiae plenariae, Deo propitio, facilius efficiantur participes, illis et eorum singulis, indulgentiam huiusmodi consequi volentibus, ut dicto die festo Circumcisionis occurrente, quoscumque sibi benevisos idoneos presbyteros, saeculares vel cuiusvis Ordinis regulares, per ordinarium loci approbandos, in suos possint eligere confessores, qui, confessionibus ipsorum diligenter auditis, eos et eorum quemlibet ab omni et quacumque excommunicationis, etiam maioris, et ab omnibus et quibusvis aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine aut mixtim, quavis occasione vel causa latis (salvo tamen iure tertii), necnon ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam locorum ordinariis ac Sedi Apostolicae reservatis, praeterquam in bulla die Coenae Domini legi consueta contentis, dicta auctoritate apostolica absolvere, eisque pro commissis poenitentiam salutarem iniungere. Ac vota quaecumque (Hierosolymitano, visitationis Liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli praedictorum de Urbe ac Iacobi in Compostella, necnon castitatis et Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeant, similiter, auctoritate et tenore praemissis, perpetuo concedimus et indulgemus.

Ordinarii favere promotioni huius sodalitatis.

§ 6. Mandantes universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis ceteris ecclesiarum praelatis et locorum ordinariis ubilibet constitutis eorumque generalibus in spiritualibus vicariis et officialibus, quod, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro confratrum praedictorum parte fuerint requisiti, eidem confraternitati praedictae pro posse faveant,

favorabiliter assistant, et illam promovere procurent.

Clausulae huius constitut. praeservativae.

§ 7. Praesentibus, quas nunquam, etiam per nos aut alios Romanos Pontifices successores nostros, vel Sedem praefatam, aut alios quoscumque quomodolibet revocari, suspendi, limitari, reduci, moditicari, aut eis in aliquo derogari posse; neque sub quibusvis illarum aut similium vel dissimilium indulgentiarum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, alterationibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, in genere vel specie, per nos vel successores nostros aut Sedem praefatam seu quosvis alios et ex quibuscumque, etiam urgentissimis et necessariis, causis, etiam pro fabrica basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Cruciata Sancta vel expeditione contra infideles, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, ducum, principum vel aliorum instantiam seu eorum contemplatione, vel etiam motu proprio et ex certa scientia ac alias quomodolibet canonice vel de facto, nunc et pro tempore impositis et factis, ullatenus umquam comprehensis, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas fore ac censeri decernimus, perpetuis futuris temporibus [1].

In die Circumcisionis, non obstante interdicto, in locis confraternitatis celebrari potest, et sociorum corpora sepeliri valent.

§ 8. Ut autem ipsi confratres maiorem a nobis gratiam reportasse laetentur, eisdem confessoribus confratribus iuramenta quaelibet sine alterius praeiudicio relaxare. Et praeterea eidem confraternitati illiusque confratribus ac ecclesiis, cappellis et altaribus eiusdem ubilibet constitutis, quod quocumque tempore cuiusvis interdicti et cessationis a divinis, videlicet dicto die festo Circumcisionis, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei inclusive, vesperae, missae aliaque divina officia in ipsius confraternitatis ecclesiis, altaribus ac cappellis solemniter et publice celebrari. Qualibet vero prima die dominica cuiuslibet mensis privati confratres privatam eorum missam, ex eiusdem confraternitatis instituto celebrari solitam, celebrari facere, illique interesse. Ac insuper semel in mense Dominicum Corpus suscipere. Et quoties aliquem vel aliquos ex ipsis confratribus quocumque tempore interdicti seu cessationis a divinis huiusmodi mori contigerit, dummodo causam non dederit interdicto, eorum cadavera cum moderata pompa sepeliri, libere et licite valeant. Et interim interdicta et cessationes a divinis huiusmodi, quaecumque sint, ad effectum praemissum, omnino suspendantur et suspensa esse censeantur, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae praeservativae.

§ 9. Ac praesentes literas sub quibusvis revocationibus, derogationibus vel limitationibus similium gratiarum, per nos vel successores nostros, in genere vel in specie, ex quibusvis, etiam urgentissimis, causis, etiam ad imperatoris, regum et aliorum principum instantiam, pro tempore quomodolibet emanatis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas fore.

Decretum irritans.

§ 10. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere, ac quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae

§ 11. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac Cancellariae Apostolicae regulis editis et edendis, necnon, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate

1 *Duraturas* addit Cherub. (R. T.).

alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio circa dictam facultatem eligendi confessorem.

§ 12. Volumus autem, ne confratres ipsi, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita committenda, quod si a sinceritate fidei et unitate S. R. E. ac obedientia et devotione nostris vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium destiterint, aut confidentia eiusdem gratiae aliqua commiserint, gratia et literae, quoad eligendum confessorem huiusmodi, illis nullatenus suffragentur.

Declaratio circa dictas indulgentias.

§ 13. Volumus autem quod si aliqua alia indulgentia fuerit per nos in aliquo loco eidem confraternitati concessa, præsentes, quoad locum huiusmodi, nullae sint.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, idibus aprilis, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 13 aprilis 1564, pont. anno v.

XCVI.

Cancellariae criminales Status Ecclesiastici ex causa vere onerosa aliis non concessae, Reverendae Camerae Apostolicae iterato applicantur, et statuta pro cancellariis praefiniuntur, cum privilegiorum concessione; ac thesaurarii et auditoris Camerae super illis et eorum causis iurisdictione et auctoritate [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Superna providentia, quae cunctorum christifidelium coetum per diversa rectorum officia statuit in rectitudine gubernandum, pontificalem ad hoc nobis supremam contulit dignitatem, ut prae ceteris, per congruam executionem pastoralis officii, cuius ministerio, numine afflante divino, quamvis indigni, praesidemus, cunctorum, praesertim nobis et Sedi Apostolicae subditorum, utilitati et indemnitati salubriter consulamus; ac ne in civitatibus, terris, castris et aliis eidem Sedi immediate subiectis locis, notariorum et tabellionum seu scribarum incuria vel nimia indulgentia aut impunitate, partium contrahentium et litigantium actus et instrumenta, summo cum eorum detrimento, depereant, aut falsitatis, immutationis vel alterationis vitio subiaceant, sed ad omnium commoditatem illa debite diligenterque conserventur illaesa, et proinde, ut ius suum unicuique intactum remaneat, opem et operam efficaces impendamus.

Causa istius constitutionis.

§ 1. Cum itaque (sicut magno cum animi nostri moerore accepimus) in quamplurimis Status nostri Ecclesiastici civitatibus, terris, castris et locis nulla fere aut rara admodum archivia seu regestra, pro contractuum instrumentorumque et actorum aliorum, necnon varii alterius generis publicarum scripturarum debita conservatione, sint instituta, et si quae sint ita incertis usu et consuetudine depravata reperiantur, ut qui illis praesunt notarii, tabelliones et scribae, etiam actuarii, cum ipsi vel ad tempus a locorum communitatibus et universitatibus seu aliis superioribus aut personis, ad id se potestatem habere praetendentibus, ad notariatuum officia exercenda sint electi, vel ex eo quod officia ipsa a nobis vel praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus seu Camera Apostolica ipsis gratiose concessa sunt, exercitia suorum officiorum huiusmodi parvipendentes, illorumque amissionem vel privationem seu quasvis alterius generis mulctas vel poenas nusquam metuentes, partes ipsas exhibendis instrumentis, quorum conservationem ipsi prorsus negligunt, in forma probante, ac

1 Eamdem applicationem fecit Paulus IV in constitutione xv, *Romanus*, tom. vi, pag. 518

solutionibus superinde faciendis pro eorum arbitrio vexare non vereantur, ac (quod peius esse videtur) ipsorumque quamplures, praesertim in locis, in quibus illorum electio et deputatio ad communitates aut universitates, quas etiam circa officiorum damnorum datorum concessiones variis modis aberrare nobis plene constitit, spectat, literarum et artis notariatus rudes prorsus et ignari, ac ad tale munus suscipiendum et exequendum penitus inhabiles sint, in conficiendis instrumentis et aliis actibus publicis, sive decretis et declarationibus annotandis, infinitos committant errores et falsitates. Ac nulli revisores, qui se de notariorum eorumdem idoneitate et sufficientia informent, ac de eis attestentur, existant, sed passim favore, pretio vel pactionibus, etiam super officiorum notariatuum huiusmodi emolumentis, partim vero electores, partim vero iudices et commissarii, dividendis et distribuendis coniunctim eligantur, ac propterea excessivæ scripturarum taxae et exactiones, non minus iniuste quam indebite, extorqueantur, causaeque in longum protrahantur et quasi immortales efficiantur.

Pauli IV constitutio edita super istis cancellariis male observatur.

§ 2. Cumque institutio felicis recordationis Pauli Papae IV, praedecessoris nostri, praemissis ac forsan aliis tunc suadentibus causis moti, super officiis notariatuum huiusmodi in causis criminalibus Status nostri praedicti, proinde quidem ac permaxime utilium capitulorum editio facta per legatos et vicelegatos ac gubernatores locorum ita negligantur, ut ipsi (nescitur qua ratione ducti), præter et contra mentem et intentionem nostras, illa et capitulis huiusmodi omnino neglectis, cancellarios et notarios pro eorum libito, in civitatibus, terris, castris et locis, sub eorum legationibus seu guberniis comprehensis, ponere, aliis amotis [1], in eorum officia, autea, quae ad illa spectant, se ingerere non formidant, quam ob causam plura etiam ad praesens in huiusmodi criminalibus notariatuum officia penes dictam Cameram, non sine maximo eius detrimento, vendenda remanent, in gravem divinae Maiestatis offensam, partiumque contrahentium et litigantium praeiudicium et gravamen, notariorumque, iudicum et commissariorum necnon communitatum et universitatum aliarumque personarum animarum periculum et iacturam ac plurimorum scandalum.

1 Cherub. legit: *aliis amotis, aut si non amotis, in eorum* etc. (R. T.).

Ideo ab isto Pontifice revocantur omnes concession. de eis factae ex causa non onerosa.

§ 3. Nos igitur, quo imminet talia ad meliorem et saniorem statum reducendi continua solicitudo, praemissis, ne fiant in posterum, debitae provisionis nostrae adminiculo, quantum nobis ex alto conceditur, obviare; necnon animarum saluti, nostrorumque civitatum, terrarum, castrorum et locorum huiusmodi ac eorum incolarum, praesertim litigantium et contrahentium, statui, quieti, commoditati, securitati ac salubriori directioni illorum regiminis consulere volentes; necnon quascumque provisiones, concessiones, assignationes et quasvis alias dispositiones de praedictis civilibus, et quæ tam coniunctim quam separatim exerceri solent, et nondum vendita penes dictam Cameram existunt, criminalibus huiusmodi, et ratione scripturarum duntaxat damnorum datorum officiis, civitatum, terrarum, castrorum et locorum huiusmodi, etiamsi ad legatorum, communitatum, universitatum et aliarum particularium personarum, cuiuscumque dignitatis, præeminentiae et auctoritatis existentium, quovis modo pertineant, et illa per deputatos a legatis, vicelegatis, gubernatoribus seu potestatibus vel aliis iustitiae ministris hactenus exerceri solita sint, ac ad praesens exerceantur, quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus et conditionis existentibus, per nos aut quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem eamdem, ac etiam legatos, vicele-

gatos, gubernatores, potestates ac alios officiales et personas huiusmodi, perpetuo vel ad tempus, praeterquam tamen ex causa onerosa, solutionis videlicet et exbursationis pecuniarum factas, illarum omnium veriores tenores, datas et decreta, etiam irritantia, in eis apposita, ac causa propter quas factae et concessae fuerunt, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, harum serie revocantes, cassantes et annullantes, ac revocatas, cassatas et annullatas nulliusque roboris vel momenti existere, neminique suffragari aut prodesse posse seu debere decernentes. Ipsaque officia a quibusvis communitatibus, universitatibus, legationibus, guberniis, etiam perpetuis vel temporalibus, necnon magistratibus, potestatibus et aliis iudicibus et personis, penitus et omnino perpetuo dismembrantes et separantes, ac eadem officia Camerae praefatae applicantes et appropriantes, et ad illam in futurum perpetuo [1] declarantes et decernentes.

Paulique praedicti bulla confirmatur.

§ 4. Necnon Pauli praedecessoris huiusmodi super notariatuum in criminalibus officiis confectas literas, veriorem illarum tenorem, ac si de verbo ad verbum insertus foret, praesentibus pro expresso ac inserto habentes, apostolica auctoritate, etiam perpetuo, confirmantes et approbantes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera nostra deliberatione, dilectum filium Donatum Matthaeum Minalem, modernum et pro tempore existentem thesaurarium nostrum generalem, totius Status nostri Ecclesiastici et Cameræ huiusmodi commissarium generalem, ad omnia et singula quarumcumque legationum, civitatum, terrarum et locorum totius Status Ecclesiastici praedicti notariatuum in civilibus et nondum vendita criminalia, necnon damnorum datorum officia, etiamsi illa per unum vel duos aut plures notarios exerceri consueverint, ac sub quorumcumque S. R. E. cardinalium vel aliarum personarum legationibus aut guberniis, perpetuis vel temporalibus, comprehensa sint, cum eorum scripturis, si quae sint, necnon honoribus, oneribus et emolumentis, cum capitulis infrascriptis ac alias cum obligationibus, clausulis, cautelis, decretis, pactis et conditionibus, ac pro pretio seu pretiis dicto thesaurario benevisis in utilitatem ipsius Camerae convertendis et applicandis ad vitam quibusvis personis, originariis vel forensibus sibi benevisis.

Thesaurario facultas eas alienandi conceditur.

§ 5. Ita quod liceat ipsi thesaurario pro tempore existenti personas huiusmodi officia pro tempore ementes, in corporalem, realem et actualem omnium et singulorum officiorum emptorum huiusmodi possessionem seu quasi inducere, inductosque defendere et manutenere, amotis exinde, etiam manu regia, appellatione postposita et cessante, quibusvis eorum detentoribus, quos nos etiam per praesentes amovemus et amotos esse denunciamus.

Cancellarii statim publici notarii efficiuntur.

§ 6. Necnon personas officia huiusmodi pro tempore ementes, statim, emptione et illorum admissione factis, in notarios publicos et legales creamus, constituimus et deputamus. Ita quod eis in posterum liceat quaelibet instrumenta et scripturas, etiam ratione damnorum datorum huiusmodi, ac in civilibus et criminalibus causis respective, coniunctim vel separatim, et alias, iuxta modum per praedictum thesaurarium praescribendum, coram quocumque sive quibuscumque iudicibus et personis, saecularibus vel ecclesiasticis, quacumque potestate, vel etiam cardinalatus honore aut alias fulgentibus, et tam in iudicio quam extra scribere.

Thesaurarii facultas vendendi cancellarias etiam originariis,

§ 7. Necnon officia in criminalibus huiusmodi nondum vendita, si dictus thesaurarius illorum emolumentorum tenuitatem perspexerit, una cum civilibus of-

1 Adde cum Cherub. *spectare* (R. T.).

ficiis, literis Pauli praedecessoris huiusmodi quoad hoc non obstantibus, personis, etiam locorum originariis et incolis vel forensibus, ac alias prout eidem thesaurario melius videbitur, nomine eiusdem Camerae et in illius utilitatem vendenda, concedenda, conferenda et alienanda, et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine constituimus et deputamus.

Cameramque pro venditionibus huiusmodi obligandi;

§ 8. Eique Cameram ipsam omniaque illius bona, praemissorum occasione, in amplissima forma eiusdem Camerae obligandi, aliaque in praemissis et circa ea necessaria ac opportuna faciendi et exercendi; necnon detentores praedictos expellendi.

Cancellarias occupantes expellendi;

Commissarios deputandi;

§ 9. Ac unum vel plures commissarium seu commissarios loco sui, cum simili aut limitata potestate, facultate et auctoritate ac alias, prout sibi videbitur, ad praemissa deputandi.

Dubia interpretandi et lites decidendi summarie, *etc.*

§ 10. Ac si quae forsan super praemissis omnibus et singulis aut aliis, illorum occasione, per eorumdem officiorum emptores aut communitates, universitates, legatos, vicelegatos, gubernatores aut alias personas, dubitari contingeret, ac propterea iam forsan inter eos orta sint, et oriri in posterum contigerit lites et dubia, illa interpretandi et declarandi, ac summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, appellatione remota, decidendi et terminandi, plenam et liberam ac omnimodam potestatem, facultatem et auctoritatem damus, concedimus et impartimur.

Prohibitio ceteris omnibus de cancellariis disponendi.

§ 11. Districtius inhibentes quibusvis communitatibus, collegiis et aliis particularibus personis et pro tempore existentibus legatis, vicelegatis, gubernatoribus, potestatibus, officialibus, iudicibus et commissariis, quibuscumque potestate, auctoritate, facultatibus, privilegiis, indultis, praerogativis, praeeminentiis et dignitatibus munitis, ne sub indignationis nostrae ac excommunicationis latae sententiae, aliisque quoad inferiores a legatis et vicelegatis praedictis, eiusdem thesaurarii arbitrio moderandis, applicandis et infligendis poenis, quovis quaesito colore, ingenio vel praetextu, audeant seu praesumant se ulterius in eisdem notariatuum officiis, tam per Cameram venditis quam deinceps vendendis, ac aliis praemissis, vel eorum interpretatione ac originalibus scripturis officia huiusmodi ipsorumque notariorum praeiudicium concernentibus, per se seu eorum cancellarios seu secretarios aut scribas vel alium seu alios intromittere, aut de illis quomodolibet disponere, seu notarios illa pro tempore ementes molestare, perturbare vel impedire aut contra eos procedere. Decernentes et declarantes detentores praedictos spoliatos esse, dici et censeri, aut illis actionem spolii propterea competere aut desuper agere.

Praeservatio huiusmodi venditionum.

§ 12. Ac praesentes literas ullo umquam tempore, quovis quaesito colore vel ingenio, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari, argui vel impugnari, seu restitutiones in integrum adversus illas, per sic amotos vel alios quoscumque impetrari, aut eos illis, etiam motu simili, contra uti, ipsasque praesentes ad viam iuris reduci, etiam enormissimae laesionis aut alio quovis praetextu, nullatenus posse. Ac illas et quascumque venditiones, alienationes et concessiones de eisdem officiis per eumdem thesaurarium et commissarios ab eo pro tempore deputatos, nomine eiusdem Camerae faciendas, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, alterationibus vel limitationibus contrariis minime comprehendi, sed illas, perpetuis futuris temporibus, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et inviolabiliter observari, et

quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub data posteriori per ipsum thesaurarium seu commissarios et emptores eligenda, restitutas et de novo concessas esse et censeri; necnon personas, quibus officia huiusmodi vendentur et concedentur, si per legatos, vicelegatos, gubernatores, potestates et alios officiales praedictos pro tempore existentes modo aliquo molestari vel impediri contigerit, Cameram ipsam ad ipsos defendendum et manutenendum ac alia praemissa omnino teneri.

Cancellariae per triennium proximum non vacent, et vacantes a thesaurario concedantur,

§ 13. Ac officia notariatuum huiusmodi per triennium, a data praesentium computandum, vacabilia non esse, neque censeri, sed, dicto triennio elapso, singulorum officiorum praedictorum, quando per illa obtinentium resignationes, vel obitus, seu quamcumque aliam dimissionem vel admissionem aut venditionem vacaverint, illa, præcedentibus supplicationibus, manu Romani Pontificis aut in eius praesentia signandis, ac alias in omnibus et per omnia, prout in aliis Romanae Curiae officiis vacabilibus fieri consuevit, expediri debere. Necnon illa, hac prima vice tantum, per dictum thesaurarium pro pretio reperibili vendi; ipsumque thesaurarium literas patentes illarum concessionum et assignationum desuper expedire et concedere posse; ipsaque officia sub praesentibus comprehendi, et per eas Camerae praedictae applicata esse et censeri.

Cum facultate rogandi quaecumque instrumenta et acta.

§ 14. Necnon personas illa pro tempore ementes facultatem instrumenta quæcumque rogandi et scribendi, necnon actitandi aliaque faciendi in quocumque et quibuscumque tribunalibus gubernatorum ac eiusdem Status Ecclesiastici Rotae auditorum, civitatum, communitatum, potestatum, commissariorum deputatorum et deputandorum et aliorum quorumcumque officialium et iustitiae ministrorum ac in curia seu curiis mercatorum quorumlibet, ac coram quibuscumque officiis bullectarum, datiorum, gabellarum, mercium sive pecudum ac damnorum datorum huiusmodi, tam in causis civilibus quam criminalibus sive mixtis, iuxta modum per thesaurarium huiusmodi in illorum officiorum concessionum patentibus literis praescribendum et non alias, habere.

Originarii et exteri eas consequi possint;

§ 15. Ac tam cives vel originarios et incolas civitatum, terrarum, castrorum et locorum, in quibus officia huiusmodi instituta fuerint, quam extraneas personas officia ipsa emere posse.

Et ita et non alias observetur.

§ 16. Et ita in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, seu illorum locatenentes, ac etiam S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cancellarii statuta Pauli IV et istas ordinationes servent;

§ 17. Volumus autem quod personae, quibus officia huiusmodi concedentur, notarii curiales nuncupentur: ipsique infrascripta ac ea quae in eiusdem Pauli praedecessoris literis continentur ordinationes, statuta et capitula quaecumque, et praesertim ea quae illorum syndicatum concernunt, omnino observare, librosque conficere ac eorum instrumenta in protocolla debita redigere, sententias etiam aliasque scripturas diligenter conservare teneantur.

Acta in manualibus scribant;

§ 18. Quodque de cetero omnia acta, quae in litibus et causis fieri et scribi continget, non in forma processus, sed in libris manualibus nuncupatis, scribere teneantur.

Taxas observent;

§ 19. Nec ratione tam criminalium quam civilium officiorum huiusmodi, pro mercede, plusquam hodie capitur, capere possint, servatis modo et taxa in literis

Pauli praedecessoris praefati circa huiusmodi officia criminalia praescriptis.

Indultis et exemptionibus a Paulo IV concessis perfruantur;

§ 20. Ipsisque omnibus et singulis privilegiis, praerogativis et exemptionibus notariis criminalibus per literas Pauli praedecessoris huiusmodi concessis, quoad personas et res ipsorum notariorum et eorum substitutorum ac familiae usum et victum, in civitatibus, terris, castris et locis praedictis, ac, extra eas, per universum Statum nostrum Ecclesiasticum praedictum utantur, potiantur et gaudeant.

Contributiones nemini dare debeant.

§ 21. Quodque partem aliquam suorum emolumentorum contribuere, aut aliquod onus vel responsionem, ratione suorum officiorum, quibusvis communitatibus, collegiis, legatis, gubernatoribus aliisve personis solvere minime teneantur, non obstante quod alias contribuerint seu solverint aut onus aliquod habuerint, etiam ex causa onerosa, solutionis videlicet et exbursationis pecuniarum dictae Camerae tantum factae. Sed eo casu certior factus thesaurarius ipse, prius iis, quorum interest de sorte principali, quam solverint, aut alia aliqua remuneratione vel assignatione providere, et circa ea in prima dictorum officiorum venditione advertere debeat et teneatur. Sitque pro ea vice dumtaxat merus iudex, ita ut ab eius sententiis seu declarationibus vel decretis, verbo vel in scriptis, etiam ad partium instantiam latis et factis, appellari non liceat, auditis prius iis, quorum interest, quibus interea emptores praefati nihil solvere teneantur.

Auditor C eorum iudex deputatur, et thesaurarius respective

§ 22. Ac quod dicta Camera et illius Curiae causarum pro tempore existens generalis auditor et thesaurarius ac eorum quilibet in solidum emptores eorumdem officiorum, eorumque per eos emptorum officiorum huiusmodi substitutos in pacifica possessione manutenere debeat; ac, facta venditione praedicta, dictus auditor notariorum curialium huiusmodi, in omnibus causis, tam ratione dictorum suorum officiorum, quam alias contra eos per quoscumque quomodolibet pro tempore motis, merus iudex et executor sit esseque censeatur. Ita ut ipsi coram alio iudice, quovis praetextu vel causa, evocari seu trahi non possint, ac in eisdem litibus et causis, quae videlicet ratione personarum suarum inter eos, ac officiorum eorum contra quoscumque, idem auditor manu regia, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, appellatione ab eius sententia remota, procedere possit et debeat. Ita tamen quod pars, quae gravata censebitur, parito iudicato et refectis expensis, sententiae revisionem in Camera petere possit; et si damna aliqua per emptores notarios huiusmodi aut aliquem eorum passa, aut expensae in eisdem litibus et causis, ratione dictorum eorum officiorum, factae fuerint, idem auditor, prout iustum ei videbitur, a partibus condemnatis aut Camera praedictis de illis satisfieri facere procuret et teneatur.

Prohibitio ceteris officialibus desuper se intromittendi.

§ 23. Quodque legati et vicelegati provinciarum sive civitatum, castrorum, terrarum et locorum gubernatores, communitates et collegia, potestates ac commissarii, qui ad praesens administrant aut administraturi sunt iustitiam, coram quibus notarii seu eorum substituti, tam civiles quam criminales, in toto Statu Ecclesiastico pro tempore scribentes, existunt, non possint nec debeant notarios curiales huiusmodi molestare, vexare, perturbare seu impedire supra possessione seu quasi huiusmodi eorum officiorum vel emolumentis, neque se eorum officiis aliquatenus ingerere, ad eaque officia alios notarios quoquomodo intromittere, vel salaria eorum, contra earumdem praesentium ac Pauli praedecessoris desuper confectarum literarum huiusmodi formam, diminuere, nec dicta officia in affictum recipere, ne-

que conductores aliquos proferre, sub poena excommunicationis per contrafacientes eo ipso incurrenda, a qua, nonnisi a praedicto auditore Camerae, ac refectis prius, eiusdem auditoris arbitrio, damnis et interesse ipsorum notariorum curialium, et non alias, absolvi possint.

Cancellariarum concession. rescindantur si Camera Apostolica ultra dimidium laesa sit.

§ 24. Et si reperientur aliqua ex dictis officiis, tam civilibus quam criminalibus, vendita seu alias quibusvis personis, quocumque titulo, tam per nos quam praedecessores nostros aut Camera Apostolica, praeter et contra tam earumdem praesentium nostrarum quam praedicti Pauli praedecessoris iam desuper confectarum literarum huiusmodi formam et tenorem, quomodolibet alienata, si in alienatione huiusmodi dicta Camera ultra dimidium laesa fuisse reperiatur, tunc illorum emptoribus per Cameram ipsam prius restitutis pretiis, illa ab eodem thesaurario de novo, uti vacantia, vendantur; illaque in omnibus et per omnia sub præsentibus comprehendantur, et comprehensa omnino intelligantur.

Cancellarii eorum scripturas ad archivia deferre non tenentur, sed eorum successorib. consignare.

§ 25. Quodque in omnibus civitatibus, terris et locis totius Status Ecclesiastici praedictis, etiam si in illis archivia aliqua, non tamen ex causa onerosa, exbursationis videlicet pecuniarum eidem Camerae factae, ut praefertur, instituta, etiam quibusvis facultatibus et privilegiis munita existant, notarii ipsi curiales diligentissime scripturas et instrumenta suorum officiorum conservent, ac ad illorum delationem ad archivia huiusmodi non teneantur, sed illa, occurrente eorumdem officiorum, sive per cessum aut venditionem, sive per mortem aut alias, vacatione, ei, cui a Sede Apostolica officia huiusmodi sic vacantia concedentur, assignari et tradi debeant.

Cancellariae habentur pro archiviis ubi illa non sunt.

§ 26. Ipsique notarii curiales, in civitatibus, terris, castris et locis huiusmodi, in quibus nulla archivia existent, a reliquis civitatum, terrarum, castrorum et locorum eorumdem non curialibus notariis pro archivio habeantur, ac illarum scripturarum custodes existant, nec tam eas quam suas alias quavis de causa transportare valeant.

Officiales tenentur, ad instantiam cancellariorum, alios notarios inquirere et repertos inhabiles repellere.

§ 27. Ac civitatum, castrorum, terrarum et locorum, in quibus notarii ipsi curiales instituti fuerint, gubernatores seu iustitiae administratores, eisdem curialibus notariis instantibus, ceteros notarios non curiales, iure vel privilegio aut facultatibus instrumenta rogandi suffultos, de eorum privilegiis, facultatibus et iure huiusmodi inquirere, sibique suorum privilegiorum, facultatum et iuris patentes literas ostendi petere et facere; ac eos, quos habiles repererint, ad rogitus contractuum et instrumentorum suscipiendos admittere. Alios vero minus habiles, etiam quantumvis idoneos et sufficienti privilegio munitos, repellere, eisque, ne contractus et instrumenta conficiant aut se de eis rogent, inhibere possint, et cogant admissos huiusmodi notarios ad instrumenta redigenda in libros et protocolla, eisdem modo et forma, ac sub poenis, quae in dicta constitutione Pauli IV continentur. Quorum quidem notariorum non curialium inquisitio, singulis saltem mensibus, et ad quamlibet ipsorum curialium notariorum instantiam, et adversus inobedientes executio a gubernatoribus et iustitiae ministris huiusmodi, sine aliquo temporis intervallo, fiat, ad hoc ut scripturae publicae suum effectum sortiantur, sub poenis contra gubernatores aliosque iustitiae ministros, opem auxiliumque suum in supra et infra notatis casibus denegantes, praefato auditori Camerae benevisis.

Notarii rum decedent. scripturas cancellarii custodiunt, ubi archivia non sunt.

§ 28. Quando autem in praefatis locis, ubi nullum est archivium, quispiam notarius non curialis decesserit, aliquis ipsorum curialium notariorum cum cancel-

lario universitatis seu communitatis, si talis universitas vel communitas cancellarium habeat; sin minus, cum alio, ubi scripturae notarii non curialis defuncti reperirentur se conferat, ac eas accipiat et de illis inventarium conficiat; quo confecto, illud in libro penes se remansuro registret, et deinde illud notarii defuncti haeredibus consignet; ac scripturas huiusmodi ad officium suum transportet et simul cum aliis suis scripturis conservet. Ac casu quo extrahendum aut dandum sit sumptum aliquod scripturarum et instrumentorum notarii defuncti huiusmodi, possit et debeat illud publicare, tantamque mercedem recipere quantam, si rogatus de eodem sumpti instrumento fuisset, relictis tamen mercedis eiusdem tribus ex quatuor partibus haeredibus praefatis; et si dicti notarii non curiales, dum infirmantur, scripturas suas huiusmodi notariis curialibus consignare voluerint, teneantur notarii curiales huiusmodi eas recipere et, morte notarii consignantis succedente, ordinem, qui supra describitur, omnino sequi. Et, circa haec, gubernatores ceterique iustitiae ministri civitatum, terrarum, castrorum et locorum, in quibus notarii non curiales huiusmodi obierint, notariorum defunctorum huiusmodi haeredes ad consignandum scripturas illorum, si quae penes illos extiterint, sub poenis sibi benevisis, cogere et compellere, auxiliumque, favorem et operam efficaces desuper impendere debeant; quæ, si recusaverint, a praefato auditore Camerae, poena eiusdem auditoris arbitrio imponenda et applicanda, puniri possint. In locis autem ubi plures notarii aderunt curiales, occurrente obitu aliquorum notariorum non curialium, tunc is notarius curialis curam scripturarum defuncti habeat, qui ad hoc a ceteris sociis sorte extractus erit.

§ 29. Porro, si in civitate aut terra vel loco alio plures fuerint notarii curiales, nulli partium litigantium causam inchoare liceat coram eo notario, quem volet, etiam si causa vel lis sit ordinaria seu extraordinaria, aut commissionis sive appellationis, sed per turnum causae omnes distribuantur inter notarios, prout in alma Urbe ac inter Rotae notarios almae Urbis nostrae fieri et observari solet, videlicet qui voluerit committere causam vel litem aut eam inchoare de mandato superioris, sive per viam libelli sive alterius cuiusvis petitionis seu appellationis, adibit mensarium, qui, quolibet mense, sorte ab illis eligetur, et mutabitur ipse, librumque ad hunc effectum custodiet cum inscriptione nominum et cognominum aliorum notariorum collegarum suorum in eodem tribunali, ubi pendebit causa, eaque nomina in bussula ad hoc apta imbussulabit, et unus illorum sorte extractus in illa causa notarius esse censeatur. Idemque mensarius, in praedicto libro notariorum, extractum dictae causae faciet debite, cum descriptione tituli et nuncupationis causae nominumque partium litigantium; et successive in aliis pro tempore advenientibus causis extrahatur unus reliquorum notariorum, qui superfuerint in bussula, et sic de aliis, donec turnus finitus fuerit, et eorum quisque causam aliquam habuerit; et super hoc turno etiam comprehendatur nomen mensarii; finitoque turno, iterum nomina omnium notariorum in bussula ponantur, nominaque et causae, modo quo supra, extrahantur, et inter eos dividantur, quo fiet ut, donec extractio nominum a bussula facta fuerit, partes litigantes suae causae notarium prorsus ignorabunt. Notario extracto, causaque per mensarium notario extracto assignata, penes ipsum remaneat ac in ea scribat, nec in illa aliis collegii notariis liceat in eodem tribunali, in eadem causa scribere aut ullo modo se

Causae inter plures cancellarios per turnos a mensario distribuuntur, etc.

in ea immiscere. Ita ut notarius, cui forte causa obtigerit, etiamsi illa non agitetur, se iterum imbussulari petere non possit, donec turnus ipse finiatur.

Mensarii extractio et officium.

§ 30. Et similiter singulis primis diebus cuiuslibet mensis sorte extrahatur unus mensarius, cui libri mensariatus consignabuntur et computa causarum, ad quos pertinebunt, cum bussula aliisque nominibus, quae supererunt. Et quia multis in locis plurium causarum principium sumitur vel ex praecepto vel monitorio superiorum aut a fugae suspicionis mandato, in quibus solitum est apponi sigillum iudicis, volumus, ad hoc ut servetur aequalitas in distributionibus causarum inter curiales notarios huiusmodi, quod, sigillo ipso penes iudicem remanente, in eventum expeditionis praecepti aut monitorii vel mandati, antequam illa sigillentur, notarius ex bussula extrahatur, qui praeceptum seu monitorium vel mandatum huiusmodi scribat; quo scripto, ipse ad mensarium notarium accedat, ac ab illo sigillari procuret. Et in locis, in quibus, ratione praeceptorum, monitoriorum et mandatorum huiusmodi, nihil ultra sigillum solvitur, sigillo huiusmodi mensario pro tempore existenti soluto, mensarius ipse, in fine mensis, superiori seu iudici, ad quem spectat sigilli emolumentum, computum sigillorum datorum reddere teneatur. In locis vero, in quibus sigillum huiusmodi gratis datur, mensarius, illius ratione, nihil exigat. In locis autem, in quibus, eorumdem praecepti, monitorii et mandati ratione, partim pro sigillo, partim vero pro scriptura, aliquid solvitur, notarius scribens suam ratam retineat; ratam vero iudicem vel superiorem, eiusdem sigilli ratione, tangentem mensario tunc existenti persolvat; ac mensarius de similibus, ut supra, eidem iudici seu superiori in fine cuiuslibet mensis computum reddere debeat, nec hoc ordine intelligatur confundi causa unius tribunalis cum alio tribunali, sed cuiuslibet tribunalis notarii curiales pro tempore existentes de per se suum turnum conficiant in divisionibus causarum.

Cancellarii non se intromittant in scripturis notariorum, ubi sunt archivia.

§ 31. In civitatibus vero, in quibus, pro conservatione scripturarum, sunt archivia et regestra ac ordo publicus, nec de fraude, errore, ignorantia aut scripturarum amissione dubitatur, notarii curiales praefati de aliorum non curialium notariorum scripturis, rogitibus vel instrumentis minime se intromittant; nihil tamen recognitionis vel alterius oneris archivio aut matriculae huiusmodi solvere, aut illis modo aliquo subiici, aut illorum legibus et statutis parere minime teneantur. Prohibentes reliquis notariis dicti Status nostri Ecclesiastici ne actum aliquem litis seu illius dependentiae aut praesentationis monitorii, citationis, executionis, pacis, concordiae aut alterius rei, unde lis seu iudicium inchoatur vel deducitur, in ea civitate, in qua notarii curiales extiterint, scribere, recipere seu de illis rogare praesumant.

Partes cogi non possunt ad extrahend. instrumenta.

§ 32. Insuper, quod nulla vel Bononiae vel alterius civitatis aut loci archivia vel regestra, consuetudinem cogendi partes, etiam invitas, ad extrahenda a suis protocollis publica instrumenta et acta, etiam multa necessitate requirente, habentia, id deinceps facere, neque illorum notarii nec etiam ipsi curiales et actuarii personam aliquam, contra illius voluntatem, ad extrahendum instrumenta non solum facta, sed etiam fienda cogere aut alias contra illam desuper agere queant.

Arrham dantes pro scripturis, ad solutionem earum cogi possunt.

§ 33. Praeterea, quoties litem aliquam ac illius actus transportare contigerit, si arrha a partibus litigantibus notario causae data fuerit, notarius ipse easdem partes pro rata quamlibet earum tangente, etiam si partes ipsae actibus et scripturis huiusmodi non amplius indigeant, ad so-

lutionem scripturarum actorum praedictorum omnino cogere et compellere possit.

Cancellarii collegium in Rom. Curia erigere tenentur.

§ 34. Deinde quod omnes notarii curiales unum collegii et congregationis corpus efficiant; ac unum collegium Romæ instituere, et qui ex notariis ipsis Romae praesentes fuerint, quolibet mense, semel ad minus, congregari, et de rebus officia praedicta concernentibus tractare, ac pro salubri illorum ac dicti collegii conservatione et directione, quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta, cum voto tamen et assensu praedicti auditoris Camerae, quoties eis videbitur, condere, facere, statuere et ordinare; illaque, postquam condita, facta, statuta et ordinata fuerint, pro eorum libito, ac temporum qualitate id exigente, mutare, alterare aut penitus cassare, et alia de novo facere, statuere, condere et ordinare. Necnon officia ipsa, attentis singulorum valore et pretio, prout eis illorum conscientia dictaverit, taxare. Ita quod, taxa facta, singuli singulorum officiorum huiusmodi notarii illam singulis annis eidem collegio per illud, iuxta providam illius ordinationem, de illa disponendam persolvere teneantur.

Taxa solvenda in admissionibus cancellariorum.

§ 35. Dummodo tamen taxa ipsa decem scuta auri non excedat, nec minor taxa unius scuti similis existat. Praeterea, vacatione alicuius ex dictis officiis per cessum vel decessum aut aliter pro tempore occurrente, in admissionibus novorum notariorum eadem taxa seu rata eidem collegio de illa per illud, ut praefertur, disponenda solvatur.

Cancellariorum officia non confiscantur.

§ 36. Insuper officia praedicta (exceptis laesae maiestatis, falsitatis aut homicidii criminibus, ac servata forma bullarum Pauli praedecessoris) huiusmodi, ratione cuiuscumque alterius criminis, confiscari, aut illa obtinentes eis privari, vel cessiones aut resignationes de illis pro tempore faciendae impediri aut quavis de causa differri non possint nec debeant.

Super eis societates fiunt.

§ 37. Et super illis liceat inire societates, prout in aliis Romanae Curiae officiis fieri solet.

Taxa compositionis solvendae in concessionibus officiorum.

§ 38. Et, dum concedentur in posterum, pro supplicationis expeditione et compositione (hac prima vice duntaxat excepta), quinque scuta auri pro centenario, ratione pretii venditionis officii, usque ad summam mille scutorum inclusive; a summa vero mille scutorum huiusmodi usque ad aliam quamcumque, duo scuta similia, pro quolibet centenario, nostro ac pro tempore existenti Romani Pontificis datario solvatur.

Facultas illa resignandi.

§ 39. Et quoties notarii curiales praefati, per se vel eorum procuratores, officia resignabunt, aut iuri in illis vel ad illa competenti in manibus nostris ac pro tempore existentis Romani Pontificis cedent, nos ac pro tempore existens Romanus Pontifex huiusmodi resignationes seu cessiones admittere et in regestro solito registrari facere, idemque datarius datam parvam dare teneatur, secundum quam expediatur supplicatio, quanto citius poterit.

Cancellarior collegium gaudet privilegii archivii Rom Curiae et alii hic expressis:

§ 40. Quodque notariorum curialium collegium huiusmodi omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, praerogativis et gratiis collegio archivii Romanae Curiae (sine tamen illius praeiudicio) quomodolibet concessis, etiam quoad creationem notariorum aliaque id genus negotia, utatur, potiatur et gaudeat; omnesque et singuli notarii curiales statim ubi admissi, eorumque nomina in libro collegii curialium praedictorum descripta fuerint, notarii apostolici curiales, ut praefertur nuncupati, vere sint et esse censeantur, ac pro talibus habeantur.

Officia per substitutos exercent;

§ 41. Quodque notarii curiales sua officia huiusmodi per se vel alium seu alios, fideles scilicet et sufficientes substitutos,

notarios tamen publicos apostolica auctoritate creatos, ac habiles et idoneos et a praedicto notariorum curialium Romae instituendo collegio approbatos, quodque in eodem collegio cautionem idoneam de probe et legaliter exercendo ac se syndicatui submittendo aliaque agendo iuxta formam literarum Pauli praedecessoris huiusmodi, exercere.

Instrumentaque ubique rogant.

§ 42. Necnon quaecumque instrumenta ubicumque locorum rogare, et tales substituti illa (patronis eorum a civitatibus, terris, castris et locis, in quibus eorum notariatus officia instituta fuerint, absentibus) publicare et subscribere possint. Decernentes huiusmodi instrumenta, tam Romae quam alibi ubicumque locorum, plenam et indubitatam fidem facere, nec de illorum validitate aliquo umquam tempore dubitari posse.

Collegium habeat sigillum, et nemini subiaceat.

§ 43. Ac quod liceat eidem collegio habere sigillum, et sub illo legalitates aliaque huiusmodi expedire, prout in aliis eisdem Romanae Curiae collegiis observatur. Quodque notarii ipsi curiales in civitatibus, terris, castris et locis dicti Status nostri Ecclesiastici, in quibus plures sunt notarii, alia collegia, a Romano collegio tamen dependentia, cum simili sigillo, et quae ab omni alio collegio, societate et matricula aliorum notariorum atque doctorum liberi et exempti, nullusque superioritatem in illos eorumque notarios exercere possit, similiter facere et instituere possint.

Executoresque sunt expeditionum Rom. Curiae, etiam privative quoad alios.

§ 44. Porro quod notarii curiales huiusmodi, in quibuscumque provinciis, civitatibus, terris, castris et locis dicti Status nostri Ecclesiastici, ubi resederint, sint executores, ad eosque pertineant praesentatio et intimatio et executio, videlicet Romanae Curiae expeditionum, veluti literarum in forma brevis, monitoriorum, citationum, inhibitionum, brachii saecularis et cuiuscumque generis executionum illuc a Romanis iudicibus ac Urbe praedicta pro tempore transmissorum; nec ibi, praeter ipsos, alius rogare vel scribere, nec alii intimationes supradictorum facere possint; alias intimationes et rogitus huiusmodi nullius sint roboris vel momenti, et illis fides nullatenus adhibeatur.

Guber. non avocent causas in eorum praeiudicium.

§ 45. Neque legati, vicelegati aliive superiores et iustitiae ministri causas, tam criminales quam civiles, coram iudicibus inferioribus inchoatas et acceptas ab illis, in notariorum curialium et capitulorum huiusmodi praeiudicium evocari vel alias ab eis amovere, praeterquam in capitalibus causis, quo casu id (servatis tamen curialium notariorum huiusmodi emolumentis ac sine illorum praeiudicio) fieri possit.

Clausulae praeservativae.

§ 46. Decernentes praemissa omnia et singula, nullo umquam tempore, quovis quaesito colore vel ingenio, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari vel impugnari posse, sed illa semper valida et efficacia fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et inviolabiliter observari; ac notariis curialibus illorumque collegiis praedictis in omnibus et per omnia suffragari; ac, ut praefertur, iudicari et definiri debere.

Clausulae derogatoriae.

§ 47. Non obstantibus praemissis ac nostra de non tollendo iure quaesito, non tamen ex causa onerosa praedicta proveniente, et aliis quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus, ac provinciarum, civitatum, terrarum ac locorum huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis legatis, vicelegatis, gubernatoribus, potestatibus et aliis personis de huiusmodi officiis quomodolibet, etiam

ex causa onerosa, eisdem provinciis, civitatibus, terris et locis ac personis, per quoscumque Romanos Pontifices et Cameram ipsam, etiam nos, et praetextu donationis, concessionis et aliarum dispensationum, etiam motu et scientia similibus ac alias concessis, approbatis et innovatis, quas et quae, illorum omnium vim et effectum, datas et tenores pro expressis habentes, ad effectum praemissorum, revocamus, irritamus et annullamus, illisque specialiter et expresse derogamus.

Auditor C. executor deputatur.

§ 48. Et insuper, pro praemissorum omnium conservatione, praefatum auditorem Camerae in conservatorem et executorem praesentis nostrae intentionis, ac omnium et singulorum in ea contentorum specialiter et expresse facimus, constituimus et deputamus. Volentes quod praesentium transumptis, etiam impressis, sigillo et manu alicuius praelati munitis, talis et tanta fides adhibeatur, qualis et quanta praesentibus adhiberetur si illae in medio originaliter exhiberentur vel ostenderentur. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, a praedicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis dictae Sedis indultis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in eisdem literis mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo *etc.*

Fides transumptis danda, additis clausulis irritantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, pridie nonas octobris, pontificatus nostri anno v.

Sequitur facultas thesaurarii Papae locandi et disponendi de dictis cancellariis.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Exordium.

Continua mentem nostram solicitudo vexare non cessat ut circa ea quae, pro nostrorum et Sedis Apostolicae subditorum utilitate, illorumque necnon civitatum, terrarum et locorum nostri Status Ecclesiastici prospera salubrique directione, a nobis emanarunt, ita provide attendamus quod, per ampliationem facultatum personarum desuper deputatarum ac aliis viis opportunis, illorum debita executio suum felicem celeremque consequatur effectum.

Alia PP. const.

§ 1. Cum itaque nos nuper *etc.* [1].

Et modo dat facultatem thesaurario dictas cancellarias locandi.

§ 2. Et, sicut accepimus, idem thesaurarius ad venditionem et concessionem singulorum officiorum huiusmodi, certis supervenientibus legitimis causis, ita prompte, citra grave dictae Camerae damnum et praeiudicium, procedere nequeat; ideirco nos, eiusdem Camerae indemnitati, quantum in nobis est, consulere, et si non venditionis, saltem alia non minus ipsi Camerae commoda atque utili via, de ipsis officiis disponere, ac alia, quae per nos in dictis literis desuper statuta sunt et ordinata, executioni debitae demandare volentes; literarumque praedictarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, praefato Donato Matthaeo Minali, moderno, et pro tempore existenti thesaurario nostro generali huiusmodi, ut ultra eas, quas, literarum earumdem vigore, tam circa offi-

1 Omittitur residuum narrativae, quia ipsa bulla est quae praecedit.

ciorum huiusmodi dispositionem quam alia in literis ipsis contenta quaecumque debite exequenda, sibi concessimus facultates, etiam omnia et singula, tam civilium et criminalium quam quoad scripturas dumtaxat damnorum datorum, notariatuum officia huiusmodi, in toto vel in parte ac alias, prout sibi commodius eidemque Camerae utilius facere videbitur, cum omnibus illorum scripturis, libris, protocollis et instrumentis, si quae habeant, nec non honoribus, oneribus et emolumentis, uni seu pluribus personis, civitatibus, terrarum et locorum praedictorum originariis vel forensibus, ad tempus per eum praefigendum et determinandum, pro pretio seu pretiis reperibilibus ac cum pactis et conditionibus ac alias modis et formis, prout eidem Donato Matthaeo, moderno, ac pro tempore existenti thesaurario huiusmodi, melius videbitur, Camerae praedictae nomine, ac in illius utilitatem et commodum arrendare, locare seu ad firmam vel aliam responsionem annuam seu menstruam concedere. Ac pretium seu firmam vel aliam responsionem huiusmodi, etiam unico contextu et anticipata solutione, recipere et habere aut recipi et haberi, ac de receptis et habitis arrendatarios et solventes quoscumque quietare et liberare seu quietari et liberari facere; necnon quaecumque obligationes, etiam dictae Camerae, bonorum quorumcumque, ac promissiones, actus et instrumenta desuper necessaria, ac in eorumdem arrendatariorum favorem et cautelam tendentia, facere, aliaque opportuna circa ea exequi. Necnon personae seu personis, cui vel quibus officia ipsa, in toto vel parte, ut praefertur, arrendata fuerint, ut officia ipsa per quemcumque seu quoscumque substitutos idoneos et habiles, ac in arte notariatus huiusmodi peritos et notarios, praestita tamen de substitutorum eorumdem fide et legalitate idonea et sufficienti cautione, arbitrio dicti thesaurarii, exercere seu illa sublocare libere et licite valeant, scientia, potestate ac auctoritate similibus concedimus et indulgemus, eisque liberam, amplam et omnimodam desuper facultatem, potestatem et auctoritatem damus, concedimus et impartimur.

§ 3. Districtius inhibentes, tam officia praefata, emptionis et venditionis ac arrendamenti seu locationis titulo, pro tempore obtinentibus et exercentibus quam curiarum episcoporum notariis quibuscumque, ne, sub excommunicationis latae sententiae ac ducentorum ducatorum per quemlibet contravenientium, qualibet vice, incurrendis et eidem Camerae Apostolicae applicandis poenis, ipsi in civilibus et profanis, tam ordinariis quam commissariis, uti ad curiales; illi vero in spiritualibus causis, uti ad curiarum episcopalium notarios huiusmodi dumtaxat spectantibus, scribere, actitare seu se alias de illis respective in alterius praeiudicium intromittere, quovis praetextu seu quaesito colore aut ingenio, directe vel indirecte, audeant seu praesumant.

Cancellarii praedicti et notarii episcoporum seipsos non impediant.

§ 4. Ac mandantes, in virtute sanctae obedientiae ac sub nostrae indignationis poena, dilectis filiis nostro Vitellotio, Sanctae Mariae in Via-Lata diacono cardinali Vitellio nuncupato, moderno, ac pro tempore existenti sanctae Romanae Ecclesiae camerario necnon dictae Camerae thesaurario, clericis praesidentibus et personis ac quibusvis aliis, ad quos id quomodolibet spectat et spectabit in futurum, quatenus praesentem nostram motus proprii cedulam, necnon arrendamenta, locationes et concessiones de dictis officiis eorumque scripturis respective, ac desuper inter eumdem thesaurarium ac quoscumque eorumdem officiorum et scripturarum respective arren-

Camerarius et clerici contractus cum solitis obligationibus desuper fieri curent.

datarios et affictuarios pro tempore intervenientia pacta, conventiones et capitula in dicta Camera recipiant et admittant, illaque in eiusdem Camerae libris et protocollis registrari, describi et annotari, ac desuper necessaria contractus et instrumenta, cum debitis ac solitis clausulis, cautelis et obligationibus, fieri, confici et stipulari faciant, literasque patentes et mandata opportuna arrendatariis ac aliis, quibus opus fuerit, dent, tradant et exhibeant realiter et cum effectu.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Necnon decernentes arrendamenta, locationes et concessiones ac scripturas et instrumenta desuper pro tempore facta, valida et efficacia fore, nec, ob intentionis seu voluntatis nostrae aut alium quempiam defectum, subreptionis aut nullitatis vitio subiacere posse.

Clausula sublata.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata *etc.*, iudicari et definiri debere; ac irritum *etc.* attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus nostris, per quas, inter alia, voluimus res, proventus, iura et obventiones dictae Camerae, non nisi licitatione praevia, cuiquam locari, arrendari vel concedi non posse neque debere, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis *etc.*, etiam motu proprio, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum veriores tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 8. Volumus autem quod praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula seu constitutione apostolica contraria non obstante.

Placet, motu proprio. I.

Admissio in Camera.

Die vigesima octava maii, anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, admissa haec est cedula motus proprii ex decreto Camerae et registrata libro secundo signaturarum sanctissimi domini nostri Papae apud me notarium, fol. LXXXIII.

Hieronymus de Tarano.

Admiss. die 28 maii 1564, pontif. anno V.

XCVII.

Quod maior pars cardinalium sanctissimae Inquisitionis decernit, a tota congregatione valide statutum censetur 1.

Pius episcopus, motu proprio, etc.

Deputatio cardinalium congregationis S. Inquisitionis.

Cum nos per nostrum specialem motum proprium, sub data Romae apud Sanctum Marcum, quarto nonas augusti, pontificatus nostri anno quinto, officio supremo in alma Urbe et Curia nostra ac tota republica christiana sanctae Inquisitionis haereticae pravitatis, eiusque causarum audientiae, cognitioni, expeditioni et terminationi praefecerimus et deputaverimus dilectos filios nostros Ioannem Michaelem Sanctae Anastasiae Saracenum, et Ioannem Baptistam Sancti Clementis Cicadam, ac Ioannem Suavium Sanctae Priscae Reumanum, necnon Michaelem Sanctae Sabinae Ghislerium, et Clementem Sanctae Mariae in Aracoeli Monialium, et Ludovicum Sancti Cyriaci in Thermis Simonetam, et Carolum Sancti Martini in Montibus Borromaeum, presbyteros, ac Vitellotium Sanctae Mariae in Porticu Vitellium, diaconum, tunc titulorum, miseratione divina S. R. E. cardinales, cum facultatibus, iurisdictionibus et auctoritatibus, prout in eodem motu proprio latius continetur.

Alia deputatio.

§ 1. Cum postea etiam in eodem sancto officio supremo Inquisitionis haereticae

1 Institutionem huius congregationis habes in Pauli III constitut. XLIII, *Licet*, tom. VI, pag. 344.

pravitatis verbo deputaverimus inquisitorem dilectum filium nostrum Franciscum Alciatum, tituli Sanctae Susannae cardinalem, ne in posterum de ipsius iurisdictione haesitari contingat, motu simili et ex certa nostra scientia, deputationem huiusmodi tenore praesentium approbamus et confirmamus, et quatenus opus sit de novo eumdem generalem inquisitorem haereticae pravitatis, prout suprascripti alii octo cardinales, constituimus, deputamus et ordinamus et in numero supradictorum aliorum inquisitorum unimus et aggregamus.

Quod maior pars facit tota congreg. facis se dicitur.

§ 2. Et insuper, pro faciliori causarum expeditione et terminatione, statuimus, decernimus et ordinamus ut quicquid per maiorem partem S. R. E. cardinalium, qui in congregatione pro dicto officio intervenerint seu convenerint, dictum, gestum, statutum, ordinatum, decretum, terminatum seu sententiatum extiterit, sit validum et firmum; ita et taliter quod nullo modo impugnari possit, perinde ac si omnes et singuli cardinales praedicti in dicta congregatione convenissent, et maior pars consensisset.

Omnimoda iurisdictio congregationis est.

§ 3. Cum plena et omnimoda iurisdictione, auctoritate et potestate omnibus praedictis cardinalibus et eorum praedecessoribus per nos vel alios Summos Pontifices alias quomodolibet concessis et attributis; irritum *etc.*, decernentes.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis et omnibus illis, quae nos et praedecessores nostri voluerunt et voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola sufficit signatura.

§ 5. Decernentes solam praesentis nostri motus proprii signaturam sufficere, et ubique, in iudicio et extra, fidem facere, regula contraria non obstante.

Placet, motu proprio. I.

XCVIII.

Declaratio quod Concilii Tridentini decreta circa reformationem et ius positivum tantummodo ligare coeperunt a kalendis maii MDLXIV.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sicut ad sacrorum conciliorum decreta ac canones auctoritas atque confirmatio Apostolicae Sedis et debet et solet accedere, ita si qua super eis exorta sit dubitatio, eiusdem Sedis iudicio et declaratione tollenda est.

Dubitabant multi quo tempore concilium Trid. ligare coepisset circa reform. iusque positivum.

§ 1. Ad aures nostras pervenit multos esse qui dubitent ex quo tempore coeperint decreta sacri generalis concilii Tridentini, ad reformationem et ius positivum dumtaxat spectantia, eos, ad quos pertinent, obligare, illa praesertim quae tempora certa praestituunt ad provinciales dioecesanasque synodos celebrandas, ad sacros ordines suscipiendos, ad Religionem profitendam, ad parochiales ecclesias aliaque beneficia ecclesiastica, quae eiusdem[1] concilii decretis retineri prohibitum fuit, resignanda, et ad complures res huiusmodi exequendas, ac alias omnes ad praedictam reformationem iusque positivum tantum spectantes, quae observari aut evitari debeant.

Declarat ideo Pontifex coepisse ligare a kal. maii 1564.

§ 2. Nos itaque, ut omnis controversia dubitatioque tollatur, motu proprio, eam rem, prout rationi, iuri et aequitati convenire censuimus, duximus declarandam. Nam, etsi ipsius concilii decreta, etiam de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, in consistorio nostro secreto confirmata a nobis fuerunt sub finem mensis ianuarii, et ab eo etiam tempore apud hanc sanctam Sedem observari coeperunt, quia tamen non parum temporis in eis Romae diligenter emendateque imprimendis necessario con-

1 Illius.

sumptum fuit, et iure etiam communi sancitum est ut constitutiones novae vim, non nisi post praedicta decreta omnia, ad dictam reformationem iusque positivum dumtaxat spectantia, a kalendis maii proxime praeteriti omnes obligare coepisse, neque post eam diem excusationem cuiusquam, quod ea ignoraverit, admittendam.

Decretum irritans.

§ 3. Atque ita apostolica auctoritate declaramus ac definimus, et ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus. Decernentes irritum et inane, si quid secus a quoquam, quacumque dignitate, auctoritate et potestate praedito, contigerit iudicari.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis aliisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Sanctio poen.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, XIV kalendas augusti, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 19 iulii 1564, pontif. anno V.

XCIX.

Institutio congregationis S. R. E. cardinalium super executione et observantia sacri concilii Tridentini et aliarum reformationum huius Pontificis.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Reformationes, de quibus in praecedentibus bullis, referuntur.

Alias nos nonnullas constitutiones et ordinationes, reformationem maioris poenitentiarii ac sacrae Poenitentiariae nostræ ac vicarii nostri ac eius officii, necnon camerarii et Camerae Apostolicae ac illius causarum auditoris, necnon Palatii Apostolici causarum auditorum ac gubernatoris et Capitolinae curiarum et contradictarum, aliorumque almae Urbis nostrae ac Romanæ Curiæ tribunalium et officiorum concernentes, edidimus; quae tamen, (ut intelleximus) ab eorumdem officiorum et tribunalium praefectis ac officialibus minus diligenter observantur.

Institutio congregationis *(de qua in rubrica).*

§ 1. Cum autem enixae nostrae voluntatis sit illa, ut et pariter decreta sacri concilii Tridentini in his, quae ad eorum officia spectant, ab eisdem omnino observentur; nos propterea considerantes parum esse iura condere, nisi sint qui ea executioni demandari faciant, et in præmissis, prout ex debito pastoralis officii nobis, meritis licet imparibus, iniuncti obligamur, salubriter et utiliter providere, praefatasque constitutiones et ordinationes ac decreta concilii, quas et quae hic haberi volumus pro expressis, inviolabiliter observari volentes; venerabili fratri nostro Ioanni episcopo Tusculanensi Morono, Ioanni Michaeli Sanctae Anastasiae Saraceno, ac Ioanni Baptistae Sancti Clementis Cicadae, necnon Michaeli Sanctae Sabinae Alexandrino, Clementi Sanctae Mariae in Aracoeli, Ludovico Sancti Cyriaci in Thermis Simonetae, ac Carolo Sancti Martini in Montibus Borromaeo, presbyteris, necnon Vitellotio Sanctae Mariae in Porticu Vitellio nuncupatis titulorum, diacono, cardinalibus committimus et mandamus quatenus ipsi seu eorum maior pars, coniunctim vel divisim, eorum arbitrio, etiam tamquam executores dictarum literarum, constitutionum et decretorum praedictorum, constitutiones et ordinationes ac decreta praefata, iuxta tenores eorum ac literarum desuper confectarum, per quoscumque Poenitentiariæ, Vicariae et Camerae ac Rotae curiarum ac tribunalium praedictorum iudices et officiales, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis officiorum et aliis eisdem cardinalibus benevisis, etiam pecuniarum, eo ipso incurrendis poenis, firmiter observari faciant, et cum effectu, nisi, tam in executione dictorum decretorum concilii, quam dictarum literarum

nostrarum, aliqua dubietas aut difficultas emerserit (quo casu ad nos referant), invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obedientia congregationi debita.

§ 2. Ac eos qui literis et decretis praedictis et eorumdem cardinalium mandatis non paruerint, ex nunc, prout ex eadem die et e contra, illorum officiis privatos, necnon ad illa et alia Romanae Curiae officia in posterum obtinenda inhabiles; ac ipsis ab eisdem officiis sic privatis, illa tamquam per privationem vacantia a datario nostro vendi, et a quibusvis personis idoneis pro pretio convenienti emi, libere et licite posse, auctoritate nostra, curent, nuncient, decernant ac declarent, prout nos harum serie nunciamus, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac Poenitentiariae et curiarum necnon tribunalium praedictorum statutis *etc.*, etiam iuramento *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis ac dictis officialibus et tribunalibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili et alias quomodocumque concessis *etc.* Quibus omnibus *etc.*, illorum tenores *etc.* hac vice latissime derogamus, eaque adversus praemissa nullatenus suffragari volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Placet, motu proprio. I.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, quarto nonas augusti, anno v.

Dat. die 2 augusti 1564, pontif. anno v.

C.

Facultas S. R. E. cardinalium congregationis super inquisitione haereticae pravitatis tenendi et legendi libros haereticos aut alias prohibitos, et concedendi aliis licentiam eos habendi ac legendi.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Cum inter crimina, quae animadversione digna sunt, et in corrigendo exempla cunctis praebere debeant, haeresis sit gravius et ceteris detestabilius: ideo, cum nobis maxime displiceat, et ne illud latius serpat, pro illo extirpando, cunctis, etiam de crimine huiusmodi infectis, et illius fautoribus, ne ad deteriora (quod Deus avertat) delabantur, per nos non modicum invigilandum sit. Cumque annis praeteritis et etiam forsan usque in hodiernum diem in diversis mundi partibus, proh dolor! haereses et falsa dogmata pullulaverint, et adhuc pullulent, solicitante humani generis inimico, minusque, etiam cuiuscumque correctionis praetextu, pullulare cessent. Propterea dilectos filios nostros Ioannem Michaelem Sanctæ Anastasiæ Saracenum, Ioannem Baptistam Sancti Clementis Cicadam, Ioannem Suavium Sanctæ Priscae Reumanum, Michaelem Sanctae Sabinae Alexandrinum, Clementem Olera Sanctae Mariae de Aracoeli, Ludovicum Sancti Cyriaci in Thermis Simonetam, Carolum Sancti Martini in Montibus Borromæum, presbyteros, ac Vitellotium Sanctæ Mariae in Porticu diaconum Vitellium, cardinales nuncupatos, pro erroribus, qui in occasione quarumcumque haeresum dictim contingunt, reprimendis, et seu haeresibus huiusmodi et illarum fautoribus, Domino nostro Iesu Christo auxiliante, extirpandis deputaverimus, ac eos in inquisitores seu in sanctae Inquisitionis congregatione deputatos cum omnimoda potestate constituerimus.

Hic Pontifex deputavit cardinales inquisitores generales, sed hanc bullam hic non habes.

Illi indigebant libris prohibitis ex causis hic expressis, quos tamen tenere non valebant stante indico.

§ 1. Et eis saepe contingat, ne catholici et christicolae veneno huiusmodi sectae et illius fautorum afficiantur, ac etiam pro negociorum et causarum pro tempore incurrentium expeditione, ac haereticorum, qui etiam ad praesens carceribus in alma Urbe nostra mancipati existunt, ac pro tempore mancipentur, deprehensione et eorum ad veram doctrinam reductione, nonnullos seu quamplures libros ab ipsis impiis haereticis et sectae Luteranae fau-

toribus compositos et in lucem editos ac qui in dies successu temporis edentur et componentur; ac etiam aliquando oporteat, pro conservanda religione in cordibus catholicorum, eisdem libris et haereticorum deceptionibus, fraudibus et dolis ac machinationibus respondere, vel a viris catholicis ac sacrae doctrinae peritis responderi facere, stantibusque constitutionibus hactenus per nos editis, et per indicem librorum correctorum, de mandato nostro vel alias factum, prohibitionibus sacris, eosdem libros, pro huiusmodi erroribus reprimendis, tenere et legere dubitent, ac, ut filii obedientiae, eosdem libros perspicere, ut accepimus, non audeant.

Hic ideo Pontifex licentiam et facultatem *(de qua in rubrica)* eis concedit;

§ 2. Ad omnem igitur haesitandi materiam et conscientiae scrupulum in eis tollendum, motu simili et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, de eorumdem Ioannis Michaelis, Ioannis Baptistae, Ioannis Suavii, Michaelis, Clementis, Ludovici, Caroli ac Vitellotii cardinalium fide, probitate et constantia singularem tum notitiam, tum fiduciam habentes, eisdem cardinalibus, ut durante eorum officio, et quamdiu inquisitioni huiusmodi praefuerint, quoscumque, quaecumque, quotcumque et qualiacumque quoruncumque, tum antiquorum tum modernorum et futurorum infidelium et haereticorum, aut haeresis et cuiuscumque impietatis vel superstitionis vel reprobatae lectionis condemnatorum vel suspectorum, ac etiam incertorum vel dissimulatorum auctorum et scriptorum, atque etiam Hugonotorum, commentaria, tractatus, libros, collectanea, expositiones, annotationes, interpretationes, versiones et alia cuiuscumque inscriptionis et argumenti opera, quocumque nomine nuncupata, latino, graeco, hebraeo aut quocumque alio, etiam vulgari, cuiuscumque regionis sermone composita, tam manuscripta quam a quibuscumque impressoribus, et in quibuscumque locis, etiam nominatim prohibitis vel suspectis, seu etiam sine impressorum et locorum ac temporis titulo, ac absque locorum ordinariorum et haereticae pravitatis inquisitorum aut aliorum ad id deputatorum licentia et approbatione impressa, etiam ex professo contra nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem et sanctam Romanam Ecclesiam ac Sedem Apostolicam praedictam composita et conscripta ac etiam divulgata; necnon haereses et errores, seu reprobatas et damnatas disciplinas continentia; necnon impressorum et auctorum aliorumque id genus hominum damnatorum memoriam et nomina praeseferentia, tam per officium sanctae Romanae et universalis Inquisitionis, quam alias quomodocumque et qualitercumque, in genere vel in specie, pro tempore prohibita, in quibusvis mundi partibus, ad quos eos accedere contigerit, potissimum in alma Urbe nostra et Romana Curia habere, tenere, legere, absque aliquo conscientiae scrupulo, et cuiuscumque suspicionis vel infamiae aut censurarum ecclesiasticarum incursu, libere et licite possint et valeant. Ita quod in futurum nullatenus super retentione librorum, scripturarum, extractuum et explicationum et commentariorum huiusmodi impediri, molestari vel argui seu inquiri possint, plenam et liberam licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur, ac desuper cum eis indulgemus.

Prohibeique ceteris aliis no libros prohibitos teneant vel legant, etiam vigore cuiuscumque privilegii, absque eorumd. card. inquisitorum licentia.

§ 3. Districtius inhibentes quibusvis aliis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, personis, etiam quacumque auctoritate, praecellentia et dignitate fungentibus, etiam cardinalatus honore praeditis, ne eosdem libros, extractus seu scripturas et commentaria huiusmodi, etiam, ut praefertur, specificata, quovis quaesito colore,

etiam cuiusvis privilegii a nobis et a praedecessoribus nostris vel ab ipso sanctæ Inquisitionis officio hactenus concessi praetextu, penes se retinere aut tenere, legere et explicare, absque cardinalium praedictorum nova facultate et licentia, sub excommunicationis maioris et latae sententiae poena, quam eo ipso in his ferimus scriptis, ac aliis poenis a constitutionibus ac sacris canonibus inflictis et in indice huiusmodi contentis, audeant seu praesumant. Ac decernentes irritum *etc.*

Facultatem eisdem inquisit. concedit tales licentias dandi.

§ 4. Et nihilominus eisdem supranominatis cardinalibus dilectis filiis nostris, quando eis vel eorum maiori parti videbitur, si placuerit, in plena congregatione tantum, similem licentiam concedendi quibuscumque personis, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis et præeminentiae existentibus, supradictos libros, etiam cuiuscumque damnatae lectionis, tenendi, habendi, legendi et interpretandi seu explicandi ad tempus vel in perpetuum, et concessam revocandi, similiter licentiam et facultatem concedimus et impartimur de gratia speciali.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus Lateranensis et quorumcumque conciliorum ac aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, statutis *etc.*, etiam iuramento roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis pro tempore existentibus sanctae Inquisitionis huiusmodi maioribus inquisitoribus et quibusvis, etiam S. R. E. cardinalibus, ceterisque ad dictum officium in dicta Urbe et alibi deputatis, ac alias, in genere vel in specie, etiam cum censurarum et poenarum incursu, aliisque decretis et clausulis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu proprio *etc.* seu etiam consistorialiter ac alias quomodolibet concessis, quibus omnibus, etiam si de illis *etc.* tenores *etc.*, hac vice latissime, specialiter et expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat, motu proprio. I.

Clausularum repetitio.

§ 6. Et de concessionibus, impartitionibus, indultis, inhibitione, singulis decretis, derogatione, declaratione, de ac pro omnibus et singulis praemissis, ut supra, latissime extendendis. Et cum opportuna, si videbitur, exequutorum deputatione *etc.*, etiam sub censuris *etc.*, cum potestate aggravandi *etc.*, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, et cum derogationibus, constitutionibus de una et de duabus diaetis, non tamen ultra tres, ac praedictorum et quorumcumque aliorum quomodolibet contrariorum, ad effectum *etc.*, latissimae extendendis; et quod praesentis motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria non obstante, seu, si videbitur, literæ per breve nostrum cum praemissorum omnium et singulorum etiam qualitatum ac nominum et cognominum consultorum huiusmodi maiori et veriori specificatione et expressione expediri possint.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, VI kalendas septembris, anno V.

Dat. die 27 augusti 1564, pontif anno V.

CI.

Reintegratio privilegiorum ac facultatis quaerendi eleemosynas pro archihospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe [1].

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Cum Magistrum illum coelestem et Dominum nostrum, quamdiu, sub mortalitatis nostræ exuviis, in hoc mundo peregrinatus est, pauperum infirmorum curam non

1 Alia de isto archihospitali plene scripsi apud const. XL Innocentii III, *Inter*, tom. III, pag. 189.

solum per seipsum assidue gessisse, sed etiam illam nobis in discipulis suis diligenter demandasse recordamur, necessariae hospitalium, in quibus infirmos quotidie cum maxima charitate recipi et sollicite curari cognovimus, subventioni, et miserabilium personarum in eis degentium consolationi deesse non possumus. Unde, maiorem aliquorum necessitatem cognoscentes, tametsi spirituales indulgentias et alias gratias, eis aliisque similibus piis locis per Sedem Apostolicam olim concessas, generaliter, certis rationabilibus de causis, revocandas duxerimus, maiori tamen et urgentiori nonnullorum necessitate prospecta, similiter ex causis non minus comprobandis, illa adversus revocationes huiusmodi aliquando restituenda censemus, ut quod ipsi personaliter praestare nequimus, ad id fideles ipsos exequendum spiritualibus muneribus invitemus.

Hic Pontifex revocavit indultum dispensandi super impedimentis matrimonialibus et irregularitatib.

§ 1. Sane, cum retroactis annis privilegia, indulgentias, facultates, etiam dispensandi super impedimentis matrimonialibus et aliis quibuscumque defectibus ac super irregularitatibus, necnon absolvendi, et alias gratias, variis ecclesiis, et tam nostro Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, Ordinis Sancti Augustini, quam certis aliis hospitalibus et piis locis per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam per nos et Sedem praedictam varie concessa, pluries limitaverimus et restrinxerimus et declaraverimus. Ac postremo, ex certis tunc expressis causis, per nostras sub data decimotertio kalendas octobris, pontificatus nostri anno III, desuper expeditas literas, motu proprio revocaverimus et cassaverimus et annullaverimus, districtius inhibentes eorumdem hospitalium et aliorum piorum locorum praeceptoribus, superioribus et personis, etiam sub excommunicationis latae sententiae poena, ne de cetero indulgentiis, concessionibus, facultatibus, privilegiis, indultis et aliis gratiis huiusmodi uti, seu se de illis intromittere quoquomodo praesumerent. Ac decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari, prout in dictis literis plenius continetur.

Conc. Trid., ses. XXI, cap. 9, statuit quaestores eleemosynarum aboleri, indulgentiasque per ordinarios certo modo publicari.

§ 2. Ac in concilio Tridentino statutum sit ut quaestores eleemosynarum eorumque nomen et usus deinceps in quibuscumque christianae religionis locis penitus aboleantur, nec quaestores ad officium quaestorum huiusmodi exercendum ulterius admittantur; et nihilominus indulgentias et alias spirituales gratias, quibus non ideo concilium ipsum christifideles privandos esse censuit, in posterum per ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus, populo publicandas esse decreverit; dans illi facultatem etiam eleemosynas huiusmodi atque oblata sibi charitatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi, ut tandem omnes vere intelligant coelestes hos Ecclesiae thesauros non ad quaestum, sed ad pietatem exerceri.

Hic ideo Pontifex pro subventione huius hospitalis, ubi diversa pia opera exercentur, innovat omnes eius indulgentias et privilegia con. Triden. non contraria, pro dicto hospitali tantum, eiusque membris a generali praeceptore specificandis;

§ 3. Nos, praefati hospitalis nostri, ad quod non solum magnus pauperum infirmorum ex omnibus christiani orbis nationibus Romam venientium quotidie fit concursus, sed etiam in quo non parvus utriusque sexus infantium expositorum numerus habetur, alitur et instituitur; ipsaeque pauperes puellae nubiles industriis viris matrimonio copulantur, et alia pietatis opera diligenter exercentur, ut tot tantisque sumptibus ad id necessariis sufficere valeant, subventioni, quantum nobis ex alto permittitur, consulere cupientes; ac omnia et singula privilegia, indulgentias, etiam plenarias, facultates, indulta et alias gratias eidem hospitali, eiusque praeceptori, membris et personis per quoscumque Romanos Pontifices

praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam hactenus quomodolibet concessa, literarumque desuper confectarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio et ex certa scientia nostra, eadem privilegia, indulgentias, etiam plenarias, et alias facultates, indulta, aliasque gratias, quæ præfato concilii decreto minime adversantur, sed illi commode coaptari poterunt, ad hoc dumtaxat ut illis omnibus et singulis idem hospitale et eius membra ad id per dilectum filium Bernardinum Cyrillum de Aquila, modernum, et pro tempore existentem praeceptorem dicti hospitalis, ad eius beneplacitum in scriptis designanda et specificanda, iuxta ipsius decreti conciliaris formam et tenorem, ubilibet gentium uti, frui et gaudere; ipsique fideles indulgentias et alias gratias in eis contentas consequi libere et licite valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si revocatio ac desuper expeditae literae nostrae praedictae non emanassent, hospitali eiusque praeceptori et personis praefatis in perpetuum, apostolica auctoritate, tenore praesentium, quatenus sint in usu, et dummodo decretis concilii huiusmodi non repugnent vel praeiudicent.

Formam eleemosynas colligendi apponit.

§ 4. Quodque publicatio locorum, adhibitis duobus de capitulo, temporibus debitis fieri debeat, qui et eleemosynas aliaque oblata sibi charitatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligi et ad effectum praemissum consignari debeant, restituimus ac de novo concedimus et elarginur; ac idem hospitale, adversus literas nostras huiusmodi, quoad praemissa, in pristinum et eum, in quo ante dictam revocationem erat, statum reponimus et plenarie reintegramus. Ac privilegia, indulgentias, facultates, indulta et alias gratias huiusmodi dicto hospitali restituta et de novo concessa, hospitaleque, adversus revocationem nostram huiusmodi, plene reintegratum esse et censeri.

Clausula sublata etc.

§ 5. Et sic per quoscumque locorum ordinarios et alios iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere. Ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus ac omnibus illis, quae in literis, in ipsius hospitalis favorem expeditis, praedictis non obstare concessum fuit, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die undecima octobris, millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 11 octobris 1564, pontif. anno v.

CII.

Prohibitio confidentiarum beneficialium et reservatio dispositioni Sedis Apostolicae quorumcumque beneficiorum in confidentiam receptorum, cum poenarum inflictione in huiusmodi criminis reos.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanum Pontificem in excelsa militantis Ecclesiae specula constitutum, vigiles mentis oculos non solum in absentium extendere, sed potissimum in praesentium domesticorumque fratrum et fi-

liorum suorum mores diligenter perscrutandos aliquando reflectere, ac eos præsertim, quos in apostolicae sollicitudinis partem evocavit Altissimus, nedum ab omni pactionis illicitae contagione, verum etiam ab eius omnimoda suspicione vacuos et immunes conservare decet, ut qui ceteros illustris officii sublimitate antecellunt, eosdem prisca etiam illa morum integritate praestare dignoscantur.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Sane, licet dudum, cum certam simoniacae pravitatis speciem, quam beneficiorum confidentiam vocant, etiam Romanae Curiae, atque adeo in sacrum venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegium, quasi per cuniculos, irrepsisse, ac nonnullos ex ipsis fratribus, nimia quadam facilitate, seu potius importunis amicorum familiariumque precibus adductos, beneficia ecclesiastica in confidentiam huiusmodi recepisse et frequenter recipere intelleximus; hanc illicitam beneficientiae exercendae seu amicitiae colendae viam a tanto saltem collegio prorsus eliminare cupientes, eosdem fratres, in consistorio nostro secreto, non semel admonuerimus huic aliena beneficia custodiendi modo ne assuescerent, neve illa hoc pacto reciperent, utque sic recepta dimitterent; nihilominus nuper ad aures nostras pervenit eorum aliquos monitionis nostrae, immo potius suimet, oblitos, ea, quae custodienda receperant, beneficia, nondum tamen dimisisse; et insuper illos et nonnullos alios, etiam patriarchas, archiepiscopos et alios episcopos, ac etiam Camerae Apostolicae clericos, ecclesias, monasteria, dignitates et alia beneficia huiusmodi, in sui favorem resignata, cessa vel alias dimissa, acceptasse, aut de illis, per obitum vel alias vacantibus, a nobis et praedecessoribus nostris, seu etiam ab ordinariis et aliis inferioribus collatoribus, etiam ad patronorum praesentationem, ad alterius commodum sibi provideri obtinuisse; illaque ac etiam alia aliter vacantia, sibi in titulum, commendam vel administrationem aut alias dicta auctoritate concessa, quandoque in resignantium vel cedentium seu etiam aliorum favorem cessisse vel alias dimisisse. Ac sibi propterea pensiones annuas ac fructus, redditus et proventus ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum et aliorum beneficiorum huiusmodi, in toto vel in parte, etiam aliquando cum facultate illas et illos transferendi, ac etiam collationem, provisionem, praesentationem et aliam dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum, ad earumdem ecclesiarum, monasteriorum et dignitatum praelatos pro tempore existentes ac alios huiusmodi beneficia pro tempore obtinentes pertinentium, necnon regressus sive accessus et ingressus ad ecclesias, etiam cathedrales, monasteria ac alia diversa beneficia ecclesiastica sibi reservari procurasse et obtinuisse, ad hoc videlicet ut confidentes sic decimarum apostolicarum vel communis dicti collegii et annatae aliorumque iurium dictae Camerae debitorum solutionem eludant, integrisque beneficiorum, etiam in mensibus apostolicis vacantium, aut alias dispositioni Sedis Apostolicae generaliter reservatorum, collationibus, ac interdum ut beneficia ipsa, tempore procedente, in aliquorum, tunc forsan de iure inhabilium et incapacium vel nondum adhuc natorum, favorem cedantur seu resignentur, vel ut personae inhabiles et incapaces huiusmodi, etiam laici, pensionibus ac fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis fruantur et gaudeant, seu potius illis et facultate transferendi praedicta abutantur, in animarum suarum periculum et perniciosum exemplum.

Beneficia in confidentia re-

§ 2. Quare nos, hanc cardinalium eorumdem in monitionibus nostris parendo

cepta, a die receptionis vacasse hic Pontifex decernit, et Sedi Apost. reservat;

incuriam, et tam illorum quam ceterorum praelatorum, etiam clericorum ac aliorum quorumcumque, indignam fallaciam, conniventibus oculis, diutius minime dissimulandam, sed huic errori, ne radices altius agat, occurrendum tandem esse censentes; et quoniam hanc ipsorum, qui monitioni nostrae non parentes, beneficia huiusmodi in confidentiam, ut praefertur, retinuerunt, et fructus ex eis indebite vel percipiendo vel per alios nomine suo, etiam per simulatas illorum locationes et fictas de receptis quietantias ac donationes et remissiones, percipi sinendo, graviter excesserunt cardinalium metam, potius ex immoderata erga suos indulgentia, quam aliquo praeceptorum nostrorum spretu, processisse facile reputamus; idcirco omnes et singulas ecclesias, etiam metropolitanas et alias cathedrales, ac monasteria, etiam consistorialia, prioratus, praeposituras, praepositatus, dignitates, etiam maiores et principales, etiam conventuales, personatus, administrationes et officia, ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, etiam de iure patronatus, etiam laicorum, etiam nobilium et illustrium, etiam ex fundatione et dotatione existentia, per eiusdem Romanae Ecclesiae, etiam episcopos, cardinales et quoscumque alios, etiam patriarchas, archiepiscopos et alios episcopos, ac etiam eiusdem Camerae clericos, in titulum, commendam vel administrationem aut alias in huiusmodi confidentiam iure prohibitam, cuiusvis personae, ut praefertur, contemplatione vel intuitu, quovis modo recepta, illorum liberam collationem et dispositionem nobis et Sedi Apostolicae harum serie reservantes, ipso iure, a die receptionis earumdem vacavisse et vacare. Ac fructuum et pensionum reservationes ac facultates transferendi, et collationis beneficiorum concessiones eis, ut praemittitur, factas, ac regressus sive accessus et ingressus concessos huiusmodi cessasse et cessare ac extinctos esse.

Reditus ad Cameram Apostolicam applicat;

§ 3. Et eosdem cardinales seu quosvis alios, a prima die receptionis beneficiorum huiusmodi citra, fructus, redditus et proventus earumdem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum et aliorum beneficiorum, ac pensiones praedictas indebite percipere suosque facere non potuisse neque debuisse, sed illos omnes et singulos ad Cameram eamdem devolutos fuisse et esse, illique deberi; ac ipsos cardinales et alios, ad quorum manus quomodolibet pervenerunt, et eorum haeredes, ad integram illorum restitutionem in utroque foro teneri et ad id opportunis iuris remediis compelli debere, auctoritate apostolica, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Prohibet haec de cetero fieri, sub poenis hic expressis;

§ 4. Et insuper universis et singulis, tam eiusdem Rom. Ecclesiae cardinalibus, etiam episcopis, quam praelatis et clericis ac aliis praedictis, praesentibus et futuris, ne deinceps ullo unquam tempore aliquas ecclesias, monasteria, dignitates vel alia beneficia, etiam de dicto iure patronatus, uti praefertur, existentia, aut fructus vel pensiones, aut regressus seu accessus, in confidentiam praedictam aut ad effectum reservationum huiusmodi sibi postmodum cedentibus procurandarum, recipere praesumant, cardinalibus videlicet et aliis praelatis huiusmodi, in virtute sanctae obedientiae et sub interdicti ingressus ecclesiae; reliquis vero, sub maioris excommunicationis latae sententiae poena, per contrafacientes eo ipso incurrenda, a qua, nisi a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, districtius inhibemus.

Annullat quascumque provi-

§ 5. Ac quascumque collationes, provisiones, praefectiones, commendas, reser-

siones de his beneficiis factas et illa vacare ac Sedi Apost. reservata esse decernit.

vationes, facultates, etiam transferendi ac regrediendi, sive accedendi et ingrediendi, ac alias dispositiones de ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et aliis beneficiis, eorumque fructibus et beneficiorum collationibus, per nos et alios Romanos Pontifices successores nostros, etiam motu proprio seu consistorialiter, aut etiam per ordinarios et alios inferiores collatores, etiam ad patronorum eorumdem praesentationem et alias quomodolibet, cum interventu confidentiae huiusmodi, expresse sivo occulte, ac de iure praesumpto et alias contra praemissa pro tempore factas, nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore, neque cuiquam suffragari, sed ecclesias, monasteria, dignitates ac alia beneficia huiusmodi ipso iure vacare, ac nostrae et Sedis Apostolicae dispositioni reservata, fructusque et pensiones Camerae Apostolicae applicatos, ut praefertur, esse et censeri.

Decretum irritans.

§ 6. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam ipsius Ecclesiae Romanae cardinales, sublata eis quavis aliter interpretandi et iudicandi facultate, etiam per praesumptiones et coniecturas legitimas et eorum arbitrio (cum alias confidentias huiusmodi in lucem erui et probari non posse constet) procedendo, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane similiter decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, ac aliis constitutionibus apostolicis, necnon collegii praefati, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma et effectus publicationis.

§ 8. Et ne quisquam ullo umquam tempore praesentium ignorantiam praetendere possit, volumus et eadem auctoritate decernimus quod ipsae praesentes literae ad basilicae Principis Apostolorum de Urbe valvas, per aliquem ex cursoribus nostris, illarum copia ibi affixa et dimissa, et etiam in Cancellaria Apostolica, de more publicentur, ac in eiusdem Cancellariae quinterno, ad maiorem partium illas in iudicio producere volentium commoditatem, describantur.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reservationis, declarationis, inhibitionis, decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, decimo sexto kalendas novembris, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 17 octobris 1564, pontif. anno v.

CIII.

De electionibus ad regimina monasteriorum, praeposituraruum et aliarum dignitatum conventualium.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Pius divina providentia Papa IV

Causa huius constitutionis.

Ad cuius pervenit notitiam quod, licet alias omnia monasteria virorum, valorem ducentorum florenorum auri communi

aestimatione excedentia, necnon prioratus, praeposituras ac alias dignitates conventuales et praeceptorias generales Ordinum quorumcumque dispositioni suae generaliter reservaverit, ac propterea illorum provisiones, et ad ea, quae speciali privilegio eligendi, sibi per Sedem Apostolicam concesso, suffulta sunt, canonice factarum electionum confirmationes, ad Sanctitatem Suam et dictam Sedem pertinere noscantur; nihilominus plerique religiosi, caeca nimis ambitione agitati, partim electiones de suis personis ad monasteria, prioratus et alias dignitates conventuales huiusmodi, vel privilegium eligendi praedictum habeant vel illo careant, nullo iuris ordine servato, nullaque boni vel aequi ratione habita, temere fieri, factasque, per Ordinum superiores aut locorum ordinarios de facto confirmari; partim vero, nedum priusquam electiones de se ad monasteria et alias conventuales dignitates eligendi privilegio suffulta, factae, rite confirmentur, sed ne electi quidem canonice, se in regimine et administratione, tam in spiritualibus quam temporalibus, monasteriorum aliarumque dignitatum vacantium eorumdem ac illorum bonorum immiscere non verentur, in animarum suarum periculum, auctoritatis apostolicae contemptum et plurimorum scandalum.

Annullatio electionum factarum absque Sedis Apostolicae provisione vel confirmatione.

§ 1. Volens tantis, qui paulatim in religiosos irrepserunt abusibus et ausibus nimis licentiosis aliquando, sicut par est, occurrere, suamque Sedi praefatae praerogativam asserere, omnes et singulas electiones quarumvis personarum ad regimina monasteriorum, prioratuum, praeposituraruum et aliarum dignitatum conventualium ipsarumque electionum confirmationes, per quoscumque, cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis existant, et quavis, etiam archiepiscopali, patriarch. aut maiori, praefulgeant dignitate, hactenus sic praesumptas, nullas et invalidas, ac pro nullis, invalidis et prorsus infectis, habendas esse; personasque sic, ut praefertur, electas et confirmatas, monasteria aliasque dignitates huiusmodi sine legitimo titulo possedisse et possidere, necnon illorum fructus, redditus et proventus indebite percepisse et percipere; ac personas ipsas ad absolutionem et habilitationem super his, necnon confirmationem electionum de se factarum a Sanctitate Sua seu Romano Pontifice pro tempore existente aut Sede praedicta, infra sex menses a data praesentium computandos, impetrandum, ac literas apostolicas super huiusmodi confirmatione in totum expediendas, omnino teneri declaravit.

Forma desuper in futurum servanda.

§ 2. Et nihilominus hac sua perpetuo valitura constitutione statuit et ordinavit quod nullus de cetero se in regimine et administratione monasterii vel alterius dignitatis conventualis, ad quod seu quam illum eligi contigerit, in spiritualibus vel temporalibus, antequam rite celebrata electio a Sanctitate Sua aut Romano Pontifice pro tempore existente et Sede praedicta confirmata, et literae apostolicae desuper expeditae fuerint, per se vel alium, in toto vel in parte, quovis quaesito colore, immiscere, aut ad illud vel illam se recipi facere, vel alias se pro eius praelato gerere praesumant.

Poenae aliter electorum, vel electiones confirmantium.

§ 3. Decernens omnes et singulos, qui secus fecerint, iure, si quod illis ad monasteria vel eorum regimina et administrationes ac alias conventuales dignitates per electionem huiusmodi quaesitum fuerit, eo ipso privatos, et deinceps ibi inelligibiles esse, ipsaque monasteria et alias dignitates ab eadem Sede impetrari posse; qui vero similes electiones confirmare praesumpserint, etiam eo ipso, superiores Ordinum videlicet, suis dignitatibus privatos; ordinariis autem locorum, etiam si

archiepiscopali et maiori praecellant dignitate, ingressum ecclesiae interdictum, eosque ab ecclesiarum suarum regimine et administratione suspensos existere.

Placet, publicetur et describatur. I.

Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimoquarto, die vero martis, ultima mensis octobris, pontificatus præfati sanctissimi domini nostri Papae anno v.

Publ. die 31 octobris 1564, pontif. anno v.

CVI.

Alia et secunda reformatio tribunalis Reverendae Camerae Apostolicae et officialium eius.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Hic Pontifex pro reformatione gregis dominici celebrari voluit conc. Trid.

Cum inter ceteras animi curas, quibus, in hac praecelsa beati Petri Sede, meritis licet imparibus, constituti, quotidie solicitamur, illa vel a primordiis assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem praecipua fuerit ut universum gregem dominicum fidei nostrae commissum, ad illicita valde proclivem, pro nobis iniuncti muneris officio, in viam salutis reduceremus, eiusque rei gratia, sacrum oecumenicum et generale concilium in civitate Tridentina indicendum, celebrandum et, Deo favente, absolvendum convenimus.

Romanam Curiam et eius officia reformavit, ut in multis constitution. praecedentibus;

§ 1. Et propterea ne, dum foris de reformandis in universali Ecclesia moribus tractabatur, interim ipsam morum censuram domi, videlicet apud Sedem ipsam, detrectare, causamque Curiae Romanae et almae Urbis nostrae, in qua sacerdotii principatum et christianae religionis caput, unde merito universi christifideles rectae catholicaeque vitae sumerent exemplum, divina instituit Providentia, protelare videremur, quinimmo, ut a domo nostra iudicium inciperet, Curiam ipsam ac praecipuos illius magistratus, ordines et officia multis excessibus et corruptelis, quae, vesana hominum libidine, in eam sensim irrepserant, summis tum studio tum diligentia repurgaverimus.

Eiusque Cameram.

§ 2. Et inde animum nostrum ad Cameram Apostolicam, ad quam negotia locorum omnium totius sanctae Romanae Ecclesiae Status assidue confluunt, eiusque tribunal, quod sive iurisdictionis antiquitate et auctoritate, sive rerum gerendarum excellentia, sive virorum amplitudine, ceteris in eadem Curia præstat, intendentes; multa, quantum tulit temporis ratio, circa illius iurisdictionem huiusmodi ac potestatem et facultatem, necnon dilectorum filiorum notariorum et aliarum personarum suarum statum et directionem salubriter ordinaverimus, prout in aliis literis nostris desuper confectis plenius continetur.

Hanc dictae Camerae reformationem prosequendo, omnia eius privilegia, quatenus huic reformationi non sint contraria, confirmat;

§ 3. Nos, semel incoeptum reformationis huiusmodi negotium, Domino cooperante, diffusius prosequi, nec tamen ex iis, quae pro ipsius Camerae et pro tempore existentis Ecclesiae Romanae camerarii necnon clericorum et reliquarum personarum dictae Camerae statu et directione, ac alias ibi hactenus salubriter instituta et concessa fuisse reperiuntur, quicquam detrahere; sed, his immotis in sua firmitate permanentibus, ea solum, quae experientia vel deesse vel obesse probavit, opportune, iuxta rerum exigentiam, supplere et emendare volentes; necnon omnium et singularum constitutionum, tam generalium quam specialium, in favorem dictae Camerae editarum, ac quorumcumque privilegiorum, facultatum, gratiarum, concessionum, literarum et indultorum, illi ac praefatis camerario et clericis eorumque collegio et

personis per felicis recordationis Gregorium IX, Bonifacium VIII, Urbanum VI, Martinum V, Eugenium IV, Sixtum etiam IV, Innocentium etiam VIII, Iulium II, Leonem X, Paulum III et Iulium similiter III ac alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam motu proprio et ex certa scientia, concessorum, confirmatorum et innovatorum; necnon statutorum, ordinationum et decretorum Camerae ac camerarii et clericorum praedictorum eorumque collegii causas, res, personas et statum concernentium, hucusque conditorum et ab eisdem praedecessoribus vel eorum aliquibus confirmatorum, necnon quarumcumque literarum et aliorum documentorum desuper confectorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, illa omnia et singula, ac prout ea concernunt, reliqua in ipsis literis aliisque documentis contenta, quatenus literis nostris praedictis contraria non sint nec illarum effectum impediant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus eisque perpetuam et inviolabilem roboris firmitatem adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Iterateque ea concedit.

§ 4. Et nihilominus eadem praemissa omnia et singula Camerae et camerario, clericis et collegio praedictis concessa et indulta, eisdem modis et formis, quibus ab ipsis praedecessoribus nostris emanarunt, similibus auctoritate et tenore, de novo perpetuo concedimus et indulgemus, ac ab illis statuta et ordinata statuimus et ordinamus, volentes illa, perpetuis futuris temporibus, sub censuris et poenis in eis contentis, inviolabiliter observari.

§ 5. Cum autem officio clericatus dictae Camerae, quod in ipsa Curia primarium existit, munus potissimum incumbat eiusdem Camerae res rite et recte administrandi, iura et redditus utiliter locandi contractusque desuper necessarios et opportunos ineundi, quorum occasione ipsi clerici Camerae, procuratores Patrimonii Beati Petri, rerumque omnium totius Status Ecclesiae Romanae huiusmodi custodes et praesides merito nuncupantur; necnon ius reddendi, et iustitiam tam fisco, ut privato, quam ipsis privatis, si qua ratione de fisci interesse agatur, administrandi. In his autem muneribus obeundis, vel temporum malitia vel antiquorum clericorum negligentia vel desuetudine, res cameralis detrimentum non modicum accepisse noscatur. Hinc est quod nos, sicut rei magnitudo postulat, ad ulteriorem, etiam in his, reformationem procedendum esse censentes, motu, scientia, potestatis plenitudine et tenore similibus, perpetuo statuimus et ordinamus quod deinceps ad ipsa clericatus Camerae officia, cum vacabunt, nulli, nisi vitae et morum integritate praestantes, literarum scientia praediti, rerumque humanarum experientia insignes, assumi debeant, quorum excellentia, virtute, doctrina et auctoritate Camera ipsa et Romanae Ecclesiae Status universus recte gubernari et latissimum ab eis incrementum suscipere possit.

Clericorum Camerae qualitates designantur.

Camerales contractuum Camerae participes esse prohibentur.

§ 6. Et ut inde videbatur, dirae cupiditatis pernicies omnino eliminetur, quod posthac in quibuscumque contractibus super locationibus rerum et iurium ipsius Camerae celebrandis, seu partitis, ut aiunt, faciendis, nullus vicecamerarius, thesaurarius aut quispiam ex clericis et cameralibus, assistentibus, notariis aliisque ministris et personis dictae Camerae, quocumque nomine nuncupatis, illarum particeps existat. Quin potius ipsi ab omni, quantumvis omnino [1], commodo et lucro, exinde quomodocumque, directe vel indi-

1 *Exiguo*, Cherub. (R. T.).

recte provenienti, omnino abstineant; quod si eorum aliquem secus fecisse legitime constiterit, officio suo ipso facto perpetuo privatus existat, perpetuaque infamia notetur, ac aliis poenis nostro nostrique successoris Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio subiaceat. Qui vero de praeterito circa praemissa deliquerit, pœnis a iure et constitutionibus a praedecessoribus nostris super hoc editis et inflictis puniatur.

Contractibus Camerae cum eorum affinibus non intersint.

§ 7. Sed nec quisquam dictorum vicecamerarii, thesaurarii, clericorum aliorumque cameralium et ministrorum assistentium, ullis contractibus, quos inter Cameram ipsam et eorum consanguineos aut affines, ad quartum usque gradum attinentes, fieri contigerit, sub mille ducatorum Camerae praefatae applicandorum et alia nostro dictique successoris arbitrio incurrenda poena, salvis nihilominus constitutionibus antiquis alias poenas propter hoc irrogantibus, intervenire, vel alias sese in illos eorumque tractatibus, per se vel alium seu alios, quoquomodo immiscere audeat.

Clerici propinquorum causas non cognoscant ac earum discussionibus non intersint.

§ 8. Causae vero coniunctorum et propinquorum alicuius clerici, ad dictum quartum gradum exclusive, ipsi clerico nullatenus committantur, nec quisquam eorum sibi commissas audiat, sed eas, expressa causa, recuset. Nec etiam in discussionibus et decisionibus, tam illarum quam aliarum quarumcumque causarum, in quibus aliquod interesse praetendere posset, sive clericus sive assistens ille ullo modo interesse nec ullum votum habere, sed statim a dicta Camera, etiam dum causa proponitur, etiam iniussus, cum in hoc ignorantiam praetendere non possit, egredi debeat; et si secus fecerit, clericus per mensem suspensionem ab exercitio et perceptione emolumentorum sui officii, aliis clericis applicandorum, ipso facto incurrat; assistens vero, iocalium et salarii exactione, aliis assistentibus applicanda, ipsiusque Camerae ingressu trium mensium spatio mulctetur.

Suspicionis causa contra camerales in Camera approbanda est.

§ 9. Quicumque autem, sive ex clericis, sive ex aliis cameralibus praefatis, ab aliquo suspectus in causa recusatus fuerit, accusans, nonnisi expressa suspitionis causa, audiri; illaque expressa, absente recusato ut suspecto, in Camera discuti, eaque a pluribus approbata, suspectus ipse in huiusmodi causa nullo modo se intromittere aut interesse debeat. Si vero suspitio probari nequiverit, nulla eius allegata ratio habeatur.

Contractus Camerales ineundi forma.

§ 10. Et quoniam ubi periculum maius intenditur, ibi est plenius consulendum, quod super quibuscumque contractibus cameralibus deinceps in perpetuum ineundis capitula et conventiones per thesaurarium Camerae pro tempore existentem vel alium, ad quem spectaverit, prius conscribantur, eorumque exempla singulis clericis et aliis omnibus cameralibus per commissarium eiusdem Camerae, tribus saltem diebus antequam de negotio tractetur, transmitti debeant, quibus unusquisque seorsum instructus domi mature consulere, remque cum ceteris in Camera ipsa conferre possit, ut ibi omnes recte discernere valeant; ac tum demum ea, quae decreverint, statuto die, in plena Camera comprobanda, per quempiam alta voce legi debeant, ut, solito inter eos ordine servato, cuique licitum sit super unoquoque capitulorum quid sentiat coram dicere et allegare, et quod inde ipsi Camerae utile et optimum videbitur, executioni salubriter demandetur. Ceterum, ut fraudibus, quae in huiusmodi contractibus fieri possunt, necnon periculis, controversiis ac litibus obvietur, publicaeque utilitati evidentius consulatur, quod huiusmodi capitula, quae sic confecta et expedita fuerint, imprimi aut scribi et publicari ac affigi in locis solitis debeant.

Proventus Camerae sub hasta licitari debeant.

§ 11. Ac omnia res, proventus et iura Camerae iuxta formam aliarum literarum a nobis, super hoc, motu simili emanatarum, quas etiam per praesentes innovamus, sub hasta licitari omnino debeant. Quae omnia per dictos vicecamerarium, thesaurarium, clericos et alios supranominatos, sub excommunicationis poena, nonnisi a nobis et successoribus nostris, praeterquam in mortis articulo, relaxanda, exacte servari mandamus, declarantes vota et iuramenta ipsorum aliter praestita eosdem non ligare. Ac contractus et omnia inde secuta nullius roboris vel momenti existere, quinimmo per Cameram quandocumque revocari, et contractus ipsos, servata eadem forma, de novo celebrari debere.

Camerales conveniant diebus statutis summo mane in Camera.

§ 12. Cumque fidei, curae et iudicio dictae Camerae, tamquam praefatae Curiae et totius ecclesiasticae ditionis, necnon ipsius principis in huiusmodi rebus et bonis supremo tribunali, Status ipse universus commissus sit, magnopere laborandum est ut munus iustitiae, virtutum omnium dominae et reginae, ac publici privatique tutricis optimae, non solum imperio, sed etiam maiestate et dignitate fulciatur; et tamquam in bene composito corpore purus sanguis, ita in illa religionis, iustitiae et aequitatis quasi sanitas perpetuo constet, quod, statutis diebus, quibus dicta Camera in Palatio Apostolico et ubicumque haberi consuevit, quisque in ea interveniens, summo mane et hora ab ipsa Camera statuta, sicuti alii bene constituti magistratus dictae Curiae, convenire debeat.

Cursores debent Cameram pridie intimare.

§ 13. Cursores vero, iubente ipso camerario seu vicecamerario, ipsam Cameram, certis loco et hora, sive ordinaria sive extraordinaria fuerit, pridie, sub pœna amissionis salarii menstrui, singulis tam clericis quam aliis cameralibus, personaliter vel per cedulam domui dimissam, omni tempore praenunciare teneantur.

Abesse non debent camerales absque licentia camerarii vel decani.

§ 14. Et cum absentia ipsa per se damno et incommodo maximo omnibus sit, cum non solum rerum gerendarum cursum retardet, sed ipsa quoque negotia in discrimen manifestum constituat et plerumque destituat, quod nullus deinceps, sive clericus sive alias cameralis, ab ipsa Camera, sine expressa camerarii vel eiusdem Camerae decani licentia, impune abesse possit, excepta publicae utilitatis privataeque necessitatis causa, quam tamen absens per nuncium eidem Camerae significare debeat. Qui vero id semel et iterum neglexerit, fructibus et emolumentis illius mensis, aut iocalibus et regalibus, aliis applicandis, quae, vel uno ex eisdem contradicente, illi nequaquam remitti vel condonari possint, et alias ipsius Camerae arbitrio privari debeat, nec, nisi de expressa nostra aut successoris nostri licentia ceteris in Camera significata, ab Urbe abesse possit, statutis et decretis, quae de absentia clericorum et aliorum praefatorum disponunt, integris permanentibus per praesentes innovatis. Illis tamen, quae a Tridentino concilio super residentia statuta sunt, salvis et illaesis manentibus.

Vestibusque hic descriptis camerales induti stent in Camera.

§ 15. Clerici autem et qui alias rochetto et cappa utuntur, eisdem in qualibet Camera; reliqui vero solitis vestibus rubeis et violaceis, nulla deinceps consistorii habita distinctione, induantur; aliter vero induti excusari aut admitti non possint.

Missam audiant et inde ad Cameram se conferant.

§ 16. Omnes itaque sic induti dicta hora, pulsata campanella, ad missam accedant, quae decano et alio clerico, vel, absente decano, duobus clericis ad minus assistentibus, incipi debeat, eaque peracta, praeeuntibus duobus cursoribus, omnes Cameram versus tendant, alius post alium, servato ordine, incendentes, quo quis-

que commodius ab agentibus et collitigantibus de rebus pertractandis valeat informari.

Ante causarum propositiones, imperato silentio, procuratores audiantur.

§ 17. Ubi vero ad locum propositionum causarum pervenerint, imperato omnibus per camerarium seu, eo absente, vicecancellarium [1] vel decanum silentio, advocati, procuratores et alii, quibus id incumbit, causas huiusmodi non turbate aut confuse, ut plerumque consuevit, sed singulatim et ita diserte, reverenter et sine strepitu proponant, ut ab omnibus commode intelligi et a clerico mensario notari possint. Quod si illi, a camerario seu vice-camerario vel decano semel et iterum moniti, non obtemperaverint, ad hoc munus deinceps non admittantur.

Notarii Camerae procuratoris officium non exerceant.

§ 18. Cumque notarii dictae Camerae, turpi lucro inhiantes, ex procurationibus causarum plerumque per eos vel eorum substitutos precibus, amicitia vel pecunia factis, causas ipsas non modo affectare, sed in eis quoque notarii et procuratoris officia, in detrimentum partium, coniunctim exercere noscantur, quod illi deinceps ab eisdem procurationibus, sub poena ducentorum ducatorum Camerae praefatae applicanda, prorsus abstineant; sed procuratores causarum vel sollicitatores ipsarum ad eas procurandas dumtaxat admittantur.

Causae miserabilium personarum, consultato advocato, a procuratore pauperum in Camera gratis tractandae sunt.

§ 19. Quodque pauperum et miserabilium personarum causae, quarum in dicta Curia quo maior est numerus, eo maior, praesertim quoad impensas, ratio est habenda, de cetero a procuratore pauperum, qui in eodem loco, ubi describantur, continue assistat, gratis et quandocumque voluerit, etiam extra ordinem, favore paupertatis proponantur. Qui pro eisdem, ad consulendum et informandum advocatum eorumdem pauperum, ut eos in ipsa Camera defendere possit, accedere teneatur. Et si ab officio suo sic sibi iniuncto quoquomodo defecisse, et pariter si advocatus ipse suo officio gratis pro pauperibus exhibendo et pro nullo alio qui contraxerit aut litiget cum Camera patrocinando defuisse apparuerit, prima vice, si legitime impeditus non fuerit, salario trium mensium multetur, et si reinciderit in idipsum, officio suo perpetuo privatus existat eo ipso.

Propositiones occurren. scribendae sunt per clericum mensarium, antequam fiat Camera.

§ 20. Clerici autem ceterique camerales Cameram ipsam, priusquam omnes propositiones eadem die occurrentes per clericum mensarium descriptae fuerint, non ingrediantur.

Oratio B. Isidori per clericum novissimum postea legatur, ac litigantes audiantur.

§ 21. Ipsi vero, illis expletis, ingressi, cum sine Dei auditorio [1] et Spiritus Sancti gratia nihil boni sperandum sit, erecta ad Deum omnipotentem mente, illiusque ac beatissimae semper virginis Mariae genitricis suae, advocatae nostrae, toto corde ab omnibus invocato, flexis genibus, suffragio, ea oratio B. Isidori episcopi, quae incipit *Adsumus, Domine Sancte Spiritus,* per novissimum clericorum tunc praesentem alta et intelligibili voce legatur. Qua finita, quicumque in plena Camera audiri voluerit, liceat illi eam tunc ingredi ac proloqui et informare, isque ab omnibus aequo animo ac benigne audiatur.

Camera postea claudatur, et nemo admittatur per cursores custodes, nisi cum licentia; et causarum propositiones pro fisco vel commissario Camerae aut procuratore pauperum scribantur.

§ 22. Quibus sic rite peractis, Camera ipsa claudatur. Et quia valde incommodum, quin etiam indecorum, videtur, ut postea quisque indifferenter ad tantum tribunal, sine illius praesidentium licentia, admittatur, quod saltem unus ex cursoribus praefatis ante ostium eiusdem Camerae assidue maneat, illudque custodiat. Nec quemcumque, cuiuscumque gradus et conditionis, nisi praemonito per eum vice-camerario seu decano praefato, indeque deliberato, admittere vel introducere audeat, sed talis aut licentiam expectare, aut omnino recedere debeat. Ceterum, clausa dicta Camera, nulla propositio, nisi forte procuratoris fisci vel

1 *Vicecamerarium*, rectius Cherub. (R. T.).

1 *Adiutorio*, Cherub. (R. T.).

commissarii Camerae seu procuratoris pauperum, quibus iure merito quandoque est indulgendum, ulterius audiatur, neque describatur.

Camera per duas horas ad minus habeatur.

§ 23. Demum, ceteris semotis, et quibuscumque sermonibus et collocutionibus ad res Camerae minime facientibus, quae expeditiones camerales impedire vel in longum protrahere consueverunt, prorsus omissis, omnes toto animo ad propositiones audiendas et decreta facienda incumbant. Quod, ut commodius et facilius expediri possit, Camera ipsa per duas horas continuas, posito prae oculis horologio, ad minus habeatur; et si negotia exegerint, ulterius producatur; ex qua interim nemo, nisi a Papa seu cardinale, curam negotiorum gerente, inde expresse evocatus, aut aliqua urgenti necessitate ingruente, egredi debeat.

Mensarius earum propositiones legat.

§ 24. Moxque, silentio a camerario seu, eo absente, a vice-camerario vel decano omnibus imposito, dictus mensarius de more propositiones adscriptas legat.

Decanus distribuat causas per turnum, non tamen concernentes officia vel gubernia clericorum.

§ 25. Et quoad eas, quae distributionem causarum concernunt, ipse solus decanus respondeat; nec quisquam illum causas distribuentem quoquomodo interrumpere, vel aliquid dicere audeat, quo uni magis quam alteri vel sibi potius causam aliquam committat, sed causas ipsas omnes et singulas per turnum distribuat, incipiente tamen turno ab eo clerico quem camerarius praesens nominaverit, vel, eo absente, sors educta praetulerit, exceptis causis, quarum universitas, ratione guberniorum diversorum vel officiorum, quotannis unicuique clerico distribuitur, eisdem clericis omnino relinquendis.

Clerici deinde causas proponant, praevia citatione ad informandum, et transmissa cedula propositionis, et servatis aliis hic descriptis.

§ 26. In causis autem expediendis haec ratio habeatur, ut quae iudicialem indaginem requirunt, nullus clericorum, nisi prius eis in Camera communicatis, et parte ad informandum citata, audeat illas de cetero expedire. Quin etiam rescripta omnia, etiam manu Papae signata, ac dictae Camerae decreta, quibus cognitio causarum ipsis clericis demandatur, nisi in eis dicatur expresse quod per solum se ipsum audiat et decidat, ita intelligi aut interpretari volumus quod ipsis clericis illas in plena Camera referre et de voto omnium expedire teneantur. Verum, ut prolixa litium dispendia quo potest compendio arceantur, clericus, qui iudex vel commissarius fuerit, causam aliquam propositurus, partibus prius auditis, diligenter factum discutiat, illoque bene et sufficienter instructo, cedulam manu sua subscriptam parti agenti et instanti contra fiscum vel alium seu procuratori fisci contra partem de more tradat, qua etiam clericos et camerales omnes certiores faciat se huiusmodi causam praestituto die propositurum, ut unusquisque in eam intendere, et ad dicendum sententiam suam instructus accedere possit; dataque ipsa cedula et adversario intimata, iudicibusque ostensa, si die propositionis per ipsam cedulam statuto adveniente, per fiscum vel per partem expeditionem petentem, omnibus iudicibus datae fuerint informationes, licet per adversarium illam diffugientem idem factum non fuerit, causae nihilominus proponantur, discutiantur, et, si id negotium patiatur, etiam altera parte non informante, terminentur. Quod si unus ex iudicibus, in partis vel fisci gratiam, odium vel favorem, causae huiusmodi expeditionem, praetextu quod in ea informatus non sit, impedire aut in longum protrahere moliatur, si talem constiterit informationes habuisse, illa pariter ab aliis iudicibus expediatur. Verum si, adveniente die propositionis, informationes a parte vel fisco expeditionem desiderante omnibus datae non fuerint, cum id illi ad culpam debeat imputari, causae huiusmodi propositio atque

expeditio, donec omnes fuerint informati, suspendatur et interea supersedeatur. Et si, praefato propositionis die adveniente, informationes huiusmodi ab utraque parte omnibus datae fuerint, iudicibus tamen, pro negotii difficultate et gravitate, de causa non liqueat, ipsi propositionem huiusmodi ad alium diem differre valeant; idemque eis licitum sit, si altera pars, quae informationem non dedit, docuerit se fuisse legitime impeditam, impedimento huiusmodi saltem a maiori parte iudicum approbato. Nullus autem, qui informationes huiusmodi accepit, se illas habuisse, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, audeat denegare.

Causae propositae ordinatim discutiantur, et iuxta maiorem partem votorum decidantur

§ 27. Cumque causae ipsae camerales, quae multae sunt et de sui natura maximam desiderant celeritatem, nisi certa ratione et ordine propositae fuerint, nimia expeditionis tarditate et partibus et Camerae certum et maximum pariant detrimentum, quod quilibet clericus ex multis causis sibi, vel ex rescripto Pontificis vel ex decreto Camerae, commissis, reique cognitionem habentibus, in qualibet Camera, servato inter eos solito ordine, unam tantum deligat, quae, pro qualitate personarum, rei et temporis (praelatis semper pauperibus et viduis), maiorem postulat celeritatem, et illius seriem facti, unde quaestio et dubium partibus dandum eliciatur, fideliter proponat. Eodemque dubio dato, quaestionem ipsam ac iura et rationes partium, prius per eum perstricta, in alia Camera breviter referat; mox decanus camerales primum, deinde clericos, ab eis exordiens qui postremo in Camera admissi fuerint, ita ut, secundum literas praefati Eugenii Papae, decanus ipse ultimus respondeat, de ea re omnes interroget; et ad interrogationem illius, camerales scilicet consulendo, clerici vero decidendo, solum Deum illiusque extremum iudicium prae oculis habentes, ex ordine sententias suas dicant.

Votis autem aequalibus, ea pars praevaleat cui camerarius adhaeserit vel, eo absente, maior pars aliorum cameralium habentium vota consultiva.

§ 28. Et ne contingat causas et negotia diutius remanere indecisa, quod, quandocumque vota decisiva fuerint aequaliter divisa, nec de maiori parte ipsorum appareat, tunc illa pars ipsorum, quibus dictus camerarius vel, eo absente, maior pars votorum consultivorum adhaeserit, debeat praevalere, ut hac ratione et quamplures causae brevi expediantur, et partes ipsae laboribus et expensis subleventur. Dum vero causae ipsae proponuntur, suffragia rogantur et sententiae dicuntur, omnes magno silentio loquentem audiant, nec quisquam eum interpellare audeat, sed, expleto sermone, si illum in facto errasse cognoverit, tunc liceat errantem humane benigneque admonere, ut is se ipsum corrigere, et alii post eum dicturi possint eorum opinionem firmius explicare.

Decanus vero remittit ad Pontificem causas gratiam sapientes, et gubernatori, auditori Cameræ vel thesaurario remittit causas ad eos spectantes.

§ 29. Si vero aliquam propositionem gratiam sapientem, vel ad iurisdictionem gubernatoris seu causarum Curiae dictae Camerae auditoris vel illius thesaurarii pertinentem, fieri contigerit, decanus praedictus, propositione audita, si gratiam concernat, Summum Pontificem adeundum respondeat; reliqua vero ad thesaurarium, gubernatorem vel auditorem praefatos, prout suae cuiusque iurisdictionis fuerit, veteri more, non autem ad quempiam clericum, remittat, ut hac ratione partes ab expensis subleventur, et iurisdictio unicuique conservetur.

Vota aliorum revelantes, pœnas hic descriptas incurrunt.

§ 30. Cumque nulla maior pestis graviorque pernicies ex collegiis proficiscatur, quam sententias et opiniones aliorum exteris aperire, unde libertas dicendi, quae in iudiciis praevalet, eripitur, odia gignuntur, et probis consultoribus inimicitiae parantur, quibus humanae societati et ipsi iustitiae, quam profitemur, nihil magis contrarium esse constat, quod

quicumque aliorum suffragia vel suam aut aliorum sententiam foris patefecerit et alicui indicaverit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, a qua, nisi a nobis aut successore nostro, absolutionis beneficium nequeat obtinere. Et prima, quingentorum; et altera, mille ducatorum dictae Camerae applicandorum; tertia vero vice, aliis gravioribus poenis nostro et successoris nostri puniantur arbitrio.

Delinquentes in Camera cuercantur, et Pontifici denuncientur.

§ 31. In reliquis autem quoquomodo delinquentes in plena Camera a dicto decano primum moneantur, deinde iocalibus et regalibus Camerae arbitrio mulctentur, aliis poenis specialiter expressis salvis manentibus. Ipse vero decanus et, eo negligente, subsequens clericus in ordine, statim illos nobis vel successori nostro, sub nostrae vel eius indignationis poena, denuntiare teneatur, ut inde a nobis vel illo, sicut expediens fuerit, amplius provideatur.

Proponentes causas scripturas secum habeant.

§ 32. Ut autem quisque in dicendis sententiis propriae conscientiae melius satisfacere valeat, et ea, quae dicenda sunt, ab ipsis fontibus potius hauriantur, quam per rivulos consectentur, quod clerici, die propositionis per eos faciendae, acta et scripturas earum causarum, quas praeposituri sunt, necnon dicta testium in Camera penes se promta habeant, quibus controversiae, quae in facto ipso plerumque oriuntur, et facilius dirimantur et causae ipsae celerius expediantur.

Decisiones causarum, adnotentur a proponentibus in lib. decisionum Camerae.

§ 33. Et quoniam plerisque necessariae sunt sententiae et conclusiones camerales, quare varia relatio, cum non aeque a pluribus ac ab uno fieri possit, plerumque controversiam movet, quod uniuscuiusque decisionis argumentum sive substantia, statim atque per Cameram absoluta fuerit, ab ipso clerico proponente in certo ac proprio libro, decisionum cameralium nuncupato, breviter describi, descriptaque legi et ab omnibus comprobari; eumdemque librum, una cum alio decretorum ordinariorum, penes mensarium singulo mense custodiri, quo certus ac fidelis ad utrumque recursus omnino habeatur.

Quae, prius verbo facto in Camera, expediendа sunt, ab omnibus clericis tunc praesentibus subscribantur, exceptis sententiis et mandatis ac expeditionibus concernentibus officia clericorum.

§ 34. Eis vero literis patentibus mandatisque cameralibus, quae, nisi prius facto verbo in Camera, expediri prohibuimus, cum illa de consensu omnium expediantur, pariter ab omnibus clericis tunc praesentibus subscribatur, sententiis mandatisque pro illarum executione relaxandis dumtaxat exceptis, quae, licet de voto omnium proferantur, tamen a clerico iudice et commissario tantum subscribi debeant. Quae vero clericorum iurisdictionem ordinariam ac uniuscuiusque clerici propriam, singulis specialiter demandatam, concernunt, ratione guberniorum, quae quotannis inter ipsos clericos distribuuntur, ea ab unoquoque, cuius fuerit ea iurisdictio, privatim de more expediantur. Quae quidem omnia, cum hucusque per substitutos notariorum, et eos quidem rudes ac imperitos et plerumque literarum ignaros, ad clericos deferri consueverint, quos nec etiam in causis cognoscendis instruere possunt, ab ipsismet notariis principalibus seu a substitutis eorum, per clericos approbandis tantum, qui eosdem clericos de omnibus plene informare valeant, deferantur.

Administratores rationes reddant, modo et forma hic expressis.

§ 35. Cum autem negotium acceptandi consolidandique rationes, quae in Camera quotidie redduntur, quod per manus clericorum, quorum id est praecipuum munus, non minore labore quam periculo continue versatur, sicut est maximi ponderis atque momenti, ita maiori solito debeat cura et diligentia pertractari. Quod omnes et singuli thesaurarii, depositarii, commissarii et alii quicumque rerum et pecuniarum Camerae admini-

stratores et exactores, quovis nomine nuncupentur, de cetero rationes et computa modo et forma infrascriptis in eadem Camera reddere, eaque vera esse nec habere diversa iurare omnino teneantur, quacumque consuetudine hucusque servata, quae potius corruptela est censenda, non obstante. Nec quispiam, cuiuscumque gradus et conditionis existat, ad rationes praedictas afferendas iurandasque per procuratorem, si praesens in Urbe fuerit, sed per seipsum tantum admittatur. Absentes vero et qui infirmitate aut carceribus seu aliquo legitimo fuerint impedimento detenti, per eorum procuratorem speciale ad id mandatum habentem, eidem iuramento adstringantur. Et nihilominus ad eos sic impeditos, si in Urbe fuerint, notarius Camerae mittatur, qui ab eis quoque simile recipiat iuramentum, de quo etiam coram testibus semper rogetur.

Quas rationes notarius ad calculatores deferat.

§ 36. Rationes vero illas iuratas notarius ipse rogatus ad calculatores seu computatores rerum Camerae statim deferat, ut inde ab eis ad praesidentem et thesaurarium quamprimum portentur et celeriter discutiantur.

Clericus eas solidet, praesente commissario.

§ 37. Cum vero clericus solidationem computorum, quae in domibus clericorum fieri solent, aggredi voluerit, Camerae commissarium ad interessendum solidationi huiusmodi omnino citari facere teneatur, ac in ipsomet decreto commissionis solidationis post deputationem indicum expresse addi debeat. Qui, commissario praefato citato et praesente, ad computorum solidationem procedant, et absque dicto commissario, quem omnino semper adesse, sub poena privationis officii, mandamus, non possit ullo modo ullave in causa ad solidationem devenire.

Administratores librum teneant etc.

§ 38. Omnes autem rerum Camerae conductores, aliarumque administratores et pecuniarum exactores librum corio vel membrana coopertum habeant, in quo aliquibus ex primis foliis in albis dimissis, facultatum literas, mandata atque rescripta quaecumque, contractus denique ipsos ad verbum, quibus huiusmodi curae et exactioni praepositi administrationem ipsam gesserint, transcribere, et deinde rationes ipsas, modo et forma infrascriptis, conscribere, et conscriptas edere teneantur. Quilibet postmodum a notario Camerae, ut moris est, recipiatur. Et primo albo folio, nominibus administratorum, administrationis genere, rationum qualitate, temporis, quo redduntur, spatio et iurisiurandi substantia, brevioribus verbis inscribantur. Et subsequenter praesidens et thesaurarius, quid per clericos iudices in eis animadvertendum sit, adnotare, et adnotationes ipsas manu eorum propria subscribere debeant.

Rationum redditio ubi describenda sit.

§ 39. Et ut ipsa rationum redditio faciliori cognitione transigatur, earumque consolidatio semper et ubique iusta et fidelis appareat, quod huiusmodi rationum iustificationes in eodem, si id commode fieri poterit; sin autem, in alio libro, ab eo, qui illas redditurus est, registrentur, et ad verbum literae ac mandata cameralia quaecumque, fides ac instrumenta et reliquae omnes scripturae ad rem pertinentes transcribantur, et ad earum singulas singulae rationes et particulae seu partitae referantur, adiecto unicuique earum folio, necnon citato eiusdem libri chartarum numero, quo iustificatio quaelibet descripta fuerit. Isque liber, cum altero proferatur, et ab ipsius Camerae computatore legatur, et cum originalibus scripturis, si eas rationem reddens penes se retinere voluerit, diligenter ab eodem conferatur, qui, collatione prius quam [1] in Camera una facta, et scriptura fideli reperta, id attestetur manu propria, his verbis utrobique, in libro videlicet

1 *Privatim*, Cherub. (R. T.).

iustificationum quarumlibet ipsarum *cum originali*. In scripturis vero originalibus, et a tergo illarum *cum registro concordat*, eius nomine proprio subscripto.

Clerici in solidatione videant scripturas originales.

§ 40. Et nihilominus in ipsa computorum solidatione clerici ad id deputati originalia mandata seu eorum transumpta authentica et scripturas diligenter videre teneantur.

Libri rationum, quae continere debeant.

§ 41. Libri quoque praefati rationum eorumque singulae partitae, tam accepti, quam expensi, personas, causas, locum, annum, mensem, diem ac summam adeo claros atque distinctos [1] contineant, ut qualis quantusque sit introitus et exitus omnibus innotescat. Quin etiam fides acceptorum, tam privatas quam publicas, notariumque de eis rogatum, ac nomina debitorum eiusdem Camerae, ac rationem illam spectantium eiusque qualitates [2] pariter comprehendant. Et si ea de re contractus ullus celebratus, aliave scriptura, tam publica quam privata, confecta fuerit, ea omnia in eodem vel altero libro praefato simul cum aliis registrentur, et singulatim, prout ipsa res exegerit, citentur. Et in qualibet exactione commissa praeponatur, etiam taxa deinde scribatur. Et demum residuum pecuniarum, quantum id fuerit, et a quibus exigendum adnotetur; per hoc enim introituum omnium Camerae ratio hucusque in incerto posita et valde obscura reddita, omnibus perspicua fiet, ac negotia huiusmodi cautius expedientur, et clericorum iudicium firmius atque tutius reddetur.

Et in archivio custodiantur.

§ 42. Ipsorum denique computorum solidationes promptae semper omnibus patebunt, cum libros huiusmodi in archivio eiusdem Camerae computatores praefati perpetuo retinere et custodire teneantur.

Contravenientes puniantur.

§ 43. Quod si secus fiat, libri ipsi non admittantur ac omni prorsus fide careant. Administrator etiam, qui rationes confecerit, periurio notetur. Notarius vero pro qualibet vice ducentorum ducatorum poenam incurrat. Et si libris praefatis sub praescripta forma non confectis, clerici iudices ad solidationes computorum processerint, ducatis mille auri, praefatae Camerae applicandis, mulctentur et ad interesse fisci teneantur. Vicecamerarius vero et thesaurarius, praesidens et alii camerales, si et ipsi in culpa fuerint, nostro et successoris nostri arbitrio puniantur; computator ab officio removeatur. Rationes quoque superinde consolidatae et calculi facti ac inde secuta quaecumque sint nullius roboris vel momenti.

Rationes a clericis iudicibus quomodo videndae.

§ 44. Clerici vero iudices, quibus ipsa rationum redditio demandata fuerit, non, ut prius, separatim et alter post alterum rationes ipsas discutiant, sed antiquiorem posterior adeat, qui coniunctim, administratore et computatore praesentibus, citatoque procuratore fisci seu commissario Camerae, cuncta perpendant, ponderent et excutiant, admittenda admittant, reiicienda reiiciant, et dubia parti et fisco disputanda relinquant, quae cum eisdem mature examinata atque discussa, prout eis iustum videbitur, ab ipsis, facto prius verbo in plena Camera, decidantur et terminentur.

Administratores anno quolibet rationem reddant.

§ 45. Et quia ex tarda rationum redditione omnia in dies obscuriora reddunt-tur, et pleraque mala exinde provenire noscuntur, quae quo longius protrahuntur et inveterascunt, eo impeditiora fiunt et difficilius explicantur, quod administratores omnes rerum cameralium, quocumque nomine nuncupati, qui rationes in Camera quoquomodo reddituri sunt, illas non in fine administrationis eorum, ut prius, sed, si administratio ultra annum duraverit, singulo quoque anno, in fine illius vel sequentis principio, modo praemisso, reddere omnino teneantur. Idque, nisi, iusta interdum suadente causa,

1 *Clare atque distincte* 2 *Quantitates*, Cherub. (R. T.).

ipsi Camerae aliter expedire videatur, in ipso contractu, quem cum eis Camera de cetero inierit, exprimatur, et ille ad id, sub poena mille ducatorum similium, etiam eidem Camerae applicandorum, necnon eiusdem administrationis rationis amissione, quae statim ab eis libere auferri, et aliis concedi possint, omnino adstringatur.

Thesaurarius et alii Papae ministri quando rationem reddere debeant.

§ 46. Et insuper quod praefatus thesaurarius generalis, de omnibus et singulis rebus et pecuniis ab eo vel deputatis suis in hunc usque diem undecumque et quomodocumque receptis et expensis; ac etiam alius thesaurarius noster secretus, de quibuscumque pecuniis, quas habuit et percepit; necnon magister domus nostræ, accepti hucusque et impensi; ac gubernator Urbis, procurator fiscalis, necnon magistri viarum eiusdem Urbis, et quicumque alii nostri in alma Urbe magistratus et officiales, tam qui de praesenti sunt, quam qui in praeteritum fuerint, cuiuscumque status, gradus vel præeminentiae sint, de quibuscumque condemnationibus, criminalibus seu poenis aut compositionibus, ratione quorumcunque delictorum et quarumcumque causarum, ab eis hactenus factis, aut administratis vel exactis, et ad Cameram Apostolicam spectantibus; deinceps vero thesaurarius ipse generalis, singulo quoque semestri; magister domus autem ac gubernator, thesaurarius secretus et alii omnes praefati, singulo trimestri rationem dictae Camerae in perpetuum reddere teneantur.

Commissarii Cam. officium.

§ 47. Proprium autem sit inter cetera dicti commissarii munus, demandatas iudicibus redditiones, rationes omnes, easdemque commissas adnotare et illarum celerem expeditionem procurare, curareque ut id totum, quod perfecto calculo reliquum fuerit eidem Camerae debitum, ad manus depositarii generalis, vel illorum, ad quos spectaverit seu decretum fuerit, quamprimum re ipsa perveniat. Et ut debitores remediis opportunis ad illud, donec omnia integre persoluta fuerint, compellantur, contractuum omnium atque capitulorum, scripturarumque in Camera celebrandorum et discutiendorum exempla singulis clericis et cameralibus per dictos tres dies ante deferantur. Quod si ab officio sic sibi iniuncto defecisse constiterit, unius mensis salario et iocalium portione, sibi in proxima divisione obventura; et si iterum deficiat, salario semestris integri puniatur; tertia vero vice, officio suo perpetuo privatus existat.

Computatorum Camerae officium.

§ 48. Verum, cum magna atque ampla negocia, quae quotidie in Camera geruntur, prae eorum varietate atque multitudine, quaedam ab antecessoribus neglecta, partim in diuturna obscuritate latuerint, partim etiam prorsus evanuerint, unde dicti clerici et camerales, in summa illorum ignoratione versantes, plerumque consilii ancipites, saepissimeque distracti, rem ipsam vel imperfectam relinquunt vel, cum magno eiusdem Camerae detrimento, diversam agunt; fuerintque propterea ab ipsis clericis et praesidentibus computatores Camerae, una cum alio ab eis pro tempore substituto, superioribus mensibus constituti atque praefecti curae conficiendi librum maiorem, in quem omnia ad Cameram quomodolibet spectantia in dies singulos ab eis distincte conscriberentur, atque certo ordine congererentur. Nos itaque hoc, non minus necessarium quam utile, harum serie approbantes et innovantes, similiter statuimus et ordinamus quod ipsi deputati et praefecti, omnes et singulos introitus ac exitus eidem Camerae in dies obvenientes, quicumque fuerint, illiusque debitorum et creditorum nomina, undequaque provenientia in hoc ipso libro maiori

describant. Concessionum quoque rerum cameralium, omnium contractuum, qui continuo in Camera celebrantur, argumentum atque substantiam, eorumque diem et annum, notariumque inde rogatum quam brevissime perstringant declarentque; Cameram et administratores quoscumque, prout res postulaverit, debitores et creditores, eorumque quantitates claras atque distinctas apponant. Nuntios, etiam apostolicos, collectores, subcollectores, thesaurarios, depositarios et commissarios, pecuniarum exactores ac reliquos omnes, qui ad aliquod negocium Camerae expediendum admittentur, breviter conscribant; brevia, literas patentes et facultates ac mandata cameralia quaecumque adnotent; diem et annum, quibus illa expedita fuerint, adiiciant, et a quo clerico subscripta, notarioque expedita, et denique ubi registrata sint, compendio explicent; quae quidem omnia et singula incorrupta serventur et integra custodiantur.

Ministrorum Camerae expeditiones registrentur, et subscribantur a tergo per computatores.

§ 49. Praeterea volumus et ordinamus omnes quibusvis negociis cameralibus, tam in Urbe quam extra eam, praefectos, antequam illa exerceant, et ab Urbe recedant, expeditiones suas, quocumque nomine nuncupatas, eisdem computatoribus in eodem libro adnotandas exhibere; ipsasque, nisi sic adnotatas et in illarum tergo per alterum ex eisdem computatoribus de hoc fidem facientem subscriptas, illis restitui omnino prohibemus. Pro earum vero expeditionum adnotatione, subscriptione et restitutione, computatores praefati caveant a partibus, etiam ultro dantibus, quicquam accipere; quod si secus fecerint, poena privationis officii seu alias arbitrio Camerae puniantur.

Ministri iurent et caveant ut hic. Puniantur autem fideliter computa non reddentes.

§ 50. Et insuper quod omnes, cuiuscumque gradus atque dignitatis fuerint, res ipsius Camerae ubilibet et quomodocumque administraturi, priusquam administrationem suscipiant, iurent in manibus camerarii nostri negocium atque curam sibi commissam recte et fideliter se esse gesturos, rationes tempore debito rite reddituros, reliquum restituturos, librosque rationum legitime conscripturos ac illos intra tempus, quod eis, dum proficiscuntur, praefixum fuerit, etiam iniussos, in Cameram exhibituros, eaque omnia se rite et fideliter praestituros penes unum ex notariis Camerae idonee caveant. Ac cautio sic ab eis praestita in eodem libro maiori ab eisdem computatoribus summatim adnotetur; quod si ab eis, impedimento cessante, praetermissum, nec intra dictum tempus impedimentum huiusmodi doctum atque comprobatum fuerit, ultra poenas in cautione huiusmodi contentas, arbitrio Camerae puniantur.

Computatorum Camerae officium.

§ 51. Iidem quoque computatores inventarium seu indicem omnium et singulorum librorum et rationum, quae hactenus in dicta Camera redditae sunt et in posterum reddentur, distincte et ordinate conficiant, in quo rationes ipsae, cuiuscumque rei fuerint, a quo administratae et redditae, illarum quoque dies et annus strictim demonstrentur; ac huius indicis seu inventarii exemplum uterque eorum continuo apud se contineat, quibus librum nullum nullasve rationes ad Cameram spectantes cuiquam, nisi clerico et camerali, tradere vel in manibus dimittere liceat. Si quis autem ex cameralibus eorum aliquem pro rebus cameralibus videre et apud se retinere voluerit, illum de manu dictorum computatorum accipiat, et in eorum libello ad hoc tantum deputato se illum recepisse scribat, et intra dies quindecim, ad summum, restituturum promittat. Qui vero ex computatoribus id facere neglexerit, suo sit officio ipso iure privatus, et pro libro et scripturis propterea deperditis damnum

et interesse, tam Camerae quam parti, iuxta formam literarum piae memoriae Iulii II et Leonis X, etiam Romanorum Pontificum praedecessorum praefatorum, omnino reficiat, vel alias arbitrio Camerae puniatur.

Librorum et scriptur. Camerae occupatores excommunication. poenam incurrant.

§ 52. Verum cum multifarii, multique libri ac quamplures diversaeque scripturae rerum cameralium, ob nullam vel modicam in illis custodiendis conservandisque hucusque adhibitam diligentiam, variis in locis dispersi atque diffusi sint et a plerisque detineantur, in maximum Camerae detrimentum, volumus etiam et ordinamus omnes et singulos illorum detentores et occupatores ac huiusmodi occultationis consocios [1] et participes, nisi in Urbe intra octo, et extra eam intra triginta dies a die notitiae [2] publicationis praesentium numerandos, pro qua nos alias literas nostras, quae publicentur, decernere intendimus, eosdem libros et scripturas ad computatores et custodes praefatos detulerint, vel easdem personas detinentes, conscias et participes denunciaverint, excommunicationis maioris laqueo subiacere.

Computatores Camerae iurent et caveant officium fideliter administrare.

§ 53. Quos quidem computatores et custodes pro tempore existentes, cum illorum officium sit maximi ponderis atque momenti, priusquam ad illius exercitium admittantur, iureiurando adstringi, et idonee [3] cavere volumus praefatum officium se recte et fideliter executuros, omniaque et singula eis praescripta stricte custodituros, et diligenter observaturos.

Clerici salarium sibi ipsis statuere non possint.

§ 54. Postremo, cum valde inconveniens et a iure alienum sit quod quis in concernentibus proprium commodum suum se iudicem constituat, pariter constituimus et ordinamus quod clerici praefati, pro aliquo munere seu onere, ordinario vel extraordinario, a Romano Pontifice pro tempore sibi iniuncto, salarium seu mercedem sibi ipsis statuere et declarare non possint, sed illud ab eodem Pontifice vel eo, cui ea cura demandata fuerit, qualitate personae et negocii commissi consideratis, ordinetur.

Decretum irritans.

§ 55. Decernentes constitutiones et ordinationes et decreta nostra praemissa sancte et inviolabiliter ab omnibus, etiam sub sententiis, censuris et poenis praemissis, perpetuo observari, sicque et non aliter per quoscumque censeri, iudicari, definiri et interpretari debere. Necnon ex tunc irritum et inane quicquid secus super his omnibusque et singulis aliis praemissis per praefatos aut quoscumque alios, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executor deputatur camerarius.

§ 56. Quocirca dilecto filio nostro Vitellotio, S. Mariae in Via-Lata diacono cardinali Vitellio nuncupato, moderno, et pro tempore existenti nostro et ipsius Ecclesiae Romanae camerario, per apostolica scripta illi, etiam in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo et eius etiam, quoad hoc, conscientiam onerando, pari motu mandamus quatenus praesentes literas et in eis contenta quaecumque, tam in dicta Camera quam extra eam, ubi, quando et quoties opus fuerit, solemniter publicari et in eiusdem Camerae libris registrari, ac per omnes, quos illa concernunt, inviolabiliter observari et debitae executioni demandari, ac illa, quoties pro parte alicuius interesse habentis requisitus fuerit, in iudicio et extra exiberi faciat. Ac universos praefatos ad illorum observationem, censuris et poenis praemissis, quacumque mora cessante, cum effectu cogat et compellat; contradictores quoslibet ac inobedientes et rebelles, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Clausulae derogatoriae.

§ 57. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon dictae Camerae, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac omnibus illis, quae in singulis

1 *Conscios* — 2 *Notoriae* — 3 *Ideo*, Cher. (B. T.).

praedecessorum praefatorum ac nostris literis praedictis cautum fuit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicationis.

§ 58. Ut autem constitutiones, statuta, ordinationes et decreta nostra huiusmodi ad singulorum, quos oportet, notitiam perveniant, nec illorum ignoratio quempiam excuset, volumus ac etiam dicta apostolica auctoritate mandamus quod praesentes literae basilicae Vaticanae et dictae Cameræ valvis, necnon in acie Campi Florae aliisque publicis et opportunis almae Urbis praefatae locis, per unum ex cursoribus nostris de more affigantur, et ibi, quantum ad lecturam earum opus fuerit, permaneant.

Haec constitutio legatur anno quolibet in prima Camera.

§ 59. Ac singulo quoque anno in perpetuum, in eadem Camera, quae mense octobris prima habebitur, per novissimum clericum tunc praesentem palam et alta voce ad verbum, sine intermissione, legantur.

Transumptorum fides.

§ 60. Quodque illarum exemplis fideliter exscriptis ac etiam impressis, unius notarii Camerae manu subscriptis et camerarii praefati sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum, etiam in iudicio, adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, kalendis novembris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 1 nov. 1564, pontif. anno v.

CV.

Forma professionis fidei catholicae observanda a quibuscumque promotis et promovendis ad aliquam liberalium artium facultatem, electisque et eligendis ad cathedras, lecturas et regimen publicorum gymnasiorum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In sacrosancta beati Petri principis apostolorum cathedra, meritis licet impari-bus, hisce procellosis militantis Ecclesiae tempestatibus constitutos, plurimum nos oportet esse sollicitos ut Domini gregem curae nostrae commissum, non solum ab apertis rapacium luporum undecumque caulis obstrepentium insultibus, sed etiam a magis formidolosis pestiferarum vulpecularum domi latitantium insidiis, per providum pastoralis officii ministerium, ipso Domino cooperante, praeservemus, ac illis omnes nocendi occasiones, quantum cum Deo possumus, ubilibet auferamus.

Causa constitutionis.

§ 1. Cum itaque, iuxta notum sanctissimi Vatis oraculum, timor Domini, sine quo vera religio et catholicae fidei puritas nullibi reperitur, sapientiae sit initium; et qui vel in scientiis proficere, vel eas alios docere parant, supremum Illum sapientiae parentem benignumque largitorem devoto sanae fidei obsequio demereri, veraque sincerae religionis pietate sibi conciliare debeant.

Doctores ac ceteri cuiuscumque facultatis professores, tam electi quam eligendi illas non exerceant, nisi prius catholicam profitentur fidem, iuxta formam hic traditam.

§ 2. Ideirco, hanc fidei puritatem scientiis doctrinisque quibuslibet, tum tradendis, tum addiscendis, tamquam necessariam basim, constituere, et ne simplicia nonnullorum adolescentium, res novas audiendi cupidorum, ingenia in naufragos blandientium haeresum scrupulos [1] imprudenter impingant, occurrere cupientes, motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod deinceps nullus doctor, magister, regens vel alius cuiuscumque artis et facultatis professor, sive clericus sive laicus ac saecularis vel cuiusvis Ordinis regularis sit, in quibusvis Studiorum generalium Universitatibus aut gymnasiis publicis, aut alibi ordinariam vel extraordinariam lectoris cathedram assequi, vel iam obtentam retinere, seu alias theologiam, canonicam vel civilem censuram, medicinam, philosophiam, grammaticam vel alias liberales artes, in quibuscumque ci-

1 Legimus *scopulos* (R. T.).

vitatibus, terris, oppidis ac locis, etiam in ecclesiis, monasteriis aut conventibus regularium quorumcumque, publice vel privatim, quoquomodo profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus huiusmodi habere vel exercere.

Rectores Studiorum et alii superiores non eligantur nisi servatis praemissis.

§ 3. Neque doctores ipsi aut Universitatum seu gymnasiorum eorumdem rectores, cancellarii vel alii superiores, sed nec etiam palatini comites aut alii particulares, facultatem eruditos viros ad eosdem gradus promovendi, etiam a nobis et Apostolica Sede vel alias, undecumque habentes, scholares, tam laicos quam clericos et cuiusvis Ordinis regulares vel alios quoscumque, quantalibet eruditione praeditos, ad ullum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere et admittere.

Scholares neque promoveantur ad aliquem gradum, nisi servatis eisdem.

§ 4. Neque doctores, magistri et scholares ad electionem alicuius in rectorem vel cancellarium Universitatis aut gymnasii procedere; nec ipsi scholares vel alii, quantumlibet docti et alioqui habiles, gradus huiusmodi vel eorum aliquem, palam vel privatim, recipere valeant, nisi doctores videlicet ac regentes, magistri et alii professores, iam ad cathedras et lecturas recepti, in Italia, infra tres; extra vero illam, infra sex menses a die publicationis praesentium computandos; reliqui vero ad cathedras et alias lecturas ibidem in posterum assumendi, ante illorum receptionem, in rectoris vel aliorum superiorum; eligendi autem in rectores vel cancellarios, ante illorum electionem vel saltem admissionem, in ordinarii loci vel eius in spiritualibus vicarii, ac promovendi scholares et alii praefati, ante illorum promotionem, in eisdem ordinarii seu eius vicarii aut doctorum, aliorumque promoventium manibus, praevio etiam processu, vel debita informatione, quantum eis sufficere videbitur, super religione fideque catholica rectorum, cancellariorum, doctorum, lectorum et promovendorum eorumdem per ipsos locorum ordinarios vel eorum vicarios rite facta, praecedente, eandem catholicam fidem, verbis iuxta formae infrascriptae tenorem conceptis, palam et solemniter profiteri teneantur. Et desuper instrumentum publicum confici, ac de processu seu informatione et fidei professione, in privilegio doctoratus vel alterius gradus huiusmodi, specialis ac de verbo ad verbum mentio et relatio fieri debeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Superiores non permittant aliter aliquem promoveri ad gradus, vel facultates profiteri, sub poenis hic expressis.

§ 5. Ac omnibus et singulis earumdem Universitatum et gymnasiorum rectoribus, doctoribus et aliis superioribus, ac alias facultatem doctorandi habentibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae fuerint, etiam si episcopali, archiepiscopali, patriarchali vel maiori dignitate, etiam cardinalatus honore, ac ducali vel alia, etiam regia et imperiali, auctoritate praefulgeant, ne quem in universitatibus, civitatibus, oppidis vel aliis locis sibi in spiritualibus vel temporalibus subiectis, aliter cathedras aut alias lectiones retinere, consequi vel ad gradus promoveri respective patiantur, in virtute sanctae obedientiae et sub interdicto ab ingressu ecclesiae, quoad antistites; quo vero ad inferiores, sub excommunicationis latae sententiae, necnon privationis omnium et singulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum et feudorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, eo ipso per contrafacientes incurrendis poenis districtius inhibemus.

Promotiones aliter factae irritae sunt.

§ 6. Ac quascumque receptiones, promotiones, electiones et admissiones, absque processu certaque de religione et fide catholica notitia, ac dicta fidei profes-

sione, sic ut praefertur, praecedente, pro tempore factas, nullas, invalidas, nulliusque roboris vel momenti esse, neque cuiquam in iudicio vel extra suffragari posse.

Decretum irritans.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Universitatum et gymnasiorum, Ordinum et locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus et literis apostolicis, eisdem Universitatibus et gymnasiis ac Ordinibus et locis, eorumque rectoribus, doctoribus, superioribus, etiam in temporalibus dominis, comitibus palatinis et aliis, etiam regularibus, personis praefatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, etiam vim contractus inducentibus, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam per nos ac Sedem praedictam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumvis, etiam imperatorum, regum, rerumpublicarum, ducum et aliorum principum, instantiam et alias quomodolibet concessis, ac etiam pluries approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, specialiter et expresse, motu simili, derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma et effectus publicationis.

§ 9. Ne autem quispiam praesentium ignorantiam praetendere vel excusationem allegare possit, sed ipsae ad omnium notitiam deducantur, volumus et mandamus quod eædem praesentes, in basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariæ nostrae valvis ac acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris affixae, copia illarum ibi dimissa, omnes in Italia, intra tres; extra vero illam existentes, intra sex menses proximos ab ea die affixionis computandos, perinde arctent, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Forma professionis fidei.

§ 10. Forma autem dictae professionis fidei haec est: Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit ad coelum, sedet ad dexteram

Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui loquutus est per prophetas. Et unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item, sacram Scripturam, iuxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et, ex his, Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper virginis, necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo; sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco. Romanoque Pontifici, beati Petri apostolorum principis successori ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adiuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit,

curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac iuro; sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimoquarto, idibus novembris, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 13 nov. 1564, pontif. anno v.

CVI.

Forma professionis orthodoxae fidei observanda a provisis de beneficiis ecclesiasticis curatis, ac dignitatibus, ecclesiis, monasteriis et aliis locis Ordinum regularium et militiarum [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Iniunctum nobis apostolicae servitutis officium requirit ut ea, quae Dominus omnipotens, ad providam Ecclesiae suae directionem, sanctis patribus in nomine suo congregatis divinitus inspirare dignatus est, ad eius laudem et gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque, iuxta concilii Tridentini dispositionem, omnes, quos deinceps cathedralibus et superioribus ecclesiis praefici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, curam animarum habentibus, provideri continget, publicam orthodoxae fidei professionem facere seque in Romanae Ecclesiae obedientia permansuros spondere et iurare teneantur.

Extensio dicti concilii.

§ 1. Nos, volentes etiam per quoscumque, quibus de monasteriis, conventibus, domibus et aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque Ordinum, etiam militiarum, quocumque nomine vel titulo providebitur, idem servari; et ad hoc, ut unius eiusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius forma cunctis innotescat, nostrae sollicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam praesentibus adnotatam publicari, et ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius concilii et alios praedictos spectat, recipi et observari, ac, sub poenis per concilium ipsum in contravenientes latis, iuxta hanc et non aliam formam, professionem praedictam solemniter fieri, auctoritate apostolica, tenore praesentium, districte praecipiendo, mandamus huiusmodi sub tenore:

Forma professionis fide observanda sub poenis hic expressis.

§ 2. Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit ad coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos,

[1] Haec dispositio Concil. Trid. est in cap. 12, sess. XXIV.

cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item, sacram Scripturam, iuxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et, ex his, Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco. Romanoque Pontifici, beati Petri apostolorum principis successori ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis ac praecipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac iuro; sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

§ 3. Volumus autem quod praesentes literae in Cancellaria nostra Apostolica de more legantur et, ut omnibus facilius pateant, in eius quinterno describantur, ac etiam imprimantur.

Iussio publicandi.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.*

Sanctio poenalis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, idibus novembris, pontificatus nostri anno v.

Lectae et publicatae fuerunt suprascriptae literae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, die vero sabbati, nona mensis decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pii Papae IV anno v.

Publicatio

A. Lomellinus, custos.

Dat. die 13 nov. 1564, pontif. anno v.

CVII.

Approbatio confraternitatis sub invocatione Duodecim Apostolorum nuper in Urbe institutae pro decentiori sanctissimi Eucharistiae sacramenti veneratione, et egenorum mendicare erubescentium, vel alias oppressorum subventione; et elargitio indulgentiarum.

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

In apostolicae dignitatis culmine, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti, ad ea nostrae considerationis aciem libenter dirigimus, per quae, nostrae provisionis auxilio, divinus cultus cum animarum salute ubilibet activum suscipiat incrementum; et his, quae propterea ex pia fidelium devotione instituta et ordinata dicuntur, ut firma perpetuo et inconcussa permaneant, cum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidium propensius impartimur, ac fideles ipsos spiritualium gratiarum muneribus prosequimur, ut exinde divinae gratiae aptiores reddantur, et caritatis devotio in eis per amplius augeatur.

Proœmium.

§ 1. Sane dilecti filii confratres confraternitatis sub invocatione Duodecim Apostolorum, in ecclesia conventus eorumdem Sanctorum Duodecim Apostolorum de Urbe, Ordinis fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, institutae, nobis nuper exponi fecerunt quod alias nonnulli christifideles, pia devotione ducti, considerantes sanctissimum Eucharistiae sacramentum, inter cetera Ecclesiae sacramenta praecipuis honore, reverentia et veneratione dignum, praesertim dum ad infirmos defertur, a nonnullis[1] vel paucis admodum christifidelibus, et minus quam deceat honorifice, comitari, idque aegre ferentes, et singulari zelo devotionis cupientes ut eidem sacramento debitus cultus, honor et veneratio exhiberentur, quantum in eis erat, providere, unam utriusque sexus christifidelium confraternitatem, sub invocatione praefata, ad omnipotentis Dei sacratissimique Corporis dominici laudem, gloriam et honorem, instituerunt et ordinarunt: ac pro eius salubri directione et incremento, piorumque operum exercitio, inter alia, nonnullos ex eis, qui curam et regimen monasterii monialium Domus Piae nuncupati, regionis Sancti Eustachii de Urbe, sub Regula Sanctae Clarae dicti Ordinis, mulierumque ibi pro tempore degentium, noviter erecti et ab ipsa confraternitate trahentis originem, haberent; et alios, qui christifidelium eleemosynas perquirerent, ut exinde pauperibus erubescentibus et miserabilibus personis in suis necessitatibus, eorumdem christifidelium ope, secrete et alias subveniretur; alios vero, qui alia pietatis et caritatis opera erga quos-

Quidam christifideles instituerunt in Urbe confraternitatem pro decentiori Eucharistiae sacramenti veneratione et regimine monasterii domus Piae et subventione egenorum mendicare erubescentium aut alias oppressorum;

1 Forte legi debet *nullis* (R. T.).

cumque pauperes ope destitutos, ac indigentia, paupertate et litibus et aliter oppressos, illos consulendo et iudicibus pro iustitia commendando ac visitando, et ex eorum et aliorum christifidelium eleemosynis, quantum possent, eis subveniendo, exercerent, constituerunt et deputarunt.

Protectorem dictae confraternitatis cardinalem Vitellium deputarunt,

§ 2. Necnon dilectum filium nostrum Vitellotium, Sanctae Mariae in Via-Lata diaconum cardinalem Vitellium nuncupatum, sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, in suum et dictae confraternitatis confratrem et protectorem elegerunt et receperunt, prout in instrumentis seu capitulis aut aliis documentis desuper forsan confectis plenius dicitur contineri.

Et modo supplicant Pontifici, pro confirmatione praedictorum.

§ 3. Quare pro parte confratrum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus institutioni societatis ac constitutioni, deputationi, electioni et receptioni praefatis, pro firmiori illarum subsistentia, robur apostolicae confirmationis adiicere ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic Pontifex dictam institutionem, et protectoris deputationem et ordinationes confirmat et approbat;

§ 4. Nos igitur, qui pia et salubria fidelium vota, ex quibus divinus cultus propagatur, et salus animarum provenire dignoscitur, pii patris affectione libenter prosequimur et, ut optatum sortiantur effectum, operam efficacem attentius impendimus; ac tam venerabile sacramentum a cunctis christifidelibus, ut per hoc eorum desideratam salutem consequi valeant, peramplius honorari, venerari, laudari et magnificari sinceris exoptamus desideriis; ac omnipotenti Deo, quod tam salubria, necessaria et utilia opera exerceantur, immensas gratias agentes; et ut illa perpetuo frequententur, ac christifideles ipsi eis ferventius insistant, quo nos erga eos amplioribus et specialioribus gratiis liberales esse, seque propterea maiori coelestis gratiae devotione refici posse cognoverint, quantum cum Deo possumus, providere volentes; necnon veriores praemissorum instrumentorum et aliorum documentorum desuper confectorum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, institutionem et ordinationem confraternitatis, necnon constitutionem et deputationem, ac protectoris electionem et receptionem huiusmodi, aliaque omnia et singula per eosdem confratres circa praemissa gesta, statuta et ordinata ac, prout illa concernunt, reliqua in instrumentis seu capitulis aut aliis documentis praedictis contenta, et inde secuta quaecumque (licita tamen et honesta), apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac illa omnia et singula apostolici muniminis praesidio roboramus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus. Et nihilominus eumdem Vitellotium cardinalem et quemcumque, qui ad id per ipsos confratres pro tempore electus fuerit, in eiusdem confraternitatis protectorem constituimus et deputamus.

Aliaque statuta de cetero edendi facultatem tribuit;

§ 5. Et insuper eisdem confratribus quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, felix regimen et gubernium dictae confraternitatis concernentia (licita tamen et honesta ac sacris canonibus non contraria), edendi, condendi et faciendi, conditaque mutandi, alterandi, ac penitus tollendi seu cassandi, et alia de novo edendi, condendi et faciendi. Quae, postquam edita, condita, facta, alterata, mutata et pro tempore per existentem vicarium almae Urbis approbata fuerint, eo ipso, dicta auctoritate, approbata sint et esse censeantur; seque in dicta ecclesia congregandi et congregationes faciendi, ac dilectis filiis fratribus dicti conventus confraternitatem suosque confratres huiusmodi in dicta ecclesia recipiendi et admittendi ac inibi congregari

permittendi, plenam, liberam et omnimodam potestatem, licentiam et facultatem, eisdem auctoritate et tenore, concedimus et impartimur.

Indulgentias confratribus elargitur.

§ 6. Et insuper, ut ecclesia et confraternitas in ea instituta huiusmodi congruis frequententur honoribus, ac confratres ipsi aliique christifideles ad praefatum Eucharistiae sacramentum, dum processionaliter ac alias ad infirmos defertur, devote et honorifice comitandum alliciantur, et etiam, ut se eo promptiores ad id exhibeant, quo se exinde aeternae vitae praemia facilius consequi speraverint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis ipsius confraternitatis confratribus pro tempore existentibus, et illam pro tempore ingredientibus, ceterisque utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, seu statutis a iure temporibus confitendi propositum habentibus, qui dictam ecclesiam in singulis diebus festivitatum Duodecim Apostolorum annis singulis devote visitaverint, ac processionaliter cum eisdem confratribus dictum Eucharistiae sacramentum, dum illud tam ad infirmos quam alio pro tempore deferetur, honorifice ac cum debitis reverentia et honore, Deum orando et mente recolendo, piasque preces ad Eum effundendo, comitati fuerint; ac qui missae, ultimo quoque die dominico cuiuslibet mensis, in dicta ecclesia alta voce et alias solemniter celebrandae, interfuerint, vel inibi confessi et corde contriti ipsum sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint ac praemissa adimpleverint, et quoties orationem quadraginta horarum nuncupatam per eosdem confratres fieri contigerit, in dicta ecclesia seu eorum cappella interfuerint, quoties id fecerint, toties plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in forma Iubilei sancti, auctoritate et tenore praefatis, misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Ac institutionem confraternitatis, ac constitutionem, electionem et receptionem protectoris, capitulaque et alia per eosdem confratres gesta huiusmodi, perpetuis futuris temporibus, observari debere.

Clausulae huius bullae praeservativae.

§ 7. Necnon indulgentias et alia praemissa, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus aut derogationibus similium vel dissimilium indulgentiarum et gratiarum nullatenus comprehendi, sed semper ab illis excepta fore et censeri; dictosque confratres suosque officiales aut eorum aliquem, super praemissis seu eorum aliquo, a quoquam, quovis praetextu, etiam pro informatione Curiae, tam ex officio quam ad instantiam fisci, quomodolibet molestari seu perturbari non posse.

Clausula sublata

§ 8. Et sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere. Ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac conventus, monasterii et Ordinis praefatorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac nos et Sedem praedictam, etiam motu proprio et ex certa scientia, et alias quomodolibet, etiam ite-

ratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§ 10. Volumus autem quod transumptis praesentium, manu alicuius notarii publici vel secretarii ipsius confraternitatis subscriptis, et sigillo praedictae confraternitatis seu protectoris illius, aut alicuius curiae ecclesiasticae seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur et adhiberi debeat, quae literis ipsis originalibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimasexta novembris, millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 16 nov. 1564, pontif. anno v.

CVIII.

De spoliis clericorum extra residentiam decedentium.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

In suprema militantis Ecclesiae specula, meritis licet insufficientibus, divina dispositione constituti, cunctos non solum vigilantiae nostrae commissos dominicos greges, sed etiam singulorum pastorum suorum actus intensa nostrae mentis acie collustrantes, studium efficax operamque sedulam ad hoc omnino statuimus adhibere, ut quemadmodum operosum sacrosancti concilii Tridentini progressum felicemque exitum, Domino cooperante, praestitimus, ita sanctissima illius decreta, ipsorum praesertim, qui in apostolicae sollicitudinis partem vocati sunt, pastorum officium concernentia, non tepide neque dissimulanter exequamur.

Concilium Trident., sess. vi, capite 1, et sess. xxiii capite 1, decrevit curatos apud eorum ecclesias residere debere 1.

§ 1. Sane, licet in concilio praefato saluberrima fuerit ordinatione decretum quod omnes et singuli venerabiles fratres nostri patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi et alii beneficiati apud ecclesias sponsas suas residere teneantur, nonnulli tamen (quod non sine animi nostri moerore referimus), adeo sui gregumque, quos olim deperditos Salvator noster proprio sanguine redimere dignatus est, sibi creditorum obliti sunt, ut etiam nunc, in alma Urbe vel alibi commorantes, et sacrosancta spiritualis matrimonii inter eos suasque ecclesias solemniter contracti iura confundentes, sponsas suas in longa quasi viduitate relictas, et praedictas ecclesias quomodocumque sibi concessas invisere et apud illas, ut probos et providos patresfamilias decet, residere non curent, in perditione animarum suarum et subditorum suorum ac perniciosum exemplum et scandalum plurimorum.

Hic Pontifex etiam monet et hortatur eosdem ad residentiam;

§ 2. Nos, hanc illorum contumaciam alicuius, etiam temporalis, poenae metu, frangendam seu convincendam esse censentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis praefatis ac aliis quibuscumque, etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu vel

1 Sess. vi, cap. 1; sess. xxiii, cap. 1

praeeminentia praefulgentibus, dictas ecclesias in commendam vel administrationem, aut alio quovis nomine obtinentibus, et aliis quibuscumque beneficiatis curam animarum habentibus, qui, iuxta decreti super residentia in concilio praedicto promulgati tenorem, personalem in suis ecclesiis residentiam facere tenerentur, in virtute sanctae obedientiae, ultra poenas in dicto decreto concilii contentas, etiam sub privationis eorum a regimine et administratione ecclesiarum suarum, ac aliis nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis successoris nostri arbitrio imponendis, poenis, districte praecipiendo, per apostolica scripta mandamus quatenus, omni mora cessante, in eisdem suis ecclesiis, iuxta formam et tenorem dicti concilii, personaliter resideant.

Et non residentium bona uti spolia ad Cameram spectare decernit, non attenta licentia testandi, si extra residentiam decesserint.

§ 3. Et nihilominus, si quos mandato nostro huiusmodi, quod absit, non parere contigerit, ne etiam tales absentes melioris in hac parte conditionis, quam ceteri in suis ecclesiis residentes existant, hac nostra perpetuo valitura sanctione, per praesentes statuimus et ordinamus quod deinceps omnia et singula mobilia et immobilia, etiam in Urbe vel eius districtu existentia et semoventia, res et bona, iura et actiones, cuiuscumque qualitatis et valoris ac ubicumque locorum consistant, ad patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos et alios quoscumque, etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu et praeeminentia praefulgentes, ecclesias praedictas in titulum vel commendam sive administrationem aut alio quovis nomine obtinentes, et alios quoscumque beneficiatos curam animarum habentes, qui extra praedictas ecclesias ac dioeceses, etiam in Romana Curia aut alibi degentes, et iuxta decretum et formam concilii huiusmodi non residentes, decesserint, pertinentia, et per illos suarum ecclesiarum ac quorumcumque monasteriorum, prioratuum, praepositurarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et regularium, quae illi quomodolibet obtinuerint, ac fructuum, redditum et proventuum ecclesiasticorum, necnon pensionum annuarum sibi super similibus fructibus, redditibus et proventibus reservatarum et assignatarum, occasione quaesita, etiam si facultatem specialem de illis aut eorum parte testandi et alias libere disponendi, a nobis et a quibuscumque aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus et successoribus nostris, etiam cum clausulis quod facultates huiusmodi revocari non queant, aliisque irritantibus decretis, obtinuerint, et in vim illarum literarum desuper confertarum de rebus et bonis huiusmodi iamque disposuerint, tamquam spolia ad Cameram Apostolicam legitime pertineant.

Iussio describendi dicta bona, et Camerae applicandi.

§ 4. Liceatque dilectis filiis moderno et pro tempore existenti commissario nostro generali et suis dictae Camerae deputatis, in eventum decessus huiusmodi, solitum inventarium super rebus et bonis praefatis conficere, illaque, prout de reliquis clericorum spoliis fieri solet, ad dilecti filii nostri moderni et pro tempore existentis generalis thesaurarii manus redigere dictaeque Camerae applicare, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

Licentias testandi non residentibus tollit, dispositionem eorum annullat.

§ 5. Ac facultates et desuper confectas literas praedictas, etiam motu et scientia similibus, etiam in recompensam laborum et obsequiorum, etiam nobis et Ecclesiae Romanae dictaeque Sedi impensorum, quomodolibet concessas et etiam iteratis vicibus approbatas, illarum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, in eventum obitus huiusmodi, etiam si in Urbe aut eius districtu vel alibi extra suas ecclesias, ut praefertur, contigerit, ex nunc, prout ex tunc et e contra, in dictae contumaciae poena, eiusdem potestatis

plenitudine et tenore, revocamus, cassamus et annullamus, et tam eas quam earum praetextu quomodolibet pro tempore condita factaque testamenta, codicillos, legata, donationes et alias dispositiones quaslibet, etiam ad pias causas vel in remunerationem servitiorum, nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti fore, neque cuipiam contra praesentium tenorem suffragari.

Decretum irritans.

§ 6. Et sic, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quavis instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis alias iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Declaratio quod aliae ordinationes apostolicae citra spolia firma remaneant

§ 7. Per hoc autem nostris et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ordinationibus, reservationibus et decretis, quoad praelatorum et aliorum beneficiatorum, etiam in suis ecclesiis aut dioecesibus residentium et ibi decedentium, quae etiam ampliamus et extendimus ad habentes ecclesias in Urbis districtu, ibique residentes et decedentes, spolia Cameræ Apostolicæ applicata, hactenus emanatis, nullatenus praeiudicare neque quicquam in eis alterare intendimus, sed ea in suo robore, ut antea, manere volumus, praeterquam quo ad eos qui in suis ecclesiis, iuxta formam praedicti concilii, resederint, et specialem licentiam testandi habuerint, hanc enim tantum salvam eis esse volumus, ita ut generalis licentia testandi eis, quamquam residentibus, minime suffragetur, sed sola speciali, si quam habuerint, tueri se possint.

Forma et effectus publicationis.

§ 8. Ceterum, ut praeceptum, mandatum, statutum, ordinatio, revocatio, cassatio, decretum et alia praemissa, praesentesque literae ad eorum, quorum interest, notitiam, nulliusque [1] possit aliquam illorum ignorantiam praetendere vel excusationem allegare, sed illa perpetuo firma et illibata permaneant, volumus et mandamus quod eædem praesentes in basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae nostrae valvis ac acie Campi Floraе per aliquem ex cursoribus nostris affixae, copia illarum ibi dimissa, ab ea die omnes perinde arctent, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus praemissis ac in favorem curialium per felicis recordationis Sixtum quartum, Leonem decimum, Iulium tertium et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam per nos editis et approbatis, necnon aliis literis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae, millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, VII kalendas decembris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 25 nov. 1564, pontif. anno V.

CIX.

Revocatio cuiuscumque privilegii communitatibus, confraternitatibus et aliis quibuscumque, etiam locis piis, concessi, homicidum in die Veneris Sancti aut alio tempore e carceribus liberandi, et reservatio eiusmodi gratiae, consulto Pontifice, ab eius officialibus de cetero concedendae.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Dum ad solitam Romani Pontificis, Iesu Christi vicarii, clementiam, tanquam ad exuberantem pietatis fontem, pro gratiis impetrandis undequaque concurritur, ip-

[1] Cherub. legit *notitiam deducantur, nullusque* loco *notitiam, nulliusque* (R. T.).

sique, more pii patris, omnes uti filios dilectissimos in intimis caritatis et misericordiae visceribus indulgenter amplectimur, usu nonnumquam evenit inde privilegia flagitando reportari, quae, licet prima petitionis specie nihil incommodi secum afferri videbantur, illorum tamen concessionem subsequens experientia reipublicae damnosam, meritoque esse convincit improbandam.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Sane, quoniam et nostri pastoralis officii cura, et praesentium temporum conditio plane nos cogit, modum diversis abusibus, qui iampridem in mores hominum, quos Dei providentia vigilantiae nostrae committere dignata est, sensim irrepserant, aliquando salubriter imponere, prout in his, non solum circa spiritualem universalis Ecclesiæ, cui, licet immeriti, præsidemus, sed etiam circa temporalem Sedis Apostolicae statum videlicet reformandum, aciem nostrae mentis intendere dudum, cooperante Domino, non desistamus. Nos etiam non minimum operae precium facturos esse censemus, si cunctas, quoad eius fieri poterit, occasiones homicidiorum, quae, in divinae Maiestatis offensam et publicae quietis perturbationem, in dies passim increbrescunt, patrandorum, conabimur e medio submovere. Considerantes itaque privilegia variis civitatum, terrarum et locorum nobis et sanctae Romanae Ecclesiae in temporalibus immediate subiectorum communitatibus, universitatibus ac confraternitatum et aliorum piorum locorum rectoribus et hominibus super uno homicida singulis annis, Veneris in Parasceve vel alio certo die, e carceribus meritisque suppliciis liberando et salutiferae cruci vel altari praesentando, aut patriae dimittendo, per nonnullos Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem praedictam, in christianae caritatis divinique cultus et fidelium subditorum favorem, diversimode concessa, nonnumquam improbis, sicariis et sceleratis paricidis ansam in proximum quemque suum, sub spe liberationis huiusmodi, crudeliter saeviendi et humanum sanguinem effundendi praebuisse; ac illos, in quorum manu privilegiorum usus aut executio sita est, eis ut plurimum non ad christianam pietatem uti, sed potius ad quaestum et favores importunos, in animarum suarum perniciem, et bonorum scandalum, imprudenter abuti solere, perditissimos homines, a necessaria nec ulla ratione condonandi morte, coelo terraque multum indignantibus atque reclamantibus, impie, sub praetextu pietatis, eripientes.

Revocatio privilegiorum confraternitatib. et aliis concessorum liberandi homicidas carceratos.

§ 2. Nosque propterea omnino praestare censentes quod huiusmodi gratiae, a nostro et, qui, cum sit omni corruptela superior, an tales huius immanitatis damnati homines misericordiae locum reliquerint sincerius rimabitur, Romani Pontificis pro tempore existentis, quam incertae multitudinis corruptorumve rectorum arbitrio dependeant. Necnon quorumcumque privilegiorum communitatibus, universitatibus ac collegiis praedictis et aliis quibuslibet, etiam quorumvis imperatorum, regum vel Religionis contemplatione, seu in damni recompensam vel aliter quomodolibet concessorum, ac pluries, etiam per nos, approbatorum et innovatorum, literarumque desuper expeditarum et inde secutorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia praemissa, tam in alma Urbe, quam extra eam in universo eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae dominio temporali, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque effica-

cioribus et insolitis, etiam vim contractus inducentibus, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam consistorialiter ac motu et potestatis plenitudine similibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam vel eius legatos quibusvis civitatibus, oppidis, castris, locis seu communitatibus, universitatibus, confraternitatibus, collegiis, ecclesiis, hospitalibus, piis locis et aliis personis, tam saecularibus quam ecclesiasticis, etiam cuiusvis Ordinis regularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, qualitatis et praeeminentiae fuerint, hactenus quomodolibet concessa, ac etiam pluries approbata et innovata, tenore praesentium revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, nulliusque roboris vel momenti fore, neque deinceps cuiquam suffragari; neque civitates, oppida, castra, loca seu communitates, universitates, collegia, confraternitates aut eorum rectores vel alios quoslibet, eorumdem privilegiorum praetextu, alicuius homicidae gratiam, absolutionem aut remissionem praetendere, requirere vel homicidam absolvendum nominare, seu praesentare, vel huiusmodi privilegiis alias uti; neque civitatum, terrarum aut locorum praedictorum gubernatores, rectores vel magistratus pro tempore existentes nominationes aut praesentationes huiusmodi admittere seu aliquem ita nominatum vel praesentatum dimittere et absolvere posse.

Reservatio gratiae de cetero concedendae.

§ 3. Sed si quis casus gratia et miseratione dignus occurrat, illum ad nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem, ut in hoc, pro facti personarumque qualitate, fiat quod convenire videbitur, referri debere; ac quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus et declaramus.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes ad omnium notitiam facilius deducantur, volumus et mandamus quod illae, in Cancellariae Camerae Apostolicae valvis, ac in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex nostris cursoribus affixae, copia illarum ibi dimissa, universos et singulos, quorum interest, intra mensem a die affixionis huiusmodi computandum, perinde afficiant arctentque ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Clausulae derogatoriae.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, XIX kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 14 dec. 1564, pontif. anno V.

CX.

Confirmatio plurimarum gratiarum et privilegiorum fratrum militum hospitalis Sancti Lazari Hierosolymitani, a Pontificibus praedecessoribus concessorum, in his quae concilio Tridentino non adversantur; et concessio aliarum immunitatum et indultorum 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

Inter assiduas dominici gregis nobis divinitus commissi, non solum a spiritualibus, sed etiam a corporalibus noxis periculisque imminentibus, quantum nobis ex alto permittitur, praeservandi curas, illi potissimum, post divini numinis auxilium frequentibus cordis nostri suspiriis imploratum, omni conatu nobis in-

1 Quoad praecedentes gratias habes etiam in Alexandri IV constitutione X, *Cum a nobis*, tom. III, pag. 602; et Clementis IV const. IV, *Cum dilectis*, ibidem, pag. 727, et const. VII, *Venerabilibus*, ibidem, pag. 742.

cumbendum esse statuimus ut adversus inexplebilem christiani sanguinis sitim, quæ, in teterrimo illo Turcarum tyranno, cum longo annorum numero pariter in dies adaugeri conspicitur, bellica etiam fidissimorum commilitonum praesidia comparemus; et nedum temporalis ditionis nostrae totiusque Italiae hostilis classis incursioni undique expositae portus et littora validis arcibus propugnaculisque firmemus, verum etiam strenuis militibus, qui, cruce Redemptoris et Domini nostri, tamquam dominico stigmate, conspicui, sese perpetuos pro salute domus Israel propugnatores fore iurerando profiteantur et praestent, praesidia nostra roboremus, antiquasque Ecclesiae Dei militias ac hospitalitates, et praesertim pauperum leprosorum Sancti Lazari Hierosolymitani hospitalitatem, ab illo sanctissimo viro Basilio Magno usque a recolendae memoriae Damasi I, Romani Pontificis praedecessoris nostri, ac Iuliani apostatae et Valentiniani imperatorum temporibus illustratam, et per orbem varie ampliatam, et iniuria temporum imminutas et quasi exauthoratas, pristinae dignitati restituamus; ac illis, quo promptius votis nostris respondeant, et prisca sua privilegia confirmemus, et illa subinde novorum concessione liberaliter cumulemus.

Innocent. III et Honorius III susceperunt sub protectione Sedis Apostolicae personas, res et bona hospitalis et militiæ.

§ 1. Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Innocentius III et successive Honorius etiam III varias ac diversas exemptiones et alias gratias tunc et pro tempore existentibus magistro et fratribus hospitalis seu domus Sancti Lazari Hierosolymitani, sub Regula Sancti Augustini, et leprosariis concesserant, eorumque personas, leprosarias et alia loca sub sua et Sedis Apostolicae protectione susceperant.

Greg. IX indulgentiam concessit dantibus eleemosynam,

§ 2. Et Gregorius IX omnibus christifidelibus manus caritativas magistro et fratribus domus Sancti Lazari Hierosolymitani, vel eorum nunciis eleemosynas petituris, pro solutione debitorum suorum et fratrum eorumdem substentatione, porrigentibus, viginti dies de iniunctis sibi poenitentiis, per quasdam relaxaverat.

Deditque eis licentiam profitendi unam ex Regulis approbatis.

§ 3. Et per alias suas literas tunc episcopo Tridentino mandaverat ut ipsis fratribus, in suis domibus sive locis profiteri volentibus aliquam Regulam ex approbatis, iuxta petitionem sibi ab eis factam, concederet, si expedire videretur.

Innoc. IV dedit facultatem eligendi militem sanum in magnum magistrum,

§ 4. Et Innocentius IV, per eum accepto quod, licet de antiqua, approbata et eatenus pacifice observata consuetudine obtentum esset ut miles leprosus domus Sancti Lazari Hierosolymitani in eius magistrum assumeretur; verum, quia fere omnes milites leprosi dictae domus ab inimicis fidei miserabiliter interfecti fuerant, et huiusmodi consuetudo nequibat commode observari: ideireo tunc episcopo Tusculano per quasdam commiserat ut, si sibi, secundum Deum, visum foret expedire, fratribus ipsis licentiam aliquem militem sanum ex fratribus praedictae domus Sancti Lazari in eius magistrum (non obstante consuetudine huiusmodi) de cetero eligendi auctoritate apostolica concederet.

Medietatemque molendini in Nympha concessit.

§ 5. Et per alias suas literas, medietatem molendini, quod Ecclesia Romana tunc cum quondam Boetio, camerario suo, in Nympha habebat, magistro et fratribus domus leprosorum Sanctae Mariae Magdalenae Terracinensis, sub annuo censu duodecim denariorum senatus in perpetuum concesserat.

Alex. IV prioribus concessit facultatem absolvendi fratres quoquomodo se percutientes;

§ 6. Et Alexander etiam IV, narrans per quasdam quod, sicut canonica constitutione cavebatur quod monachi et canonici regulares, quocumque modo se in claustro percussissent, non essent ad Apostolicam Sedem mittendi, sed, secundum discretionem et prudentiam sui abbatis, disciplinae subdendi: quod si abbatis

discretio ad eorum correctionem non sufficeret, providentia esset dioecesani episcopi adhibenda, nisi excessus difficilis foret et enormis, propter quem merito esset ad Romanam Ecclesiam recursus habendus; statutum huiusmodi ad magistrum et fratres hospitalis leprosorum Sancti Lazari Hierosolymitani, Ordinis Sancti Augustini, duxerat extendendum; statuendo ut in tali casu (nisi maior esset providentia requirenda) per priores suos, qui (sicut audiverat) presbyteri esse noscebantur, fratribus absolutionis beneficium impenderetur.

Et professionem Regulae S. Augustini;

§ 7. Et per alias suas Regulam Beati Augustini, quam iidem fratres se asserebant professos esse, sicut illam eatenus servaverant, eisdem, dicta auctoritate, confirmaverat atque communiverat, eadem auctoritate nihilominus statuendo ut Regula ipsa ab eisdem fratribus et successoribus suis, perpetuis futuris temporibus, observaretur.

Donationem Federici imperatoris approbavit;

§ 8. Et per alias suas, donationem alias factam magistro et fratribus hospitalis leprosorum Sancti Lazari Hierosolymitani, Ordinis Sancti Augustini, a Federico Romanorum imperatore, ante latam in eum depositionis sententiam, diversarum terrarum, possessionum ac startiarum de suo dominio existentium in Sicilia, Calabria, Vallegratis, Apulia et Terra Laboris, cum diversis saecularium exactionum exemptionibus, ratam et firmam habens, eam, auctoritate apostolica, confirmaverat atque communiverat.

Ecclesiam de Galbis concessit;

§ 9. Ac eidem hospitali, in quo (sicut acceperat) conventus nobilis strenuorum militum et aliorum, tam sanorum quam leprosorum, pro expugnandis inimicis christiani nominis, manere solebat: et quod ad extremam fere paupertatem, propter guerrarum discrimina, erat redactum, possessionibus suis pro magna parte a paganis et hostibus Ecclesiae occupatis, suisque magistro et fratribus, eadem auctoritate, concesserat ut ecclesiam de Galbiis, Lincolinensis dioecesis, in qua iuspatronatus (sicuti asserebant) obtinebant, cedente vel decedente ipsius rectore, pro sua relevanda inopia, suis usibus deputare possent; ita tamen quod perpetuo vicario in ea servituro de ipsius proventibus portio competens, ex qua congrue sustentaretur, et episcopalia ac alia ipsius ecclesiae onera supportarentur, assignaretur, dioecesani episcopi iure in omnibus salvo.

Facultatem componendi de usuris *etc.* tribuit;

§ 10. Et similiter, per alias suas magistro et fratribus huiusmodi, eorum necessitatem paterno compatiens affectu, auctoritate praedicta, duxerat concedendum ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, dummodo illi, quibus eorum restitutio fieri deberet, omnino inveniri et sciri non possent, necnon de redemptionibus votorum, auctoritate dioecesanorum prius factis (Hierosolymitano dumtaxat excepto), usque ad summam ducentarum marcharum argenti recipere valerent, si pro similium receptione alias non essent ab ipso huiusmodi gratiam consecuti: ita quod, si aliquid de ipsis ducentis marchis dimisissent vel restituissent vel dedissent illis a quibus eas accepissent, huiusmodi dimissum vel restitutum seu datum nihil ad liberationem eorum prodesset, nec, quantum ad illud, haberentur aliquatenus absoluti.

Dioecesanos non posse ponere rectores in domibus hospitalis declaravit.

§ 11. Et cum ad eius notitiam pervenisset quod in nonnullis religiosis et leprosorum domibus in districtu regni Navarrae, Campaniae et Briae, comitis Palatini, consistentibus, locorum dioecesani rectores seu administratores de novo ponere seu instituere praesumebant pro suae libito voluntatis, in earumdem domorum non modicum praeiudicium et gravamen, contra antiquam, approbatam et eatenus pacifice observatam in talibus consuetu-

dinem veniendo, volens earumdem domorum gravamen indebitum auferre, tunc abbati monasterii Orbacensis dicti vel alterius Ordinis, Suessionensis dioecesis, dederat in mandatis quatenus, si ita esset, praefatos dioecesanos ut ab huiusmodi praesumptione omnino desisterent, monitione praemissa, dicta auctoritate apostolica, appellatione remota, praevia ratione, compelleret.

Nicolaus III exemit a solutione decimarum.

§ 12. Praeterea Nicolaus III declaraverat quod de redditibus et proventibus leprosariarum huiusmodi, qui in usus miserabilium et infirmorum convertebantur, decima non solveretur.

Clemens IV facultatem undique colligendi leprosos concessit,

§ 13. Et Clemens etiam IV per quasdam universis archiepiscopis et episcopis ac aliis ecclesiarum praelatis, exemptis et non exemptis, in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis poena, quam inobedientes ipso facto incurrere voluit, nisi mandatum huiusmodi diligenter exequi curarent; et nihilominus, sub poena privationis officii et beneficii suorum, praecipiendo mandaverat quatenus, dum aliqui de dictis magistro, fratribus et procuratoribus domorum Sancti Lazari Hierosolymitani ad archiepiscopos et alios praelatos et eorum loca, pro capiendis infirmis leprosis, pervenissent, eis in hoc adesse curarent; memores Dominum in lege Moysi praecepisse quod omnes leprosi eiicerentur extra, volens et ordinans, ut Domino complacebat, quod tam mares quam mulieres, clerici et laici, religiosi et saeculares morbo leprae laborantes, per eosdem fratres et procuratores eorum caperentur et eiicerentur extra, cum omnibus eorum bonis, tam mobilibus quam immobilibus, ad habitationem cum aliis infirmis domorum Ordinis Sancti Lazari huiusmodi. Si vero clerici vel laici mandatum suum in aliquo negligerent adimplere, voluit quod ipsi fratres aut illorum procuratores illos peremptorie citarent ut coram se comparerent, facturi iustitiae complementum.

Eleemosynasque colligendi;

§ 14. Ac rursus per alias suas mandaverat quod fratres ipsi ipsius confratriae ad aliqua loca accedentes pro eleemosynis colligendis benigne reciperentur et honeste tractarentur: ipsique locorum ordinarii et ii, ad quos spectat, ut permitterent eosdem fratres in ecclesiis suis populum admonere ac eleemosynas colligere, ac etiam confraternitates facere, illud praecaventes ne, occasione illorum, eleemosynae pauperum Christi deperirent, et impedirent opera pietatis.

Ordinarios militiae molestias tollere iussit;

§ 15. Necnon ipsis archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis iniunxerat ut curarent defendere et manutenere fratres praefatos adversus parochianos, qui domos illorum invadebant aut indebitis molestiis opprimebant. Nec a fratribus et personis Religionis huiusmodi pro sepultura quicquam exigeretur vel acciperetur, nisi ipsa spontanea decedentium liberalitas vel parentum devotio eis contulisset.

Exemptionem a decimis concessit;

§ 16. Nec ab eis, contra privilegiorum dictae Sedis tenorem, de omnibus fructibus terrae, quibus propria industria aut expensis colerent et laborarent, ac etiam de nutrimentis animalium suorum, sed nec de ipsis animalibus decimas exigere praesumerent.

Oratoria construi posse voluit;

§ 17. Quodque ipsi archiepiscopi et episcopi oratoria pro usu fratrum et personarum praefatorum ac suae familiae dedicare, ac coemeterium benedicere procurarent.

Dimittentes habitum coerceri iussit;

§ 18. Ac quod de caetero fratres seu milites ac donatos militiae hospitalis huiusmodi, qui crucem et regularem habitum deponerent, et per abrupta saeculi vagarentur, quive prioribus suis contumaces et rebelles existebant, et bolinas detinerent contra voluntates ipsorum, monerent instanter, ac pro officii sui debito compellerent ut habitum depositum reas-

sumerent, in obedientia praelatorum suorum devote et humiliter perseverarent, et bolinas sive alia officia per violentiam nullo modo detinere praesumerent, mandatorum suorum contemptores excommunicationis sententia compellerent, eamque, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiter observari facerent.

Indulgentias benefact. concessit;

§ 19. Et nihilominus quibuscumque, qui de facultatibus sibi a Deo collatis fratribus hospitalis praefati subvenissent, seque tam sanctae fraternitati collegas adscribi studuissent, eisque beneficia persolvissent, annuatim septimam partem iniunctae sibi poenitentiae relaxaverat.

Ordinariis facultatem dedit vota commutandi subventionem hospitali,

§ 20. Eisdemque locorum ordinariis et aliis curam animarum habentibus, commutandi cuiusvis abstinentiae et quarumcumque peregrinationum vota (Hierosolymitano ac beatorum Petri et Pauli apostolorum dumtaxat exceptis), in pecuniarum subsidium praefatis fratribus vel nunciis exhibendum, cum super hoc ab eis vel eorum aliquo fuissent requisiti, dummodo, conditione inspecta, nunciorum et fratrum praefatorum necessitate pensata (super quibus eorum conscientias oneraverat), pretio vel precibus, amicitia, favore vel odio cuiuscumque nihil circa hoc, super quibus sciret se unumquemque eorum redditurum in examine districti indicii rationem, ageretur in fraudem vel diminutionem subsidii suprascripti, plenam et liberam facultatem concesserat. Volens ut huiusmodi pecuniarum subsidium praestandum per voventes peregrinationes easdem ad tantam pecuniae summam extenderetur, quantam voventes ipsi pro complendo voto peregrinationis huiusmodi personaliter expendissent. Votum autem huiusmodi abstinentiae iuxta illius arbitrium intenderat redimi, qui votum huiusmodi commutaret.

§ 21. Personis autem ecclesiasticis volens plenius provideri, dioecesanis earum dispensandi cum eis qui cum a canone vel ab homine latam excommunicationis sententiam incurrissent, irregularitatis notam, immiscendo se divinis officiis, contraxissent, vel ob id contrahere ipsos contigisset, dummodo tantum erogassent fratribus vel nunciis supradictis, quantum expendissent eundo ad Romanam Curiam, et morando in ipsa pro dispensatione huiusmodi obtinenda, et redeundo etiam ab eadem, nisi forsan in episcopos, abbates vel alios superiores proprias iniecissent manus temere violentas, postquam ab excommunicationum sententiis, quas incurrerent vel incurrere ipsos contigisset, iuxta formam Ecclesiae fuissent absoluti, concesserat potestatem.

Absolvendique ab irregularitate dato simili subsidio;

Mortuos sepelire in eorum ecclesiis permisit;

§ 22. Volens, ob reverentiam ipsius venerabilis domus, ut iis, qui eorum fraternitatem assumpsissent, si forsan ecclesiae ad quas pervenissent a divinis officiis interdictae forent, ipsis morientibus, sepultura ecclesiastica minime negaretur, nisi nominatim excommunicationis vinculo fuissent innodati. Liceretque eis confratres suos, quos ecclesiarum praelati apud ecclesias suas malitiose sepeliri non permisissent, nisi excommunicati vel in interdicto nominati fuissent, aut publici usurarii, tumulandos deferre ad ecclesias huiusmodi hospitalis.

Oblationesque recipere,

§ 23. Et oblationes, tam pro eis quam pro aliis, qui in eorum coemeteriis requiescunt, exhibitas, sine alicuius praeiudicio, retinere.

Etiam tempore interdicti;

§ 24. Quodque receptiones fraternitatis eiusdem seu etiam collectarum, salvo iure dominorum suorum, sub beati Petri et sua protectione consisterent. Et si qui eorumdem fratrum, qui ad eas fraternitates missi fuissent, vel collectas in quamlibet civitatem aut castellum vel vicum aut alium locum devenissent, si forte locus ille fuisset a divinis officiis interdictus, in eorum iucundo adventu, semel in anno,

aperirentur ecclesiae, et eiectis excommunicatis, divina officia ibi celebrarentur, salva tamen in omnibus declaratione concilii generalis.

Clericos hospitali servire permisit.

§ 25. Mandans etiam eisdem archiepiscopis et episcopis, ut si qui de clericis ecclesiarum suarum praefati hospitalis fratribus, cum licentia praelati et capituli sui, sponte ac gratis per annum vel biennium decrevissent deservire, nequaquam impedirentur.

Ioann. XXII exemptionem a iurisdict. ordinariorum. concessit.

§ 26. Et subsequenter Ioannes XXII universis archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis mandaverat quatenus in praefatos magistrum et fratres ac milites clericosque, donatos vel nuncios, aut ecclesias eorum (quippe qui nullum habebant episcopum vel prælatum, praeter Romanum Pontificem, supra se, et speciali praerogativa gaudebant, et in quibus ordinarii locorum auctoritatem aut ecclesiasticam potestatem nequaquam habebant) excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare nullatenus praesumerent, nec eos indebita vexatione gravarent, sed erga ipsos se taliter gererent, quod adversus eos materiam querelandi suscitare non haberent.

Greg. X seu Alex. IV fratres non molestari iussit;

§ 27. Insuper Gregorius X seu Alexander IV, eisdem magistro et fratribus hospitalis S. Lazari Hierosolymitani paterna solicitudine providere volens, adversus nonnullos religiosos et clericos saeculares et laicos, qui, sub praetextu quaestionis inter eosdem existentis et cuiusdam pravae consuetudinis, animalia et alia bona dictorum fratrum militum temeritate propria audebant invadere, et tamdiu detinere praesumebant, donec esset eis de huiusmodi quaestionibus, iuxta eorum beneplacitum, satisfactum, licet iurisdictionem ordinariam seu delegatam in eos non haberent, qua ipsis hoc facere permissum esset, per suas literas, auctoritate apostolica, inhibuerant ne qui, occasione praedictæ consuetudinis, tamquam nullo iure subnixae, eisdem fratribus ac aliis supranominatis seu eorum nunciis ab eis per totum orbem destinandis, memoratas inferrent molestias. Neve fratres et bona sua sine iuris ordine, occupare, invadere seu quomodolibet detinere praesumerent.

Exemptionis concessio a solutione gabellæ *etc.* pro eorum bonis.

§ 28. Quodque de omnibus fructibus terrae, quibus propria industria aut expensis colerent et laborare facerent, ac de animalibus aut de ipsis nutrimentis animalium, ac aliis quibuscumque bonis suis, si contingeret quod bona praefata aut fructus huiusmodi aut animalia ipsa, vel ex eis provenientia, aliquid per ipsos fratres, milites vel donatos venderetur aut emeretur, tam pro substentatione cuiuslibet eorum aut pauperum leprosorum, quam pro reparatione cuiusvis domus aut hospitalis sive ecclesiae praefatae militiae, et per civitates aut castra et oppida, portus, pontes ac navigia et alia loca quorumcumque regum et reginarum aut ducum, marchionum, comitum, vicecomitum, baronum et aliorum dominorum in toto orbe existentium, in quibus pro tempore stare vel transire et reverti deberent, absque aliquo impedimento, eos permitterent vendere vel emere aut transire ac reverti, et praesertim sine cuiusvis pedagii, datii, gabellae, bullectarum et quarumcumque exactionum solutione mandaverat.

Paulus II leprosar. Capuanam sub protectione Sedis Apost. suscepit, et exemptionem ab omni onere concessit.

§ 29. Et Paulus II magistros et fratres domus leprosorum S. Lazari extra muros Capuanos eorumque personas et locum, in quo divino erant obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quae tunc rationabiliter possidebant, aut ex tunc in futurum iustis modis possent adipisci, sub Beati Petri et sua protectione susceperat. Omnesque libertates et immunitates a praedecessoribus suis, sive per alia privilegia sive indulta, eis et dictae domui concessas, necnon libertates et exemptiones saecula-

rium exactionum a regibus et principibus aliisque christifidelibus rationabiliter eis et eorum domui indultas, specialiter autem domos, prata, pascua, hortos, vineas et alia bona mobilia et immobilia eorum, sicut ea iuste et pacifice possidebant, eis, et per eos eidem domui, praedicta auctoritate apostolica confirmaverat, districtius inhibens, ne quis de hortis, virgultis seu eorum animalium nutrimentis decimas ab eis exigere praesumeret.

Alex., Urban., Clem. et Greg. visitantibus leprosariam Perusin. et eleemosynam dantibus indulgentias concessit.

§ 30. Et similiter Alexander, Urbanus, Clemens et Gregorius, Romani Pontifices similiter praedecessores nostri, consideratis caritatis et pietatis operibus, quae erga infirmos et pauperes hospitalis leprosorum de Colle Perusinae Dioecesis iugiter exercebantur, et quod ad id eiusdem hospitalis propriae non sufficiebant facultates, cupientesque ad eorumdem pauperum consolatoria subsidia Christi populum spiritualibus muneribus invitare, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui devote ad hospitale memoratum accederent, manumque caritatis porrigerent, Gregorius videlicet unum annum et unam quadragenam; singuli vero reliquorum praedecessorum eorumdem centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxarant.

Nic. IV illas confirmavit, et alias concessit;

§ 31. Et postmodum Nicolaus IV remissiones et indulgentias huiusmodi per suas literas approbaverat et confirmaverat, aliasque indulgentias et peccatorum remissiones christifidelibus diversa pauperum et leprosorum loca et hospitalia huiusmodi visitantibus, et manus adiutrices ac pias eleemosynas pro ipsorum pauperum leprosorum subventione erogantibus, per quasdam concesserat et relaxaverat.

Exemptionemque dedit hospitali de Valloncellis a procurationibus legatorum et quibuscumque collectis.

§ 32. Ac per alias suas, ad instar dicti Clementis IV, custodi et fratribus hospitalis leprosorum S. Lazari de Valloncellis, ut illi ad praestationem procurationum legatis Sedis Apostolicae vel nunciis, aut exactionum, collectarum seu subsidiorum quorumcumque minime tenerentur, nec ad ea solvenda per literas dictae Sedis legatorum, rectorum vel nunciorum, cuiuscumque tenoris existerent, aut alia quavis auctoritate in perpetuum compelli non possent, concesserat. Decernens irritas et inanes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas propter hoc in eos vel eorum aliquem aut hospitale praefatum in posterum contigisset promulgari.

Leo X restituit hospitalia S. Ioannis leprosorum Panormitan. et S. Agathae Messanen. olim hospitali S. Lazari subiecta, adversus suppression. Innocentii VIII;

§ 33. Et Leo X clarae memoriae, ad Caroli Romanorum et Hispaniarum regis tunc in humanis agentis preces, hospitalia S. Ioan. leprosorum Panormitanum et S. Agathae Messanen., Ordinis S. Augustini, olim hospitali S. Lazari, tamquam membra capiti, subiecta, Religioni et hospitali Capuano S. Lazari praefati, cum omnibus iuribus et pertinentiis ac membris eorumdem, praefata auctoritate apostolica, sub certis modo et forma, perpetuo restituerat; dictumque hospitale Capuanum, adversus suppressiones et extinctiones per Innocentium VIII, etiam praedecessorem nostrum, factas, reposuerat et reintegraverat; ac magistro generali seu praeceptori eiusdem hospitalis seu domus S. Lazari Capuani eiusdem Ordinis S. Augustini, ut Panormitanum et Messanense hospitalia praedicta, cum illa legitimo gubernatore carerent, acceptare, et de illis personis suae Religionis, prout ante suppressionem et incorporationem praefatas disponere et ordinare poterat, ac si illa non emanassent, disponere, providere et ordinare.

Facultatemque dedit capiendi possession. eorundem hospitalium S. Ioannis leprosorum Panormitan. et Sanctae Agathae Messanense.

§ 34. Ac praefatorum hospitalium possessionem per se vel alium seu alios, propria auctoritate, libere apprehendere et eiusdem Religionis nomine retinere valeret, indulserat, districtius inhibens ne quis eumdem magistrum super praemissis aliquo modo molestare, impedire seu perturbare valeret.

Alex. VI ac alii Rom. Pontifices quamplura alia indulta et gratias concesserunt.

§ 35. Ac Alexander VI, Nicolaus II, Honorius etiam IV, Bonifacius VIII, Clemens etiam V, Innocentius VI, Urbanus etiam IV, Eugenius similiter IV, Sixtus etiam IV, Innocentius etiam VIII, Alexander similiter VI, Clemens VII, Paulus III, Iulius etiam III et diversi alii Romani Pontifices praedecessores nostri eisdem magistro et fratribus, donatis et Ordini, illorumque nunciis, officialibus et aliis personis, necnon eorum hospitalibus, ecclesiis, praeceptoriis et membris, illasque et illa visitantibus ac illis benefacientibus varia privilegia, indulta, libertates, immunitates et alias gratias concesserant.

Hic Pontifex Pius IV illa confirmavit, praesertim circa iurisdictionem M. magistri;

§ 36. Postremo nos illa confirmavimus, et praesertim super iurisdictione per magistrum generalem hospitalis et militiae praedictorum inter eorum milites et personas exercenda et iustitiam suis praeceptoribus, militibus, fratribus, eorumque vassallis, subditis, cappellanis, familiaribus, servitoribus, clericis, nunciis, collectoribus, donatis ac quibuscumque aliis personis dicti hospitalis, pro quibuscumque rebus illud eiusque militiam, personas, beneficia et bona concernentibus, annexis, connexis vel dependentibus, aut super dignitatibus, administrationibus, praeceptoriis, officiis, iuribus, iurisdictionibus, proprietatibus, bonis, fructibus, censibus, possessionibus, in quacumque instantia, etiam usque ad ultimam sententiam inclusive, etiam summarie, simpliciter et de plano, per magistrum generalem hospitalis huiusmodi seu ab eo delegatos iustitiam ministrando, innovavimus et alias indulsimus, prout in diversis tam ipsorum praedecessorum quam nostris literis desuper confectis plenius continetur.

Et modo praedicta omnia, quatenus Concilio Trid. non sint contraria iterato confirmat;

§ 37. Nos igitur, volentes dilectum filium Ioannottum Castilionem, modernum hospitalis et militiae praedictorum magnum magistrum, eiusque successores magnos ipsius hospitalis magistros pro tempore existentes, ac hospitale et militiam huiusmodi, eorumque conventum, etiam amplioribus quam quispiam nostrorum praedecessorum praedictorum eos prosecuti fuerint, favoribus et gratiis prosequi; ac hospitalitatem ipsius S. Lazari, eiusque militiam, ad miserabilium pauperum leprosorum utilitatem et contra piratarum et infidelium christianae religionis incursionem (quantum in Domino possumus), restaurare augereque; ac eosdem Ioannottum magistrum, milites, fratres et alias personas, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon singularum praedictarum literarum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad Ioannotti aut priorum, praeceptorum, militum, fratrum vel personarum praedictarum seu aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, institutionem et erectionem hospitalis et militiae huiusmodi eiusque translationem olim ad praeceptoriam vel domum Capuanam praedictam factam, ac praeceptoriae seu domus huiusmodi incorporationem, declarationes, revocationes, voluntates, irritationes, monitiones, requisitiones, promulgationes, uniones, incorporationes, concessiones, etiam facultatum assignationes, decreta, remissiones, inhibitiones, iniunctionem, renovationem, approbationes, confirmationes, suppletionem, restitutionem, repositionem, commissionem, mandatum, susceptionem, liberationem, exem-

ptionem, subiectionem, prohibitionem, extensionem, ampliationem, indultum et dispensationem, regulam et ordinationem praenominatorum et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum huiusmodi; necnon omnia et singula privilegia, immunitates, antelationes, exemptiones, libertates, praerogativas, indulgentias, indulta spiritualia et temporalia, favores et gratias, etiam per modum communicationis et extensionis eisdem hospitali et militiae ac suis magno magistro, militibus, personis et membris, per Romanos Pontifices et Sedem huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis hactenus, in genere vel in specie, concessa, approbata et innovata; necnon cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, singulas eorumdem praedecessorum, tam sub plumbo quam in forma brevis expeditas, literas ac ordinationes, statuta, stabilimenta, usus, consuetudines et naturas in eisdem hospitali, militia et Religione edita et introducta, et quascumque apostolicas aliasque desuper confectas literas, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu et scientia similibus ac alias quomodolibet concessa, cum omnibus et singulis decretis et aliis clausulis in eis contentis, aliaque omnia et singula inde secuta quaecumque, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, praesentibus pro expressis et insertis habentes (quatenus decretis concilii Tridentini tamen non repugnent), apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus, confirmamus ac etiam plenarie innovamus et concedimus, ac innovata et concessa esse volumus.

Hospitalique Capuano communicat;

§ 38. Necnon illa ad hospitale praefatum ad praesens in Capuana et non Hierosolymitana civitate consistens, illiusque magistrum, priores, praeceptores, fratres et personas praefatos extendimus et ampliamus: eaque omnia valida et efficacia existere et perpetuam roboris firmitatem obtinere, suosque effectus sortiri ac ab omnibus, quavis dignitate et praeeminentia fulgentibus, etiam sub sententiis, censuris et poenis in eis contentis, perpetuo inviolabiliter observari decernimus.

Omnemque suppression revocat,

§ 39. Necnon hospitale, eiusque membra et pertinentia universa adversus suppressiones et extinctiones, appropriationes, applicationes, uniones, annexiones, incorporationes et alias contrarias dispositiones olim per sanctae memoriae Innocentium VIII et Pium II ac forsan alios Romanos Pontifices etiam praedecessores nostros, et Sedem praefatam, etiam consistorialiter, vel motu et scientia ac potestatis plenitudine similibus, hactenus quomodolibet emanatas, in pristinum et eum, in quo, antequam illae emanarent, erant, statum, eisdem auctoritate et tenore restituimus, repommus et plenarie reintegramus, ac restituta, reposita et plenarie reintegrata esse decernimus et declaramus. Necnon literas inde emanatas, omniaque et singula in eis contenta suppressiones et extinctiones huiusmodi concernentia, auctoritate et tenore praedictis revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, ac pro revocatis, cassis, irritis ac nullis et infectis et viribus omnibus vacuis haberi volumus.

Illudque caput militiae S. Lazari constituit,

§ 40. Et potiori pro cautela, in praefato hospitali eamdemmet praeceptoriam quae in eo, ut praefertur, erat, quae conventualis et caput aliarum praeceptoriarum dicti Ordinis existat, ac privilegiis, indultis, favoribus, exemptionibus, libertatibus, iurisdictionibus, auctoritatibus et facultatibus, ac demum iuribus omnibus, quibus ante illius suppressiones et extinctiones praedictas utebatur, potiebatur et gaudebat, uti, potiri et gaudere debeat, ac in eorum omnium possessione reali

et actuali, in qua prius erat, ex nunc existat et esse censeatur in omnibus et per omnia, perinde ac si praeceptoria praefata numquam suppressa et extincta seu aliis unita fuisset, de novo erigimus et instituimus.

Electionem M. magistri ad conventum et milites spectare decernit;

§ 41. Et eisdem hospitali, militiae, suisque magno magistro, conventui, fratribus ac militibus quod, ipso Ioannotto et pro tempore existentibus magnis magistris cedentibus, vel etiam apud eamdem Sedem decedentibus, seu ipsum magnum magistratum alias quomodolibet, etiam per liberam resignationem, in nostris vel successorum nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum manibus dimittentibus vel amittentibus, et illo quovis modo vacante, conventus eiusdem militiae, insimul, ubi voluerint, pro tempore congregati, alium magnum magistrum, iuxta eiusdem Religionis et militiae stabilimenta, de consensu sui protectoris edita vel edenda, quae dicto concilio Tridentino minime sint contraria, eligere, qui ex nunc prout ex tunc et e contra, postquam sic electus fuerit, eadem auctoritate apostolica confirmatus sit et esse censeatur, et ita perpetuo statuimus et ordinamus.

Sedis principalis translationem concedit;

§ 42. Necnon eisdem pro tempore existenti magistro et conventui principalem ipsius militiae sedem ad quemcumque locum, etiam maritimum, eisdem magistro et conventui visum, etiam quoties sibi placuerit, transferre.

Habitus, crucis et statutorum reformationem permittit;

§ 43. Habitumque suum regularem ac etiam crucem, etiamsi de suis antiquis habitu cruceque appareat vel non appareat, in eum meliorem, qui sibi videbitur, modum (citra tamen aliarum militiarum et Religionum praeiudicium) reformare, in toto vel in parte immutare vel stabilire ac innovare, Regulamque, stabilimenta et statuta dictae Religionis et militiae de consensu sui protectoris instituere et reformare seu de novo condere, edere, et, quoties eis placuerit, illas et illa corrigere et immutare (dummodo licita et honesta, nec eidem concilio contraria existant) toties quoties voluerint.

Erigendi in commendas et praeceptor. beneficia qualitercumque qualificata de iure patronatus laicorum, etiam si dignitates aut monasteria non tamen consistorialia *etc.*;

§ 44. Necnon eidem Ioannotto et pro tempore existenti magno magistro ut quaecumque, quotcumque et qualiacumque, etiam qualitercumque qualificata, beneficia ecclesiastica, de iure patronatus laicorum ex fundatione vel dotatione existentia, et personale servitium in cathedralibus et collegiatis insignibus non requirentia (dummodo illis animarum cura non immineat); etiamsi illa archipresbyteratus rurales aut dignitates vel nomen dignitatis habentia (extra tamen cathedrales et collegiatas ecclesias consistentia), etiamsi praestimonia aut praestimoniales portiones existant vel alia simplicia, aut monasteria (non tamen consistorialia) vel alia beneficia ecclesiastica regularia, cura tamen et conventu carentia, fuerint, accedente tamen consensu patronorum, et sine praeiudicio ea obtinentium, et ipsis cedentibus vel decedentibus, in praeceptorias, commendas, cappellas aut ecclesias ipsorum hospitalis et militiae perpetuo erigere, instituere, dictaeque suae militiae perpetuo incorporare, applicare et appropriare.

Praeservandi ius patronatus et præsent. personas et instituendi praesentatos, ac alias conferendi dicta beneficia.

§ 45. Ac illarum fundatoribus vel dotatoribus ius patronatus et praesentandi dictis magistro et conventui vel eorum deputato personas idoneas ad praeceptorias, domos, cappellas seu ecclesias et hospitalia huiusmodi, pro tempore vacantia, perpetuo praeservare et concedere; et eisdem magistro et conventui sic a patronis praesentatos, iuxta stabilimenta dictae Religionis, ordinariorum locorum et quorumvis aliorum consensu minime requisito, in illis instituere, ac illas conferre et de eis providere. Ita tamen quod ibi debitus divinus cultus per personas

idoneas, etiam si Ordinis fuerint, ab ordinario approbandas, in eisdem exerceatur.

Hospitalia, leprosariae et alia loca, ad hospitalitat. leprosorum destinata, hospitali et militiae S. Lazari esse censeantur, etiam si sint iurispatron. laicorum.

§ 46. Necnon quod hospitalia, leprosariae et alia loca quaecumque, ubi ullo umquam tempore fuerit, sit vel erit hospitalitas leprosorum seu infirmorum sancti Lazari nuncupatorum, etiam si iuris patronatus laicorum sint, militiae et hospitali S. Lazari huiusmodi subiecta et incorporata, et ad ius et proprietatem ac ad omnimodam dispositionem, institutionem et collationem moderni et pro tempore existentis magni magistri et conventus eorumdem, iuxta ipsius militiae seu Religionis stabilimenta (salvo tamen iure patronatus), pertinere censeantur, prout alia etiam dictae Religionis seu militiae hospitalia, cappellae, oratoria, beneficia et loca spectant et pertinent; dummodo in illis hospitalitas debita servetur, et cultus divinus nullatenus diminuatur, ac in illorum fundatione vel dotatione secus non fuerit ordinatum.

Praeservatio iurisdiction. ordinariorum, et exemptio huius militiae cum militia S. Ioannis in non exceptis.

§ 47. Salvis tamen legitimis titulis et praescriptionibus et salva iurisdictione ordinariorum, tam ea quae de iure communi eis competit, quam quae ex decretis dicti concilii Tridentini eisdem est attributa. Praeterquam tamen in iis casibus in quibus concilium praedictum expresse, ut praefertur, exemit et excepit Religionem S. Ioannis Hierosolymitani, in quibus et haec S. Lazari Religio pariter excepta et exempta sit et esse censeatur.

Facultas retinendi pensiones ducatorum o.

§ 48. Et insuper militibus ac presbyteris et cappellanis hospitalis et militiae S. Lazari huiusmodi, nunc et pro tempore existentibus, ac eorum singulis, tam clericis quam laicis, etiam coniugatis et bigamis, ut unam vel plures pensiones annuas, usque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera novorum, super quarumvis cathedralium, etiam metropolitanarum, et aliarum ecclesiarum ac earum mensarum, etiam patriarchalium, archiepiscopalium et episcopalium, necnon etiam monasteriorum, etiam consistorialium, prioratuum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis ac distributionibus quotidianis alias canonice sibi reservatas seu reservandas, vel loco pensionum annuarum, omnes et singulos ac quoscumque similes fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, ac etiam distributiones quotidianas sibi reservata et reservanda, etiamsi, post illarum vel illorum reservationem, uxorem duxerint et bigami effecti fuerint, recipere seu retinere et ad vitam percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere.

Easque transferendi.

§ 49. Illasque, cum primum ipsa militia S. Lazari in aliqua expeditione contra infideles militare coeperit, in toto vel parte, simul vel successive, quando sibi videbitur, etiam in mortis articulo, in cuiusvis personae in dignitate ecclesiastica constitutae aut canonici cathedralis ecclesiae manibus et in fratrum militum dictae militiae S. Lazari vel cuiuscumque personae seu quarumvis personarum, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentium et expectantium, favorem, absque aliquo possessorum beneficiorum huiusmodi desuper habendo consensu, etiam absque, super praesentibus, conficiendarum literarum, tamquam notariarum, praesentia seu ostensione vel visione aut alia solemnitate in Romana Curia vel extra eam, in omnibus et per omnia, perinde ac militibus S. Pauli, Piis nuncupatis, per Se-

dem Apostolicam indultum est, etiam citra cruciatae obligationem, transferre, ac eisdem personis nominandis ipsas pensiones reservare, etiam absque aliqua literarum apostolicarum expeditione, ac alia desuper necessaria facere libere et licite valeant, eisdem auctoritate et tenore, de speciali gratia concedimus et indulgemus, ac plenam et liberam licentiam et facultatem illis impartimur. Et cum ipsis militibus desuper ac etiam ut ipsas pensiones una cum dictae militiae S. Lazari hospitalibus vel praeceptoriis aut aliis beneficiis quoad vixerint retinere possint, dispensamus.

M. Magistri et totius militiæ susceptio sub protectione Sedis Apostolicæ.

§ 50. Et insuper idem hospitale Sancti Lazari ac illius prioratus, praeceptorias, domos, cameras, hospitalia et loca quaecumque; necnon magistrum, priores, praeceptores, milites et personas, ac eorum subditos, vassallos, colonos et servitores, nunc et pro tempore existentes, etiam presbyteros curam animarum exercentes, quamdiu illam exercuerint et in illorum obsequiis fuerint, ac illorum res, animalia, praedia, domos, molendina et bona quaecumque, quae obtinent et possident, ac in futurum canonice obtinebunt et possidebunt, sub beati Petri et dictae Sedis atque nostra protectione suscipimus.

Exemptio a iurisdict. omnium dominorum temporalium et spiritualium.

§ 51. Ac ab omni iurisdictione, correctione, onere, statutis, bannis, dominio, superioritate et potestate quorumcumque patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, praelatorum, necnon quorumcumque temporalium dominorum, quavis potestate, etiam imperiali, regali et ducali, fulgentium, ac universitatum et illarum regentium, etiam (praeterquam dicti hospitalis) ordinariorum, tam spiritualium quam temporalium, ubicumque, tam citra quam ultra montes et mare, constitutorum, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentium, illorumque vicariorum et officialium, locatenentium et indicum nunc et pro tempore existentium quorumlibet.

Exemptio a decimis etc.

§ 52. Necnon a solutione et exactione passagii, arreragii, gabellae, datii, tractae, collectae, procurationis, iucundi adventus, iurium, etiam synodalium, censuum et decimarum, etiam novalium, hortorum, pratorum, piscationum et molendinorum (ad quae cuilibet accessus nullatenus, directe vel indirecte, prohiberi possint) et terrarum, quas per se ipsos vel alios eorum nominibus, etiam colonos, arrendatarios et emphyteutas, excolent, et de quibus fructus percipient, et cuiusvis alterius oneris personalis, realis seu mixti, ordinarii vel extraordinarii, ubicumque et ex quacumque causa impositi vel imponendi pro tempore, liberamus et eximimus, ac nobis et dictae Sedi immediate subiicimus. Illosque et illa, etiam si in quibuscumque statutis, literis, constitutionibus et regulis, etiam per nos et Sedem praefatam pro tempore editis, nominatim, specialiter et expresse gravarentur seu onerarentur, semper immunes, liberos et exemptos ac exceptos et nobis ac successoribus nostris Romanis Pontificibus immediate subiectos, ac immunia, libera, exempta et subiecta esse decernimus. Ita quod archiepiscopi, episcopi, praelati, ordinarii, vicarii, officiales, locatenentes et indices praefati, etiam ratione delicti vel contractus seu rei de qua agetur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus aut res ipsa consistat, nullam in eos vel ea iurisdictionem, correctionem seu potestatem exercere. Aut excommunicationis aliasve sententias, censuras et poenas promulgare; aut etiam, ratione personarum vel rerum, animalium ac bonorum suorum, ad aliquam solutionem pontium, fontium, furnorum, murorum seu etiam aliarum ecclesiarum, quam dictae Religio-

nis, etiam si forsan hactenus per abusum seu alterius privilegium aut negligentiam, etiam per longissimum tempus, taliter observatum non fuerit. Quae omnia, etiam praescriptiones, nullo pacto, saltem in posterum, quo minus huiusmodi exceptionibus uti possint, obstare volumus, et decernimus eos coarctare; aut alii quicumque, cuiuscumque ecclesiasticae vel mundanae dignitatis aut praeeminentiae, status vel conditionis existant, etiam locis et terris S. R. E., etiam immediate, subiectis, et ad instantiam cuiuscumque principis seu communitatis, sub excommunicationis latae sententiae, seu quadrupli, ultra damna et expensas, restitutionis poenis per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne eos, in iudicio vel extra, super praemissis vel eorum usu seu possessione vel quasi, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare, impedire, vexare, aut alias quomodolibet impetere praesumant, debeant seu etiam valeant.

Fratres et aliae personae hospitalis atque militiae de iustitia coram solo magno magistro et conventu, vel ab eis delegatis respondere tenentur.

§ 53. Sed priores, milites et aliae personae hospitalis et militiae S. Lazari huiusmodi de iustitia coram solo magno magistro et conventu vel eorum deputato respondere debeant. Decernentes quoscumque processus contra illos vel eorum aliquem, tam per ipsos locorum ordinarios vel eorum vicarios seu quosvis alios, quam magistrum vel eius deputatum praefatos, pro tempore factos, et quaslibet etiam excommunicationis vel suspensionis, aliasque sententias promulgatas, nullas et invalidas nullinsque roboris vel momenti fore.

Exemptio a decimis et novalibus ac quartis nuncupatis, seu canonica portione vel charitativo subsidio etiam concesso Regi Hispaniarum, ac quarta in Franciae regnis imposita.

§ 54. Nec omnino aliquis ex hospitalis et militiae S. Lazari fratribus, donatis, servitoribus, vassallis et colonis in prioratibus, commendis, domibus, hospitalibus, leprosariis, membris aut aliis quibusvis beneficiis, praesidiis sive grangiis quomodocumque a dicto hospitali dependentibus, in quibuscumque locis, sub quorumcumque patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, universitatum, hospitalium, rectorum ecclesiarum limitibus et iurisdictione constituti, decimas aut canonicam portionem seu caritativum subsidium aut quartas nuncupatas seu alias quascumque collectas seu contributiones, tam ex antiquis eorum culturis, quam ex recenter cultis novalibus, alicui quovis modo solvere teneatur. A quibus omnibus exactionibus atque etiam novo subsidio dilecto filio nostro Philippo Hispaniarum regi in suis regnis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores concesso, et canonica portione, quarta nuncupata, in Franciae regnis imposita, necnon a quibuscumque aliis facultatibus, regibus huiusmodi et aliis principibus concessis vel concedendis in futurum, omnia dicti hospitalis loca, ut praefertur, necnon ecclesiarum quomodocumque a dicto hospitali dependentium fabricas, libera et liberas et exemptas esse declaramus atque volumus.

Facultas extrahendi frumentum et quoscumque alios fructus et pecunias ex locis dictae militiae et hospitalis ad quaecumque fidelium loca, sine datio.

§ 55. Et insuper, quod praefati magister et conventus, priores, praeceptores aut quicumque alii ex dicti hospitalis fratribus, per quoscumque locorum aut terrarum dominos, tam spirituales quam temporales, etiam si regali dignitate praefulgeant, etiam in terris S. R. E., ab extractione frumenti, hordei, vini, olei, leguminum et quorumvis fructuum atque etiam pecuniarum, ex prioratibus, commendis, membris, domibus, grangiis aliisve praefati hospitalis locis provenientium, nullo umquam modo impediri possint quo minus praefata omnia, pro sua possessorum voluntate, in quaecumque fidelium loca ab omni pedagio, datio seu tracta, libera et exempta valeant asportare.

Exemptio etiam pro bonis

§ 56. Et bona, etiam patrimonialia, magistri, priorum, praeceptorum et fratrum

patrimonialibus post emissam professionem.

ac aliarum personarum huiusmodi, tam acquisita, quam in posterum acquirenda, aut illis quovis modo, etiam ex concessione apostolica vel magistrali, pertinentia, ex die emissae per eosdem priores et praeceptores, fratres et personas professionis, ut praefertur, ab omnibus decimis et aliis oneribus libera, immunia et exempta existant.

Iurisdictio M. magistri et conventus, seu eorum delegatorum inter personas dictae Religionis et militiae.

§ 57. Et quod quælibet querelae, quaestiones, lites, causae et controversiae, quas ex nunc inter fratres et subditos hospitalis et militiae S. Lazari, nunc praesentes et futuros, ex quibusvis occasionibus oriri et moveri contigerit, quovis modo, cum omnibus suis incidentibus, emergentibus, connexis, annexis, ac omnium cuiusvis appellationis (praeterquam in defectus aut denegatae iustitiae vel illati perperam contra stabilimenta et consuetudines dicti hospitalis gravaminis casibus) remoto obstaculo, per pro tempore existentem magistrum et conventum dicti hospitalis, seu illos ex fratribus, quibus ipsi magister et conventus id commiserint, etiam usque ad tertiam definitivam sententiam, inclusive audiantur.

Citati coram magistro et conventu, seu eorum delegatis, comparere teneantur.

§ 58. Necnon, iuxta laudabiles consuetudines et stabilimenta hospitalis huiusmodi et alias, prout iuris fuerit, debito fine decidantur. Omnesque et singuli priores et praeceptores, milites et fratres hospitalis praefati, postquam, de mandato seu auctoritate magistri seu conventus praefatorum, in quibusvis ex praedictis contra eos intentandis causis ad comparendum coram ipsis et commissariis per eos, ut praefertur, deputatis, in locis quantumcumque ab eodem hospitali remotis, citati fuerint, coram eisdem magistro, conventu et commissariis, prout contigerit, legitime comparere debeant et teneantur, iuri et iustitiæ, secundum stabilimenta, approbationes, usus et laudabiles consuetudines praefati hospitalis, parituri.

Milites et aliae personae Religionis prohibentur coram aliis litigare seu comparere pro iustitia, quam coram iudicibus Religionis.

§ 59. Quodque illi ex prioribus, praeceptoribus, fratribus et subditis praefatis, qui contra eorum aliquem, super quibusvis querelis, rebus vel negociis (præterquam in casibus præfatis), coram alio quam praefatis magistro et conventu ac per eos pro tempore datis commissariis in causam traxerint, et ad alium quam ad eosdem appellationes quascumque interposuerint, causas huiusmodi prorsus perdant, et excommunicationis sententiam incurrant, reque, super qua contenderint, privati existant eo ipso.

Potestas et iurisdictio M. magistri et conventus super personis et rebus iuxta stabilimenta.

§ 60. Necnon moderno et pro tempore existenti magistro et conventui hospitalis huiusmodi, iuxta illius stabilimenta et laudabiles consuetudines ac mores, in prioratus et praeceptorias, domos, hospitalia, membra, bona et loca quaecumque, necnon quoscumque priores, praeceptores, fratres et personas hospitalis et Religionis huiusmodi, ac illorum vassallos, subditos et servitores, ubicumque, tam citra quam ultra montes, nunc et pro tempore constitutos et commorantes, qui omnes magistro et subdelegatis ab eo firmiter, tam personaliter quam realiter, omni exceptione cessante, et quocumque a nobis vel Sede praedicta obtento vel obtinendo indulto non obstante, parere et obedire tenerentur, plenariam et omnimodam etiam meri et mixti imperii iurisdictionem et superioritatem.

Facultas M. magistri procedendi contra inobedientes et rebelles etiam per edictum publicum etiam ad privation. quorumcumque beneficiorum. per eos quomodolibet obtentorum.

§ 61. Ipsique magistro contra rebelles et suis mandatis non obedientes, etiam vigore literarum apostolicarum, etiam in forma brevis, a nobis et successoribus nostris pro tempore emanatarum, servatis quatuor terminis ad docendum se paruisse et satisfecisse in loco conventus hospitalis huiusmodi, post legitime executam primam citationem, ad mulctam sive poenam personaliter, iuxta mores et stabilimenta praedicta, seu etiam privationem habitus et beneficiorum, domorum et praediorum

per eos obtentorum procedendi; vel etiam, si magis expedire videbitur, beneficia, domos et praedia ipsa ad manus suas seu receptorum dicti hospitalis reducendi, et donec ipsi inobedientes contumaciam purgaverint vel debita onera persolverint, sive saeculares aut alterius Ordinis regulares beneficia dicti hospitalis possidentes fuerint, pro suo arbitrio retinendi, illorumque fructus, redditus et proventus arrendandi et percipiendi.

Avocatio quarumcumque causarum, et commissio magistro et conventui terminandi.

§ 62. Necnon causas praedictas, ac omnes et singulas lites et querelas, sive in Romana Curia, tam in auditorio nostro quam per commissiones, sive extra eam, super quibusvis dicti hospitalis beneficiis ac bonis et pecuniis aerarii et fratrum quorumcumque, seu super eorundem delictis, etiam si ex adverso aliqui clerici saeculares vel regulares aut laici extiterint, et active seu passive, alias iuxta formam stabilimentorum et privilegiorum praedictorum, in dictis causis quomodolibet, et in quacumque instantia intervenerint, hactenus motas, in quibus tamen non conclusum sit, et in futurum quovis praetextu movendas, in quibusvis instantiis pendentes, quarum status et merita etiam praesentibus haberi volumus pro expressis, ad nos advocamus, ac illas eisdem magistro et conventui, per eos vel ab eis deputatos, iuxta formam dictorum stabilimentorum et laudabilium consuetudinum praedictorum, in statu debito reassumendas et decidendas committimus; eosque, quorum intererit, citandi, et quoties opus fuerit, inhibendi, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, tam in Curia praedicta, quam extra eam, facultatem concedimus.

Facultas exequendi sententias et rem iudicatam.

§ 63. Necnon illorum sententias et rem indicatam per priorem ecclesiae dicti conventus, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, contra condemnatos, etiam in Curia praedicta, tam realiter quam personaliter, exequi mandamus, ita quod alibi quam in dicto hospitali, aut extra illud ex magistri et conventus commissione, iuxta stabilimenta et usus huiusmodi, cognosci et terminari nequeant.

Appellationes a sententiis delegatorum ad M. magistrum et conventum, et ab eis ad Capitulum generale iuxta formam stabiliment. devolvantur.

§ 64. Nec a sententiis per iudices dicti hospitalis pro tempore latis, ad alium quam magistrum et conventum praedictos seu iudices ab eis deputatos, in quavis instantia; neque a sententiis per ipsum magistrum et consilium latis, alio quam ad ipsum generale capitulum, sive per ipsius hospitalis fratres sive per ipsos subditos et vassallos quomodolibet appellari possit: quinimmo illi usque ad tertiam sententiam in eodem conventu procedere teneantur.

Expeditiones et executoriales M. Magistri et conventus exequantur absque alicuius licentia, quae a nemine impediri possint.

§ 65. Et similiter quod omnes sententiae per eosdem magistrum et conventum latae, omnes item commissiones et citationes, collationes et omnia denique eorumdem rescripta ad omnes suae iurisdictioni subditos ac reliquos etiam quorum intererit causas, lites seu querelas coram ipsis pertractari, directe exequi, et a nullis locorum et terrarum dominis, etiam ducali aut regali dignitate fulgentibus, aliqua ratione expectandi consensus, seu alio quovis quaesito colore, in eorumdem executione impediri possint, servato tamen in eis exequendis datae ordine. Ita quod eorum ultima primis anteferri nequeant.

Facultas procedendi contra clericos seu alios detinentes loca et bona dictae Religionis, seu non solventes debita communi aerario, prout contra personas dicti Ordinis.

§ 66. Ac quod contra clericos saeculares seu laicos, prioratus, praeceptorias, domos et alia beneficia hospitalis huiusmodi occupantes, seu illi aut eius communi aerario seu fratribus, occasione responsionum annuarum, vacantium, mortuariorum, annatarum, passagiorum, arreragiorum seu alias quomodolibet debentes, sive agant sive conveniantur, et in quavis instantia ad causam veniant, magister et conventus praefati, modo et forma, quibus contra ipsius hospitalis fratres procedi consueverit, libere procedere, et eos prioratibus, praeceptoriis, domibus et aliis be-

neficiis huiusmodi, alias iuxta formam privilegiorum praedictorum, privare valeant, concedimus et indulgemus.

Quaelibet personae in dignitate ecclesiastica constitutae possint eligi in conservat. cum facultatibus opportunis et necessariis;

§ 67. Necnon personas in dignitate ecclesiastica ubilibet constitutas et quoscumque locorum ordinarios, ac eorum vicarios et officiales, necnon canonicos metropolitanarum et aliarum cathedralium, aliarumque ecclesiarum praelatos et rectores, per eosdem priores, praeceptores et fratres, ac eorum singulos pro tempore eligendos in eorum conservatores, qui, quamdiu exercuerint dictum officium, a nemine, quo minus illud exerceant, sub aliquo praetextu impediri vel molestari possint, deputamus: ita quod ipsi electi, sub excommunicationis latae sententiae poena, eosdem priores, praeceptores et fratres ac eorum singulos adversus inferentes eis aut eorum servitoribus et familiaribus iniurias seu gravamina vel damna in personis, rebus et bonis, seu exigentes ab eis vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas aut alia onera, defendere et praeservare; ac omnem eorum iurisdictionem exercere, necnon sententias, censuras et poenas ecclesiasticas contra rebelles et inobedientes cum effectu promulgare; ac omnibus facultatibus, conservatoribus dicti hospitalis et illius personarum per quascumque literas apostolicas quomodolibet concessis, uti; ac privilegia prioribus, praeceptoribus et fratribus praefatis pro tempore concessa, eis observari facere debeant et teneantur.

Et iura mortuariorum et vacantium solvi debent sub poenis *etc.*

§ 68. Ac iura mortuariorum et vacantium, necnon arreragiorum, passagiorum et aliorum quorumcumque, ita ut quaevis personae, cuiuscumque ecclesiasticae dignitatis existentes, beneficia hospitalis huiusmodi pro tempore obtinentes, illa solvere omnino teneantur et adstricti sint; ac ad id, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac alias iuxta eorumdem privilegia, privationis et apprehensionis beneficiorum ad manus suas remediis cogi possint, solvi mandamus.

Facultas sumendi ordines a quovis antistite, etiam extra tempora, et celebrandi in quibusvis ecclesiis.

§ 69. Necnon exemptionem et liberationem praefatas, ita quod magister, priores, praeceptores et dicti hospitalis fratres, cappellani a quocumque catholico antistite sub Romanae Sedis obedientia constituto sacros ordines, etiam extra tempora a iure statuta, tribus diebus festivis suscipere, et in quibusvis tam saecularium quam regularium ecclesiis, absque alicuius licentia, celebrare possint.

M. magister, conventus, priores et praeceptores intra limites suarum iurisdiction. veri ordinarii sunt.

§ 70. Et ipsi magister et conventus, necnon prior ecclesiae, aliique priores et praeceptores intra limites suarum iurisdictionum et administrationum veri ordinarii, iuxta formam stabilimentorum et privilegiorum praedictorum, existant et esse censeantur.

Magister et conventus quoscumque delinquentes ubique incarcerare et ad locum conventus vel alium transmitt. possint;

§ 71. Necnon magistrum et conventum quoscumque et singulos priores ac commendatores suorum prioratuum et commendarum fratres seu religiosos delinquentes vel inobedientes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, praeeminentiae existentes, etiam si quavis, etiam apostolica, exemptione fungantur, in quocumque loco, quantumvis privilegiato, et quavis, etiam imperatoris, regum seu aliorum principum, etiam ecclesiasticorum, curia, per se aut suos officiales et ministros, capere et incarcerare, ac captos a se vel eorum nomine liberare, et ad hospitale praefatum per magistrum et conventum praefatos, iuxta eorum constitutiones et stabilimenta, puniendos sub debita custodia transmittere et transmitti facere, libere et licite posse.

Officiales quicumque teneantur praestare auxilium pro capiendis et transmittendis delinquentibus.

§ 72. Ac tam ecclesiasticos, quam saeculares officiales et locorum potestates ad eisdem magistro et conventui, prioribus, commendatoribus aliisque in praemissis assistendum, auxilium, consilium, favorem et iuvamen praestandum, sub excommunicationis et aliis censuris et poenis ecclesiasticis, teneri et obligatos fore.

Annullatio reservationum, unionum ac aliarum gratiarum praeventivarum, quomodol. concessarum super locis dictae Religionis, et facultas providendi de illis per magnum magistrum.

§ 73. Ac omnes et singulas, speciales et generales, etiam mentales, reservationes, expectativas, mandata de providendo, coadiutorias, concessiones, uniones, etiam perpetuas, necnon alias praeventivas gratias et literas apostolicas super prioratibus, praeceptoriis, rectoriis, domibus, locis et membris ac aliis beneficiis ecclesiasticis dicti hospitalis, quovis modo nuncupentur, etiam in Angliae, Castellae, Legionis ac Valentiae regnis ac principatu Cathaloniae et comitatu Flandriae, quomodocumque et qualitercumque, etiam cum quibusvis fortissimis et insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis ac inhibitionibus quibusvis, etiam non dicti hospitalis, personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis vel praeeminentiae fuerint, etiam cardinalatus honore fungentibus et functuris, etiam ex quibusvis iustissimis et urgentissimis causis, etiam per nos et Sedem praefatam, tam in genere quam in specie, concessas et concessa, et quasvis etiam praeventivas et restitutorias ac praeservativas clausulas in se continentes et continentia, eorum vim et effectum revocamus, cassamus et annullamus, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac nemini suffragari posse neque debere, nec per eas cuiquam in prioratibus, praeceptoriis, dignitatibus, domibus, locis et membris ac aliis beneficiis hospitalis huiusmodi, vel ad illa ius acquiri potuisse vel posse, neque coloratum titulum possidendi tribuere, sed, illis non obstantibus, magistrum et conventum praefatos, coniunctim vel divisim, iuxta consuetudines et stabilimenta huiusmodi hospitalis, de prioratibus, praeceptoriis, domibus, locis et membris ac aliis hospitalis beneficiis huiusmodi libere disponere potuisse et posse, et sic iudicari debere; ac quicquid secus super his attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Alia cassatio similiter quarumcumque expectativarum, reservationum, antianitatum, concession. *etc.* etiam ex causa onerosa, sine consensu magistri et conventus.

§ 74. Ac omnes et singulas expectativas, reservationes, antianitates, mandata de providendo, concessiones, coadiutorias sine consensu, et omnes alias gratias et literas super prioratibus, praeceptoriis ac quibusvis aliis beneficiis dicti hospitalis, quomodocumque et qualitercumque (absque magistri et conventus praefatorum consensu), quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, etiam cardinalatus honore fungentibus, ex quibusvis causis, etiam onerosis, hucusque concessas et concessa, etiam quasvis clausulas illarum ab huiusmodi revocationibus praeservativas in se continentes et continentia, similibus scientia et potestatis plenitudine, pro revocatis, cassatis et annullatis, huius perpetuo valiturae constitutionis edicto, per praesentes decernimus et ordinamus.

Cassatio et revocatio quarumcumque collationum, provisionum, unionum, annexionum, incorporationum ac aliarum concessionum et dispositionum hucusque factarum, etiam si vere sortitae sint effectum, et in futurum fieudarum.

§ 75. Necnon omnes et singulas collationes, provisiones, uniones, annexiones et incorporationes ac quascumque alias concessiones et dispositiones de praeceptoriis, cameris magistralibus pro tempore nuncupatis, seu illarum fructibus, redditibus et proventibus, quibusvis personis, cuiuscumque status, ordinis vel conditionis extiterint, quavis consideratione et sub quacumque verborum forma ac cum quibusvis clausulis derogatoriis, etiam motu et scientia similibus, ac cum expressa derogatione iurium magistri dicti hospitalis seu annuae responsionis illi faciendae, hucusque auctoritate apostolica factas, nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse decernimus. Et quatenus viribus subsistere dicerentur, revocamus, cassamus, irritamus, ac illas et quas in futurum, etiam cum expressa derogatione literarum nostrarum huiusmodi, fieri contigerit, pro infectis haberi volumus.

Monitorium adversus occupantes et non restituentes loca et bona Religionis infra duos menses.

§ 76. Monentes et requirentes omnes et singulos earumdem camerarum magistralium et seu locorum detentores seu possessores, qui nunc sunt aut pro tempore erunt, praetextu concessionum, provisionum et dispositionum quarumlibet, quae ab alio quam pro tempore existente magistro dicti hospitalis hactenus emanaverint et in futurum emanabunt, etiam a dicta Sede, ut, infra duorum mensium terminum, camerarum et locorum per eos pro tempore detentorum seu possessorum huiusmodi possessionem vacuam, liberam et expeditam magistro dicti hospitalis aut illius legitimo procuratori tradant et assignent. Alioquin ex nunc, prout ex tunc, in omnes et singulos, qui non paruerint, seu aliis ut non pareant suaserint, aut alias auxilium, consilium vel favorem praestiterint, excommunicationis sententiam promulgamus, et eos in illas incidisse declaramus, a qua, nisi in mortis periculo constituti, ab alio quam a Romano Pontifice pro tempore existente absolutionis beneficium obtinere nequeant. Et, praeter sententiam excommunicationis huiusmodi, si dicti hospitalis fratres fuerint, et excommunicationis sententiam huiusmodi per mensem animo substinuerint indurato, prioratibus, praeceptoriis et officiis praefati hospitalis per eos tunc obtentis eo ipso privati, et inhabiles ad illa et alia in posterum obtinenda existant.

Magnus magister et conventus possint disponere de bonis vacantibus per privationem.

§ 77. Possitque per magistrum et conventum praefatos de illis sic vacantibus per privationem huiusmodi libere disponi.

Facultas magni magistri apprehendendi, propria auctoritate, possessionem bonorum, per alios occupatorum.

§ 78. Liceat quoque magistro pro tempore existenti hospitalis huiusmodi, dicto termino decurso, per se vel procuratores suos possessionem camerarum et locorum eorumdem propria auctoritate libere apprehendere, ac illorum fructus, redditus et proventus percipere, ac in suos et eius magistralis mensae usus et utilitatem convertere et retinere, cuiusvis licentia super eo minime requisita.

Loca huius Religionis non comprehendantur sub reservationibus apostolicis, sed sint manualia;

§ 79. Praeterea similiter perpetuo statuimus et ordinamus quod ex nunc de cetero, perpetuis futuris temporibus, prioratus, praeceptoriae et membra quaecumque dicti hospitalis, quae pro tempore qualitercumque vacaverint, tam in Romana Curia quam extra eam, sub quibusvis generalibus vel specialibus reservationibus apostolicis factis et quas fieri contigerit de beneficiis ecclesiasticis, etiam apud Sedem praefatam pro tempore vacantibus, utpote ad hospitalem [1] et fidei tuitionem ordinata, nullatenus includantur, nec reservata vel affecta existant, sed hospitalium pauperum, quae sub reservationibus ipsis non includuntur, quoad id, sortiantur naturam.

Loca huius Religionis per M magistrum et convent dumtaxat, et non alios, conferri debeant personis dict e Religionis.

§ 80. Debeatque de illis per pro tempore existentem magistrum et conventum praefatos dumtaxat et non alium, iuxta stabilimenta praefata, fratribus dicti hospitalis provideri; et quas fieri contigerit per nos aut successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac dictam Sedem vel eius aut alia quacumque auctoritate de illis reservationes, provisiones, collationes, commendas, uniones et quascumque alias similes vel dissimiles dispositiones.

Exemptiones concessae prioribus et militibus non suffragentur adversus debita per ipsos communi aerario dicti hospitalis, et obedientiam magni magistri et conventus.

§ 81. Et exemptiones priorum, praeceptorum et fratrum a magistri et conventus praefatorum obedientia et superioritate, aut debitis per eos praefato aerario responsionibus annuis et aliis iuribus, quacumque ratione vel causa, etiam motu, scientia ac potestatis plenitudine similibus, etiam cum expressa derogatione posteriorum literarum quarumcumque, quae etiam per nos in contrarium fortasse fieri contigerit, nullius penitus sint roboris vel momenti et habeantur prorsus pro infectis.

§ 82. Nec censeatur statuto huiusmodi

[1] *Hospitalitatem*, Cherub. (R. T.).

Praesentibus literis non censeatur derogatum nisi modis et formis hic expressis.

umquam derogatum per quascumque clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores et efficaciores, nisi dum et quoties ipsarum posteriorum literarum de verbo ad verbum, vere et non per clausulas id importantes, inserto tenore, de ipsorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, derogari contigerit, nec etiam tunc, nisi ad id magistri et conventus praefatorum expressus accedat assensus, et non aliter nec alio modo.

Clausula de consensu magni magistri et conventus semper subintelligatur.

§ 83. Et semper in huiusmodi, quae sic fient de consilio praefato, derogationibus censeatur apposita clausula quod effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praefatorum, et non aliter nec alio modo.

Prohibitio dispositionis locorum dictae Religionis, nisi de consensu M. magistri et conventus.

§ 84. Decernentes collationes, provisiones, commendas, uniones, reservationes [1] et alias dispositiones quaslibet, quas per alium quam magistrum et conventum praefatos de eisdem prioratibus, praeceptoriis et membris, etiam apud Sedem ipsam pro tempore, per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem vacantibus, fieri contigerit, etiam si per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem fient, et illis, quibus sic fient, nullum ius nullumque coloratum titulum tribuere possidendi. Et eos, quoad omnes effectus, etiam constitutionis nostrae de triennali possessore non molestando, pro meris detentoribus sine titulo haberi et reputari.

Rescissio contractuum et aliarum alienationum, donationum, occupationum in damnum Religionis factarum.

§ 85. Ac quascumque donationes, concessiones, locationes, investituras et alias alienationes censuum, redditiuum, iurium, iurisdictionum et locorum quorumcumque ad prioratus, praeceptorias, domos, hospitalia, beneficia et loca hospitalis huiusmodi pertinentium, in illorum laesionem, iacturam vel detrimentum, et per personas dictae Religionis, etiam cum renunciationibus, pactis, iuramentis et poenis desuper appositis et adiectis, ac instrumentis et literis desuper confectis, et confirmationibus forsan inde secutis, etiam de licentia dictae Sedis, absque tamen consensu seu expressa licentia magistri et conventus praefatorum, quacumque praescriptione seu longissima, pacifica possessione et detentione non obstantibus.

1 *Reformationes*, Cherub. (R. T.).

Cassatio et extinctio accessuum, progressuum *etc.*, praeterquam ex causa onerosa et de consensu magni magistri concessorum.

§ 86. Necnon quoscumque accessus, ingressus et regressus, ac coadiutorias ad prioratus, praeceptorias, domos, hospitalia et alia beneficia hospitalis huiusmodi (praeterquam ex causa onerosa et de consensu dictorum magistri et conventus), etiam per nos et praedecessores nostros praefatos concessos, similiter cassamus, revocamus et annullamus ac irritamus, nulliusque roboris vel momenti fore et pro infectis haberi decernimus.

Loca et bona ac iura quaecumque occupata et usurpata reducuntur ad ius et proprietatem dicti hospitalis, ac eius membrorum per censuras et poenas ecclesiasticas.

§ 87. Ac census, redditus, iura, iurisdictionem et bona alienata huiusmodi, ac etiam per quoscumque, etiam saeculares, occupata, usurpata et detenta, ad ius et proprietatem dicti hospitalis seu illius prioratuum, praeceptoriarum, domorum, hospitalium et beneficiorum praedictorum reducimus. Illaque in integrum adversus concessiones, donationes et alias quaslibet alienationes praedictas, necnon investituras, illarum praetextu quomodolibet, quavis auctoritate factas et concessas, in integrum ac pristinum et eum statum, in quo antea erant, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, illarumque detentores, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentes, ad illorum relationem [1] per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia cogi et compelli posse volumus.

Prohibitio alienationum in futurum fiendarum.

§ 88. Et similiter alienationes de cetero, sub excommunicationis latae sententiae et privationis beneficiorum per eos obtentorum poenis, per contrafacientes eo ipso, absque aliqua declaratione, incurrendis, fieri prohibemus; et, si fiant, illas viribus omnino carere decernimus.

1 *Relaxationem*, Cherub. (R. T.).

§ 89. Et quod hospitalia, leprosariae, cappellae, oratoria, beneficia et alia pia loca huiusmodi, etiam in alma Urbe et aliis quibuscumque terris, dominiis et locis sub dicti Sancti Lazari invocatione fundata, constructa, aedificata et erecta, et quae in posterum, perpetuis futuris temporibus, fundari, construi, aedificari et erigi contigerit, cum eorum applicationibus, unionibus, annexionibus et incorporationibus factis et deinde faciendis, ad magistrum et conventum ac Religionem huiusmodi spectent et pertineant, illisque subiiciantur et subiecta existant, et a dicto hospitali dependeant.

Concessio et incorporat. hospitalium et locorum quorumcumque sub invocatione Sancti Lazari constructorum et aedificatorum.

§ 90. Illaque per eiusdem Religionis fratres et religiosos, non autem per alias ecclesiasticas et saeculares, etiam oppidorum, locorum, villarum et communitatum, personas, nisi de magni magistri et conventus praefatorum expresso consensu, regi et gubernari debeant.

Inhabilitas omnium, praeterquam milit. dictae Religionis ad obtinenda hospitalia et beneficia sub invocatione S. Lazari constructa.

§ 91. Et in signum recognitionis et superioritatis huiusmodi, de aliquo annuo rationabili canone seu censu, per eosdem magistrum et conventum et definitores generalis concilii huiusmodi imponendo et eis singulis annis persolvendo, respondere debeant et teneantur. Ac in eventum rebellionis aut non subiectionis ac responsionis, singulares communitatum et aliae personae huiusmodi maioris excommunicationis sententia per nos et successores nostros praefatos innodatae, earumque ecclesiae interdictae sint et esse censeantur, nec ab huiusmodi maiori excommunicatione per nos aut successores praefatos absolvi, aut interdicta ipsa relaxari possint, nisi ad id magistri et conventus praefatorum expressus per eorum patentes literas accedat assensus.

Facultas imponen. annuum obsidium

§ 92. Liceatque Ioannotto et pro tempore existenti magistro et conventui, necnon praeceptoribus et prioribus huiusmodi beneficia, oratoria, hospitalia et alia loca, sub nomine Sancti Lazari pro tempore, etiam in Urbe et Curia praefatis, fundata et dotata, quae eidem Ioannotto et pro tempore existenti magistro et conventui ac praeceptoribus huiusmodi obedire seu subiici aut annuam responsionem solvere recusare contigerit, solo aequare et demoliri, et imagines a parietibus delere, seu per easdem communitates et alias personas ecclesiasticas et saeculares solo aequari et demoliri, ac imagines huiusmodi deleri, sub excommunicationis latae sententiae, interdicti ac aliis censuris et poenis, etiam cum invocatione auxilii brachii saecularis, facere.

Et demolendi loca quaecumque sub invocatione Sancti Lazari pro quibus obedientia recusabitur.

§ 93. Quodque omnia et singula alia hospitalia, praeceptoriae, leprosariae, membra et pia loca dicti Ordinis, sub vocabulo Sancti Lazari intitulata, etiamsi non sint possessa vel recepta per magistrum, conventum aut fratres praefatos, nihilominus ab ipso hospitali Sancti Lazari dependere, nullique alii monasterio, praeceptoriae sive alii pio loco, praeterquam dicto hospitali, etiam si longaeva consuetudo aut submissio aliqua repugnarent, pleno iure subesse, auctoritate et tenore praemissis, decernimus pariter et declaramus.

Alia concessio locorum et beneficiorum sub invocatione S. Lazari intitulatorum, etiamsi non sint possessa per magistrum et fratres praedictos, et non obstante consuetud. aut submiss. contraria.

§ 94. Statuentes ac etiam decernentes quod ipsius Ordinis hospitalia, praeceptoriae, leprosariae, membra et loca, nulli, cuiuscumque dignitatis, status, gradus vel conditionis fuerit, praeterquam ipsius hospitalis fratribus et Ordinem ipsum expresse professis, eis tamen pro solo nutu dicti magistri et conventus existentis, et pro tempore ad claustrum, quoties expedierit, revocandis, in titulum vel commendam conferri valeant sive possint.

Alia inhabilitas ad obtinenda loca dictae Religionis, praeterquam a fratribus eiusdem Ordinis professis.

§ 95. Quinimmo presbyteri saeculares illa ad praesens in commendam seu alias quomodolibet obtinentes, commendae huiusmodi cedere aut illa alias dimittere nequeant, nisi de consensu eorum ad

Presbyteri seculares obtinentes beneficia dicti Ordinis illis cedere non possint, nisi de consensu etc.

quos praesentatio seu collatio spectat, et in favorem dicti hospitalis seu personarum, quae habitum per fratres cappellanos eiusdem hospitalis deferri solitum suscipiant, et professionem per eos emitti solitam emittant; nec illa deinceps ipsi, nisi infra sex menses a die intimationis habitum ipsius Religionis susceperint et regularem professionem infra alios sex menses emiserint, possidere possint.

Cessiones et provisiones de beneficiis sine clausula *et de consensu magni magistri*, nullius sint roboris.

§ 96. Et si secus fiat, aut cessionem seu resignationem huiusmodi ac de dicti Ordinis beneficiis, etiam in manibus nostris, in futurum fieri contingat, huiusmodi cessiones, resignationes et provisiones nullius sint roboris vel momenti, nisi in illis expresse dicatur *et de consensu magni magistri*, et de illis, iuxta formam privilegiorum dictae Religionis, provideatur.

Revocatio iurispatron., nisi ex fundatione vel dotatione.

§ 97. Et insuper statuimus et ordinamus quod ius patronatus et praesentandi personas idoneas ad prioratus, praeceptorias, hospitalia, membra, alia beneficia et loca hospitalis huiusmodi, nisi ratione fundationis aut dotationis saltem ad tertiam partem illorum fructuum, quo casu liceat magistro et conventui praefatis, si dicta eorum beneficia et loca hospitalis huiusmodi a dicto iure patronatus liberare voluerint, aut dotantibus bona restituere seu illorum pretium persolvere, ac ex nunc prioratus, praeceptorias, hospitalia, membra et beneficia huiusmodi conferre.

Prohibitio reservandi pensiones super beneficiis dicti hospitalis nisi in favorem fratrum

§ 98. Et quod nulla pensio annua super alicuius praeceptoriae, commendae vel alterius beneficii militiae huiusmodi fructibus, etiam ex resignatione in manibus Romani Pontificis aut alia quavis probabili causa, nisi in persona [1] personae dictae Religionis et militiae, etiam per ipsum Pontificem, reservari; neque commendae et alia beneficia dictae Religionis pensionibus huiusmodi, aliter quam ut praefertur, onerari possint. Et si pensiones desuper aliter assignari contingat, assignationes ipsae nullius sint roboris vel momenti, nec titulares beneficiorum huiusmodi ad illarum solutiones teneantur, neque ad id censuris ecclesiasticis aliisve poenis compelli possint.

Obtinentes beneficia et pensiones cedant in manibus M magistri infra sex menses, vel habitum suscipiant et professionem emittant.

§ 99. Quodque omnes et singuli eorum prioratuum, praeceptoriarum, domorum et beneficiorum, in vim dictarum collationum, possessores, sæculares aut alterius Ordinis regulares, seu pensiones super illorum fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi hucusque, etiam per Sedem eamdem reservata, percipientes, illas et illa, infra sex menses a die intimationis praesentium literarum, in manibus magistri et conventus praefatorum, iuxta formam stabilimentorum dictae Religionis, dimittere, transferre seu illarum cassationi consentire teneantur, alioquin beneficia et pensiones huiusmodi, nisi illa possidentes et illas percipientes infra dictum tempus habitum susceperint et professionem regularem illius Religionis emiserint, lapsis mensibus ipsis, vacent, ac cassae et extinctae sint et esse censeantur eo ipso.

Ad parochiale et alias ecclesias dicti Ordinis deputari possint fratres cappellani, non obstante quod per abusum aut alias, etiam per longissimum tempus, presbyteris sæcularibus fuerint collatae, aut conferri consuetae.

§ 100. Et magistro singulisque prioribus, praeceptoribus, militibus et fratribus hospitalis huiusmodi, ut, pro eorum libito voluntatis, parochiales, ac etiam sine cura ecclesias vel earum vicarias seu cappellanias perpetuas aut cappellas vel altaria seu alia beneficia simplicia, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem, ratione prioratuum, præceptoriarum, etiam camerarum magistralium nuncupatarum, domorum et aliorum beneficiorum dicti hospitalis per eos pro tempore obtentorum, de iure, statuto, consuetudine, fundatione aut privilegio seu alias quomodolibet spectantia et pertinentia, et ab ipsis prioratibus, praeceptoriis, domibus, hospitalibus et aliis beneficiis dependen-

1 Bull. Ord. Ss. Mauritii et Laz. addit *aut* (R. T.).

tia seu illis annexa, et quae dudum forsan fratribus saltem cappellanis eiusdem hospitalis, et ab eisdem magistro, prioribus et praeceptoribus et aliis praefatis conferebantur, et longo tamen et forsan longissimo tempore citra, de cuius initio memoria hominum forsan non existit, per ipsos magistrum, priores, praeceptores, milites et fratres, per abusum aut ex defectu fratrum cappellanorum vel aliarum personarum eiusdem hospitalis ad id idoneorum, clericis seu presbyteris saecularibus collata, aut conferri, et per ipsos presbyteros vel clericos saeculares obtineri solita, etiam fratribus hospitalis huiusmodi.

Fratres cappellani a presbyteris saecularibus non differunt nisi per gestation. crucis ad pectus.

§ 101. Praesertim cappellanis nuncupatis, qui a saecularibus presbyteris seu clericis, nisi quoad gestationem crucis vel habitus dicti hospitalis ad pectus, non differunt, si ad id alias idonei et habiles reperiantur, conferre, ac alias de illis providere et disponere. Ipsique fratres, quibus beneficia huiusmodi conferri contigerit, illa, si sibi canonice alias conferantur aut eligantur, presententur vel alias assumantur ad illa, et instituantur in eis, recipere, et in titulum, etiam quoad vixerint, retinere.

Presbyteri milites unum curatum beneficium ecclesiasticum a dicto Ordine dependens, etiam si parochiale existat, retinere possint.

§ 102. Et tam magister quam singuli presbyteri, milites eiusdem Religionis et militiae, unum curatum beneficium ecclesiasticum a dicta militia et Religione dependens, seu illis unitum et incorporatum, etiamsi parochialis ecclesia vel eius perpetua vicaria fuerit, si ad hoc sufficientes et idonei fuerint, et beneficium huiusmodi alias sibi canonice conferatur, recipere et retinere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedicti., de specialis dono gratiae, indulgemus, secumque pariter dispensamus.

Res iudicata super iurisdictione et civili possess. praefata non praeiudicet, nisi vocato magistro generali.

§ 103. Et per quamcumque rem iudicatam magistro et conventui praefatis, nisi specialiter ad causam vocati fuerint, super iurisdictione praedicta et sua civili eorum possessione praeiudicari aut praeiudicatum censeri non posse, sed eos semper, re iudicata huiusmodi non obstante, super possessorio huiusmodi ac etiam spolio agere posse.

Milites et aliae personae hospitalis, in eius et Religionis causis in testes recipi possint, aliis deficient. probationibus.

§ 104. Ipsosque magistrum, priores, praeceptores, milites, fratres et personas, vassallos, subditos et servitores in ipsius hospitalis et religiosorum causis in omni iudicio et contra quoscumque, ubi aliae probationes non existunt, in testes adhiberi.

Ecclesiis dicti Ordinis nonnisi per cappellanos eiusdem deserviatur, qui praesentati, ab ordinariis, absque alia examinatione, admittantur.

§ 105. Et quod presbyteri, qui in dicta Religione professionem non emiserint, nisi de expressa licentia vel consensu magistri seu priorum, praeceptorum vel fratrum, quos id tangeret, ad deserviend. parochialibus et aliis ecclesiis aut cappellis ipsius Religionis nullatenus admittantur, sed in quibuscumque parochialibus et aliis ecclesiis ac cappellis hospitalis huiusmodi cappellani eiusdem Religionis per locorum ordinarios, sub eadem excommunicationis latae sententiae poena, si contrafecerint, eo effectu incurrenda, ad requisitionem seu praesentationem dictorum priorum, praeceptorum et fratrum. absque aliqua exactione et oneris impositione, recipi et admitti debeant.

Privilegiis dumtaxat gaudeant, qui habitum susceperint.

§ 106. Quodque illi dumtaxat privilegiis praesentibus gaudeant, qui a praefato magistro seu de eius licentia habitum susceperint et professionem emiserint, seu de habitu suscipiendo et professione huiusmodi emittenda infra certum tempus arctati fuerint.

Vagabundi non gaudeant privilegiis.

§ 107. Nullusque priorum, praeceptorum et fratrum praefatorum, absque mandato seu licentia praefati magistri, aut saltem sui prioris seu procuratoris ipsius hospitalis in dicta Curia existentis, privilegiis praedictis in eadem Curia uti valeat, nec illa, absque huiusmodi licentia, vagantibus suffragentur.

Non iniiciantur manus violentae in confugientes ad ecclesias dicti Ordinis.

§ 108. Ac manus violentas in eos, qui ad ecclesias seu domos eiusdem Religionis pro sua salute confugerint per quempiam iniici, sub excommunicationis latae sententiae poena, prohibemus.

Iura mortuariorum et arreragiorum et vacantium solvi et exigi debeant quacumque exceptione non obstante.

§ 109. Ac iura mortuariorum et vacantium, necnon arreragiorum, passagiorum ac aliorum quorumcumque, ita ut quaevis personae, cuiuscumque ecclesiasticae dignitatis existentes, beneficia hospitalis huiusmodi pro tempore obtinentes, illa solvere omnino teneantur et adstricti sint, ac ad id, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac alias, iuxta eorumdem privilegia, privationis et apprehensionis beneficiorum ad manus suas remediis cogi possint.

Facultas deputandi vicarium, cum facultate conferendi beneficia, concedendi antianitates et exigendi responsiones

§ 110. Ac Ioannotto et pro tempore existenti magistro et conventui praefatis, ut in singulis prioratibus ipsius hospitalis unum vicarium, cum facultate conferendi praeceptorias et alias domos hospitalis huiusmodi, deputare; antianitates, tam speciales quam generales, dare et concedere; ac pensiones seu responsiones et onera super domibus, praeceptoriis, leprosariis et aliis beneficiis hospitalis huiusmodi imponi solita, a quibuscumque, etiam clericis saecularibus, illa in commendam obtinentibus, eorumque colonis et inquilinis, etiam laicis, eo modo quo a fratribus dicti hospitalis exigentur, exigere.

Dispensandique super aetate et defectu natalium. Credatur literis magistri et conventus ut hic.

§ 111. Et cum inhabilibus ratione aetatis et defectus natalium, quoad prioratus, praeceptorias et alia beneficia dicti hospitalis dumtaxat, dispensare possint. Ac quod verbis in ipsorum magistri et conventus literis circa professionis emissionem, habitus susceptionem, debitorum et obsequiorum praestationem plena fides adhibeatur, facultatem concedimus.

Literae antianitatis et provisionis magistri et conventus eo ipso confirmatae censeantur.

§ 112. Et quod quaecumque literae antianitatis seu provisionis a magistro pro tempore existente et conventu praefatis hucusque concessae, et in posterum concedendae, eo ipso apostolica auctoritate confirmatae et approbatae censeantur.

Devolutio ad Sedem Apostol non datur.

§ 113. Et quod provisiones beneficiorum quorumcumque dicti hospitalis, quae per cessationem solutionis praefato hospitali vel inobedientiam dumtaxat vacaverint, nunquam ad nos et Sedem praefatam devolvi censeantur, quo ad hoc ut dictus magister pro tempore existens impediatur quo minus illa quandocumque libere conferre possit.

Facultas deputandi procuratorem generalem in Rom. Curia cum facultate conferendi beneficia

§ 114. Ac in Romana Curia procuratorem generalem, cum generali vel speciali aut limitata potestate et facultate, constituendi seu deputandi; et in eadem Curia, per se seu dictum procuratorem ad id potestatem a magistro et conventu praefatis habentem, quaecumque eiusdem hospitalis beneficia, cuiuscumque qualitatis existentia, apud Sedem praefatam quomodolibet, praeterquam per resignationem in manibus nostris et successorum nostrorum Romanorum Pontificum, pro tempore vacantia, iuxta ipsius hospitalis et militiae stabilimenta, libere conferendi.

Facultas conferendi beneficia etiam reservata, affecta vel devoluta, etiam in titulum perpetui beneficii, vel ad nutum aut amovibiliter;

§ 115. Et tam magistro quam conventui praefatis, etiam de illis, de quibus hucusque dispositum fuerit, de novo ac aliis beneficiis huiusmodi, etiam tamquam privatis praediis, in titulum perpetui beneficii ecclesiastici seu etiam ad nutum aut amovibiliter, uni vel diversis personis assignari solitis, etiam dictae Sedi reservatis, seu alias affectis, aut ad Sedem ipsam devolutis, libere providendi.

Uniendique et dismembran et concedendi antianitates;

§ 116. Et illa uniendi, dismembrandi et alias de illis disponendi. Necnon antianitates, tam generales quam speciales, super eisdem beneficiis fratribus eiusdem hospitalis concedendi.

Admittendi resignation, ac reservandi titulum, etc.

§ 117. Ac resignationes dictorum beneficiorum recipiendi et admittendi, illaque resignantibus titulum seu dominationem ac omnes illorum fructus, seu illorum partem aut super illis quascumque pen-

siones annuas, quae etiam transeant ad successores in eis, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, etiam privationis in talibus apponi solitis, ad vitam vel ad tempus reservandi, concedendi, instituendi et assignandi.

Facultas publicandi indulgentias et colligendi eleemosynas;

§ 118. Ipsique magistro et conventui privilegia, exemptiones et indulgentias, eis et dicto hospitali concessa, ubique locorum, etiam absque alicuius ordinarii licentia, sub sigillo tamen prioris illius provinciae vel conservatoris in ea degentis, publicandi, et seu eleemosynas et fraternitatum obventiones colligendi et recipiendi.

Sepeliendi in eorum parochialibus etiam excommunicat. et interdic., dummodo *etc.*;

§ 119. Necnon coemeteria in eorum parochialibus ecclesiis habendi, et quorumcumque christifidelium cadavera, etiamsi excommunicati ac interdicti forent (dummodo interdicto causam non dederint), salvo iure rectori parochiano debito, absque aliquo onere et solutione episcopo facienda, recipiendi et sepeliendi.

Exigendi donata et legata;

§ 120. Legata et donata, tam inter vivos quam qualibet ultima voluntate, exigendi et percipiendi.

Sacramenta et ordines a quocumque recipiendi;

§ 121. Necnon prioribus et praeceptoribus, militibus, fratribus et personis praefatis quaecumque ecclesiastica sacramenta ac omnes, etiam sacros, ordines, a quocumque maluerint catholico antistite, gratiam et communionem dictae Sedis habente, nihil oblato vel soluto, recipiendi.

Arma deferendi;

§ 122. Et tam ipsis quam eorum familiaribus arma quaecumque et ubicumque locorum, pro sui defensione et hostium dictae Sedis offensione, gestandi.

Audiendi confessiones, ministrandi sacramenta, ac celebrandi off. divina pro fratribus cappellanis, etiam tempore interdicti;

§ 123. Necnon cappellanis eiusdem hospitalis, priorum, praeceptorum, militum, fratrum, personarum, vassallorum, subditorum et familiarium praefatorum confessiones audiendi, et poenitentiam salutarem eis iniungendi, ac Eucharistiae et alia sacramenta ecclesiastica ministrandi. Necnon tempore interdicti (dummodo illi causam non dederint), excommunicatis et interdictis exclusis, clausis ianuis, submissa voce, missas et alia divina officia celebrandi.

Erigendi praeceptorias *etc.*, absque licentia ordinarior. locorum, quae gaudeant privilegiis.

§ 124. Necnon quibusvis christifidelibus, in quibusvis civitatibus, locis, dioecesibus, praeceptorias et domos et hospitalia sub dependentia et subiectione dicti hospitalis et militiae, per eius fratres et milites obtinenda, quae iisdem privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, concessionibus et indultis, quibus aliae dicti hospitalis praeceptoriae, domus et hospitalia utentur, fruentur et gaudebunt, utantur, potiantur et gaudeant, assignata illis congrua dote, ordinariorum locorum et quorumvis aliorum licentia minime requisita, et nulla praeterea in illis ordinariis ipsis iurisdictione aut oneris imponendi facultate reservata, construi et erigi faciendi, plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus.

Facultas communicandi indulgentias et alias gratias personis quibusvis dicti hospitalis et ecclesiis ab eo dependentibus ac confraternitatibus eiusdem;

§ 125. Et insuper dictis Ioannotto et pro tempore existenti magistro et conventui omnia et singula privilegia, facultates, indulgentias, gratias, immunitates, exemptiones, libertates, concessiones, indulta praesentia quibusvis prioratibus, ecclesiis, cappellis, hospitalibus, leprosariis, oratoriis, eremitoriis ac eiusdem S. Lazari confraternitatum confratribus, membris et aliis locis ab eisdem hospitali et militia dependentibus, ac ministris et servientibus in eisdem communicandi, dandi et concedendi, ac easdem facultates impartiendi.

Hospitalia *etc.* erigendi.

§ 126. Necnon quascumque confraternitates et ecclesias, oratoria, hospitalia, leprosarias, cappellas, cappellanias, altaria et alia beneficia ecclesiastica, ubivis locorum, sub invocatione S. Lazari, cum reservatione annui census, ad eorum beneplacitum, in membrum hospitalis et militiae S. Lazari huiusmodi erigendi et instituendi: ac dotes illis distribuendi; ac constituentibus huiusmodi dotes ius patro-

natus et seu praesentandi personas idoneas ad illa, illorum pro tempore occurrente vacatione, reservandi; ac inibi cappellanos perpetuos seu temporales ad eius nutum ponendi et destituendi; ac ei vel eis, cui vel quibus sibi videbitur, similem aut limitatam potestatem concedendi; ac omnia et singula alia faciendi, gerendi, exercendi et exequendi, quae ad divini cultus augmentum, ac Religionis et militiae conservationem et manutentionem ac christifidelium spiritualem consolationem in Domino cognoverint fore necessaria et opportuna, plenam et liberam licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

Facultas testandi more militari de bonis etiam ex fructibus beneficiorum acquisitis, et inter quescumque consanguineos inhabiles, dummodo quintam partem hospitali relinquant;

§ 127. Ac omnibus prioribus, praeceptoribus ceterisque militibus ac fratribus et ministris, etiam presbyteris et beneficiatis eiusdem Religionis et militiae, ut de quibuscumque, tam stabilibus quam mobilibus, bonis, pecuniarum summis, gemmis et lapidibus pretiosis aliisque rebus, cuiuscumque qualitatis et quantitatis ac valoris existant, per eos, etiam ratione beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque per eos obtentorum, ac alias undecumque et quomodolibet acquisitis et ad illos quovis modo spectantibus (dummodo quintam illorum partem conventui praefato relinquant), inter quoscumque consanguineos, filios, etiam spurios et alios illegitimos, aliasque quantumvis incapaces personas testari; ac alias, etiam per codicillos, donatione inter vivos, causa mortis et alia quacumque via, prout sibi videbitur, disponere, ac illa in pias (alias tamen licitas) causas erogare.

Celebrandique in habitu pontificali et dandi benedictionem, dummodo non sit praesens aliquis antistes, et tunc de illius licentia.

§ 128. Ac priori ecclesiae dicti conventus pro tempore existenti ut, quoties sibi placuerit, missam et alia divina officia in praefata aliisque dictae Religionis ecclesiis, in habitu pontificali, cum mitra et baculo pastorali, celebrare; ac post missarum solemnia (dummodo ibi non sit praesens aliquis catholicus antistes, vel de illius consensu) ibidem benedictionem Christi populo impartiri.

Milites et alii etc., non incurrunt peccatum mortale propter Regulam non servatam, nisi propter inobedientiam et contumaci. pluries commissam et rebellionem a Religione.

§ 129. Et insuper quod nullus ex magistro et militibus ac fratribus pro tempore existentibus, aliisque personis dictae militiae et Religion., propter eius Regulam, capitula ac statuta, nunc et pro tempore edita, non observata vel minus rite adimpleta, in peccatum mortale incidat, praeterquam inobedientiam et contumaciam pluries commissam et continuatam, et ab ipsa Religione rebellionem et alios casus peccatum huiusmodi ex divinis praeceptis sacrisque canonibus generantes.

Licentia recipiendi fratres de quocumque Ordine, praeter Cartusian., in fratres Ordinis praedic. de consensu suorum superiorum.

§ 130. Quodque magister pro tempore existens dicti hospitalis et conventus fratres cuiusvis Ordinis seu Religionis (Ordine Cartusianorum dumtaxat excepto) in fratres dicti hospitalis recipere, et de quocumque Ordine, quem antea professi erunt, ad hospitale et Ordinem Sancti Augustini huiusmodi transferre; et ipsi sic translati, in hospitali et Ordine Sancti Augustini huiusmodi, quoad vixerint, remanere (eorumdem superiorum licentia desuper requisita) libere et licite valeant.

Indulgentia plen. pro personis eiusdem militiae Sancti Lazari in aliqua expedit. contra infideles vel haereticos decedentibus.

§ 131. Et ut ipsi milites Ecclesiae catholicae fideliumque defensionem contra infideles animo ferventiori minorique perdendae lucis humanae, si ad aeternam inde nanciscendam prospectant, metu suscipiant, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, universis et singulis militibus et aliis eiusdem militiae personis, qui in expeditione, tam maritima quam terrestri, contra infideles vel haereticos, nedum hostilibus armis, sed etiam aliquo quovis mortis genere, de peccatis suis corde contriti et ore confessi, vel saltem statutis a iure temporibus confitendi propositum habentes, in unitate fidei catholicae decesserint.

Indulgentia plenaria omnibus christifide-

§ 132. Ac tam militibus et personis praefatis, quam quibusvis aliis utriusque

libus visitantibus ecclesias dictae Religion. die festivitatis illius Sancti sub cuius invocatione consecratae fuerint.

sexus, etiam vere poenitentibus et confessis, seu confitendi propositum habentibus, ut praefertur, qui ecclesias conventus et hospitalis huiusmodi, ubicumque existentes, in singulo die festivitatis illius Sancti, sub cuius invocatione consecratae fuerint, a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatis huiusmodi, annuatim devote visitaverint, ac pro pace inter principes christianos confovenda ter Orationem Dominicam et totidem Angelicam Salutationem recitaverint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem.

Indulgentia plenaria ad instar benefactorum hospitalis Sancti Spiritus omnibus fundantibus unam ecclesiam seu cappellam dictae Religionis, vel aliquid donantibus, vel alias benefacientib.

§ 133. Qui vero de bonis sibi a Deo collatis unam eiusdem militiae commendam fundaverint vel dotaverint, aut conventui et militiae praefatis, ad eius subventionem et onerum illi incumbentium supportandorum faciliorem supportationem, aliquid, iuxta facultatum suarum modum pianique intentionem, donaverint vel legaverint, easdem omnes indulgentias, quas hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe benefactores consequuntur (sine illorum praeiudicio), misericorditer in Domino similiter perpetuo concedimus et elargimur. Et ne, propter locorum distantiam, fideles ipsi eorum piis desideriis frustrentur, utque commodius eleemosynae ad hospitale praefatum, pro fratrum militum, qui in fidei catholicae defensionem contra infideles militaverint, subventione, ac pauperum leprosorum et aliorum onerum suorum supportatione, pervenire possint, ipsam confraternitatem, cum omnibus et singulis concessionibus, indultis, facultatibus, indulgentiis et peccatorum remissionibus, illius confratribus pro tempore existentibus concessis, ad omnia et singula membra, ecclesias et loca, tam ab ipso hospitali pro tempore dependentia, quam alia, in quibus similes confraternitates per magistrum et conventum dicti hospitalis pro tempore existentes seu eorum commissarios, nuncios vel procuratores, pro tempore ad id ab eis specialiter deputatos, instituentur, ordinabuntur et erigentur, extendimus et ampliamus.

Taxatio eleemosynae pro ingredient. confraternitatem

§ 134. Omnibusque et singulis utriusque sexus christifidelibus, tam ecclesiasticis quam saecularibus, et quorumcumque, etiam Mendicantium, Ordinum, etiam regularis observantiae, nunc et pro tempore existentibus, aliisque christifidelibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, qui certam pecuniarum summam, cuius valor de praesenti ad quintam partem unius ducati auri de Camera seu ad duas aquilas monetae regni Siciliae ascendit, vel summam per praefati hospitalis magistrum et conventum pro tempore taxandam, in dictae societatis seu confraternitatis ingressu, ex bonis sui, persolverint.

Confessio et confitendi confess. cum facultatib. absolvendi ter semel in vita et singulo anno in festo S. Lazari, ab omnibus excommunication. sententiis, ecclesiastic. etc.

§ 135. Et singulo anno certam aliam quantitatem taxandam solvere promiserint, et in libro dicti hospitalis et non alio describentur, ut presbyterum saecularem vel cuiusvis Ordinis regularem in suum confessorem possint eligere, qui, eorum confessione diligenter audita, semel in vita et singulo anno in festo Sancti Lazari, eorum vita durante, ab omnibus et singuli excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis et promulgatis (sine tamen tertii praeiudicio), etiam occasione simoniae super ordinibus et beneficiis assequendis ubicumque contractae.

A votorum et dierum dominicorum et aliorum Ecclesiae mandatorum transgressionib. etc.

§ 136. Ac votorum et dierum dominicorum et festivorum, necnon aliorum Ecclesiae mandatorum transgressionibus, periuriorum ac poenitentiarum iniunctarum, necnon divinorum officiorum in toto vel in parte omissionibus, ac omnibus eorum peccatis et criminibus, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, etiam si talia fuerint propter quae Sedes Apo-

stolica merito consulenda foret, etiam Romano Pontifici et dictae Sedi quovis modo reservatis, praeterquam contentis in bulla in die Coenae Domini quotannis legi consueta.

Plenarie absolvendi in mortis articulo, aliasque in aliis casibus gratias elargiendi;

§ 137. Ac etiam in mortis articulo plenariam omnium peccatorum huiusmodi absolutionem et remissionem impendere; et si tunc mors non subsequatur, quoties in tali casu constituti fuerint, illam reiterare; in aliis vero non reservatis casibus, toties quoties opportunum erit, illos absolvere, et eis poenitentiam salutarem iniungere. Nec non vota quaecumque (ultramarino, Religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit et valeat. Ita tamen quod confessor ipse, ubi pro enormibus delictis poenitentia iniungenda vel commutatio votorum fienda veniet, ultra subsidium, ut praefertur, taxatum, aliud subsidium per eumdem confessorem, delicti et voti huiuscemodi ac confitentis qualitate pensata, arbitrandum, in capsa pro indulgentia dicti hospitalis colligenda per eius commissarios deputanda, ad commodum et utilitatem dicti hospitalis et militiae persolvi faciat, conscientiam dicti confessoris super id onerantes. Quodque idem confessor sic electus cum eisdem confratribus eum in confessorem eligentibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae fuerint, clericali militiae adscriptis, etiam religiosis, etiam quaecumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, qui, praemissis sententiis ligati, missas et alia divina officia celebrando aut se illis alias immiscendo, vel alias quomodolibet irregularitatem contraxerint (bigamia et homicidio voluntario dumtaxat exceptis), ut ad omnes superiores, etiam sacros, ordines promoveri, et in illis ac per eos susceptis ordinibus huiusmodi, etiam in altaris ministerio, ministrare; ac dignitates, et beneficia ecclesiastica quaecumque se invicem compatientia retinere et recipere; necnon monasteriis et ecclesiis cathedralibus, etiam metropolitanis ac patriarchalibus, praefici et praeesse, libere et licite possint dispensare, ac eis de illis, quae tunc detinerent, dignitatibus et beneficiis huiusmodi providere, et eis quibus minus canonice praerunt ecclesiis et monasteriis huiusmodi praeficere, in foro conscientiae dumtaxat, praefata auctoritate apostolica, valeat.

Mortuos sepeliendi in ecclesiis Ordinis;

§ 138. Et insuper si iidem confratres ut supra in dicta confraternitate descripti, tempore interdicti, quovis modo a Sede Apostolica impositi, a vita decesserint, illorum cadavera (absque tamen funerali pompa) ecclesiasticae sepulturae tradi possint, dummodo causam non dederint interdicto.

Stationes Urbis consequendi;

§ 139. Necnon quadragesimalibus et aliis temporibus et diebus stationum Urbis Romae, unam vel duas ecclesias, ac unum vel duo altaria visitando in partibus, in quibus illos residere contigerit, easdem gratias, indulgentias et remissiones peccatorum consequantur seu consequi possint, quas si dictis diebus et temporibus basilicas et ecclesias stationum urbis Romae, et extra eam ad id deputatas, personaliter visitarent.

Ova et lacticinia et carnes comedendi.

§ 140. Praeterea, quadragesimalibus et aliis temporibus et diebus, quibus esus ovorum, butyri et aliorum lacticiniorum de iure, consuetudine vel alias quovis modo prohibitus existit, eisdem ovis, caseo, butyro et aliis lacticiniis, de consilio alterius; necnon carnibus, tempore necessitatis tantum, et de utriusque medici consilio, vesci.

Mulieres Ordin. monasteria ingredi permittuntur.

§ 141. Necnon mulieribus in confraternitate ipsa descriptis, etiamsi viduae remanserint, ut cum una seu duabus honestis mulieribus quaecumque monasteria monialium, cuiusvis Ordinis, etiam Sanctae Clarae, de licentia eorumdem monaste-

riorum, abbatissarum seu priorissarum, quater quolibet anno ingredi, et cum eisdem monialibus loqui et conversari et refectionem corporalem sumere (dummodo ibidem non pernoctent) possint et valeant.

Personae Ordinis gaudeant gratiis hospital. Sancti Spiritus de Urbe;

§ 142. Quodque, cum primum ipsi confratres in praefata confraternitate describentur, omnibus et singulis privilegiis, suffragiis, indulgentiis, spiritualibus et temporalibus, per nos et alios praedecessores nostros praefatis hospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe necnon illius confratribus, quibus, inter cetera, concessum existit.

Contritae in articulo mortis indulgent. consequantur;

§ 143. Ut quicumque poenitens et contritus nomen Iesu in mortis articulo nominaverit, plenariam peccatorum suorum, etiam de quibus, nisi morte praeveniretur, confiteretur, remissionem consequatur.

Ieiuniis, etc. Terrae Sanctae gaudeant.

§ 144. Necnon ieiuniis, vigiliis, orationibus, peregrinationibus Terrae Sanctae et indulgentiis plenissimis S. Iubilaei anni quinquagenarii, et stationum et dedicationum sanctae R. Ecclesiae, ac bonis omnibus, quae fiunt in eodem sacro hospitali, ac universali sacrosancta militante Ecclesia, quibus ceteri confratres potiuntur, et in futurum gavisuri sunt, uti, potiri, gaudere et participare debeant.

Decedentes infra annum etc. indulgen. consequuntur.

§ 145. Et si infra annum obierint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequantur. Et si vixerint, praeter stationes Urbis, infrascriptis etiam diebus, sequentes indulgentias consequentur, videlicet singulis diebus vitae eorum, et per omnes dies veneris totius anni, unius anni et quadraginta dierum; in singulis apostolorum festivitatibus, duorum millium annorum; in festo Epiphaniae et singulis diebus post octavam, centum millium annorum; in dominica qua cantatur, pro introitu missae, *Omnis terra*, de mense ianuarii et singulis diebus dominicis mensium totius anni, trium millium annorum et totidem quadragenarum, et remissionem tertiae partis omnium peccatorum; in festivitatibus D. N. I. C., videlicet Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis et singulis diebus per octavam, duorum millium annorum et octingentarum quadragenarum; in festo Pentecostes et singulis diebus post octavam, octo millium annorum, et totidem quadragenarum; in festo Corporis Christi et singulis diebus post octavam, duorum millium annorum et septimae partis omnium peccatorum; in festo Nativitatis Beatae Mariae et singulis diebus per eius octavam, triginta millium annorum; in festo Omnium Sanctorum, et singulis diebus usque ad festum Sancti Leonardi, trium millium annorum et totidem quadragenarum.

Donantes aliquid hospitali plenariam habent indulgentiam.

§ 146. Largientibus vero seu transmittentibus, vel in eorum ultimis voluntatibus vel testamentis legantibus aliquid de bonis suis eidem hospitali, in articulo mortis, plenariam a culpa et poena omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam; ac cuique animae, quae unita Christo in caritate ab hac luce migraverit, in purgatorio existenti, pro qua anima eleemosyna, per ipsum magistrum et conventum seu ab eis deputatos taxanda, eidem hospitali erogabitur, ut eamdem indulgentiam plenariam a poena et culpa (quantum pietati Maiestatis divinae placuerit) consequatur, concedimus et indulgemus.

Notarii notificent legata facta hospitali et militiae.

§ 147. Notariis vero, qui rogati fuerint de testamentis vel aliis ultimis voluntatibus, in quibus aliquid disponi contigerit in favorem et commodum eorumdem hospitalis et militiae, ut, sub excommunicationis poena, dispositionem huiusmodi, quanto citius commode poterunt, magistro et conventui dicti hospitalis, vel alteri, per quem id poterit ad ipsorum magistri et conventus notitiam pervenire, intimare curent.

§ 148. Ipsis quoque notariis et confessoribus eorumdem decedentium, in suorum

Notarii et confessores et confratres hortentur infirmos ad subveniendum huic Religioni.

remissionem peccatorum, eisdem testantibus et confitentibus commemorare non omittant ut ad tam pia opera, quae in dicta Religione exercentur, manus porrigant adiutrices, praecipimus. Et quoscumque christifideles, ac praesertim confratres confraternitatis huiusmodi pro tempore existentes, ad id per viscera misericordiae D. N. I. C. hortamur.

Decedentes in hospitali et insistentes obsequiis hospitali, gaudeant omnibus privilegiis confraternitatis.

§ 149. Quodque decedentes pro tempore in hospitali praefato, et hospitalis ac pauperum leprosorum eorumdem obsequiis pro tempore insistentes, utriusque sexus, quamdiu perseveraverint in obsequiis huiusmodi dumtaxat, eisdem omnibus privilegiis, facultatibus et gratiis, quibus confratres in libro hospitalis huiusmodi descripti pro tempore potientur et gaudebunt.

Magister facultatem habet de usuris, rapinis, incendiis, nomine poenitentiis, legatis hospitali, vel eius membris debitis et relictis ad pios usus.

§ 150. Quodque magister pro tempore et conventus dicti hospitalis, suique de eorum licentia pro tempore legitimi commissarii, nuncii vel procuratores, de usuris, rapinis, incendiis (non tamen ecclesiarum damnis datis), et alio quocumque nomine, titulo vel modo male ablatis vel illicite acquisitis (si tamen verus dominus, cui eorum restitutio fieri deberet, ignoretur), de poenitentiis a sacerdotibus confitentibus impositis, redimendis seu commutandis; necnon legatis ad hospitale ipsum seu eius membra debitis vel alias indistincte ad pios usus relictis, ad utilitatem ipsius hospitalitatis et militiae, componere possint, ita quod detinentes ad aliam restitutionem minime teneantur.

Facultas publicandi indulgentias;

§ 151. Necnon quod singulis annis, in die dominica Palmarum usque ad eius octavam inclusive, et in die festo Nativitatis SS. D. N. Iesu Christi et aliis diebus benevisis magistro et conventui et eorum commissariis, quibuscumque christifidelibus manus adiutrices, pro substentatione dictae Religionis eiusque membrorum, porrigentibus, indulgentias plenarias et generales peccatorum omnium remissiones ubique solemniter, etiam cum processione et appositione truncorum et crucis in medio ecclesiarum, publicare et impartiri. Poenitentiarios cum virgis (ut moris est) desuper deputare, et alia facere, quae circa huiuscemodi facultatum et indulgentiarum ac peccatorum remissionem, executionem et confessionem quomodolibet necessaria et opportuna fuerint.

Confratriasque instituendi.

§ 152. Quodque antiquas et novas sanctas confratrias S. Lazari omni tempore et in quibuscumque locis erigere, ordinare et instituere, ac publicari facere, ac quoscumque christifideles in confratres recipere, illisque confessionalia concedere, ita quod quaecumque institutiones, erectiones et ordinationes dictarum confraternitatum, absque moderni et pro tempore existentis magistri dicti hospitalis expresso consensu, in membris, ecclesiis et locis huiusmodi pro tempore factae, nullius sint roboris vel momenti.

Omnia loca sub invocatione Sancti Lazari sint huic Ordini subiecta;

§ 153. Ac omnia et singula hospitalia, oratoria, ecclesias, cappellas, altaria et loca Religionis et militiae huiusmodi, in quibuscumque partibus existentia, sub invocatione S. Lazari intitulata, etiam si non sint possessa vel recepta per magistrum ac fratres praefatos, nihilominus moderno et pro tempore existenti magistro generali et conventui huiusmodi subiecta et, tamquam membra dicti hospitalis ab eo dependentia (adinstar aliorum annuatim respective contribuentium), contributorias et contributoria esse; ac per ipsum generalem magistrum et conventum seu eorum legitimos commissarios visitari et reformari; illorumque rectores et gubernatores (si de iure amovendi fuerint) amoveri: et aliae personae idoneae loco eorum deputari possint.

Eiusque privilegiis utantur.

§ 154. Et cum eis confratribus tantum, ut commodius Altissimo deservire possint, omnibus et singulis facultatibus,

privilegiis, immunitatibus, gratiis, plenariis indulgentiis et peccatorum remissionibus praedictis, quocumque tempore et in quibuscumque locis, libere uti, etiam in illis partibus et locis, in quibus indulgentiae pro fabrica basilicae Principis Apostolorum de Urbe publicatae extiterint.

Priores hospitalium S. Lazari quando possint indulgentias publicare;

§ 155. Necnon quod priores et praeceptores quorumcumque hospitalium et domorum, a dicto hospitali Sancti Lazari dependentium et illud in caput suum recognoscentium, praedictam plenariam indulgentiam et peccatorum generalem remissionem in die festo Dominicae Palmarum et per eius octavam et aliis benevisis diebus, ut supra, publicare.

Confessiones que audire, vel confessores deputare;

§ 156. Et si in sacerdotio constituti fuerint, per se vel alium seu alios probos; si vero sacerdotes non fuerint, per alios probos, idoneos et honestos viros, saeculares vel cuiusvis Ordinis regulares sacerdotes, in suis hospitalibus ac domibus praefatis tantum, confessiones quorumcumque audire, et cum huiusmodi confitentibus quibuscumque facultatibus et indulgentiis ac peccatorum remissionibus uti, ac easdem illis (de licentia tamen expressa magistri pro tempore existentis et conventus praefati hospitalis singulis annis renovanda) impartiri plene et libere possint; aliis vero temporibus sint sicuti alii sacerdotes nullam a Sede praefata facultatem habentes.

Eleemosynas nolis sonantibus colligere;

§ 157. Possint tamen collectas solitas et consuetas nolis et campanellis sonantibus (citra tamen publicationem indulgentiarum ac traditionem confessionalium) omni tempore, in terminis suis (de licentia magistri pro tempore et conventus huiusmodi singulis annis renovanda, et non aliter) facere.

Nolas animalibus oblatis appendere;

§ 158. Ac nolas seu campanas porcis seu aliis quibusvis animalibus, quae eidem S. Lazaro offerri contigerit, appendere, seu aliqua nota subsignare.

Indulgentias ubiq. publicare.

§ 159. Quodque magister et conventus ac eorum nuncii ac commissarii praefati, etiam in locis, in quibus fratres Ordinis Minorum de Observantia vel commissarii apostolici pro fabrica basilicae huiusmodi pro tempore deputati fuerint, quascumque facultates et indulgentias solemniter ubique, cum appositione truncorum et crucis in ecclesiis, publicare, et facultatibus, privilegiis et gratiis ipsi hospitali concessis uti.

Quae indulgentiae non intelligantur unquam suspensae.

§ 160. Necnon quod, durante quacumque suspensione temporali indulgentiarum et gratiarum, etiam pro cruciata contra infideles, cuicumque imperatori, regi aut principi christiano concessarum vel in posterum concedendarum, indulgentiae etiam plenariae ac omnes facultates et gratiae, eidem hospitali illiusque magistro, conventui, fratribus et membris per praedecessores nostros et nos ac etiam Sedem praefatam concessae, non intelligantur suspensae, sed in suo pristino et vero valore et firmitate existant et permaneant.

Fratres possint in eorum ecclesiis divina celebrare;

§ 161. Necnon etiam, ob reverentiam Sancti Lazari, ut liceat ipsis fratribus in eorum ecclesiis missas et alia quaecumque divina officia legere, vel etiam alta voce celebrare, vel per alios presbyteros idoneos celebrari facere.

Sacramenta infirmis hospit. ministrare;

§ 162. Ac omnibus et singulis christifidelibus et leprosis pauperibus infirmis, in dictis hospitalibus pro tempore degentibus, ecclesiastica sacramenta ministrare.

Mortuos sepelire;

§ 163. Ac eorum et aliorum quorumcumque fidelium corpora mortuorum id eligentium et petentium, in coemeteriis et ecclesiis dictorum fratrum ecclesiasticae tradi sepulturae.

Verbum Dei praedicare.

§ 164. Ac verbum Dei in ecclesiis ipsorum, pauperibus ipsis et leprosis huiusmodi proponere et proponi facere, quoties eis visum fuerit expediri, alienius

licentia super hoc minime requisita, similiter volumus et ordinamus.

Concessio quorumcumque aliorum privilegiorum, gratiarum, exemptionum et aliarum facultatum hactenus concessar. vel in futurum concedendar. hospitalibus et militiis respective Sancti Ioannis Hierosolymit., Sancti Iacobi de Spatha, Sancti Antonii Vienn., Sancti Spiritus de Urbe, ac S. Stefani in Thuscia, dummodo concil. Trident. non repugnent, et iurib. alterius tertii non praeiudicent.

§ 165. Et insuper eisdem moderno et pro tempore existenti magno magistro et conventui, ac singulis militibus et aliis personis hospitalis et militiae huiusmodi, quod omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, iurisdictionibus et exemptionibus, etiam per viam exequutionis [1] in ipsa onerum impositione, dispensationibus, indultis, concessionibus, dispositionibus, honoribus, gratiis [2] hucusque S. Ioannis Hierosolymitani, Sancti Iacobi de Spatha, Sancti Stephani militiis, ac Sancti Spiritus in Saxia de Urbe et Sancti Antonii Viennensis hospitalibus, Religionibus et Ordinibus, eorumque locis, personis, rebus et bonis, per quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac etiam per nos et Sedem praefatam seu concilia generalia vel alios quoscumque, in genere vel in ispecie, etiam ad imperatorum, regum ac aliorum principum instantiam, vel motu proprio aut alias quomodolibet concessis et in futurum concedendis, et quibus hospitalia, Religiones et militiae huiusmodi, ac eorum magni magistri, conventus, fratres et milites utuntur et potiuntur et gaudent, ac uti poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter, et absque ulla penitus differentia, uti, potiri et gaudere in omnibus et per omnia libere et licite valeant, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo, concedimus et indulgemus; ac ea omnia et singula, prout concessa fuerunt et in dies concedentur, eorumque omnium et quarumcumque literarum desuper quomodolibet confectarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, moderno et pro tempore existenti magno magistro et conventui ac hospitali Sancti Lazari et militiae, eorumque militibus et personis, ac eorum hospitalibus, praeceptoriis, domibus, leprosariis, beneficiis, cappellis, ecclesiis, locis, rebus et bonis clargimur, ac concessa esse, et eos illis ubilibet, in genere vel specie, uti, potiri et gaudere libere posse volumus, decernimus et declaramus, ordinariorum locorum aut cuiusvis alterius licentia vel consensu desuper minime requisitis. Ita quod super illis vel eorum occasione per ipsos ordinarios aut quosvis alios molestari, perturbari vel inquietari non possint, dummodo concilio Tridentino praedicto non repugnent, et dictis hospitalibus et militiis ac iuribus cuiuslibet alterius tertii non praeiudicent. Ita tamen ut (quoad exemptiones) iurisdictio ordinariorum, tam ea quae de iure communi eis competit, quam quae ex decretis dicti concilii Tridentini eisdem est attributa, semper salva existat.

Exemptio huius Religionis in omnibus casibus, ubi concilium Trident. excipit Relig. Sancti Ioannis Hierosolymit.

§ 166. Praeterquam tamen in iis casibus, in quibus concilium praefatum expresse excepit et exemit Religionem Sancti Ioannis Hierosolymitani, in quibus et haec Sancti Lazari Religio et militia excepta et exempta pariter intelligatur.

Concessio indulgentiar. hospitalis S. Spiritus de Urbe.

§ 167. Et quoad indulgentias, prout hospitali Sancti Spiritus concessae sunt et in futurum concedentur, concedimus et clargimur.

Publicatio privilegior. et mandatorum M. magistri arctet, ac si esset personaliter executa.

§ 168. Praeterea volumus et decernimus quod tam praesentium quam aliarum quarumcumque literarum apostolicarum seu earum transumptorum, ac mandatorum magistri et conventus praefatorum publicatio et affixio, in singulis prioratibus, praeceptoriis, membris et beneficiis Religionis huiusmodi factae, perinde arctent, ac si contra contentos sub eisdem personaliter factae essent, facta tamen in primis diligentia de illis personaliter reperiendis in dictis locis.

Suscipientes habitum extra convent., etiam a Rom. Pontif.,

§ 169. Et nihilominus statuimus ac dictis magistro et conventui perpetuo concedimus quod si quisquam priorum,

1 *Exceptuationis* loco *exequutionis* habet Bullarium Ordinis Mauritiani (R. T.). 2 Cherub. et Bullarium Ord. Mauritiani hic addunt *libertatibus, favoribus, antelationibus, restitutionibus, reintegrationibus et aliis quibusvis gratiis* (R. T.).

infra annum in conventu comparere teneantur, alias priventur.

praeceptorum, militum et fratrum dicti hospitalis, crucem vel habitum extra dictum conventum, etiam a Romano Pontifice vel de eius licentia receptum, gestans, intra annum, postquam illum susceperit, aut sibi de prioratu, praeceptoria, officio vel beneficio hospitalis huiusmodi provisum vel alias in eius favorem dispositum fuerit.

Possidentes beneficia dicti Ordinis, vel fructus aut pensiones percipientes, vocati, comparere teneantur.

§ 170. Ac quicumque alius dictae militiae beneficium vel pensionem obtinens aut fructus percipiens, quandocumque pro servitiis Religionis aut alias evocatus, seu in solutione iurium communis aerarii morosus fuerit et citatus, coram dictis magistro et conventu personaliter non comparuerit, ac illis obedientiam aliaque iura debita non praestiterit, tempore sibi ad id praefigendo elapso, habitu, dignitate, administratione et beneficio ac quocumque honore et officio, alias iuxta formam stabilimentorum et privilegiorum praedictorum, eo ipso careat, privatusque censeatur, seu, si videbitur, privari possit.

Nulla exemptio valeat adversus obedientiam M. magistri, quominus vocati comparere teneantur.

§ 171. Nec ulla huius statuti derogatio aut exemptio realis vel personalis seu alia gratia praeservativa, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus quomodolibet pro tempore facta seu concessa, contra praemissa valeat.

Magister et conventus possint disponere de beneficiis vacantibus per privationem.

§ 172. Nec magister et conventus praefati illis parere teneantur, sed, illis non obstantibus, de prioratu, praeceptoria, dignitate, officio vel beneficio, sic aut per privationem huiusmodi vacante, iuxta stabilimenta et alia praemissa, libere disponi aut illa alias per eum vel eos, ad quem seu quos antianitatis vel alio iure pertinet, acceptari possint.

Clausulae huius constitutionis praeservativae.

§ 173. Decernentes omnia et singula praemissa ac praesentes nostras literas nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari vel impugnari aut argui posse: neque illa omnia et singula praemissa, tamquam eisdem magno magistro et conventui, militiae vel militibus, partim, videlicet quoad antiqua, restituta; et, quoad nova, ex causa onerosa concessa, sub quibusvis, tam praesentium quam similium vel dissimilium gratiarum, in genere vel in ispecie, suspensionibus ac derogationibus, revocationibus, limitationibus, alterationibus, aliisque contrariis dispositionibus a nobis et a successoribus nostris, et a Sede praefata, quavis de causa, quantumlibet iustissima, pro tempore emanata, comprehendi, sed semper ab illis excepta, et quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta et de novo, etiam sub data per magnum magistrum eligenda, concessa esse et censeri. Necnon praemissis ac praesentibus literis, etiam per quascumque literas apostolicas, etiam quasvis clausulas, generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias efficaciores et insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione, in se continentes, nullatenus derogari posse, nec quoad illa derogatum censeri, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et huiusmodi derogationes consistorialiter factae, et per trinas distinctas literas eundem tenorem continentes tribus distinctis similibus vicibus magno magistro et conventui praefatis intimatae et insinuatae fuerint, ac ipsorum magistri et conventus ad id expressus accedat assensus; et aliter factas derogationes nemini suffragari, ac magistrum et conventum praefatos ad parendum literis derogatoriis huiusmodi et decretis super illis processibus, ac illorum exequutoribus et subexequutoribus, eorumque mandatis et monitionibus minime teneri, sed illos literarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec ratione resistentiae censuris ecclesiasticis per eos-

dem exequutores vel subexequutores latis innodari posse.

Decretum irritans et clausula sublata.

§ 174. Et sic, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere. Et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Exequutores huius constitutionis eorumque facultates.

§ 175. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Galesinensi et Montisflasconensi episcopis, ac pro tempore existenti Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte magistri, priorum, praeceptorum, militum et fratrum Sancti Lazari praedictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari. Ac easdem militiam et magistrum et conventum, fratres, religiosos, omnesque et singulos alios, quos ipsae praesentes literae concernunt, illis pacifice gaudere. Non permittentes eos vel eorum aliquem desuper contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari vel impediri. Contradictores et rebelles quoslibet per censuras et poenas ecclesiasticas, et etiam pecuniarias, eorum arbitrio moderandas, ac alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac quoscumque, quorum intererit, etiam per edictum publicum locis publicis affigendum, constito summarie de non tuto accessu, citando, ac quibus et quoties inhibendum fuerit, etiam simili edicto, sub eisdem poenis et censuris inhibendo, ipsasque censuras et poenas ecclesiasticas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae contrariorum et obstantium derogatoriae.

§ 176. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praefata deputati, extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant; et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac Lateranensis concilii novissime celebrati; ac nostris de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest et exprimendo valore fructuum, tam uniendorum beneficiorum, quam eorum, quibus fit unio; necnon de non expediendis literis reservatis[1] alicuius pensionis, nisi de consensu illam solvere tunc habentis, ac quibusvis aliis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; ac dictorum hospitalium, militiarum et Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac quibusvis privilegiis, indultis ac literis apostolicis, etiam ordinariis et aliis militiis praefatis, ac quibusvis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et locis, etiam fabricae basilicae S. Petri de Urbe, ac Cruciatae Sanctae, eorumque personis, sub quibuscumque te-

1 *Reservationis,* Cherub. (R. T.).

noribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam ad imperatorum, regum, reginarum, ducum et aliorum instantiam, etiam consistorialiter et motu simili et alias quomodolibet, etiam per nos, etiam pluries, concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales id importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse pari motu derogamus et sufficienter derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Concilii Tridentini praeservatio circa omnia hic disposita.

§ 177. Et quoniam per praesentes concilii Tridentini constitutionibus et decretis in aliquo praeiudicare non intendimus, volumus quod in omnibus et singulis gratiarum aliisque capitibus praemissis clausula *dummodo concilio Tridentino non repugnent* apposita et repetita censeatur.

Transumptorum fides.

§ 178. Verum, quia difficile foret *etc.*

Praesentium insertione non egent gratiae M. magistri.

§ 179. Quodque in literis seu gratiis praesentium vigore concedendis, easdem praesentes inserere iidem Ioannottus et pro tempore existens magnus magister et conventus minime teneantur; ac gratiae ipsae quibusvis personis per Ioannottum, et pro tempore existentem magnum magistrum et conventum huiusmodi, iuxta tenorem earumdem literarum, pro tempore concessae valeant, et illis suffragentur in omnibus et per omnia, perinde ac si eaedem praesentes literae de verbo ad verbum in eis insertae forent.

Sanctio poenalis.

§ 180. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, IV nonas maii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 4 maii 1565, pontif. anno VI.

CXI.

Nuncii apostolici et alii ad principes destinati, favores ab eis procurare, aut illis uti nequeant, ad obtinendas dignitates apud Sedem Apostolicam ipsis vel eorum consanguineis et necessariis conferendas.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Etsi Romanum Pontificem, quem Dominus omnipotens in persona Principis Apostolorum Ecclesiae militanti sponsae suae praeficere dignatus est, in eius universo corpore a noxiis, quae passim in illud irrepunt, praeservando plurimum decet esse sollicitum, in hoc tamen eum multo magis invigilare necesse est, ne per importunum suorum propriorum ministrorum, qui frequenter ab eius latere ad diversos orbis principes peregre mitti solent, ambitum, dum videlicet eorum nonnulli inordinato cursu ad dignitates quaslibet anhelant, et ad hoc, principum favores demerendo, pontificiam et Ecclesiae, pro qua missi fuerunt, causam vel impudenter prodere vel certe remissius agere non verentur, genuinus ille clericalis candor deturpetur, debitus praelatorum pudor inter laicos requiratur, integritatis antiqua persuasio minuatur, et, ob illorum fluxam fidem immoderatamque cupidita-

tem, ecclesiasticus ordo scandalose blasphemetur.

Causa istius constitutionis.

§ 1. Sane considerantes quod annis praeteritis aliqui quorumdam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac etiam nostri et Apostolicae Sedis nuncii ad diversos principes saeculares, etiam pro seriis gravibusque dictae Sedis negociis, missi, muneris sui decorisque nimium obliti, in detestandam praelaturarum aliorumque ecclesiasticorum, atque adeo cardinalatus, honorum ambitionem collapsi, ad illos alia qualibet quam sanctissima Aaronis via pervenire satagentes, commendatitias super hoc literas et indebitos favores ab ipsis principibus emendicare non erubuerunt, et quod eis recto tramite gradiendo non dabatur, assiduis, et quibus non obsequi difficile fuisset, principum efflagitationibus extorserunt, in suimet, qui per ostium non intrarunt, animarum periculum et pravum aliorum exemplum.

Inhibetur nunciis et aliis ne a principibus ad quos mittuntur favores procurent, illisque utantur ad obtin. dignitates, sub poenis hic expressis.

§ 2. Nos itaque, reseratum his artibus aditum huiusmodi, ne ceteris item pateat, diligenter occludendum esse censentes, habita etiam cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, in consistorio nostro secreto, matura super hoc deliberatione, ac de illorum consilio et unanimi assensu, hac perpetuo valitura sanctione, universis et singulis nostris et quorumvis Romanorum Pontificum successorum nostrorum nunciis, aliisque, ad quosvis imperatores, reges, reginas, duces et alios saeculares principes pro tempore, ex quavis causa, missis, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel praeeminentiae sint, etiam si episcopali, archiepiscopali, patriarchali vel alia maiori praefulgeant dignitate, in virtute sanctae obedientiae, et sub maioris excommunicationis latae sententiae, ac privationis omnium et singulorum cathedralium, etiam metropolitanarum, et aliarum ecclesiarum, ac monasteriorum, etiam consistorialium, necnon aliarum dignitatum, etiam maiorum et principalium, personatuum, administrationum et officiorum, ac canonicatuum et praebendarum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis, in titulum, commendam, administrationem et alias quomodolibet, ac etiam Romanae Curiae et aliorum, etiam saecularium, cuiuscumque qualitatis, etiam quae ex causa onerosa assecuti fuerint, officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia in posterum obtinenda, necnon infamiae perpetuae per contrafacientes eo ipso incurrendis poenis, auctoritate apostolica, harum serie districtius inhibemus ne deinceps similes imperatorum, regum, reginarum, ducum aut aliorum principum saecularium commendationes, preces aut alios, etiam vocales aut in scriptis, favores ad aliquas pontificias aut alias dignitates, saeculares vel regulares, aut etiam cardinalatus vel alios honores et officia ecclesiastica consequendum, aut sibi vel aliis consanguineis et necessariis suis quoquomodo per ipsum Romanum Pontificem conferenda, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, quomodolibet ambire seu procurare, neve illis, etiam ultro sibi per principes sponte oblatis, uti praesumant vel audeant, eadem auctoritate et praesentium tenore statuentes quod omnes et singuli in praemissis delinquentes, nulla alia monitione praecedente, et absque processu desuper habendo, sententias et poenas praemissas irremissibiliter eo ipso incurrant.

Literae principum, vel eorum oratorum preces, Sedi

§ 3. Quodque ad illos sententias et poenas huiusmodi damnabiliter incurrisse legitime probandum et omnino convin-

Apostol. porrectae sufficiunt ad condemnan. praelatos inobedientes.

cendum solae principum ipsorum literae vel preces, etiam per suos apud Sedem praedictam oratores verbo tenus porrectae, plenam, indubiam et sufficientem, in iudicio et extra, fidem faciant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur.

Decretum irritans.

§ 4. Ac decernentes ita per quoscumque iudices et commissarios, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; necnon ex nunc irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Forma et effectus publicationis

§ 5. Ne quis autem inhibitionis et statuti praedictorum ignorantiam praetendere valeat, volumus praesentes literas in basilicae eiusdem Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae valvis per aliquem ex cursoribus nostris, earum exemplum ibi affigendo et dimittendo, publicari; publicationemque et affixionem huiusmodi singulos, et post duos menses immediate sequentes, non secus afficere, ligare et perinde arctare, ac si literae ipsae personaliter illis intimatae fuissent.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, XV kalendas iunii, pontificatus nostri anno VI.

✝ Ego Pius catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur Cardinalium subscriptiones et publicatio.

Dat. die 18 maii 1565, pontif. anno VI.

CXII.

De computorum exhibitione ac redditione rationis coram officialibus Camerae Apostolicae de iis, quae reformationem praecesserunt [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Causae huiusce faciendae declarationis.

§ 1. Volentes opportune providere ne, ex eo quod, in reformatione officii Camerae nostrae Apostolicae novissime a nobis edita, rationibus in ipsa Camera reddendis formula quaedam nonnullorum forsan nimis scrupolosorum iudicio subdifficilis sit tradita, ipsarum rationum redditio, potissimum quoad praeteritum tempus, de quo rationes ipsas, more ante ipsam reformationem servari solito, conscriptas esse accepimus, retardetur: quod si fieret, gravi nobis et eidem Camerae damno cederet.

Declarat quomodo de iis, quae reformationem praecesserunt, reddi possit ratio.

§ 2. Idcirco, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, decernimus omnia et singula rationes et computa, de quibusvis rebus et negociis ad eamdem Cameram pertinentibus, seu illius interesse quovis modo concernentibus, in quibus scilicet agatur de tempore ante kalendas huius mensis elapso, posse et debere impune exhiberi, et praesentari ac recipi et admitti, necnon videri, dari et solidari, citato tamen dictae Camerae nunc et pro tempore existente commissario generali, et cum illius interventu, iis modo et forma, qui ante editam novissimam reformationem praedictam circa haec servari consueverant.

Sic iubet iudicari.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quo-

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic. — Huiusmodi reformationem vide supra in constitutione XXXI, *Romanum decet*, pag. 97.

quam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

De registranda huiusmodi declaratione in libris Camerae.

§ 4. Mandantes propterea dilectis filiis camerario et thesaurario generali nostris, necnon clericis eiusdem Camerae praesidentibus, ipsius Camerae notariis ceterisque, ad quos spectat, seu in futurum spectabit, prout ipsos et unumquemque ipsorum tangit, et in futurum tanget, sub censuris ecclesiasticis et duorum millium ducatorum auri eidem Camerae inferendorum, aliisque nostri arbitrii poenis, uti decretum nostrum huiusmodi ac praesentes nostras et in eis contenta quaecumque in eadem Camera recipiant et admittant, ac in libris eiusdem Camerae registrari facientes, omnino exequantur et observent, faciantque ab aliis inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum

§ 5. Non obstantibus dicta novissima reformatione nostra ac super illa a nobis editis plumbo literis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut aliqua alia exquisita forma servata foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observanda, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola praesentium signatura tenet.

§ 6. Earumdem praesentium solam signaturam sufficere, et ubique, in iudicio et extra, in Romana Curia et extra, plenam fidem faciant, absque aliqua registratura, datae appositione, regula contraria non obstante; seu, si videbitur, desuper literas etiam per breve nostrum, etiam cum omnium et singulorum praemissorum aliorumque necessariorum specificatione et expressione, ac scripturarum quarumlibet ad verbum, si videbitur, insertione aliisque clausulis, verbis et cautelis necessariis et opportunis, adeo quod contraria quaecumque prorsus tollantur, et non obstantibus, etiam sub die vigesima mensis maii, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, pontificatus nostri anno VI, vel alia data, expediri posse decernentes.

Placet, motu proprio. I.

Dat. die 20 maii 1565, pontif. anno VI.

CXIII.

De subrogando iudice in locum collateralis senatoris Urbis absentis vel infirmi [1].

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Ab absentia vel infirmitate alterutrius collateralis partes litigantes damnum patiebantur.

§ 1. Cum, sicut accepimus, inter ceteros Curiae Capitolinae almae Urbis nostrae iudices, duo videlicet, primus et secundus senatoris collaterales nuncupati, qui a Romano Pontifice pro tempore existente deputantur, iurisdictionemque separatam habent, existant; et saepenumero accidat quod, ob ipsorum collateralium infirmitatem seu a Romana Curia absentiam, eorum tribunalia partesque inibi litigantes damnum non modicum ac expensas patiuntur.

In tali casu sedere potest locumten. seu iudex criminalium senatoris vel alter collateralium.

§ 2. Nos igitur, praemissis, quantum possumus, providere volentes, motu simili, et ex certa nostra scientia, quod de cetero de consensu senatoris, aliquo ex dictis collateralibus infirmo, seu a Romana Curia absente existente, alter eorumdem collateralium praesens, et non infirmus, seu locumtenens sive iudex criminalium eiusdem senatoris pro tempore existens, eam et talem qualem ipse collateralis exerceret et, si praesens esset, exerceret, iustitiam exercere: ac ipsius collateralis infirmi vel absentis locum et loco sui sedere. Necnon quascumque, etiam diffini-

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

tivas, sententias proferre, ac quaecumque decreta in quibuscumque contractibus apponere libere et licite possint et valeant.

Clausulae

§ 3. Et ita per quoscumque iudices *etc.*, sublata *etc.*, iudicari *etc.* debeat; ac irritum *etc.*, si secus *etc.*, decernimus et declaramus.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictae Curiae statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, etiam iuramento, *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eidem Curiae per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, sub quibuscumque verborum formis ac cum quibuscumque clausulis et decretis, quomodolibet concessis *etc.* et concedendis *etc.*, quibus omnibus *etc.*, tenores *etc.*, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Sola signatura sufficit.

§ 5. Volumus autem praesentium solam signaturam sufficere et ubique fidem facere, in iudicio et extra, regula contraria non obstante.

Placet, motu proprio. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, decimo kalendas iunii, anno sexto.

Dat. die 23 maii 1565, pontif. anno VI.

CXIV.

Institutio Archivii Vaticani Sedis Apostolicae, cum deputatione ac facultate commissarii ubique libros extrahendi [1].

Dilecto filio nostro Marco Antonio tit. S. Marcelli presb. cardinali Amulio vocato

Pius Papa IV.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Proœmium.

Cum inter gravissimas curas, quibus assidue, pro christiana republica administranda, distinemur, statutum nobis sit cum ad publicam utilitatem, tum ad privatam Romanorum Pontificum commoditatem, tabularium seu archivium eorum omnium, quae ad nos et Sedem Apostolicam quoquomodo pertinent, conquisitis undique et transcriptis, non in alma modo Urbe et ditione nostra ecclesiastica, verum per universum terrarum orbem, exemplaribus, libris, voluminibus et aliis scripturis, in Palatio nostro Vaticano, quanta possumus diligentia, parare atque instruere.

Erecto archivio praeficit card. Amulium.

§ 1. Animoque nostro revolventes cuinam praestantis ingenii viro ex cardinalium ordine procurationem hanc adeo laudabilem et honorariam demandaremus, tu nobis in primis occurristi, cuius certe diligentiam et doctrinam, pari quidem cum industria ac prudentia coniunctam, maxime semper probavimus. Ita quod munus hoc quemadmodum nos libenti animo tibi deferimus, ita ut, pro singulari tui animi in tam egregia monumenta propensione, alacri studio, opera et sollicitudine, opus ipsum primo quoque tempore aggredi ac promovere curabis.

Facultas ubique conquirendi libros, codices, aliaq monumenta;

§ 2. Nos enim, ut id facilius exequi valeas, circumspectioni tuae, ut tam ex bibliotheca nostra Vaticana, quam quibusvis aliis locis, et praesertim ubi supellex nostra custoditur et conservatur, atque etiam arce Sancti Angeli, ceterisque, tam publicis quam privatis, bibliothecis eiusdem Urbis ac Status nostri Ecclesiastici, ac denique ex totius orbis civitatibus, oppidis, provinciis, atque etiam ecclesiis, monasteriis, sacrisque domibus quaecumque exemplaria, libros, volumina, scripturas ac Summorum Pontificum regestra, quae ibi esse intellexeris, per te vel alios probos, eruditos ac fideles viros ad id a te deputandos describi; et, si id tibi videbitur, etiam scripta originalia ex civitatibus nostris Avinionensis, Bononiae, Perusiae, Assisii..... Anagniae,

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Viterbii, Ravennae, Maceratae, ex quibus aliisve facere atque curare; descriptaque ac deleta [1] in archivio huiusmodi reponere et collocare, ceteraque omnia, ad hoc negotium conficiendum necessaria et opportuna, gerere, mandare et exercere libere et licite valeas, plenam et liberam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facultatem concedimus et potestatem.

Omnes adhortatur, ut eidem tradant codices *etc.*

§ 3. Quo circa omnes et singulos eadem exemplaria, libros, volumina, scripturas et regestra habentes seu custodientes hortamur et requirimus in Domino, eisque, si opus fuerit, etiam in virtute sanctae obedientiae mandamus ut illa tibi vel tuis scribis, habita per ipsos, ex scripto manu vestra facto, de eis receptis fide ac restituendis promissione, benigne transcribenda, prompte ac liberaliter tradant, concedant et accommodent.

Archivistae singulis vicibus nonnisi unum librum licet extrahere

§ 4. Volumus autem quod tibi non liceat nisi librum vel regestrum unum, singulis vicibus, e bibliotheca Vaticana sumere, nec alium inde habere, antequam primum restitutum fuerit; quodque, quando tibi placuerit, librarios quot volueris, ad transcribendos libros qualescumque eiusdem bibliothecae, in eam intromittere possis.

Harum literarum transumptis danda fides.

§ 5. Exemplis vero seu transumptis harum literarum eandem fidem haberi, quae eisdemmet literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae; et nostrae huic voluntati nihil omnino obstare decernimus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimaquinta iunii, millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 iunii 1565, pontif. anno VI.

1 Legendum hic forsan *ex quibus aliisve describi facere atque deferri curare; descriptaque ac delata* etc. (R. T.).

CXV.

Privilegium abbatum congregationis Cassinensis, alias S. Iustinae monachorum, Ordinis S. Benedicti, utendi pontificalibus, benedicendique populum et consecrandi lapides pro altarium usu [1].

Pius Papa IV, dilectis filiis praesidenti et visitatoribus congregationis Cassinensis, alias Sanctae Iustinae de Padua, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sedis Apostolicae circumspecta benignitas devotorum consuevit iustis annuere votis, et his, quae divini cultus respiciunt augmentum animarumque salutem, libenter intendere.

Causa concessionis huius indulti.

§ 1. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat quod, cum in diversis monasteriis, necnon locis regularibus vestrae congregationis Cassinensis, alias Sanctae Iustinae de Padua, diversa altaria, cappellae, cappellaniae et alia pia loca in dies erigantur, et saepe, crescente numero presbyterorum religiosorum eiusdem congregationis, altaria benedicta deficiant.

Indultum pro abbatibus utendi baculo et mitra, et benedictionem dandi, et lapides pro altaribus consecrandi.

§ 2. Nos, volentes commoditati religiosorum dictae congregationis, ac eorum devotioni in praemissis opportune consulere, et ipsam congregationem favoribus et gratiis prosequi, eidem congregationi et singulis illius abbatibus pro tempore existentibus, qui, licet quinquennales sint, nihilominus, ex privilegio apostolico eidem congregationi concesso, baculo pastorali ac mitra pontificali in ecclesia monasteriorum, in quibus abbates pro tempore deputati existunt, uti, et benedictionem pontificalem post divina officia christifidelibus ibi existentibus elargiri consueverunt, quoscumque lapides marmoreos vel porphyrios vel alios ad usum altarium portatilium accommodandos, pro usu quorumcumque utrius-

1 Huius congregationis antiquissimam originem et alia vide in Iulii II constitutione II, *Super cathedram*, tom. V, pag. 400.

que sexus dictae congregationis monasteriorum, prioratuum, ecclesiarum et aliorum piorum locorum, super quibus, intra claustra eorumdem monasteriorum et prioratuum seu septa ecclesiarum et aliorum piorum locorum huiusmodi, dumtaxat missae celebrari possunt, consecrare et benedicere, ordinariorum locorum licentia desuper minime requisita, libere et licite valeant, plenam et liberam licentiam et facultatem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Decernentes concessionem et indultum huiusmodi, necnon praesentes literas, sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus vel derogationibus, per nos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros quomodolibet factis vel faciendis, nullatenus comprehensas, sed semper exceptas ab illis existere; et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas esse.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus quibusvis, etiam revocatoriis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, per nos et per quascumque Cancellariae regulas editis et edendis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi iulii, millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, pontificatus nostri anno vi.

Dat. die 6 iulii 1565, pontif. anno vi.

CXVI.

Impetrantes aliqua privilegia et gratias interesse Reverendae Camerae Apostolicae quomodocumque concernentes, infra tres menses a die impetrationis, in Camera Apostolica illa praesentare et registrari facere debent; alioquin illis, tamquam invalidis, uti non possunt.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Exordium.

Ingens humeris nostris iugiter incumbens expensarum onus ita nos premit et excitat ut, nostrorum et Camerae nostrae Apostolicae rerum et iurium, sublatis quibusvis obstaculis, solertem curam habentes, eiusdem Camerae indemnitati, quantum in nobis est, consulere studeamus.

Causae huius constitutionis

§ 1. Cum itaque, sicut nuper nobis innotuit, complures diversi status et conditionis personae varia privilegia, facultates, licentias et indulta sive concessiones, tam a nobis, quam pro tempore existentibus nostris et apostolicae Sedis legatis, eorum vicelegatis ac gubernatoribus, ac forsan aliis nostris et dictae Camerae ministris et personis, nimiis forsan ac taediosis quibusdam earumdem personarum precibus et instantiis in dies obtineant, seu potius extorqueant, quae cum a nobis seu legatis aut vicelegatis vel gubernatoribus ac ministris et personis huiusmodi, bona quadam fide, reque minus forsan quam par esset diligenter et accurate perspecta, concedantur, illa nonnumquam, immo saepius, in nostrum ac Camerae praefatae praeiudicium, gravamen et detrimentum non leve concessa esse et emanasse conspicimus.

Impetrantes indulta concern interesse Camerae debent infra tres menses illa in Camera praesentare et registrari facere sub poenis nullitatis.

§ 2. Quapropter, in praemissis (ne aliis prodesse cum velimus, nobis ipsis praeiudicium inferamus) aliquantisper providere volentes, praesenti nostra perpetua valitura constitutione et ordinatione, quam vim et naturam legis perpetuae ab omnibus observandae penitus habere et obtinere decernimus, apostolica auctoritate et ex certa nostra scientia, harum serie statuimus et ordinamus quod omnes et singuli, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentes, necnon etiam ducali, marchionali, comitali aut alia quavis saeculari ac patriarchali, archiepiscopali, episcopali seu etiam alia quacumque ecclesiastica dignitate, praeeminentia et auctoritate, etiam cardinalatus honore, fulgentes, qui aliqua privilegia, gratias, facultates, licentias et indulta aut

concessiones, quae aliqua ex parte, quavis ratione seu causa, directe vel indirecte, principaliter, secundario vel accessorie, aut quovis modo, nostrum aut dictae Camerae qualecumque minimum interesse vel praeiudicium, gravamen seu detrimentum concernere censebuntur, illa, infra tres menses a die eorum impetrationis computandos, in eadem Camera praesentare, ac ibidem registrare facere debeant et teneantur; alioquin, lapsis tribus mensibus eisdem, ac privilegiis, facultatibus, licentiis, gratiis ac indultis vel concessionibus huiusmodi non praesentatis, minusque registratis, illa, in iudicio et extra, nullatenus fidem facere possint, tamquam non concessa, nullaque et ipso iure invalida, ac nullius roboris vel momenti fuisse et esse et fore, neminique suffragari vel prodesse posse seu debere, respective habeantur et censeantur, prout nos illa ex nunc nulla et invalida, irritaque et inania, ac nullius roboris vel momenti fuisse et esse, neminique, ut praefertur, suffragari posse declaramus.

Executoris deputatio pro observantia huius bullae.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dilecto filio nostro Vitellotio Sanctae Mariae in Via-Lata diacono cardinali Vitellio nuncupato, moderno, et pro tempore existenti sanctae Romanae Ecclesiae camerario, quatenus praefatam nostri motus proprii cedulam, ac in ea contenta quaecumque, ab omnibus, quos illa concernunt et concernent in futurum, penitus et omnino ac inviolabiliter et inconcusse observari faciat et procuret.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes ita, ut praefertur, per dilectos filios eiusdem Camerae thesaurarium, praesidentes et clericos, aliosque ministros et personas, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et alios quoscumque iudices, sublata *etc.*, iudicari et definiri debere; irritum quoque *etc.*, attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Privilegiis, facultatibus, licentiis, gratiis, indultis et concessionibus, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 6. Volumus autem quod praesentis motus proprii cedulae per quaecumque privilegia, gratias et indulta, etiam absque data et registratura, ut praefertur, concedenda, nisi cum illius specifica insertione, derogari nullatenus possit; quodque eius sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula seu constitutione apostolica contraria non obstante; seu, si consultius fore visum fuerit, literae, etiam ad perpetuam rei memoriam, latissime expediri possint.

Placet, motu proprio. I.

Datum Romae apud S. Marcum, VIII idus augusti, anno VI.

Admissio et reg. in Camera.

Die XXII augusti MDLXV admissa est haec cedula motus proprii ex decreto Camerae et registrata libro secundo signaturarum sanctiss. D. N. Papae apud me notarium, fol. 74.

Hier. de Tarano.

Dat. die 6 augusti 1565, pontif. anno VI.

CXVII.

Revocatio omnium licentiarum et facultatum, praeterquam ex causa vere onerosa concessarum, extrahendi frumenta, bluda et legumina de locis Sedi Apostolicae mediate et immediate subiectis; et prohibitio de cetero extrahendi.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Exordium

Inter multiplices curas, quibus assidue premimur, eas sollicitudinis partes a nobis non immerito suscipiendas esse arbitramur, per quas illis, quos supremae dignitatis nostrae pontificalis ratione iuris-

dictioni nostrae temporali subiectos esse cernimus, etiam in his, quae communem vitae usum et substentationem concernunt, opportune providetur; ac proinde nonnullas facultates, licentias et indulta hactenus, tam a nobis quam a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, quibusdam certis tunc suadentibus causis, concessa, quae praemissis obesse contemur, aliis urgentibus magisque necessariis supervenientibus causis, pro nostra in cunctis solita providentia, interdum revocamus et annullamus, aliasque desuper disponimus, prout omnium communi utilitati et commoditati percipimus salubriter expedire.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Sane attendentes quod, licet Dei omnipotentis gratia et benignitate in Statu nostro Ecclesiastico ea talis hactenus fuerit ac sit in praesentiarum annonae copia, quod ex ea Status eiusdem populi et subditi nostri facile commodeque ac vili pretio se suasque familias substentare possent; nihilominus, nimia lucri cupiditate multorum, forsan praetextu certarum licentiarum et facultatum eis, ut asserunt, concessarum, ex diversis dicti Status partibus et locis frumenta et alia blada ac legumina, in multarum, etiam pauperum, partium earumdem personarum praeiudicium et gravamen, extrahentium et alio asportantium, efficitur ut fere semper populi ac subditi ipsi, nimia annonae huiusmodi caritate rerumque penuria oppressi, quoad eorum qualemcumque substentationem et victum quotidianum non mediocriter, sed plusquam par sit nostramque deceat providentiam, patiantur.

Revocatio quarumcumque licentiarum et facultat., praeterquam ex causa vere onerosa concessar., extrahendi frumenta, blada, et legumina ex provinciis, civitatib. et locis ditionis ecclesiasticae.

§ 2. Nos igitur, quorum est praeceteris per debitae provisionis nostrae ministerium praemissis obviare, ac populorum et subditorum praefatorum commoditatibus opportune consulere, et ne, licentiarum et facultatum huiusmodi causa, aliis prodesse quidam cum velint, nostri rerum penuria huiusmodi pergraventur, satagere volentes, auctoritate apostolica et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, praesentibus perpetuo valituris, eas omnes et singulas, praeterquam ex causa vere onerosa, solutionis videlicet et exbursationis pecuniarum, extrahendi frumenta et cuiusvis alterius generis blada et legumina, ex quibusvis provinciis, civitatibus, terris et locis, nobis ditionique nostrae ecclesiasticae mediate vel immediate subiectis, quibusvis communitatibus, universitatibus et personis, tam saecularibus, quam quorumvis Ordinum regularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existentibus, ac etiam ducali, marchionali, comitali aut alia saeculari dignitate et excellentia, necnon cardinalatus honore fulgentibus, per nos et praedecessores nostros praefatos aut alios quoscumque, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis et irritandis, etiam de necessitate exprimendis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac alias quomodolibet concessas, approbatas et innovatas, illarum singularum veros tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro sufficienter expressis habentes, revocamus, cassamus et annullamus, ac viribus vacuamus, illasque revocatas, cassatas et annullatas ac invalidas et viribus vacuas, neminique prodesse aut suffragari posse seu debere decernimus et declaramus.

Innovatio prohibitionum emanatarum contra extrahentes.

§ 3. Necnon hactenus de non extrahendo frumenta, blada et legumina huiusmodi in provinciis, civitatibus, terris et locis praefatis, tam a nobis, quam praedecessoribus nostris constitutiones et inhibitiones emanatas, ac aliis quibusvis factas inhibitiones, bannimenta, prohibitiones et proclamata innovamus, ac sub

poenis in illis contentis observari volumus.

Prohibitio extrahendi et poenae contravenientium.

§ 4. Districtius inhibentes quibusvis personis, etiam, ut praefertur, qualificatis, ne, in virtute sanctae obedientiae, ac sub nostrae indignationis, necnon confiscationis omnium bonorum, et amissionis feudorum poenis, licentiarum seu facultatum, alias tamen quam ut praefertur, ex onerosa videlicet solutionis exbursationisque causa pecuniarum, concessarum, aut alio quovis praetextu, directe vel indirecte, frumenta et blada necnon legumina huiusmodi ex provinciis, civitatibus, terris et locis praefatis quocumque modo extrahere et alio asportare audeant vel praesumant.

Executoris deputatio et facultates.

§ 5. Ac mandantes, in virtute sanctae obedientiae, dilecto filio nostro Vitellotio, Sanctae Mariae in Via-Lata diacono cardinali Vitellio nuncupato, sanctae Romanae Ecclesiae camerario, quatenus ipse, ultra ordinariam sui camerariatus officii facultatem, specialem quamdam et praecipuam in praemissis curam habens, praesentem nostri motus proprii cedulam ac in ea contenta quaecumque ab eis, quos illa quomodolibet concernent [1] in futurum, firmiter et inconcusse observari, executionique debitae demandari; necnon in provinciis, civitatibus, terris et locis huiusmodi, ac alibi, ubi opus fuerit, publicari et notificari; necnon contradictores quoslibet et inobedientes ac praesentibus et inde pro tempore emanatis proclamatibus, bannimentis et inhibitionibus quibuscumque non parentes, quacumque appellatione et subterfugio remotis, auctoritate nostra compescat: ac si ei expediens et opportunum fore videbitur, legitimis super his habendis servatis processibus, aut etiam simpliciter et de plano, necnon manu regia, ac sine strepitu et figura iudicii, sed sola facti veritate inspecta, illas censuras et praefatas ac alias quascumque in eisdem pro tempore subsecutis bannimentis, inhibitionibus, proclamatibus et prohibitionibus contentas poenas incidisse et incurrisse declaret, easque ab illis exigi et recuperari faciat et procuret, sibi in praemissis omnibus et singulis amplam et omnimodam dantes et concedentes facultatem, potestatem et auctoritatem.

Licentias habere praetendentes ex causa onerosa, verificent coram camerario, alioquin eis uti non possint.

§ 6. Ac decernentes omnes et singulos frumenta, blada ac legumina, ut praefertur, extrahentes et alio asportantes, facultates et licentias ex onerosa, solutionis videlicet et exbursationis pecuniarum, causa sibi concessas esse allegantes et praetendentes, antequam ipsi illis modo aliquo deinceps ullo umquam tempore uti possint, illas coram eodem Vitellotio cardinale et camerario verificari debere, ac ad id teneri et obligatos existere; alioquin, ipsis non iustificatis et per eumdem cardinalem camerarium non approbatis, easdem facultates et licentias, ac illarum vigore seu praetextu quascumque per eos frumentorum, bladorum et leguminum huiusmodi de cetero factas extractiones et asportationes, nullas et invalidas, ac de facto et nulliter ac praeter mentem et intentionem nostras factas fuisse et esse, ac personas taliter extrahentes et asportantes poenas praefatas incidisse et incurrisse, ac ad illarum totalem satisfactionem penitus teneri.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis, *etc.*, etiam iuramento *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, universitatibus, communitatibus ac personis, etiam, ut praefertur, qualificatis, quomodolibet, etiam motu, scientia, auctoritate et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, *etc.* ac alias quomodolibet concessis *etc.*, quibus omnibus et singulis, illorum omnium veros tenores

1 *Concernunt et concernent*, Cherub. (R. T.).

praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Licentiae extrahendi frumenta a camerario non approbatae non valent.

§ 8. Volumus autem ut deinceps, perpetuis futuris temporibus, nulli quarumcumque licentiarum, etiam ex causa onerosa, etiamsi propria auctoritate extractio illis permissa sit, concessarum et concedendarum vigore, extractiones granorum, bladorum et leguminum huiusmodi, absque eiusdem camerarii cardinalis patentibus desuper concedendis literis, aliquo pacto in toto Statu Ecclesiastico facere possint aut valeant. Alioquin contrafacientes in praefatas poenas incidisse et incurrisse declaramus, et ab eodem cardinale camerario declarandos esse decernimus *etc.*

Sola signatura sufficit.

§ 9. Quodque sola praesentis motus proprii signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula seu constitutione apostolica contraria non obstante.

Placet, motu proprio. I.

Datum Romae apud S. Marcum, idibus augusti, anno VI.

Dat. die 13 augusti 1565, pontif. anno VI.

CXVIII.

Confirmatio gratiarum, privilegiorum et facultatis quaerendi eleemosynas, abbati, conventui et fratribus Ordinis S. Antonii Viennensis concessarum, quatenus concilio Tridentino non adversentur 1.

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii nobis, meritis licet imparibus, divina dispositione commissi, circa monasteriorum et hospitalium infirmorum aliorumque piorum locorum statum prospere dirigendum, infirmosque in suis necessitatibus sublevandos paternae pietatis oculos intendentes, ea, quae pro illorum subventione ab Apostolica Sede emanarunt, quantum (salvis sanctorum Patrum decretis) nobis ex alto permittitur, approbationis nostrae subsidio libenter stabilimus, et in his alias disponimus prout, habita temporum ratione, cognitaque miserabilium personarum egestate, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Concil. Trid. quaestum prohibuit.

§ 1. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ludovici de Langiaco, abbatis, et conventus monasterii ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis S. Antonii de S. Antonio, Ordinis S. Augustini, Viennensis dioecesis, petitio continebat quod, licet in concilio Tridentino statutum sit ut quaestores eleemosynarum, eorumque nomen et usus deinceps in quibuscumque christianae religionis locis penitus aboleantur, nec quaestores ad officium quaestarum huiusmodi exercendum ullatenus admittantur, ipsum tamen concilium indulgentias et alias spirituales gratias, quibus non ideo christifideles privandos esse censuit, in posterum per ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decrevit, dans illi facultatem etiam eleemosynas hiusmodi atque oblata sibi caritatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi, ut tandem omnes vere intelligant coelestes hos Ecclesiae thesauros, non ad quaestum, sed ad pietatem exerceri.

Sed hospitalia Sancti Antonii eleemosyn. destituta remanebant, licet pro eis quaererentur absque confes-

§ 2. Et cum monasterium ipsum eiusque hospitalia, praeceptoriae et aliae domus per orbem christianum longe lateque dispersa, ad quae miserabiles illae personae horrendo sacri ignis cruciatu

1 De huiusmodi gratiis et privilegiis vide in Bonifacii VIII constitutione XI, *In dispositione*, tom. IV, pag. 143.

sionalium et indulgent. communicatione.

correptae recursum passim habere ibique recipi, ali, medicari et substentari solent, piis fidelium eleemosynis, sine quibus apud eorumdem hospitalium plurimi pauperes infirmi nutriri non possent, hoc praetextu minime destituenda sint, praesertim cum eorum religiosi sive ministri plenarias indulgentias seu confessionalia nusquam circumferant; idcirco praefati Ludovicus abbas et conventus humiliter supplicari fecerunt quatenus sibi, ut necessariis hospitalium suorum sumptibus sufficere, suosque infirmos alere queant, opportune consulentes, privilegia, facultates et gratias eisdem hospitalibus concessa, quae praefato concilii decreto non adversantur, approbare, ac alias eorum necessitatibus subvenire de benignitate apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontif. quaestarum et indulgentiarum usum restituit, quatenus concil. Trident. non contrarietur, et alias etiam gratias confirmat;

§ 3. Nos igitur, qui pauperum, praesertim infirmorum languentiumque, curam nequaquam abiiciendam, sed potius toto piae mentis affectu amplectendam esse censemus, omnia et singula privilegia, facultates, indulta et alias gratias, eisdem monasterio et conventui suisque hospitalibus, praeceptoriis, membris et aliis dependentiis et confraternitatibus ac eorum abbati, conventui, superioribus, praeceptoribus, confratribus et personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam hactenus quomodolibet concessa, literarumque desuper confectarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eadem privilegia, indulgentias ac quaestuandi et alias facultates et indulta aliasque gratias, quae praefato concilii decreto commode coaptari poterunt, literasque desuper confectas, ad hoc ut illis omnibus et singulis monasterium ac eius hospitalia, praeceptoriae, domus et alia membra, dependentiae atque confraternitates, ad id per praefatum Ludovicum, modernum, et pro tempore existentem abbatem seu conventum monasterii huiusmodi, vel personam seu personas ad id ab eo vel ab eis deputatas, ad eorum beneplacitum in scriptis designanda et specificanda, iuxta ipsius decreti concilii Tridentini formam et tenorem ubilibet gentium uti, frui et gaudere; ipsique fideles indulgentias et alias apostolicas gratias sibi propterea concessas consequi libere et licite possint, quoad ea tantum, quae sunt in usu, et decretis dicti concilii Tridentini non repugnant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus, approbamus et innovamus.

Quascumque suspension. revocat,

§ 4. Ac adversus quascumque revocationes, cassationes, suspensiones et limitationes, etiam per nos hactenus factas, in pristinum statum restituimus, reponimus et plenarie, iuxta formam dicti concilii, reintegramus; necnon illis perpetuae firmitatis robur adiicimus, ac illa valida et efficacia, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac monasterio, hospitalibus, praeceptoriis, domibus, confraternitatibus et aliis locis et personis, sic ut praefertur designandis et specificandis, ac eorum personis suffragari.

Et ita iudicari praecipit;

§ 5. Et sic per quoscumque locorum ordinarios et alios iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Executores deputat.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Caesaraugustano et episcopo Venusino, sive eorum in spiritualibus vicariis aut officialibus generalibus ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus quatenus

ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ludovici et pro tempore existentis abbatis et conventus praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos confirmatione, approbatione, innovatione, restitutione, repositione, reintegratione et decreto aliisque praemissis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos vel eorum aliquem seu deputatos suos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari vel impediri. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia, eadem auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, easdem censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando; invocando etiam ad hoc, si opus sit, auxilium brachii saecularis.

Contrariis derogat.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis (dummodo quispiam ultra tres diaetas praesentium vigore non extrahatur), et quibusvis aliis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac omnibus illis, quae in literis privilegiorum, facultatum, indultorum et aliarum gratiarum huiusmodi non obstare concessum fuit, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Volumus autem quod transumptis praesentium *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti, MDLXV, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 19 augusti 1565, pontif. anno VI.

CXIX.

Erectio civitatis Piae prope arcem Sancti Angeli de Urbe, et privilegia in ea aedificantium, ac ad eamdem translatio conventus et ecclesiae Sanctae Mariae Transpontinae nuncupatae.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanum decet Pontificem almam Urbem, in qua iussu Dei per vicarium suum beatum Petrum apostolorum principem Sedes Apostolica, ad omnium christifidelium commoditatem ac religionis augmentum, immobilis constituta, et copioso tum eiusdem Principis, tum exuberantis illius gloriosi Vasis electionis, coapostoli sui, innumerabiliumque Christi martyrum sanctissimorum sanguine Domino suo consecrata existit, nimirum ut Ecclesiae caput in ea potissimum civitate foret, quae principatum orbis iampridem sibi vendicasset, et ad quam, tamquam supremam orbis christiani metropolim communemque mortalium omnium patriam et altricem, magnus undequaque populi fit concursus, non solum iustitia pietateque moderari, sed etiam eius pomerio, ad populum ibi quotidie, Domino benedicente, non mediocriter augescentem recipiendum, dilatato, novis subinde vicorum regionumque additamentis ampliare.

Burgum Sancti Petri admodum

§ 1. Cupientes igitur, vestigiis felicis recordationis Leonis Papae IV, praedecessoris

ornavit Leo X, et illud voluit appellari civitas Leonina.

nostri, qui suburbium, quod Burgum Sancti Petri vocant, antea per piae memoriae Nicolaum III et alios plerosque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, iuxta praefati Principis Apostolorum basilicam, ad curialium commoditatem, institutum, non mediocriter ornavit et ampliavit, illudque suo de nomine civitatem Leoninam appellavit, inhaerendo, pro ipsius Urbis decore et ampliatione, novam apud idem suburbium civitatem construere, populumque, quo libentius ad eam inhabitandam novisque aedificiis replendam se conferat, et in ea cum omni tranquillitate et commoditate aerisque salubritate degere possint, paternis favoribus et gratiis invitare, post varia, quae in Vaticano dictaque Leonina civitate feliciter opera nostra iampridem consurgere noscuntur aedificia.

Hic vero Pontifex apud dictum burgum aedificare coepit aliud burgum, quod civitatem Piam etiam denominari mandat;

§ 2. Motu proprio et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnipotentis Dei gratia per nos in primis ad hoc supplicibus votis implorata, ad eius laudem et gloriam, tractum illum inter vetera Leoninae civitatis moenia et muros, propugnaculaque ab arce S. Angeli ad Palatium Apostolicum, per nos nuper excitata, interiacentem, quem etiam, ne eius incolis repentinae Tyberis inundationes, aerisque intemperies obesse possint, suggesta passim humo in altum elevari, cloacisque ad sordes elevandas aptis locis fulciri mandavimus, in civitatem Piam similiter de nomine nostro nuncupandam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Conventumque et ecclesiam B. Mariae Transp. transfert ad civitatem Piam ex causa hic expressa;

§ 3. Et quoniam omne principium ab ipso Deo, summo rerum opifice, civitatumque omnium praeside atque custode, necnon beata et gloriosa semperque Virgine Dei Genitrice Maria, par est auspicari, conventum eiusdem B. Mariae Transpontinae nuncupatae, Ordinis ipsius S. Mariae de Monte Carmelo, qui in dicta civitate Leonina olim constructus reperitur, et quem, pro fortificatione struendisque aggeribus arcis nostrae S. Angeli, et alias ad publicam utilitatem dirui et solo aequari expedit, cum suis ecclesia, titulo, denominatione, fratribus et personis, cappellis, cappellanis, altaribus, officiis et beneficiis, necnon cura animarum illi imminente, fonte baptismali, sanctorumque reliquiis et indulgentiis in ea existentibus, ac fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, fundationibus, censibus, redditibus et privilegiis universis, ad eamdem civitatem Piam eisdem auctoritate et tenore transferimus.

Eiusque fratribus concedit omnia privilegia habitantibus in civitate Pia concessa;

§ 4. Ita ut dilecti filii prior et fratres illius, in eadem civitate Pia similem curam animarum habitatorumque ibi pro tempore degentium, cum omnibus honoribus [1] parochialibus ecclesiis debitis, solitis et consuetis, habeant et exerceant; dictique habitatores ecclesiam conventus translati huiusmodi pro sua parochiali nanciscantur et recognoscant, parochianique dictae ecclesiae existant et nuncupentur. Ac iidem prior et fratres, omnibus et singulis gratiis, favoribus, exemptionibus et libertatibus, privilegiis et indultis, quibus alii dictae civitatis Piae incolae et habitatores utentur et quomodolibet gaudebunt, similiter uti et gaudere possint.

Et eamdem ecclesiam visitantibus *etc.* indulgentias concedit;

§ 5. Et insuper, ut devotio non solum dictorum incolarum, sed etiam totius populi Romani ad dictam ecclesiam visitandam et frequentandam augeatur, ultra alias indulgentias et gratias spirituales illi hactenus concessas, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum suorum praedictorum auctoritate confisi, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, seu statutis a iure temporibus confitendi propositum haben-

1 *Et oneribus*, Cherub. (R. T.).

tibus, qui intra decennium proxime futurum annuatim dictam ecclesiam in singulis Domini N. I. C. ac eiusdem gloriosissimae Virginis Matris festivitatibus, ac etiam qui infra triennium proximum singulis dominicis diebus, antequam praefatam nondum dirutam, seu post eius demolitionem noviter construendam, ecclesias praedictas devote visitaverint, et Orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam ibi ter recitaverint, quoties id fecerint, toties plenariam omnium peccatorum suorum remissionem misericorditer in Domino concedimus et elarginur in forma Ecclesiae consueta.

Situm pro nova ecclesia et conventu a viarum magistris designari,

§ 6. Et insuper, pro conventu eiusque ecclesia de novo fundandis et construendis, aream situmque convenientem, arbitrio dilectorum filiorum nobilis viri Gabrii Serbelloni, dicti Burgi et militum nostrorum praetorianorum praefecti, nostri, secundum carnem, fratris consobrini, et Horatii Nari ac Hieronymi de Pichis, nobilis Romani, modernorum, et pro tempore existentium ipsius Urbis magistrorum viarum, assignari volumus atque mandamus. Quibus etiam priori et fratribus, pro satisfactione damnorum demolitionis ecclesiae, bis mille scuta solvi et numerari iussimus. Antiquum autem conventus et ecclesiae praefatorum situm, cum primum dicta ecclesia diruta fuerit, ex nunc prout ex tunc profanamus, et pro area ac propugnaculis dictae arcis ad profanos usus reducimus et convertimus.

Et dictam civitatem Piam fonte et ludo littorario ornari mandat.

§ 7. Vias autem ac domos, palatia ceteraque aedificia solita dictae civitatis Piae in planitie aequali, quoad primum solare ac altitudinem stillicidii grundarum recti vulgariter nuncupati, frigoris aestusque defendendi gratia, eodem pariter arbitrio construi et fabricari; ac, ad publicam dictorum incolarum et habitantium utilitatem et refrigerium, ex Palatio Apostolico destinatis vel aliis commodioribus aquis fontem in medio dictae civitatis excitari; ludumque literarum seu scholam publicam pro pueris et adolescentibus gratis edocendis similiter institui et aperiri, magistroque et praeceptori, qui literis et bonis moribus eos instruat, de honesto salario, ex proventibus gabellae Studii almae Urbis assumendo, provideri statuimus et ordinamus.

Ecclesiasticorum ibi aedificantium privilegia,

§ 8. Et, ut promptius et alacrius ad aedificandum omnes, cuiusvis gradus et conditionis, alliciantur et invitentur, quibuscumque personis ecclesiasticis, etiam quacumque dignitate fungentibus, ut pro ea quantitate, qua ibi aedificaverint, de rebus et bonis suis quibuscumque in Urbe et alibi ubicumque locorum consistentibus, etiam quae sub nomine spoliorum Camerae Apostolicae debitorum comprehenduntur, ultra aedificia praefata, testari et alias disponere. Necnon ipsis in infirmitate constitutis, ac etiam laicis, ut præfertur, aedificantibus, etiam in alma Urbe et Romana Curia praesentibus, dummodo per viginti dies supervixerint, quaecumque venalia dictae Curiae officia, etiam per procuratorem, pro concurrenti factarum a se fabricarum huiusmodi, resignare ac cedere; et resignationes huiusmodi omnino admitti debere et admissas censeri per simplicem consensum desuper praestandum, ac suum plenarium effectum sortiri. Regularibus vero, ut domos per ipsos in dicta civitate constructas, personis, etiam incapacibus, etiam iuxta privilegia montis fidei de Urbe, et quae dilectis filiis illius portionariis montistis nuncupatis concessa sunt, similiter concessa sint et esse intelligantur, etiam inter vivos et causa mortis donare et relinquere ac alias de illis disponere.

Locorumque piorum,

§ 9. Ecclesiis vero et locis piis quibuscumque, quae penes quamcumque idoneam personam aut aedem sacram et in quocumque loco pecunias, ad effectum

illas in emptionem aliorum bonorum stabilium in evidentem utilitatem convertendi, depositas tenent vel in futurum tenebunt, illas in domorum, in dicta civitate Pia, aedificationem exponere; quae sic expositae in evidentem utilitatem ipsarum ecclesiarum et locorum piorum cessisse et cedere censeantur.

Laicorum etiam et clericorum,

§ 10. Ac laicis, etiam coniugatis, et clericis in ipsa civitate Pia aedificantibus, quod pensiones super beneficiorum ecclesiasticorum fructibus, redditibus et proventibus sibi assignatas, ad ratam decem scutorum, pro quolibet centenario per eos in fabricando pro tempore expenso, recipere, retinere et percipere, ac alias in quasvis personas, etiam in mortis articulo, et prout eorumdem Sanctorum Petri et Pauli ac Pii nuncupati milites, iuxta privilegia per nos et praedecessores nostros sibi concessa, formamque eis traditam, etiam absque consensu dicta beneficia obtinentium desuper habendo, pariformiter transferre. Ita quod privilegia eadem sic aedificantibus laicis, etiam clericis, etiam praelatis et religiosis concessa et communicata censeantur.

Impudicorum mulierum ibi aedificant. privileg. contra const. Leonis X et Clem. VII et Pauli III.

§ 11. Impudicae vero, quas curiales vulgus appellat, et aliae inhonestae mulieres, quae in dicta civitate Pia ad minus pro scutis quingentis aedificaverint, tam de suis aedificiis huiusmodi quam aliis earum bonis quomodocumque, etiam ex turpi quaestu acquisitis et acquirendis, similiter testari et disponere libere et licite valeant; nec tales mulieres, testatae vel ab intestato decedentes, aliquam partem monasterio Convertitarum de Urbe, iuxta dispositionem Leonis X ac recolendae memoriae Clementis VII et Pauli III, Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, et eorum privilegia, debitam relinquere teneantur, sed dicta eorum bona libere et integraliter, tam ex testamento quam ab intestato, ad earum haeredes pervenire debeant.

Ædificia ibidem constructa confiscari nequeunt, iuxta privilegia montis fidei.

§ 12. Quodque domus et aedificia quaecumque, per quosvis in dicta civitate Pia pro tempore constructa, ex quocumque crimine et delicto, praeterquam haeresis et laesae maiestatis, confiscari non possint, ad instar privilegiorum montis fidei, sed eorum dominis et successoribus suis, perinde ac si delicta non commisissent, perpetuo firma et illaesa remanere debeant, eisdem auctoritate et tenore, perpetuo concedimus et indulgemus *etc.*

Domini fundorum ibidem existentium debent aedificare aut aedificare volentibus locare, ut hic.

§ 13. Ceterum, ne in ipsa civitate Pia aedificare volentes a fundorum dominis ullo modo retrahantur, etiam perpetuo statuimus et ordinamus quod, intra annum a data praesentium computandum, in quovis civitatis Piae loco aedificare volentibus, domini fundi, si ipsi aedificare noluerint, seu se aedificare velle dicentes, nisi infra trimestre aedificare coeperint, fundum huiusmodi pro annuo censu perpetuo, ad rationem unius iulii pro qualibet canna, dare et locare teneantur, et ad id compelli possint et debeant. Ipsique conductores sive censuarii a solutione primi semestris omnino liberi et exempti sint et esse intelligantur. Quodque, tam fundorum domini quam conductores et censuarii, infra sex menses a data praesentium, a die locationis respective computandos, fabricas huiusmodi omnino inchoare: et in fundo centum cannarum, conductores, mille; fundi vero domini, quingentorum scutorum summas in fabricam exponere; et ita proportionabiliter aedificare volentes, tam domini soli quam conductores, pro situs quantitate et ad ratam huiusmodi, fabricare teneantur.

Conductores autem eorumdem fundorum, aucta decima parte, eos affrancare possunt.

§ 14. Conductores autem praefati eorumque haeredes et successores, quandocumque sibi placuerit, eosdem fundos, etiam ad ecclesias, hospitalia vel alia quaecumque loca pia quomodolibet pertinentes, iuxta facultates sanctae memoriae Sixti IV et Alexandri VI et Leonis X,

etiam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, aucta decima parte census, francare, et se ab huiusmodi censu liberare ac totaliter eximere valeant.

Aliud privilegium aedificantium.

§ 15. Praeterea, qui in civitate Pia aedificaverint, in venditionibus viridariorum, vinearum et terrenorum in partibus Transtiberim existentium, quoquo modo pro tempore faciendis, aliis qui in dicta civitate Pia non aedificaverint, etiam si vicini rerum et bonorum venalium huiusmodi existant omnino, arbitrio tamen praefato, praeferri possint et debeant, prout et quemadmodum si ius congrui seu protimeseos, ratione vicinitatis, communionis vel alias quomodocumque, haberent, in quibus etiam qui prius aedificaverit, ceteris praeferatur.

Civitas Pia gaudeat omnibus privilegiis civitatis Leoninae.

§ 16. Porro dictam civitatem Piam, postquam constructa et aedificata fuerit, etiam ex nunc prout ex tunc, regimini, administrationi, gubernio et iurisdictioni eiusdem moderni et pro tempore existentis praefecti, adinstar ipsius civitatis Leoninae, aeque principaliter et sine aliqua differentia, subiicimus; eamdemque omnibus et singulis privilegiis, honoribus, favoribus, gratiis et facultatibus, necnon statutis et consuetudinibus, quibus dicta civitas Leonina utitur, potitur et gaudet, uti, potiri et gaudere similiter aeque principaliter posse; dictumque praefectum pro tempore existentem utriusque civitatis, Leoninae videlicet atque Piae, capitaneum seu praefectum principaliter denominari et describi debere volumus.

Executorum deputatio et facultates.

§ 17. Dilecto filio Vitellotio, Sanctae Mariae in Via-Lata diacono cardinali Vitellio nuncupato, moderno, et pro tempore existenti sanctae Romanae Ecclesiae camerario, necnon eiusdem modernis et pro tempore existentibus praefecto et viarum magistris, motu proprio et ex certa scientia, districte praecipiendo, mandantes quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte alicuius praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac conductoribus et aedificantibus, eorumque haeredibus et successoribus, ac omnibus et singulis aliis supra nominatis, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, praesentes literas et omnia in eis contenta ab omnibus, etiam sub poenis eorum arbitrio imponendis et applicandis, firmiter et inviolabiliter observari, illasque debite executioni demandari procurent. Nos enim illis et eorum cuilibet, omnia et singula praemissa faciendi et exequendi, et quae in eis dubia inciderint, declarandi et interpretandi, ac tempus et tempora in praemissis prorogandi et moderandi, ceteraque in his et circa ea necessaria et opportuna gerendi, plenam, liberam et omnimodam facultatem et potestatem concedimus per praesentes.

Decretum irritans.

§ 18. Necnon omnia et singula praemissa, valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et inviolabiliter observari, ac singulis supradictis suffragari. Sicque in omnibus et singulis praemissis per camerarium praefatum et dilectos filios dictae Camerae praesidentes et clericos, ac quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac ipsius sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 19. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Camerae Urbis et basilicae praedictarum et aliarum ecclesiarum ac monasteriorum et Ordinum quo-

rumcumque, necnon quibusvis aliis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis, eorum superioribus, magistratibus, ac etiam dilectis filiis populo Romano, sub quibusvis tenoribus et formis ac quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam per nos, etiam consistorialiter et alias quomodolibet concessis, ac etiam pluries approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter insertis et expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, pari motu, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poen. § 20. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, decimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 augusti 1565, pontif. anno VI.

CXX.

Confirmatio et extensio iurisdictionis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis camerarii et magistrorum viarum almae Urbis.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inter multiplices curas, quae mentem nostram undequaque sollicitant, illi summa ope iampridem incumbendum nobis esse statuimus ut almam Urbem nostram, perpetuam vicarii Christi spiritualisque imperii Sedem, longe felicioribus, quam priscum illud temporale partum fuerat, auspiciis stabilitam, in communemque totius christiani populi patriam, sicut bonis moribus omnique virtutum genere perornatam, ita templorum et aliarum, tam sacrarum et publicarum quam privatarum aedium, platearum et viarum pulchritudine, necnon murorum propugnaculorumque firmitate decoratam, ac etiam pomeriis suis longe lateque [1] insigniter ampliatam, cum Dominus huic nostrae peregrinationi modum duxerit imponendum, relinquamus; et, ut haec votis nostris respondeant, eorum curam sollicitudinemque egregiorum civium prudentiae libenter committimus, qui sciant, velint et valeant id muneris diligenter amplexari et fideliter exercere.

Sixtus IV edidit bullam hic citatam, § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Sixtus Papa IV, praedecessor noster, cupiens ipsius Urbis *etc.* [2].

Leo etiam X. § 2. Et successive piae memoriae Leo Papa X, etiam praedecessor *etc.* [3].

Hic Pontifex confirmat dictas constitut. Sixti IV et Leonis X; § 3. Nos autem eiusdem almae Urbis ornatui, ampliationi, decori et pulchritudini aerisque salubritati, non minus quam ipsi praedecessores consuluerunt, quantum in nobis est, consulere, et quemadmodum illam civitatem nostram Piam ampliavimus, moenibusque ac propugnaculis munivimus, eam quoque ut munitam ita etiam ornatam ac speciosam reddere cupientes; eorumdem praedecessorum vestigiis inhaerendo, similiter motu proprio et ex certa scientia nostra ac de pari potestatis plenitudine, singulas Sixti et Leonis praedecessorum eorumdem literas praedictas, cum supradictis ac etiam aliis omnibus et singulis in eis contentis clausulis, ac inde secuta quaecumque, ancto-

1 *Prolatis* addit Cherub. (R. T.). 2 Omittitur relatio huius bullae, quia eam habes in tom. V, pag. 273, *Etsi de cunctarum.* 3 Omittitur etiam haec relatio, quoniam ipsa bulla est in tom. V, pag. 655, *Inter curas.*

ritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus, approbamus et innovamus. Decernentes easdem literas in omnibus et singulis illarum partibus, etiam hic non expressis, etiam in quibus forsan hactenus usu receptae non sunt seu non esse dici possent, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter et ad unguem, ab omnibus observari debere, ac omnes et singulos ad illarum observationem omnino teneri et efficaciter obligatos existere et censeri. Ac ad id opportunis iuris et facti remediis, etiam per censuras et poenas in eisdem literis appositas et inflictas, cogi posse et etiam debere.

Prefigitque terminum ad aedificandum illis qui ædificare promiserunt, et sub tali praetextu vicinorum domos sibi vendi fecerunt;

§ 4. Praeterea, cum non sine animi nostri displicentia intellexerimus ea, quae per praefatos praedecessores in praenarratis literis, pro publico almae Urbis commodo et honore, ordinata fuere, contrarium sortiri effectum, quandoquidem licet, iuxta earum tenorem, in præmissis et forsan certis aliis ibi expressis casibus, camerarius et magistri viarum, qui pro tempore fuerunt, quamplures ad domos suas vicinis, se ibi aedificare velle dicentibus, sequc id facturos etiam cum obligatione promittentibus, vendendum coegerint, multi tamen emptores huiusmodi, obligationibus per eos ad nova aedificia inchoandum et perficiendum, seu iam constructa ampliandum, pactis, modis et formis ac sub poenis in sententiis camerarii et magistrorum viarum, iuxta formam dictarum literarum promulgatis, contentis non obstantibus, postquam dictas domos, antiquis dominis eiectis, habuerunt, nova aedificia per se promissa facere seu iam constructa ampliare non curarunt, memoratas praedecessorum præfatorum constitutiones et antiquos domorum dominos, simul eludendo, et poenas praefatas damnabiliter incurrendo; indignitatibus huiusmodi, ut par est, providere volentes, eisdem auctoritate et tenore statuimus, volumus et ordinamus ut qui, infra sex menses a die publicationis praesentium, promissiones per eos a viginti annis citra factas et in futurum faciendas non adimpleverint, ac propterea poenas, iuxta formam dictarum literarum, incurrent, manu regia ad solutionem pœnarum huiusmodi per camerarium et viarum magistros praefatos cogantur; quarum poenarum una fabricae seu munitioni murorum civitatis nostrae Piae, et altera medietates camerario et viarum magistris praefatis applicentur; et nihilominus ipsi elusores ad dictas domos pro eodemmet pretio, quo illas emerunt, primis dominis retrovendendum a camerario et magistris praefatis cogi possint.

Declarat etiam venditiones domor. etc. semper intimandas esse vicinis;

§ 5. Et quum pluries hactenus sit in literis Sixti praedecessoris huiusmodi dubitatum an domini vendere volentes deberent requirere vicinos super venditionibus domorum, plateolarum, sediminum, situum vel casalenorum ipsis vicinis contiguorum, per eosdem dominos faciendis, ad obviandum litibus, quae ex hac causa deinceps oriri possent, hac nostra perpetuo valitura sanctione, statuimus et ordinamus ut in futurum, sive vicinus requisierit prius venditorem seu vendere volentem super venditione domus, plateolae, sediminis, situs vel casaleni, sive non requisierit, semper ad hoc ut venditio, aliis quam vicinis facta vel facienda, valida sit, suumque sortiatur effectum, venditor sive emptor domus huiusmodi vicinum, ipso personaliter reperto, si haberi poterit, per unum; sin autem, facta diligentia, personaliter reperiri commode non poterit, per duos ex mandatariis vel nostris cursoribus domi dimissa copia; in absente vero per edictum publicum requirere vel requiri facere debeat et teneatur an ipse vicinus velit domum venditam seu venalem huiusmodi pro pretio, per dictum emptorem seu emere volentem, non vicinum, vere et non ficte, oblato, soluto aut promisso et cum eisdemmet pactis et conventionibus.

Vicinosque post intimation. adimplere debere indicta;

§ 6. Qua quidem requisitione seu intimatione per venditorem seu emptorem sic facta, si vicinus aut vicini, si plures

fuerint, intra quindecim dies non acceptaverint, et summam cum emptore seu emere volente non vicino conventam non promiserint, et de fabricando ad certam summam arbitrio magistrorum viarum, sub certa poena eisdem magistris benevisa, se non obligaverint, et deinde intra alios quindecim dies dictam summam realiter et cum effectu, si vere et realiter in primo instrumento vel contractu [1] aut obligatione vel conventione contenta non adimpleverint, tunc venditio, aliis quam vicinis facta vel facienda huiusmodi, firma et valida remaneat. Sin vero praefata intimatio modo quo supra facta non fuerit, tunc venditio, iuxta praefatarum Sixti praedecessoris literarum formam, facta pro vicino intelligatur. Et si praedicta intimatio facta non fuerit, volumus quod ad rescissionem primi instrumenti huiusmodi venditionis unusquisque vicinorum praedictorum semper et quandocumque admittatur, nec illi via sit praeclusa, nisi post annum a die scientiae venditionis, quam scientiam declaramus sufficere tantum in generali, nempe scire rem fuisse venditam, etiam quod pretium et aliae qualitates fuerint ignoratae.

Vicinos quoque praeferendos esse inquilinis declarat;

§ 7. Et concurrentibus, in cuiusvis seu quorumvis domorum, plateolarum, sedimium, situum et casalenorum emptione, inquilino et vicino, ipse vicinus eidem inquilino ac alias, servata praeinsertarum literarum forma, omnino semper praeferatur et praeferri debeat.

Simulatasque venditiones annullat, et contrahentib. poenas imponit;

§ 8. Et, ad obviandum simulationibus et fictionibus, quae plerumque in similibus instrumentis venditionum, etiam forsan ad eludendum huiusmodi nostras et nostrorum praedecessorum ordinationes, inter venditores et emptores, praecipue exprimendo maius pretium in instrumento quam vere et realiter sit solutum vel conventum, intercedere consueverunt, volumus quod venditiones, in quibus huiusmodi simulationes, praesertim circa pretii quantitatem, intervenerint, omnino nullae sint; et nihilominus, tam pretium per emptorem solutum vel promissum quam res sic vendita ad nos et Sedem Apostolicam eo ipso devolvatur, pro una fabricae civitatis nostrae Piae seu illius murorum, et pro altera medietatibus camerario et magistris praefatis irremissibiliter applicanda, prout ex nunc applicamus.

Confirmat etiam quascumque Pontificum constit. editas circa officium et facultates magistror. viarum, et dubia in ornatum Urbis interpretari decernit.

§ 9. Et insuper, pro maiori officii dilectorum filiorum Horatii Nari et Hieronymi Pichi, modernorum, et successorum suorum pro tempore existentium magistrorum viarum dictae Urbis dignitate simul et auctoritate, ac ad obviandum cavillationibus, quae in dies, super eorum officio et privilegiis ac facultatibus suis, subinde emergere possent, omnia et singula ac quaecumque privilegia, facultates, gratias, praerogativas et indulta magistris viarum Urbis eorumque officio huiusmodi per praefatos et quosvis alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam per nos et dictam Sedem hactenus quomodolibet et specialiter per unam motus proprii schedulam a piae memoriae Paulo Papa III, similiter praedecessore nostro, editam, incipientem *Inter alias innumerabiles et graves*, concessa, in primis et ante omnia, eisdem auctoritate et tenore, approbantes, similiter perpetuo statuimus, ordinamus, decernimus et declaramus quod quaelibet pars et clausula sive constructio, tam supradictarum per Sixtum et Leonem ac Paulum, ac quarumvis aliarum, per quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores et etiam respective successores nostros, ac nos et Sedem eamdem editarum et quandocumque edendarum literarum, et etiam, pari motu, signatorum rescriptorum, officium et facultates magistrorum viarum Urbis huiusmodi quomodolibet concernentium et respicientium,

1 Cherub. hic addit: *fuerit soluta, non solverint; et si nondum fuerit soluta, omnia in eodem instrumento vel contractu* (R. T.).

sic, ubi sensus erit vel videbitur esse dubius, semper in dictae Urbis favorem et ornatum intelligatur, accipiatur et interpretetur, ac intelligi, accipi et interpretari, et ita a camerario et magistris praefatis, in causis coram eis vertentibus, iudicari et definiri debeat; iusque ipsum in literis et rescriptis praefatis, si opus sit, favorabile, non autem odiosum sit et esse censeatur; et etiam ad effectum praefatum casus dicatur comprehensus, potius quam extensus, quacumque interpretatione, sensu, intelligentia, opinione aut alia re in contrarium quomodolibet faciente non obstante.

Vicinis etiam fabricare volentibus, decernit alios vicinos domos, tam locari solitas quam non, vendere debere;

§ 10. Praeterea, ne fabricare suaque aedificia ad Urbis ornatum ampliare volentes, propter loci defectum, cum interdum domos vicinas locari solitas, quas eis, vigore literarum praedictarum, emere liceat, non habeant, seu domus ipsae vicinae a propriis illarum dominis sint habitatae, a suo proposito abstrahantur, et non possint, propter situs carentiam, fabricas et palatia sive domos, ut aiunt, requadrare, ideo statutum dicti Sixti praedecessoris super domorum locari solitarum dominis ad illarum venditionem vicino seu vicinis fabricae, domumque seu domos suas ampliare volentibus, faciendam compellendis, ut praefertur, editum, ad quascumque domos, hortos, terrena, etiam per proprios eorum dominos inhabitari solita, casu quo videlicet vicinus palatium aut aliquam magni momenti fabricam, domum, hortum seu terrenum vicini a duobus lateribus ad minus circumdantem, et domus, horti vel terreni convicini pretium seu valorem quadruplo excedentem, inchoaverit seu inchoatum perficere voluerit, etiam si tales domus, horti et terrena, quorumvis monasteriorum, ecclesiarum vel hospitalium vel aliorum piorum locorum, extra tamen septa monasteriorum, ecclesiarum aut piorum locorum huiusmodi, dictisque monasteriis et aliis locis piis minime contigua existant, ita quod statutum Sixti huiusmodi, non solum in locari sed etiam, casu praedicto, in per proprios eorum dominos habitari solitis domibus, hortis et terrenis, locum omnino habeat et ad unguem observari debeat. Ac domini domorum, hortorum et terrenorum ipsorum, etiam per eos habitatorum, ad illorum venditionem vicino seu vicinis huiusmodi fabricam construere seu perficere volenti seu volentibus, et etiam in domo fabricanda seu amplianda non habitantibus nec habitare solitis, per camerarium et magistros viarum praefatos, pro pretio aestimando, et plus decima illius parte, et alias iuxta literarum Sixti et Leonis huiusmodi formam et tenorem, faciendam, arbitrio dictorum camerarii et magistrorum, per eos, etiam manu regia, cogi et compelli possint.

Idemque servari mandat in casalenis;

§ 11. Et insuper Sixti praedecessoris statutum ad casalena per plures pro indiviso possessa, et in maximum Urbis detrimentum plerumque diruta vel discooperta, ita quod ipsi omnes consortes eorundem casalenorum possessores ad dicta casalena restaurandum et cooperiendum, ac inibi magistrorum praefatorum arbitrio fabricandum, vel, si et prout eisdem magistris melius videbitur, uno vel pluribus ipsorum consortium fabricare volenti seu volentibus, reliqui consortes fabricare nolentes vel differentes, ad suas portiones consorti vel consortibus fabricare volenti seu volentibus, pro pretio per peritos aestimando, vendendum; et consors seu consortes fabricare volens seu volentes, ad portiones praedictas emendum; aut si nullus ipsorum fabricare voluerit, ipsi omnes ad dicta casalena vicino seu vicinis domorum contiguarum pro pretio, ut praefertur, aestimando, vendendum; ac idem vicinus seu

vicini ad illa emendum per camerarium et magistros praefatos, eorum arbitrio, etiam manu regia, sub poenis sibi benevisis, respective compelli possint, et nihilominus contravenientes caducitatis et alias in praesentibus appositas poenas incurrant, perpetuo extendimus et ampliamus.

Domos quoque tam dirut. quam diruendas pro construen. viis et plateis, reaptari debere decernit;

§ 12. Et cum multae viae, in eadem Urbe iampridem de novo inchoatae, imperfectae remaneant, ac in pluribus earumdem viarum locis, non solum illae domus, sed ne parietes quidem seu muri constructi reperiantur, et variis in locis domus ad invicem divisae, distantes, separatae et truncatae remaneant, in eiusdem Urbis non modicam deformitatem et locorum eorumdem deturpationem, et (quod peius est) in dictis locis sic desertis sordes et immunditiae passim proiiciantur; nos, huiusmodi incommodis obviare cupientes, volumus et ordinamus ut in omnibus et singulis huiusmodi locis unusquisque dominus, sive directus sive utilis, in domo a se possessa vel casaleno, sic truncata vel truncato, aut in situ vel solo aut alio loco suo proprio, saltem muro seu pariete claudere, illamque, illud vel illum, infra sex menses a die publicationis praesentium pro tempore faciendae; in domibus vero de novo incidendis, pro viis seu plateis construendis, infra sex menses a die integrae satisfactionis, a magistris vel aliis ipsis dominis domorum factæ, computandos, muris seu parietibus, saltem usque ad primum solare, includere debeat et teneatur, sub poena ad arbitrium eorumdem magistrorum viarum imponenda, per quemlibet contravenientem eo ipso toties, quoties contravenerit, incurrenda; et si loca ipsa sint censualia sive emphyteutica, et ecclesiis, monasteriis seu aliis locis vel personis quibusvis respondentia, ipsa, dictis sex mensibus elapsis, ad suos directos dominos cum eodem onere fabricandi seu muro claudendi, dummodo, si personae ecclesiasticae sint, eorum liberationem sive affrancationem, iuxta formam praedictarum literarum faciendam, non impedierint, devoluta sint et esse censeantur: etiamsi domus, situs et casalena praedicta sint ecclesiarum, monasteriorum seu piorum locorum quorumcumque. Et ita per quoscumque iudices iudicari debere mandamus. Possint tamen dicti viarum magistri eumdem terminum sex mensium, pro qualitate locorum et personarum, ubi eis videbitur, prorogare.

Et inquilinos pensiones et census dominis illarum domorum solventes, in huiusmodi reaptatione exponere posse et debere declarat;

§ 13. Et nihilominus ex nunc quibusvis locorum praefatorum inquilinis seu affictuariis, ne, facta prius ipsis simplici dictorum magistrorum inhibitione, locorum eorumdem pensiones vel census dominis suis, sub poena iterandae solutionis, persolvant, sed eas et eos, etiam invitis dominis, in expensis pro praemissis necessariis convertant, et muros ad dictam altitudinem, si sat erit, perficiant, donec et quousque eisdem locis, ut praefertur, fabricatum fuerit, inhibemus pariter et interdicimus; quodque deinceps domini conductoribus ipsis illas bonas facere teneantur; et in eventum contraventionis, ac soluta per ipsos inquilinos seu conductores pensione, et dicto pariete ad minus usque ad primum solare non perfecto, eosdem inquilinos seu conductores de suo proprio ad dictam constructionem teneri et obligatos esse volumus et etiam declaramus.

Dominosque domorum pro construen. viis incisarum, vicinos etiam habitantes, ad eas sibi vendendas cogere posse decernit, si domus incisae incommodae effectae sint, et a dominis inhabitatae;

§ 14. Et in domibus ita incisis sive de novo incidendis earum domini per nos ita sint gravati ad fabricandum, vel muro claudendum, ut praefertur, ad minus usque ad primum solare, et multoties ipsi domini inhabitantes ex hac causa maximam recipiant incommoditatem, cum ex ipsa incisione domus ipsorum remaneant incommodae; ideirco in casu et casibus

praefatis, ubi domus per dominos inhabitatae pro viis seu plateis construendis incisae fuerint, et sic incommodae effectae et resarcitae, ibidemque intra sex menses vel postea fabricatum fuerit, domos contiguas, etiam per dominos inhabitatas, qui non fabricaverint, praefatis dominis, qui fabricaverint sic domos incisas, dominos praefatos vicinos, etiam habitantes, ad vendendum pro pretio per duos peritos et, in eventum discordiae, per magistros praefatos aestimando, et plus decima illius parte, ut praefertur, per camerarium et magistros praefatos eorum arbitrio, etiam a tribus lateribus domos vicinorum non circumdantes, nec duplum, nec triplum in valore excedentes, manu regia compelli posse volumus et etiam mandamus.

Et dominos situum vacuorum fabricare in eis debere, alioquin magistros viarum eos aliis locare vel vendere posse, ut ibi fabricetur, mandat;

§ 15. Cumque, tam in de Populo, et de Portugallo, ac Sanctissimae Trinitatis, et Piae nuncupatis, quam aliis dictae Urbis viis, quamplurimi situs seu praedia reperiantur muris domibusque omnino vacui, quo fit ut viae ipsae lateribus sterni seu pavimentari et ad ornatum reduci nequeant, pariter, sub poenis praefatis, volumus, statuimus et ordinamus quod situum praedictorum domini, infra eosdem sex menses, in dictis sitibus, vel muros, ut praefertur, vel edificia construere, seu construi facere debeant et teneantur. Ita quod, lapso sex mensium termino, praefati magistri viarum situs praefatos, in quibus, ut praefertur, fabricatum non fuerit, quibuscumque personis ac pro pretio reperibili, locare et concedere; seu, si camerario et magistris ipsis melius videbitur, situs ipsos quibuscumque personis pro pretio huiusmodi, in manibus eorum depositariorum, ad effectum illud postmodum dominis dictorum situum consignandi, facta tamen per dominos praefatos ratificatione venditionis praefatae per magistros factae, et datis idoneis cautionibus in forma, iuxta formam statutorum Urbis, deponendo, vendere et alienare libere et licite ac valide etiam possint ad effectum praedictum.

Viculosque inter domos existentes appropriari et occupari posse declarat ab eis qui ibi primo fabri averint;

§ 16. Et quoniam in alma Urbe quamplurimi adsunt viculi latitudinis duorum vel trium palmorum, aut circa, in quibus variae sordes et immunditiae continuo iniiciuntur, et muri circumcirca existentes, putrefactione corruptis, foetorem, cum pestiferi et mali aeris generatione, inducunt, adeo ut, tempore procedente, dicti muri corruant et collabantur et collapsi eiiciantur, ut deinceps unicus murus pro utroque latere domorum contiguarum inserviat, sub eisdem poenis, quod de cetero nemo, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existens, in vel super muris huiusmodi trabes aut tigna seu quid aliud apponere, caminos vel quidpiam aliud construere, vel murum dicti viculi elevare, seu aliquod ibi aedificium fulcire, aut alias illis uti vel inuti queat, nec debeat. Muratoribus vero quibuscumque, ne de cetero, sub exilii a toto Statu Ecclesiastico et bonorum suorum confiscationis poena, in dictis muris, pro illarum reparatione aut de novo extructione, manum et operam apponere vel quicquam operis ibidem facere seu fabricare audeant vel praesumant. Et ulterius, ad tollendos dictos muros et viculos, volumus quod ille ex vicinis, qui primus voluerit fabricare, possit (habita tamen a praefatis magistris licentia, etiam absque alicuius pretii solutione cuiquam facienda) eosdem viculos sibi assumere, appropriare et vindicare, et super muro sui vicini tigna, lapides, caementa et trabes aliaque ad fabricam suam necessaria apponere, suamque fabricam desuper adaptare et, ut dicitur, appodiare et alias eodem muro communiter cum vicino per eumdem fabricare volentem medietate dicti muri, ad aestimationem duo-

rum peritorum per partes ipsas eligendorum et, in eventum discordiæ, per magistros viarum taxandi.

Et cloacas, sciaquator. etc. in vias aquam evomentia obstrui debere;

§ 17. Et quia quamplurimae domus eiusdem Urbis quasdam parvas habent cloacas, clavichettas vulgariter nuncupatas, in viis publicis respondentes, et ab ipsis domibus aquam et immunditias in vias et loca publica evomentes, quibuscumque personis, ut infra eosdem sex menses, sub dictae caducitatis et aliis poenis praefatis, tam cloacas, quam etiam viculos praedictos, necnon quascumque latrinas seu cantaras et siccatoria, vulgo sciacquatoria nuncupata, et piscinas in vias publicas et vicos seu viculos aut plateas exeuntes et respondentes, obstruere; et si velint cantaras, in eorum cortibus seu cortilibus et cancis, non autem in vel super viis publicis seu plateis, fabricare debeant; ita quod inquilini domorum et locorum huiusmodi praemissa ex pecuniis eorum pensionis, etiam invitis dominis et contra eorum voluntatem, facere possint; et non facientes, ad poenam arbitrio praefatorum magistrorum viarum imponendam teneantur. Et nihilominus omnes pensiones decursas et praefatis dominis interim, contra inhibitionem eis faciendam, solutas consignare teneantur depositario dictorum magistrorum viarum, ad effectum cloacas aliaque praemissa claudendi, et cantaras, ut praefertur, faciendi, inhibemus, praecipimus atque mandamus.

Fideicommissa quoque declarat non impedire praemissorum executionem;

§ 18. Et cum in viarum, quae pro tempore fiunt, constructione, ordinatione et ampliatione, ac in domorum, casalenorum et situum sive partium eorum applicatione seu venditione, in omnibus casibus supradictis, et aliis quomodolibet ex causis praefatis occurrentibus, interdum sit necesse domorum seu locorum ad usum viarum huiusmodi incisorum seu divisorum partes remanentes adiudicare, et multoties, propter fideicommissa apposita, dubitetur ne lites et controversiae oriantur; ad tollendum igitur litium materiam, huiusmodi fideicommissa, ad effectum praemissorum (ita tamen quod ea, quae fideicommisso subiecta erunt, sic adiudicentur, quod pretia illorum in tot bonis stabilibus reinvestiantur, quae bona remaneant eidem fideicommisso subiecta eodem modo, prout dicta bona sic adiudicata antea subiecta erant), penitus et omnino tollimus, cassamus et amovemus, illisque ad hunc effectum sufficienter et expresse harum serie derogamus.

Canneta etiam tolli et ad culturam reduci mandat;

§ 19. Et cum Urbs ipsa aedificiis et viridariis ornata et splendida esse debeat, intus vero et extra ac prope illam adsint quamplurima canneta, deformitatem Urbis generantia, aerisque serenitatem et salubritatem ac clarum fluminis conspectum impedientia, et etiam male agendi opportunitatem locumque subministrantia, quod quicumque, tam extra per centum et quinquaginta cannarum distantiam prope, quam intra moenia eiusdem Urbis, necnon etiam in Angelica et versus flumen in Pontis Milvii viis nuncupatis, ac per viginti cannarum distantiam, iuxta quascumque alias vias publicas, canneta habent, illa ac omnia canneta intus Urbem existentia, praeter ea quae sunt extra vias publicas in locis absconditis seu remotis, infra praefatos sex menses, sub poenis praedictis, funditus extirpare, evellere atque tollere, ac ad terrenum et culturam vinearum seu viridariorum reducere debeant.

Prata etiam sita prope viam Angelicam, ad canneta vel hortos reduci prohibet;

§ 20. Necnon, cum Angelicam ac Castelli nuncupatas vias, per vineas et prata, ad maximum civitatis nostrae Piae, per nos noviter constructæ, ornatum, fecerimus, intellexerimusque quod nonnulli prata praedicta ad canneta, vineas ac hortos facienda impudenter claudere cogitant, ideo quod nullus in posterum, etiam si

proprietarius existat, dicta prata ad alium usum, praeterquam ad pascua foenumque colligendum, destinare possit; quodque omnes et quicumque, qui ab eo tempore, quo, divina favente clementia, ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, huiusmodi prata restrinxerunt, ac ibi vineas, canneta sive hortos fecerunt, ad illa in pristinum statum, nempe ad pratum, reducenda, per camerarium et viarum magistros praefatos cogi et compelli possint et debeant, praecipimus et ordinamus.

Hortosque ibi factos, praeterquam cardorum, ad pratorum et vinearum usum reduci mandat;

§ 21. Et similiter quia horti prope Urbem consistentes, propter aquarum irrigationem, malum et pestiferum solent generare aerem, et maxime in burgo nostro Sancti Petri, ac dicta civitate nostra Pia, ad cuius ornamentum, decorem et aeris salubritatem summopere intendimus; desiderantes igitur ut, quemadmodum dictam civitatem Piam muris et propugnaculis cinximus, et ab hostilibus offensionibus securam reddidimus, ita quoque aeris salubritate non careat, statuimus quod omnes horti existentes in pratis extra portam Angelicam (exceptis dumtaxat cardorum, vulgo carciofolorum, hortis, in quibus aquarum irrigatio nullo modo fit) penitus tollantur et aboleantur, ac ad vinearum et pratorum usum reducantur, sub caducitatis, quoad dominos; et quoad inquilinos seu affictuarios, sub exilii et bonorum confiscationis, aliisque dictorum magistrorum viarum arbitrio infligendis poenis.

Scalas quoque vias Urbis impedientes de cetero fieri prohibet, et factas tolli praecipit,

§ 22. Et quoniam in variis almae Urbis locis viae publicae diversis modis sunt impeditae, et inter alia a certis scalis et bastonis, ut vulgariter dicitur, factis, quae multis in locis vias publicas fere per unam cannam et ultra occupant, in maximum earumdem viarum praeiudicium et obstaculum, adeo ut duo currus concurrentes commode pertransire nequeant, idcirco, sub praemissis et aliis arbitrio camerarii et magistrorum praefatorum imponendis poenis, districte praecipiendo, mandamus ut in posterum nemo, quo minus via pro duabus rhedis, cochiis vulgariter nuncupatis, concurrentibus lata spatiosaque remaneat, dictas scalas audeat ita componere, sed tantummodo duos vel tres palmos ultra ianuam excedere; factas vero scalas praemissas, ad dictos duos vel tres palmos, infra eosdem sex menses, sub similibus poenis, reducere et restringere unusquisque debeat. Muratores autem ibi aliter operantes, exilii et bonorum confiscationis poenas incurrere et exolvere volumus.

Et hanc constitutionem iuris congrui ad vineas et casalia intra duodecim milliaria ab Urbe extendit;

§ 23. Praeterea, cupientes non solum ipsam Urbem interiorem, sed etiam illius suburbia et circuitum ac vineas decorari, cum nobis innotuerit nonnullos, pulchras et deliciosas vineas ac possessiones facere et ampliare volentes, a vicinis illis terrenum aut vineas, locari tamen seu ad medietatem fructuum vel alias dari et concedi solitas, ad id vendere nolentibus, impediri, praefatis camerario et viarum magistris, ut quoscumque, sive saeculares sive ecclesiasticos, etiam si monasteria quorumvis, etiam Mendicantium, Ordinum, necnon ecclesiae, hospitalia aut alia pia loca fuerint, terrena, vineas aut canneta, locari tamen aut ad medietatem fructuum vel alias, ut supra, dari solita, ab una; non solita vero locari, a tribus seu duabus partibus circumdata, extra tamen septa monasteriorum eorumdem, habentes vel habentia, ad illorum [1], vel in parte, etiam pro vialium directura et accommodatione facienda, arbitrio dictorum camerarii et magistrorum, venditionem vicinis illa sic circumdantibus et ampliare volentibus, pro iusto et rationabili pretio, per duos peritos per partes eligendos et, in eventum discordiae, per praefatos magistros, habita dictorum

1 *In toto* addit Cherub. (R. T.).

electorum relatione, estimando, faciendam, etiam manu regia, cogere possint et debeant, etiam si loca ipsa non sint vel fuerint locari solita, et absque ulla difficultate id etiam procedere volumus in vinea, canneto vel terreno sic convicino, ubi domus commoda pro domini habitatione non fuerit, concedimus et ordinamus. Necnon huiusmodi nostram ordinationem non solum ad vineas, sed etiam ad casalia intra duodecim milliaria ab Urbe consistentia, ad dictae Urbis ornatum et commoditatem dominorum casalium, extendimus, ac extendi debere praecipimus et mandamus. Cumque intellexerimus multa casalia magnae quantitatis rubrorum habere incorporata nonnulla terrarum portiones aut petia modicae quantitatis, pedichae vulgariter nominata, volumus etiam et ordinamus ut quicumque casale habuerit centum rubrorum aut minus, et hoc maxime ubi aliquod nobile sive commodum aedificium pro habitatione existat, et aliquam pedicham vicinam et contiguam habeat, si ab uno latere tantum rubra centum, decem; et si a duobus, viginti; si a tribus, triginta; et si casale excedat summam centum, ad dictam ratam, ut supra. Et si aliquod etiam multorum rubrorum casale in alio incorporatum existat, videlicet cum aliqua lingua, quatenus dicta lingua sit incorporata, illam sibi, arbitrio dictorum camerarii et magistrorum, pro pretio per peritos aestimando, et aucta decima parte pluris, vendicare possint.

Scalas et meniana vias publicas impedientia tolli mandat;

§ 24. Et insuper eisdem viarum magistris, ut quoscumque ad scalas quaslibet extra domos et in viis seu plateis publicis existentes, quarum praesertim in regionibus Transtiberinis et Trivii maxima adest copia, et quae vias publicas non parum impediunt et occupant; necnon ad moeniana, alias curritoria lignea, mignani vulgo nuncupata, extra muros domorum multum vel modicum se porrigentia et eminentia, in vias publicas prospectum habentia, infra annum a die publicationis praesentium, destruendum et tollendum, arbitrio camerarii et magistrorum eorumdem cogere et compellere. Necnon domorum inquilinis, ut pensiones per eos pro tempore debitas, etiam invitis dominis, retinere, et in expensas pro destructione scalarum et curritoriorum huiusmodi necessarias, absque eo quod ad iteratam dominis suis solutionem teneantur, convertere valeant et debeant. Quinimo inquilini ipsi dictas pensiones, donec scalae et curritoria huiusmodi ablata fuerint, post simplicem inhibitionem eis faciendam, suis dominis, sub poena solutionis dictis magistris viarum iterato faciendae, nullatenus persolvere possint; quod tamen unicuique ferrea seu lapidea moeniana, quae vulgo arengherias aut balaustos vocant, habere liceat impune permittentes.

Porticalia demoliri aut muris claudi iubet;

§ 25. Quodque quilibet, infra annum praedictum, suas porticus seu porticalia penitus et omnino destruere et demoliri aut muris claudere habeant; dummodo porticus ipsae non sint modernae et insignes, iudicandae et dignoscendae iudicio eorumdem magistrorum viarum. Illae vero porticus, quae pro viarum dilatatione incidendae erunt, ita manere tolerentur, quousque per praefatos viarum magistros excisae fuerint.

Hortosque in casament. Urbis existentes muris claudi praecipit;

§ 26. Et praeterea quod inter casamenta seu in locis eiusdem Urbis habitatis non liceat cuique habere hortos seu viridaria sepibus conclusa, sed illorum domini, sub poenis praedictis, illa muris circumdare teneantur.

Pontes ligneos transversos in viis publicis amoveri mandat;

§ 27. Omnesque pontes lignei per vias publicas transversi, cum situm publicum occupent, et dictae Urbis ornatum offendant, infra eiusdem anni terminum, exceptis tantum illis, qui non in principa-

libus, sed transversalibus viis aut in viculis consistentes, visum et lucem non impediunt, iudicio eorumdem magistrorum dignoscendis.

Fulcimenta in domibus ruinosis tolli iubet;

§ 28. Et ulterius omnes pontelli in quibusvis domibus ruinosis, in viis sive plateis existentes, infra sex menses a die publicationis praesentium, per illorum respective dominos seu inquilinos, sub poenis praemissis, omnino tollantur et auferantur, auferrique debeant.

Artium divisionem et situationem in certis viis per camerarium et magistros fieri, et factam servari praecipit;

§ 29. Et quoniam ad dictae Urbis decorem et ornatum non parum cederet, si unaquaeque ars, ab aliis artibus separata et in unum collecta ac unita, suis loco et ordine collocaretur, et praecipue illa, quae ad victum sic sparsa non est necessaria, cum artifices ipsius Urbis, quasi absque ulla distinctione invicem confusi, atque maxima ordinis perturbatione, ornatusque et decoris publici praeiudicio, habitare noscantur, qui quorumque tabernae et officinae, si in suis quique locis et vicis segregatis ordinarentur, tam Urbis ornatui, quam etiam illorum commoditabus non parum consuleretur, ut omnis inter eos confusio amoveatur, et ipsi ab invicem iuxta species suas separati, in quantum poterit, decorem Urbi deferant simul et commoditatem. Ideo quod, quoties et postquam per camerarium et magistros viarum huiusmodi artium divisio et situatio statuta et ordinata fuerit, quicumque artifex, cuiuscumque artis et exercitii, in aliquo vico, via aut platea dictae Urbis, ubi suae artis exercitium magis vigeat et constitutum fuerit, ut praefertur, habitare voluerit, possit [1] exercitii artificem, inibi commorantem seu commorari volentem, expellere et eiicere, ac expelli et eiici facere, et in illius locationes, dummodo ad longum tempus seu ad vitam vel generationem non sint factas, subintrare pro eodemmet pretio, data tamen cautione de exercendo dictam suam artem in dicto loco ad minus per annum et ultra, arbitrio camerarii et magistrorum viarum praefatorum, exceptis tamen semper dominis in propriis domibus habitantibus. Et, ad evitandas controversias, possint ipsi camerarius et viarum magistri semper et quandocumque arbitrio suo decernere et declarare quae ars in uno loco magis vigeat quam altera, ac etiam artificii inquilino sic pro tempore expellendo unius mensis aut longiorem ipsis magistris benevisum terminum ad evacuandum praefigere. Et insuper fines, limites et vicos, infra quos unaquaeque ars et illius artifices suo ordine stare et consistere debeant, constituere et declarare, prout et quando eis videbitur et placuerit, perpetuo statuimus et ordinamus.

Candelottariorum, chordariorum et vaccinariorum artes prope flumen exerceri mandat;

§ 30. Et quia aeris putrefactio non solum ex malis humoribus et immunditiis, sed etiam ex malis odoribus et foetoribus, generatur, sicque ars candelariorum diffusa per Urbem, tetrum putorem reddens, multum nocet civitati; ideireo, quemadmodum artes vaccinariorum seu coriariorum necnon artificum chordas musicales ex animalium fibris facientium, malum reddentes odorem, ad fluminis Ripam separatae reperiuntur, ita et dictam candelariorum artem, ut is putor exhalationem habeat, prope flumen ad Sixti, sive Quatuor Capitum, aut Sanctae Mariae nuncupatos pontes, ubi camerario et viarum magistris praefatis magis videbitur expedire, infra mensem a die publicationis praesentium, sub confiscationis omnium bonorum ipsorum candelariorum et aliis, etiam in eorum personam, arbitrio camerarii et magistrorum praefatorum infligendis poenis, reduci; ac in locationes aliis personis ibi factas, prout eisdem magistris videbitur, subintrare debere, volumus et mandamus.

Et vias Urbis non amplius si-

§ 31. Et quoniam Urbs ipsa nimium est humiditati subiecta, sicque in certis

1 *Possit quemcumque alium, cuiuscumque alterius etc.*, Cherub. (R. T.).

licibus sed coctilibus lateribus sterni praecipit;

partibus silicibus strata humidior efficiatur, propterea omnibus et singulis muratoribus, sub exilii aliisque pecuniariis et etiam corporalibus dictorum magistrorum arbitrio infligendis poenis; dominis vero, sub ducentorum ducatorum, ut praefertur, applicandorum poena, ne deinceps viam silicibus sternere, seu aliquas silicatas ante domos suas facere audeant seu praesumant, inhibemus. Volumus autem quod omnes viae ipsius Urbis coctilibus sternantur lateribus, una cum suis interlineis, quas guidas vocant, piperino, tiburtino aut siliceo lapide, arbitrio dictorum magistrorum; nec sint aliquo pacto intervisatae, sed in unaquaque via sint omnes guidae ex piperino, tiburtino aut siliceo lapide.

Camerarioque et magistris dat facult. cogendi dominos possessionum contiguarum viis principalib. ad ibi struendum muros *etc.*,

§ 32. Et insuper praefatis magistris viarum in perpetuum et pro decore eiusdem Urbis ac structura viarum principalium, praesertim intus et extra Urbem in via Flaminia, de Populo nuncupata, infra unum milliare, dominos vinearum et aliarum possessionum viis ipsis contiguarum, ad muros et alia, pro dictarum viarum principalium structura et decore, arbitrio camerarii et magistrorum eorumdem, necessaria conficiendum, fabricandum et resarciendum, vel ratam expensarum, ipsos dominos et quemlibet ipsorum pro praedictis et eorum singulis respective quomodolibet tangentem, solvendum et seu depositandum, prout ipsis magistris videbitur. Et si aliquis vel aliqui dictorum dominorum muros construere, aut alia, ut praefertur, facere, vel dictam ratam solvere recusaverint, praefati viarum magistri, pro celeriori expeditione, ipsos dominos sic renitentes et morosos, ad suas vineas sive possessiones, in toto vel parte, alteri seu aliis, pro iusto et rationabili pretio, ut supradictum est aestimando, vendendum, etiam manu regia, cogere et compellere.

Et dubia super praemissor. intelligent. eorum arbitrio dissolvendi.

§ 33. Ac, ad tollendas disputationes, iidem camerarius et magistri viarum, omnes et singulas ac quascumque difficultates et dubia, quae super praemissis aliisque omnibus et singulis, in praesentibus contentis et descriptis, ac illorum sensu, intelligentia vel significatione oriri quandocumque contigerit, interpretari et dissolvere arbitrio suo libere et licite possint et valeant, licentiam, facultatem, potestatem et auctoritatem omnimodam impartimur.

In quibus causis ab eis non appellatur.

§ 34. Praeterea statuimus, et de novo etiam ordinamus quod in causa sternendarum viarum huiusmodi, praefati magistri sint meri iudices et executores, ac ab eorum decretis et mandatis, in hac parte, sicuti in causa mercedis, non possint quoquo modo, nisi facto actualiter deposito penes notarium ipsorum magistrorum in pecunia numerata, consignando postea actori, vel restituendo reo, prout deinde per camerarium seu viarum praesidem, ad quem recursum fuerit, esset vel erit iudicatum, appellari; vel recursus ad quempiam, etiam pro tempore existentes camerarium, clericos vel praesidentes Camerae Apostolicae, aut quoslibet alios iudices haberi; sed mandata praefata executioni demandari debeant, non obstantibus quibuscumque significationibus per praedictos vel quoscumque alios forsan faciendis.

Causasque artis muratoriae eisdem magist. audiendas committit;

§ 35. Et ut eorumdem magistrorum viarum officium in sua auctoritate et dignitate, prout decet, habeatur, illorumque mandata diligentius executioni demandentur, et causae super arte muratoria pro tempore nascentes sagacius et maturius, veluti per expertos, et pro minori partium dispendio, decidantur, omnes et quascumque causas, lites, quaestiones, controversias et differentias, tam inter quoscumque muratores et fornaciarios, quam eos et quosvis alios artifices

aut alias, tam ecclesiasticas quam saeculares, personas, super dicta arte muratoria et rebus ad illam quomodolibet pertinentibus, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, tam active quam passive, movendas, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis ac toto negocio principali, per praefatos Horatium Narum et Hieronymum Pichum, modernos et pro tempore existentes magistros viarum dictae almae Urbis, qui coniunctim procedere debeant, simpliciter et de plano, ac sola facti veritate inspecta, etiamsi, et quando eis videbitur, sine strepitu et figura iudicii, nullaque tela iudiciaria servata, etiam manu regia procedendo, audiendas, cognoscendas, decidendas, fineque debito terminandas esse et fore decernimus, volumus, statuimus, declaramus et ordinamus. Non praeiudicando tamen nec derogando praedictarum artium consulatibus, ita tamen quod a sententiis ipsorum consulum non possit ad aliquod aliud tribunal appellari nec recursus haberi, praeterquam ad magistros viarum praefatos et dictae Urbis conservatores seu camerarium nostrum. Cum potestate citandi et inhibendi, quos, quibus, ubi, quando et quoties opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu vel absentia aut latitatione, sub pecuniariis aliisque ipsorum magistrorum viarum et conservatorum respective arbitrio imponendis et moderandis poenis. Et in eventum non paritionis, inobedientes poenas ipsas incurrisse, unica tantum citatione praevia, declarandi et ab eis exigendi; dictasque causas in quocumque statu reassumendi, omniaque alia et singula desuper necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et exequendi. Ita tamen quod neque gubernator neque vicarius dictae Urbis, neque Curiae causarum Camerae Apostolicae generalis auditor, neque eiusdem Urbis senator, nec praesidens Ripae seu Ripettae, neque (praeter tamen camerarium nostrum dumtaxat) quicumque alius vel alii eiusdem Urbis vel extra eam ubilibet constituti iudices ordinarii vel extraordinarii, delegati vel subdelegati, aut quaevis aliae personae, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existant, etiam si cardinalatus honore praefulgeant, et etiam habeant privilegia vel indulta quod ipsi sint iudices vel protectores aliquarum societatum vel locorum, etiam piorum, aut causarum illorum auditores, quatenus ipsi viarum magistri in causarum huiusmodi cognitione praevenerint, causas artis muratoriae huiusmodi nullatenus, in toto vel in parte, audire, cognoscere, decidere, seu se in illis quomodolibet et quovis praetextu intromittere possint neque debeant; et quicquid secus factum fuerit, irritum sit et inane, ac pro infecto habeatur et per praedictos viarum magistros, si praevenerint, ut praefertur, omnino revocari quandocumque possit (salvo tamen quod clerici et praesidentes Camerae Apostolicae se in huiusmodi causis, iuxta Pauli III literas praedictas dumtaxat, et non alias intromittere possint), perpetuo committimus et mandamus; ac eosdem magistros viarum, causarum et litium huiusmodi iudices et executores speciales et generales, ita quod in eis, ut praefertur, alte et basse procedere valeant, constituimus et deputamus. Salvo tamen recursu, si partes voluerint, ad ipsum camerarium.

Et hanc constitutionem in Camera recipi et registrari mandat;

§ 36. Mandantes propterea dilectis filiis Vitellotio S. Mariae in Via-Lata diacono cardinali Vitellio nuncupato, moderno et pro tempore existenti camerario, et praesidentibus et clericis praefatis, quatenus statim, visis praesentibus, nullo alio desuper a nobis vel successoribus nostris aut

dicta Sede seu aliundecumque expectato mandato, omni mora, dilatione et contradictione cessantibus, easdem praesentes in dicta Camera recipiant et admittant, ac in illius libris registrari mandent, illasque inviolabiliter et ad unguem, in omnibus et per omnia, perpetuo observent, ac ab omnibus et singulis observari faciant realiter et cum effectu.

Clausulas praeservat. apponit;

§ 37. Ac praesentes literas perpetuo durare et valere, perpetuique roboris firmitate subsistere, neque de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis, aut quod praemissa et quodlibet praemissorum non fuerint usu recepta, aut alio quocumque vitio, seu etiam intentionis nostrae vel eiusdem Sedis, aut quovis alio defectu notari vel impugnari, neque etiam per nos vel successores nostros aut dictam Sedem revocari, alterari, suspendi, modificari aut illis in aliquo derogari umquam posse.

Decretum irritans addit.

§ 38. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et ipsius Ecclesiae Romanae cardinales, etiam legatos de latere, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus et declaramus.

Executores deputat;

§ 39. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi ac Tusculanensi episcopis per apostolica scripta motu simili mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem magistrorum viarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque, in praemissis omnibus et singulis, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem viarum magistros approbatione, confirmatione, innovatione, singulis statutis, voluntatibus, ordinationibus, extensionibus, ampliationibus, mandatis, praeceptis, inhibitionibus, interdictis, concessionibus, indultis, commissionibus, deputationibus, decretis, declarationibus, revocatione, aliisque praemissis, iuxta praesentium tenorem, pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos vel ab eis causam habentes, per camerarium, praesidentes et clericos praefatos aut quosvis alios, quacumque auctoritate fungentes, contra praemissa vel eorum aliquod quomodolibet indebite molestari, inquietari vel perturbari. Contradictores quoslibet, inobedientes et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ac hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulas derogatorias subiicit.

§ 40. Non obstantibus praemissis, ac certa per nos dudum motu simili edita super poenarum per clusores, qui fabricas praemissas non fecerunt nec faciunt, incursarum ampliatione, impressioni librorum de ordine nostro a civitate Venetiarum ad Urbem traductae facta sive concessa, quam, tenore praesentium, quoad praemissa, omnino revocamus; ac etiam nostra de non tollendo iure quaesito; necnon recolendae memoriae Pauli secundi et Pauli quarti de rebus ecclesiasticis non alienandis, ac alienatis recuperandis; necnon Bonifacii octavi, etiam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de una et duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; necnon aliis quibusvis apostolicis ac in generalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis et edendis constitutionibus et ordinationibus; ac Urbis et Curiae Romanae ac Camerae Apostolicae eiusdemque Curiae

tribunalium, ac quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium et aliorum piorum locorum, necnon Ordinum, consulatuum et societatum ac universitatum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stylis, usibus, naturis, decretis, capitulis et etiam novis reformationibus, legibus pontificiis et imperialibus, sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis, illorumque respective populo, civibus, incolis et superioribus, ac tam supranominatis quam quibusvis aliis personis et etiam iudicibus ecclesiasticis et saecularibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu et scientia similibus, vel ad quorumvis instantiam, in genere et specie, ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illarum tenores, formas et decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in eis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu et scientia similibus, specialiter et expresse derogamus ac sufficienter derogatum fore et censeri volumus et decernimus. Necnon omnibus illis, quae Sixtus, Leo et Paulus III, praedecessores praefati, in eisdem suis literis non obstare voluerunt, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus quod illarum transumptis seu copiis, etiam impressis, manu alicuius[1] praelati sigillo munitis, eadem prorsus fides, etiam in iudicio, adhibeatur, quae praesentibus, si ubicumque forent exhibitae vel ostensae, adhiberetur.

Forma et effectus publicationis.

§ 41. Et ne quispiam ullo unquam tempore praesentium ignorantiam praetendere possit, volumus, et eadem auctoritate decernimus quod ipsae praesentes literae, in Camerae Apostolicae et Curiae Capitolii valvis, ac in acie Campi Florae de Urbe, per aliquem ex cursoribus nostris affixae, copia illarum ibi dimissa, universos et singulos, quorum interest, intra mensem a die affixionis huiusmodi computandum, perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, decimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 augusti 1565, pontif. anno VI.

CXXI.

Approbatio plurimarum declarationum ad Regulam fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci, in eorum generali capitulo editarum, ad ipsius Ordinis reformationem 2.

Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Sedis Apostolicae copiosa benignitas piis quarumlibet, regulari sub castimonia

1 *Alicuius notarii publici subscriptis, et alicuius praelati etc.*, Cherub. (R. T.). 2 Aliae extant pontificiae declarationes dictae Regulae et nonnullae dicti Ordinis reformationes, quas indicavi in constitutione LXVII Honorii III, *Solet*, tom. III, pag. 394.

Domino militantium, personarum votis libenter annuit, et illis, quae pro earum felici statu et reformatione processisse comperit, ut illibata persistant, libenter apostolici adiicit muniminis firmitatem.

Deputatio cardinal. pro reformat. huius Ordinis, et editio constitution. desuper factarum.

§ 1. Sane cum nos nuper consideran-tes quam uberes fructus in Dei Ecclesia sacer fratrum Minorum Ordo ab eius institutione produxerit, et quantos in dies producturus sit, si ad pristinam maiorum suorum normam per novitatem seu reformationem vitae restitutus foret, quibusdam ex dilectis filiis nostris S. R. E. cardinalibus, et praesertim dilectis filiis nostris Carolo tituli S. Praxedis Borromaeo, protectori, et Ludovico tituli Sancti Cyriaci in Thermis viceprotectori eiusdem Ordinis, presbyteris cardinalib., Symoneta, nuncupatis, ipsius Ordinis reformationem curandam commiserimus; quibus negotium ipsum tantae curae fuit ut dilectum filium Antonium de Sapientibus de Augusta, eiusdem Ordinis generalem, et ministros nonnullosque fratres eiusdem Ordinis, tunc congregatos in eo capitulo generali Florentiae nuper celebrato, in quo idem Antonius in ipsius Ordinis generalem ad triennium electus, et deinde a nobis ad aliud triennium, supplicationibus ministrorum provincialium dicti capituli nobis humiliter porrectis, confirmatus fuit, ad nonnulla statuta et ordinationes negotium huiusmodi concernentia edenda adduxerint, ac multa priori professioni adiunxerint, ac veterem disciplinam renovaverint, nihilque praetermiserint quod ad exactam suae professionis completionem visum fuerit opportunum, prout in publicis documentis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Confirmatio huius Pontificis ipsarum constitutionum.

§ 2. Nos, qui ipsum Antonium, petitione, supplicatione et consensu dicti capituli generalis sponte accedentibus, ad aliud triennium in eiusdem Ordinis generalem deputavimus, statutorum et ordinationum huiusmodi, de quibus certam notitiam habemus, veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, cupientesque ut dictus Ordo, quem in visceribus gerimus caritatis, ad suum pristinum statum seu vivendi normam reducatur, suosque speratos longe uberiores producat fructus, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, ac ex certa scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, quaecumque statuta, ordinationes, declarationes, electiones et electionis huiusmodi modos, validationes, petitiones, supplicationes, concessiones, deputationes, prohibitiones, inhabilitationes, amotiones, dispensationes omniaque et singula in dicto capitulo generali circa dicti Ordinis reformationem facta et gesta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ea perpetuis futuris temporibus per quoscumque ipsius Ordinis superiores et alias personas, sub poenis in illis adiectis, inviolabiliter observari mandamus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus. Sicque per eosdem superiores et quoscumque eiusdem Ordinis ministros nunc et pro tempore existentes observari et iudicari debere; necnon quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, statutisque et consuetudinibus ipsius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis dicto Ordini, necnon illius su-

perioribus, ministris, conventibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum mentio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, omniaque contra reformationem huiusmodi hactenus concessa et edita revocamus et annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVII septembris MDLXV, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 17 septembris 1565, pont. an. VI.

Sequuntur constitutiones reformationis.

CAP. I.

Verba cap. 1.

Regula et vita fratrum Minorum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi Sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate.

Declaratio quod Regula San. Francisci renovat professionem Evangelii.

Per haec verba Seraphicus pater noster voluit nos docere quod Regula et vita quam profitebatur non erat res nova, sed procul dubio renovata professio evangelici instituti.

Declaratio super obedientia,

Vivendo in obedientia, non solum Dei mandata, sed hominum etiam propter Deum exequendo. Nam et Christus Salvator noster factus est obediens usque ad mortem.

Super proprietate,

Sine proprio. Quia, ut dictum est in praefatione, fratres Minores nunquam habuerunt quicquam, quod possiderent, vel quo uterentur tanquam proprio; ita dicebat de se ipso Christus, *Vulpes foveas habent*, etc. Et de apostolis scriptum est: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

Super castitate.

Et in castitate. Qua beatus Franciscus voluit fratres suos ceteris praestare, iubens ut, nedum mente et corpore casti essent, sed etiam ne haberent cum mulieribus suspecta consortia, et ne ingrederentur monasteria monacharum, prout infra dicetur. Duo in hoc capitulo notantur. Primum, ut vota ista obedientiae, paupertatis et castitatis inviolabiliter observentur, pro quorum exequutione ponuntur ordinationes, quae continentur in sequentibus capitulis. Secundum, quod eo modo quo beatus Franciscus promittit obedientiam beatissimo domino Papae Honorio et successoribus suis, ita fratres agnoscant se subditos Romano Pontifici, et, post ipsum, superioribus Ordinis, generalibus, provincialibus, custodibus, guardianis, *etc.* Haec autem non ex sua voluntate solum, cum illis visum fuerit, sed maxime ex voto, quo adstricti sunt semper et ubique.

CAP. II.

Verba cap. 2.

Si qui voluerint etc.

Declaratio super licentia recipiendi novitios,

In hoc capitulo sunt tres articuli principales. Primus de recipiendis ad Ordinem fratribus, secundus de apostatantibus ab Ordine, tertius de fratrum indumentis. Circa primum ponuntur infrascriptae constitutiones ex decreto generalis capituli. Non liceat alicui conventui vel loco pueros ad Ordinem recipere, neque habitum illis dare, sine generalis vel provincialis expressa licentia, quae non detur, nisi prius de puerorum indole constiterit, et quod de parentibus bonae famae orti fuerint.

Super eorumdem educatione et aetate,

Novitii, qui sument habitum in quocumque monasterio ante aetatem comple-

tam sexdecim annorum, mittantur statim a suo superiore in certum conventum seu seminarium, unum vel plura, quae novitiatus vocamus. Qui separati sint a locis et habitatione professorum, atque ibi cum suis praeceptoribus et rectoribus a capitulo deputandis morantes, edoceantur et instruantur in timore Dei, ac bonis disciplinis et moribus; atque hac de causa in quacumque provincia et custodia, ubi commode fieri poterit, multiplicentur dicti novitiatus, et maneant ibi pueri usque ad aetatem dictam annorum sexdecim.

Super cura professur. non promotorum ad ordines.

Professi etiam, qui non fuerint in sacris ordinibus constituti, quantum fieri poterit, sua loca et certum praeceptorem habeant, qui eamdem curam, quae de novitiis habetur, de illis gerat. Neque huiusmodi professi per urbem vel claustra vagari permittantur.

Declaratio super subventione danda a conventib. nativis.

Teneantur vero nativi puerorum et professorum conventus, iis conventibus, qui praefatos nutrient, succurrere, iuxta taxam a superiore imponendam.

Declaratio super occupatione fratrum non litteratorum.

Qui autem minus apti ad literas inventi fuerint, occupentur musica et in servitute conventuum vel etiam in aliqua arte viris religiosis non contraria, ut puta in arte pictorum, tonsorum, hortulanorum et similium.

Declaratio super destinatione servientium,

Et ubi non fuerint huiusmodi professi, inserviant fratres iuniores, licet fuerint sacerdotes; melius tamen esset, ut in quolibet conventu induerentur aliqui laici, et illis provideretur de victu et vestitu iuxta condecentiam eorum status, quemadmodum in plerisque locis fieri consuevit.

Super aetate emittent. professionem et promovend. ad ordines,

Pueri non admittantur ad professionem, nisi post decimum sextum annum suae aetatis expletum, iuxta decretum sanctae Tridentinae synodi; iuxta quam etiam ad sacros ordines admittentur, non solum quantum ad aetatem, sed etiam quantum ad sufficientiam et probitatem: ad subdiaconatum quidem post annum vigesimum secundum, ad diaconatum post vigesimum tertium, ad presbyteratum post vigesimum quintum. Professionem vero in libro ad hoc deputato adolescentes et alii profiteri volentes sua manu subscribant; quem librum singuli conventus particulariter habere teneantur; et qui professionem solemnem non emiserint, non possint promoveri ad sacros ordines.

Super numero fratrum cuiusque conventus,

Is quoque tantum numerus fratrum in singulis conventibus et locis admittatur, qui ex redditibus propriis monasterii ac consuetis eleemosynis commode possit sustentari. Nec ab eorum parentibus, propinquis aut curatoribus aliquid ex eorum bonis, quocumque praetextu, ante professionem accipiatur, excepto victu et vestitu pro tempore quo in probatione fuerint.

Super receptione fratrum alterius Ordinis,

Fratres vero alterius Ordinis, aut etiam eiusdem Ordinis, qui tamen diversas habeant observantias seu vivendi modum, non recipiantur, nisi a generali capitulo, explorata prius eorum vita, et quod ab arctiori instituto non discedant, fuerint approbati.

Super delatione habitus etc.

Circa secundum, ubi dicitur *Et nullo modo licebit eis de ista Religione* etc., licentia exuendi habitum aut subtus ferendi nulli omnino concedatur; sed nec morari cum habitu extra claustra sui Ordinis cuiquam permittatur, nisi forte apud aliquos praelatos aut alios, causa lectionis aut praedicationis seu alicuius pii operis, de licentia sui superioris, iuxta sessionem XXV, cap. 4. Et si qui hactenus extra sunt absque licentia suorum superiorum, revocentur iuxta bullam domini nostri Pii IV revocatoriam privilegiorum, datam XIII kalendas martii MDLXIV. Contumaces vero excommunicentur, et nisi paruerint, subiiciantur Ordinario puniendi. Qui vero de superiorum licentia alicui praelato, principi aut universitati servient, obedientiae et correctioni superiorum subiaceant semper.

Super exitu a claustro et de provincia,

Nulli etiam licet exire claustra eius loci, ubi de familia degit, absque licentia sui guardiani, qui causam cognoscat et comitem illi pro suo arbitrio eligat: habeatur tamen ratio virorum insignium et graduatorum. Neque aliquis discedat ex custodia, sine custodis licentia, ut constitutiones generales et Benedictus XII praecipiunt; de provincia vero, nonnisi de magistri provincialis licentia sive eius commissarii in scriptis obtenta, neque causa accedendi ad superiorem praelatum. Qui contrafecerit, ultra poenam a sancta synodo Tridentina statutam, etiam in Ordine poena carceris per mensem et unius publicae disciplinae opprobrio mulctetur, atque, secundum Alexandrinas constitutiones, ad conventum, custodiam sive provinciam suam confusibiliter remittatur. Servetur omnino decretum earumdem constitutionum, quod ita dicit: Inhibetur insuper ministris, iuxta generalia statuta, ut nulli licentiam ad Romanam Curiam tribuant, etiam causa devotionis, accedendi (ne detur occasio vagandi), nisi in capitulo, de consensu definitorum, et nisi fuerit vir probus et moribus gravis, vel urgeat magna necessitas provinciae, conventus vel monasterii; et si fieri potest, nullus Romam accedere permittatur, nisi cui fuerit a generali ministro concessa licentia specialis. Hactenus decretum. Si quis vero minister huiusmodi licentiam aliter quam supra dictum est dederit, officio suo privetur; si autem quis sine licentia Romam iverit, eum revertentem, etiam si literas commendatitias habeat, provincialis in carcerem tradat, et disciplinatum a sua custodia proscribat.

Super mansione fratrum in conventibus nativis,

Qui in claustris morantur, non permittantur diu manere in suis nativis conventibus, nisi viri graves et valde senes. Iuvenes vero alibi collocentur; et nullus adversus superiorem per hoc reclamare praesumat, sed humiliter iussa faciat.

Super coloro vestimentorum,

Circa tertium, de vestimentis, infrascripta statuuntur. Ut in vestimentis sit modus, neque eorum luxus sive colorum varietas infames apud laicos fratres reddat, omnes fratres pannis communibus subnigri coloris induantur, vel saltem iis rasciis, quae duplices vocantur, et tales ut panni videantur, quae etiam ad obscuritatem tendant. Ceteri omnes panni et rasciae (nisi pro habitibus, qui subtus deferuntur) abiiciantur, et illis uti non liceat.

Super delatione chyrothecarum etc.

Nullus cothurnos albos sive borzachinos deferat; nullus birretum in ecclesia vel per civitatem gestet, neque etiam chirothecas, nisi in itinere. Qui contrafecerit, post rerum privationem, etiam a conventu expellatur; ita fiet de iis, qui aliquod indumentum vanum et aliquo vano artificio elaboratum gestaverint.

Super delatione mantellorum

Pallia sive mantelli non deferantur cum manicis sive ornati orbiculis, sed sint simplices et longiores, et singuli sacerdotes unum habeant.

Super delatione vestium, quae subtus portantur, et cordarum,

Vestimenta etiam, quae subtus deferuntur, nonnisi honesta sint et coloris Ordinis nostri. Et tunicae apertae non deferantur. Atque cordae sint rudes et communes, non laneae, aut aliqua curiositate confectae; super quibus omnibus singuli provinciales diligenter invigilabunt.

Super supellectili in cellis.

In cellis seu cameris fratrum non liceat supellectilem aliam, quam necessariam et professioni paupertatis congruentem, habere.

Cap. III.

Clerici faciant divinum officium etc.

Verba cap. 3.

Declaratio super recitatione officii,

In hoc capitulo sunt tres articuli. Primus de divino officio, secundus de ieiunio, tertius de modo eundi per mundum. Circa primum statuitur quod omnes et singuli, cuiuscumque conditionis existant, iuxta laudabilem et servatum

hactenus Religionis morem, divinis mysteriis et choro quotidie horis debitis intersint; nullusque exemptus habeatur, nisi quos Alexandrinae constitutiones excipiunt, ut puta lectores et praedicatores, infirmi et alii publicae utilitati tunc expositi, qui tamen alias suo debito satisfaciant. Divinum vero officium devote, attente et punctuatim persolvatur. Neque aliquis e choro discedat, nisi expleto officio, sine guardiani licentia.

Super processione per claustra et missa pro benefactoribus,

In qualibet prima dominica mensium, fiat processio per claustra, cum litaniis pro Ecclesia catholica, pro fidei defensione, ac principum christianorum concordia. Die vero lunae sequenti, ubi fuerit numerus sufficiens fratrum, cantetur missa pro benefactoribus Ordinis, vivis atque defunctis.

Super poena omittentium divinum officium in choro,

Si quis autem convictus fuerit de consueta omissione divini officii, ut neque frequentet chorum, neque videatur aut audiatur divinis vacare, cuiuscumque gradus et conditionis extiterit, sit privatus omni officio et gradu, et nonnisi per generalem restitui possit.

Super discursu per ecclesiam,

Cum divina celebrantur, nemo discurrat per ecclesiam, neque ibi interdiu moram trahat, nisi causa orationis, vel saltem ex rationabili causa guardiano nota: et dum divina celebrantur, fratres non audiant in confessione, absque necessitate et de guardiani licentia.

Super celebratione missarum, confessione et communione,

Universi fratres ad sacerdotium assumpti, ut in Dei timore et gratia se contineant, quam crebrius poterunt, et saltem diebus dominicis et festis solemnibus, praevia peccatorum confessione sacerdoti facienda, missas devote celebrent. Qui vero sacerdotes non sunt, saltem quintodecimo quoque die confiteantur et communicent; aliter priventur arbitrio superioris.

Super supellectilibus ecclesiae et sacrarii munditia,

Curabunt praeterea guardiani ut omnia ecclesiae et sacrarii supellectilia munda serventur, ecclesiaque ipsa et conventus saepe purgetur.

Super executione piorum relictorum,

In conventibus vero, ubi magnus missarum numerus ex legatis impositus est, eleemosyna vero tam tenuis, ut fratres sustentari non possint, servetur caput IV reformationis generalis, sess. XXV Tridentini concilii. Ad cuius exequutionem ordinat generale capitulum ut in capitulis provincialibus cuiuscumque provinciae habeatur haec consideratio, cum obligationis missarum, tum emolumenti, quod inde trahitur, et haec omnia referantur ad generale capitulum, ut ibi quicquid, secundum Deum visum fuerit, statuatur.

Super ieiuniis cum solitis cœremoniis,

Circa secundum, ieiunia omnia sanctae Romanae Ecclesiae et Regulae nostrae a cunctis fratribus serventur, provideaturque illis in his diebus de convenienti cibo; et iuxta constitutiones Alexandrinas, caeremoniae solitae non solum in prandio, sed etiam in refectione serotina, quae hora competenti fiat, et ad quam omnes conveniant, peragantur. Nulli vero a ieiunio excusentur, nisi quos constitutiones praedictae eximunt. Quod si quis, absque legitima causa guardiano nota, non ieiunaverit, idque probari possit, si correctus non se emendaverit, pane et aqua in carceribus puniatur.

Super disciplina sexta qualibet foria facienda,

Singulis sextis feriis universi fratres disciplinam faciant, et in emendationem peccatorum suorum se percutiant, memores quod Dominus noster Iesus Christus pro peccatis nostris dira perpessus est. Haec autem disciplina ita fiat. Congregentur in choro vel sacrario sive alio loco convenienti fratres; et extinctis luminibus ac clausis ianuis et fenestris, superior aut alius deputatus, signum manu faciat indicans silentium, quod per aliquod spatium servatur, et interim fratres contemplationi vacant. Deinde idem superior vel deputatus incipit versum hunc et totum dicit, videlicet: *Apprehendite disciplinam,*

ne quando irascatur Dominus, et percatis de via iusta. Tunc omnes incipiunt se percutere, et dicuntur alternatim ab omnibus devote et punctuatim psalmi, *Miserere mei Deus*, etc., *Deus misereatur nostri*, etc., cum *Gloria Patri*, etc., *De profundis*, cum *Requiem aeternam*, etc. Quibus expletis, dicitur, *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, etc. Inde superior vel deputatus dicit hanc orationem incipiens absolute: *Respice, quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum.* Postea dicitur ab omnibus *Salve Regina, Mater misericordiae*, etc. Et superior vel deputatus dicit sequentes versiculos et orationes, respondentibus fratribus ad singulos versiculos, videlicet ℣ *Emitte spiritum tuum et creabuntur.* ℟. *Et renovabis faciem terrae.* ℣. *Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.* ℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.* ℣. *Ora pro nobis, Beate Francisce.* ℟. *Ut digni* etc. Oremus. *Deus, qui corda fidelium* etc., *Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium*, etc., *Deus, qui Ecclesiam tuam B. Francisci meritis* etc., *Deus, cui proprium est misereri semper et parcere*, etc., *Exaudi, quaesumus, Domine supplicum preces* etc., *Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera*, etc., *Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum*, etc. *Deus, omnium fidelium pastor*, etc., *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulis tuis cardinalibus protectoribus nostris*, etc. *Actiones nostras*, etc., *Omnipotens sempiterne Deus aedificator et custos*, etc., *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum*, etc., *Per Dominum nostrum* etc. In fine dicitur *Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.* Tunc omnes desinunt se percutere, et per aliquam moram sub silentio iterum contemplationi vacant. Demum, facto signo a supradicto superiore vel deputato, omnes surgunt.

A mensa communi nulli eximantur, tam mane quam sero; quod si aliqui actu legentes vel praedicantes seu graduati aut infirmi iudicati fuerint a superioribus digni hac exemptione, hi tantum cibis communi deputatis et ex communi dispensa utantur. In mensa autem habeatur semper lectio ex Sacra Scriptura vel ex Sanctis Patribus. *Super communi mensa et cibo,*

Soli procuratori conventuum et locorum, aut alii fratri deputato, fratrum necessaria, praesertim vero esculenta et poculenta, emere liceat. *Super destinato ad emenda esculenta et alia necessaria,*

Circa tertium. Nulli eundi per mundum a superioribus facultas fiat, nisi ex urgenti necessitate; et tunc praelatus investiget quo ituri, quae negocia, et cum quibus sint acturi fratres, antequam licentiam illis tribuat; et quantum fieri potest non permittat aliquem solum proficisci, sed socium illi assignet. *Super licentia eundi per mundum,*

Fratres itinerantes non sint convivae, neque hospitentur in domibus laicorum, praesertim publicorum hospitum, ubi sunt loca nostra, sed teneantur convenire praefectum loci, ubi [1] manere, et de eius consilio se gerere. *Super itinerantium hospitio,*

Nullus magistratum aliquem, principem vel praelatum ex quacumque causa adire audebit, nisi ea causa a superiore suo prius cognita fuerit, obtinueritque ab eo facultatem accedendi. Quin potius prohibetur ne quis in aliquo foro causam ullam, nisi publicam et de mandato superiorum, agere possit. Quamobrem decernimus ut causae omnes, quae Romae agendae sunt, ad procuratorem Ordinis in Urbe dirigantur, neque aliis committi possint, nisi de eius consilio et assensu. *Super accessu ad principes et alios, vel ad aliquem forum,*

Procurator autem qui accedentes ad Urbem sine licentia fratres carceribus non *Super munere procuratoris Curiae,*

1 *Ibique*, Cherub. (R. T.).

mancipaverit, et in Romana Curia libere et impune vagari permiserit, ab officio suo cadat, et non possit restitui, nisi per generalem vel generale capitulum. Hoc autem non solum de procuratore Cismontano, sed etiam de Ultramontano, si fuerit, intelligatur.

Super bonorum asportatione.

Cuicumque contigerit de mandato superiorum ad alium locum transmigrare, teneatur relinquere cellam, et si qua habet bona suo usui deputata, superiori loci unde discedit. Si quis vero asportaverit aliquid extra conventum (nisi id gestaret pro sua necessitate et de superioris licentia), illico iis bonis privatus sit et proscriptus a conventu ad arbitrium superioris.

Equitandi licentia.

Cavebunt etiam superiores ne omnibus passim concedant licentiam equitandi, praesertim fratribus iunioribus, qui sunt robustae complexionis et in literarum studiis non se exercent; quamvis intentio beati Francisci in hac parte potius pompam et fastum respiciat, quam equitandi opportunitatem excludat.

Cap. IV.

Verba cap. 4. *Praecipio firmiter fratribus universis ut nullo modo denarios etc.*

Declaratio super proprietate et usu pecuniæ et aliorum bonorum 1.

In hoc capitulo usus pecuniarum omnium per se vel interpositam personam videtur omnino fratribus Minoribus prima fronte interdictus, ita sonare videtur litera: sed statim tamen in quibusdam casibus videtur concessus, ubi dicitur: Tamen pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis, et quod fratres possint equitare, si necessitate cogantur *etc.* Praeterea, ut communiter interpretantur doctores et praecipue quatuor magistri, qui in generali capitulo, parum post obitum beati Francisci, eius Regulam explicarunt, videlicet, Alexander de Ales, Gaufredus, Ioannes de Rupella et Ricardus de Media Villa, quorum doctrina in Ecclesia recepta est, sciendum est quod recipere pecuniam per se, est eam auctoritate propria dispensare et in suos proprios usus convertere; recipere vero per interpositam personam, est eam in usum alterius auctoritate propria convertere et dispensare. Quod fratres Minores regulariter non fecerunt, quippe qui confessi sint semper omnia iura, dominium et proprietatem bonorum omnium suo usui deputatorum penes Ecclesiam Romanam extitisse, usu facti simplicis contenti; unde mos ille inolevit, et servatum hactenus in Religione semper fuit, ut nulli umquam licuerit, etiam in Ordine, haeredem sibi nominare, neque aliquid disponere de rebus suo usui applicatis, etiam si ex intestato, aut alio quocumque modo sibi obvenerint, nisi accesserit sui superioris licentia, quae non nisi ex rationabili causa dabatur, quae tamen hodie, post decreta Tridentin. synodi, amplius dari non potest.

Quod vero ad tactum pecuniarum attinet, ex apostolica auctoritate habetur quod tactus aut contrectatio simplex pecuniarum nullum crimen aut turpitudinem impingit, sed crimen est in animo fratris, qui pecuniam vel avare recipit vel occultat, aut eius dominium et proprietatem in se transfert contra Regulam, quam professus est; quod explicat beatus Franciscus in capite sexto, cum dicit *Fratres nihil sibi appropriant,* etc. Neque putandum est beatum Franciscum contactum pecuniarum simplicem prohibuisse, cum id Evangelium non prohibeat. Regula vero eius sit haec, ut ipse inquit, sanctum Evangelium observare. Et divus Bonaventura dicit quod sine consensu non acquiritur possessio; ergo quamdiu manet

1 Tu recordare quod bullae, quae hic in fine huius capituli citantur, sunt remissive indicatae hic in rubr. Et concessio concilii Trid., hic pariter allegata, legitur in sess. XXV, *De Regular.*, cap. 3.

in fratribus voluntas non acquirendi, etiam si in eorum manibus, pro eorum necessitatibus, pecunia inferatur, non tamen eam recipiunt, secundum quod receptio in eorum Regula inhibetur. Unde sequitur quod fratres tangentes pecuniam, Regulae ipsorum non contradicunt illo simplici tactu; sed neque per hoc vitium proprietatis potest eis adscribi. Verum est tamen quod prisci illi patres nostri etiam a contactu pecuniarum voluntarie abstinebant, tum ne simplicibus ex hoc aliquod scandalum oriretur, et putarent illos accumulandis pecuniis insudare; tum quia experiebantur erga se ferventem adeo populorum devotionem, ut nihil suis necessitatibus defuturum umquam dubitarent. Cum autem deferbuisset caritas, et frequens fratrum numerus ex advenientibus quotidie eleemosynis sustentari nequiret, ne studium sacrae theologiae et aliarum scientiarum, in quibus Ordo noster insignis semper habitus est, inopia pessum iret, placuit summis Pontificibus, et praecipue Martino quinto et Sixto IV, nobiscum dispensare ut ex bonis Romanae Ecclesiae nostram inopiam levare, et erecta literarum gymnasia conservare possemus. Novissime vero ad conscientias nostras pacandas, ad scrupulosque evellendos, qui in mentibus imbecillium quandoque emergebant, etiam dominium rerum in communi, earumque administratio a sancta œcumenica Tridentina synodo concessa nobis est. Quae materia, quoniam communis est cum ea quae capite sexto tractatur, ad ipsum locum remittitur.

Cap. V.

Verba cap. 5.

Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi etc.

Declaratio super exercitio fratrum illiteratorum,

In hoc capitulo beatus Franciscus hoc unum contendit ut fratres sui otium fugiant, quod omnium malorum radix et fomentum est. Quamobrem statuitur ut hi, qui in literis vel in musica non se exercent, exerceantur in aliquo officio, ianuas pro clausura observent, hortos colant, infirmis et in gradu collocatis patribus serviant, verrant domum, accedant ad eleemosynam petendam et similia faciant, quibus otiositati, malorum omnium sentinae, occurrant.

Super exercitio fratrum laicorum,

Qui vero laici fuerint, non permittantur deferre coronam in capite, sed serviant publicae utilitati et cogantur iuxta Regulam pro horis canonicis dicere *Pater noster,* etc., atque nullo tempore admittantur ad sacros ordines suscipiendos.

Super examine recipiendor. ad studia,

Qui voluerint literas discere, examinentur prius a provinciali magistro, ut si eos idoneos ad graviora studia invenerit, certiorem faciat generalem Ordinis, qui in aliquo Religionis gymnasio eos collocet: collocari vero pro baccalaureis non possint, qui prius in dialectica non profecerint, conclusionesque in ea professione honorifice non sustinuerint. Qui per multos annos in studiis non profecerint, a gymnasiis amoveantur, et alii studiosi in eorum locum subrogentur.

Super exercitio studentium,

Baccalaurei et doctores studentes exercebunt se alternatim lectionibus, disputationibus et praedicationibus, ut istis tribus simul assuescant; hoc enim modo citius in viros eruditos evadent.

Super dispositione gymnasiorum,

Minora literarum gymnasia ita disponantur, ut quaedam logicae, quaedam philosophiae studio applicata sint, ut iuvenes, qui dedunt se literis, per gradus ascendant, et non possint in maioribus constitui, qui in minoribus saltem per triennium non steterint. Similiter et lectores non fiant regentes in celebrioribus Studiis, nisi in minoribus prius eruditionem suam testatam fecerint. In maioribus Studiis, ubi sunt theologiae professores, ultra ordinarios lectores scholasticos, habeatur lectio Sacrae Scripturae, non

dimittendo textum Magistri Sententiarum, quem omni triennio, in substantia saltem, regentes teneantur percurrere; et lectiones incipiant singulo anno post festum Nativitatis B. Virginis. Lectores, qui in publicis Universitatibus legunt, teneantur, ad arbitrium generalis, in iis conventibus ubi morantur, unam lectionem legere. Curet etiam idem generalis ne sinat iuvenes in propria domo studere, sed mittat eos extra, ne patriae commoda et affectus eos a studiis abstrahant.

Super promotione ad doctoratum.

Qui voluerint ad doctoratus insignia promoveri, non admittantur nisi iuxta breve sanctissimi domini nostri Pii quarti, videlicet in capitulo generali, praemisso rigoroso examine. Supplicatur tamen eidem sanctissimo domino nostro ut amoveatur numerus certus promovendorum, et promoveri possint ii omnes, qui in eodem capitulo, de consilio aliquorum publicorum lectorum, idonei a generali iudicati fuerint, nonnisi eodem rigoroso examine praemisso, et praemisso promotorum iuramento. Est enim in Ordine tanta eruditorum copia, ut ad tam exiguum numerum restringi non possint, quod in proximis comitiis generalibus Florentiae omnes noverunt. At quoniam fratres extra Italiam constituti (excepta Dalmatia), nonnisi difficile et magnis sumptibus ad generale capitulum accedere possunt, statuitur ut ii omnes, qui voluerint ad magistralem coronam recipi, examinentur in aliqua publica Universitate illius regionis, de qua fuerint, propositis conclusionibus in ea facultate, ad quam promoveri voluerint. Qui quidem, si, praemisso rigoroso examine, ab illa Universitate digni doctoratus titulo iudicati fuerint, fidemque publicam ab ipsa de eorum sufficientia habuerint, possit eos generalis per suas literas in aliqua Universitate, vel a persona auctoritatem habente, ad doctoratus lauream suscipiendam admittere. Nullus vero ad doctoratum vel ad alium gradum superioritatis de cetero promoveatur, qui prius professionem fidei non fecerit, iuxta bullam praefati domini nostri Pii quarti.

Cap. VI.

Fratres nihil sibi appropriant etc. Verba cap. 6.

Circa hoc capitulum repeti possent, quae supra in praefatione et in capite quarto dicta sunt, quod scilicet nos non habemus in particulari aliquid proprium, sed usum simplicem rerum, quamvis sancta Tridentina synodus concesserit ut possimus habere proprium in communi. Ad tollendum tamen omne proprietatis vitium, iuxta decreta eiusdem sacrosancti Tridentini concilii, prohibemus omnibus Ordinis nostri fratribus et sanctimonialibus ne quisquam eorum bona, immobilia vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possideat vel teneat, sed statim ea superiori tradantur, conventuique vel monasterio incorporentur, prout nos ex nunc ea applicamus et incorporamus, applicataque et incorporata pronunciamus. Declaratio super proprietate.

Super concessione usus vel administrationis bonorum stabilium.

Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Ordinis nostri concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Et si aliquae licentiae, etiam a generali, aut alio quovis modo, ex quacumque causa, adversus praedicta hactenus concessae reperiantur, eas ex nunc tollimus et abrogamus. Administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos officiales eorumdem, ad nutum superiorum amovibiles, pertineat.

Super concessione usus mobilium.

Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat,

nihilque superflui in ea sit; nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur; quorum omnium registrum superiores apud se habeant, et singulo anno revideant, et fratres ea vendere, alienare aut donare nemini valeant. Quod si quis aliter fecerit, vel quidquam, etiam si pecunia sit, tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam, iuxta Ordinis nostri constitutiones, veluti proprietarius puniatur. Quinimmo, ad erorres istos tollendos, praecipit generale capitulum ut in singulo conventu et monasterio sit aerarium publicum, ubi reponantur singulorum fratrum et sanctimonialium pecuniae; quae inde non extrahantur sine necessitate a superiore cognita. Monemus tamen singulorum conventuum superiores ut, iuxta singulorum fratrum merita, gradum et necessitates, ex reliquis bonis, et praesertim ab eisdem fratribus acquisitis, aliqua eis, pro studiorum et laborum substentatione, largius et commodius subministrent.

Super cura senum et infirmorum,

Habeatur vero diligens senum et infirmorum cura; provideaturque eis de communibus eleemosynis in eorum necessitatibus; et in singulo conventu praeficiatur saltem unus, cui huiusmodi cura committatur.

Super resignatione bonorum per infirmos fienda,

Et cum quis infirmari coeperit, statim resignet superiori omnia, quae suo usui fuerint applicata, ut in casu mortis conventui cedant.

Super dispositione proventuum,

Emolumenta quae ex piorum legatis vel (ut vocant) mansionariis proveniunt, in publicam utilitatem convertantur et nulli particulari tribuantur.

Super nullitate licentiarum disponendi de bonis Ordinis,

Licentia vero disponendi de bonis suo usui deputatis, aut etiam de cellulis et cameris ipsis, nulli fratri aut sanctimoniali tribuatur, sed haec sit generalis et provincialium cura, secundum gradum et virtutem, ea quibus videbitur assignare. Et si quis hactenus a superioribus Ordinis, aut etiam a Sede Apostolica talem disponendi licentiam obtinuit, nulla censeatur.

Super syndicorum et procuratorum munere,

Quod autem ad syndicos vel procuratores, sanctesios sive operarios attinet, singuli conventus et monasteria, ubi superioribus Ordinis visum fuerit opportunum, unum aut alterum illorum sive plures eligant, ad ipsorum superiorum nutum amovibiles, ut sancta Tridentina synodus decernit; non quidem ut rerum et bonorum Ordinis procuratores et rectores, quemadmodum hactenus consuevit, cum nondum Religio haberet proprium in communi, sed ut conservatores et defensores; qui non possint a principibus vel communitatibus institui, sed tantum praesentari. Superior vero, qui ei videbuntur, confirmet, et non permittat eos perseverare ultra triennium, nisi generale capitulum ex urgenti causa aliter decreverit. Ii vero attingant saltem annum quadragesimum quintum; etiam ubi eis bonorum temporalium fuerit cura commissa, teneantur, quotiescumque a superiore vel sanctimonialibus requisiti fuerint, de ipsis bonis rationem reddere; quae quidem bona, etiam pecunias ipsas, non teneant apud se, sed conserventur in monasteriis, et non exponantur, nisi iuxta earumdem sanctimonialium vel earum superiorum voluntatem. In spiritualibus vero ullo modo ipsi syndici sive operarii non se intromittant, ut infra dicetur. Procuratores ex Ordine, singulo mense, coram fratribus in loco publico, suae administrationis rationem reddere teneantur; aliter priventur bonis omnibus suo usui deputatis, etiam ipso conventu. In quam poenam incidat etiam qui mercaturas animalium, societates vel alias negociationes exercere compertum fuerit. Si quis vero in sua administratione fraudem aliquam vel furtum commiserit, privetur officio et disciplinetur; et si furtum insigne fuerit,

etiam a provincia proscribatur, et per decennium ad officia inhabilis habeatur.

Super custodia clavium bonorum conventus.

Claves, sub quibus bona conventuum et monasteriorum reponuntur, non a superioribus ipsorum conventuum et monasteriorum tantum, sed etiam ab aliis discretis personis eorumdem locorum custodiantur, qui omnes diligenter introitum et exitum ipsorum bonorum in libris describant, et praelato suo postmodum ostendant.

Cap. VII.

Verba cap. 7.

Si quis fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverit etc.

Declaratio super fratrum confessione,

Duo in hoc capitulo docet nos beatus Franciscus. Alterum quod [1] fratres peccantes debeant recurrere; alterum, quo modo sunt recipiendi. Circa primum statuitur et ordinatur ut nullus fratrum peccata propria vel proximi sui propalare audeat, nisi superioribus Ordinis, sub poena carceris per mensem, et unius publicae disciplinae omni sexta feria ipsius mensis.

Super propalatione secretorum et scandalorum Ordinis.

Nullus etiam audebit literas scribere in infamiam proximi et Religionis, neque fratrum scandala et secreta in Ordine revelare, nisi praedictis superioribus, sub eadem poena et excommunicatione latae sententiae, a qua per solum generalem absolvi possit.

Super recursu a sententia provincialis,

Nemo subterfugiat iudicium sui magistri provincialis, neque eum reiiciat quousque suam sententiam non protulerit. Qui secus fecerit, exilio a provincia per triennium puniatur; provincialis tamen procedat in causa. Si vero suspicio fuerit, quae indiciis vehementibus appareat, quod provincialis procedat ex odio et passione, possit accusatus postulare a generali collegam, qui una cum provinciali causam suam expediat. Ipse tamen reus hinc interim recedere non possit, sub poena convicti criminis.

1 *Alterum, ad quos*, Cherub. (R. T.).

Super recursu ad brachium saeculare,

Qui si, pro iniustitia sibi illata vel quam praetendit sibi illatam esse, ad brachium saeculare recurrerit, et non potius ad superiores Ordinis, exulet statim a provincia, et fiat inhabilis ad omnia Ordinis officia.

Super accusatione fratrum,

Non accuset frater fratrem de aliquo crimine coram superiore, nisi per testes vel sufficientia inditia probare possit quod imponit; aliter accusans ea poena multetur, quam accusatus sustinere debuisset; et sic semper, quando quis imponit aliquid, quod per testes vel sufficientia inditia non probetur, poena talionis puniatur; denunciare tamen liceat, et denunciantem superior secretum teneat.

Super offensione fratrum,

Quicumque ex quavis causa in fratrem suum manum violentam iniecerit, sanguinemque fuderit, vel etiam sine sanguine graviter percusserit, ultra poenas delicto congruentes, etiam ad omnia Ordinis officia in perpetuum inhabilis habeatur, et a provincia expellatur, neque ad officia sive provinciam restitui possit, nisi per generale capitulum et per omnium patrum definitorum vota. Quas poenas eos quoque incurrere volumus et decernimus, qui convitiis, minis aliisve modis aliquem ad percussionem irritaverint et lacessiverint. Teneantur vero guardiani et alii locorum nostrorum rectores, sub poena privationis suorum officiorum, huiusmodi reos, etiamsi in domo ipsorum non deliquerint, in carcerem coniicere a superioribus puniendos.

Super punitione fratrum delinquentium,

Qui commiserit aliquod facinus, propter quod, si esset in saeculo, foret iuxta leges morte plectendus, vel aliquam insignem infamiam sive ruinam Ordini sive Ordinis superioribus intentaverit, perpetuis carceribus condemnetur. Et si aliquo tempore condonatum illi fuerit de his poenis, nunquam tamen ad conventum suum remittatur, neque abilis ad officia Ordinis habeatur.

Qui verba minus honesta in contumeliam fratrum et superiorum, etiam in claustro, dixerit, pro arbitrio superiorum ieiuniis et carcere maceretur.

Super punitione contumeliam in fratres dicentium,

Incorrigibiles, in capitulis generalibus et provincialibus publice puniantur. Quod si neque hoc modo ad mentem revocari poterunt, ut bene honesteque vivere velint, suspendantur a divinis, et laicalem ducant vitam, ac serviant monasterio tanquam laici. Et si perseveraverint incorrigibiles esse, perpetuis carceribus mancipentur.

Super punitione incorrigibilium,

Circa secundum, omnibus superioribus Ordinis praecipit generale capitulum ut fratres peccantes ita cum iustitia corrigant, ut misericordiae non obliviscantur, et caveant ne peccatum fratris occultum in propatulo exponant; et qui debent Ordinis miserias tegere et occultare, eas saeculi auribus non traducant et manifestas faciant.

Super correctione fratrum.

Cap. VIII.

Verba cap. 8. *Universi fratres unum de fratribus istius Religionis teneantur semper habere generalem ministrum, etc.*

Circa caput istud de electione superiorum Ordinis et aliorum officialium, explicandus est modus quo eligi debeant, ut servetur canon sextus reformationis regularium editae a sancta Tridentina synodo, ubi dicitur: *In electione superiorum quorumcumque, etc.* (explicetur totus). Pro executione igitur praesentis canonis, ex decreto generalis capituli Florentiae nuper habiti statutum est ut huiusmodi electiones per ea secreta suffragia fiant, quae nos balotationes vulgo dicimus; ut puta, in quibus ita facile fraudes non admittuntur, ubi singulorum votorum suffragia calculis lineis aut laneis colliguntur, hoc scilicet modo: extat vas ligneum duplex, in quod cum quis manus imposuerit, potest calculum suum in quam voluerit partem deponere (una enim pars vota affirmativa, altera negativa colligit), et nemo novit ubi calculus ceciderit, ita ut unusquisque conscientiae suae satisfacere et ipse a nullo cogi possit. In electione igitur generalium, provincialium, procuratoris in Urbe, custodum, guardianorum et omnium officialium, quibus aliquis gradus administrationis vel superioritatis in subditos ex electione accedit, fiat electio per balotationes et non alio modo. Quicquid secus factum fuerit irritum sit et inane. In provinciis Austriae, Bohemiae, Romaniae, Orientis et Terrae Sanctae, et si quae sunt similes provinciae, quae eligere suos provinciales non consuevere, designentur a generali per triennium provinciales, qui tamen in deputandis aliis inferioribus officialibus modo supradicto utantur. Et ne fraus in calculis oriatur, mandat generale capitulum ut unusquisque accipiat suum calculum a praesidente capituli, quo accepto, recta via ad vas balotationis accedat, manu elevata et digitis extensis, ita ut omnes videant quod unicus est singulorum calculus. Discreti etiam ad provinciale capitulum profecturi, ubi fuerit numerus conveniens fratrum, a suis conventibus; et ipsi definitores, in capitulo, a suis custodiis per balotationes eligantur. Qui definitores ad aliud officium non possint assumi, sed perseverent in illo per annum usque ad capitulum provinciale, et interim consilio et auxilio singuli in sua custodia provinciali, dum visitat, assistant. Quod si provinciale capitulum non celebrabitur, ipsimet cum provinciali totidem alios patres per easdem balotationes descernent[1], qui sub nomine definitorum officiales provinciae eligant, et per annum similiter perseverent. Et ita fiat singulis annis, quando capitulum provinciale non habebitur. Caveant tamen fratres omnes, qui-

Declaratio super modo dandi suffragia in electione officialium,

1 *Secernent*, Cherub. (R. T.).

bus ius electionis convenit, ne calculum suum alicui tribuant, neve alterius ipsi recipiant vel fraudem aliquam in modo isto electionis committant, sub poena expulsionis a provincia et inhabilitationis ad omnia officia Ordinis.

Quod proprietarii non eligantur ad gradus,

Qui suas eleemosynas et alia bona in manu superiorum suorum, iuxta modum suprascriptum in capite sexto, non resignaverit conventuique non incorporaverit, non possit eligi ad aliquem gradum et honorem, sed veluti proprietarius puniatur.

Et etiam procurantes officia ut hic.

Si quis vero via et favore principum et praelatorum, quasi vi quadam, intromittere se in officiis Religionis procuraverit, statim ad ea inhabilis habeatur.

Provinciales quando reeligi possint.

Provinciales, peracto sui magistratus triennalis termino, non procurent reeligi iterum a sua provincia, nisi, ex defectu fratrum vel alia rationabili causa, id generalis per patentes literas permitteret, sub poena excommunicationis latae sententiae et privationis graduum; quas poenas extendi volumus etiam ad eos, qui eos elegissent.

Provincialis a magistro generali tantum confirmatur.

Commissarii generales, quavis potestate praediti, non audeant electos provinciales, etiamsi eorum electioni praefuerint, confirmare, cum id tantum generalis munus sit et auctoritas, nisi id in suis patentibus expresse contineretur. Qui secus fecerint, ab auctoritate et gradibus cecidisse intelligantur.

Procurator in Urbe maneat apud S. Salvatorem in Unda.

Procurator in Urbe maneat apud Sanctum Salvatorem de Unda, hyberno saltem tempore, secundum antiquas Ordinis constitutiones et Summorum Pontificum decreta. Et, ad evitandam discordiam, unus tantum procurator, non plures eligantur; procurator vero electus, sicut et generalis, iuramentum solitum, iuxta Alexandrinas constitutiones, praestare teneatur.

Capitula a magistro generali convocantur.

Capitula generalia et provincialia possit generalis convocare quando et ubi illi visum fuerit, iuxta tenorem Regulae, de triennio in triennium vel ad alium terminum maiorem vel minorem. Et vocales, qui vocati fuerint, congruo tempore adesse curabunt, aliter voce activa et passiva priventur. Qui vero vocales non sunt, ad capitula non accedant, sub poena unius publicae disciplinae.

Cap. IX.

Fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum etc.

Verba cap. 9.

Declaratio super observantia concil. Tridentini super praedicatione,

Tria potissima in hoc capitulo animadvertenda sunt. Primum, ne quis fratrum in episcopatu alicuius episcopi audeat praedicare, cum ab illis fuerit contradictum, ut sonat litera, et nuper statuit sancta Tridentina synodus sessione octava, canone quarto [1]. Secundum, ne quis officium praedicationis sibi arroget, sed a suis superioribus mittatur. Tertium, quomodo se habere debeant praedicatores in eo munere obeundo. Circa primum, mandat generale capitulum omnibus praedicatoribus Ordinis ut servent illum punctum Regulae et concilii, ne scilicet populo praedicent contradicente episcopo. Quinimo fratres omnes honorem et reverentiam episcopis exhibeant.

Super confessione.

Servetur etiam decretum eiusdem sanctae synodi, sessione septima, canone decimoquarto [2] Ne fratres audiant confessiones saecularium, nisi prius fuerint a suis superioribus examinati, et ab ordinariis admissi. Qui secus fecerint, ultra alias poenas, reddantur inhabiles ad huiusmodi confessiones audiendas.

Super praedicatorum qualitatibus,

Circa secundum, nullus ad officium praedicationis admittatur a generalibus sive provincialibus magistris, qui non fuerit sacerdos vel diaconus, vita et moribus comprobatus, praecipue vero catholica doctrina instructus. Superiores Ordinis omnem suam curam et studium adhibe-

1 Lege *sess.* XXIV, *De Reform.*, *cap.* 4 (R. T.).
2 Lege *sess.* XXIII, cap. 15 (R. T.).

bunt ut bene noscant praedicatores quos admittunt, eorumque doctrinam explorabunt, ne quid contra receptam veritatem vel contra Sedem Apostolicam sive christianos principes praedicetur. Similiter se gerant erga patres confessarios, quos non admittent ad tam difficile munus, nisi viros bonae conscientiae, et qui sciant discernere inter lepram et lepram. Hi autem per conventus et loca, iuxta necessitatem, distribuantur.

Super dispensatione eorumdem,

Magistri et praedicatores etiam disponantur hoc modo, ut in praedicationibus et lectionibus, praesertim casuum conscientiae, se exerceant, populosque in fide instruant. Et qui non legunt vel non praedicant vel in aliquo officio Religioni non serviunt (nisi alias in his studiis suas partes gesserint), exemptionibus et honoribus sui gradus non gaudeant. Fratres vero, qui ad casuum conscientiae lectionem audiendam non accesserint, non admittantur ad audiendas confessiones, nisi viri alioquin eruditi et probati. Et id curent provinciales sub poena privationis officii.

Super praedicatorib. et confessoribus non habentibus licentiam,

Si quis deprehensus fuerit praedicatoris vel confessoris munus absque superiorum licentia exercuisse, post carcerem per mensem, exulet a provincia per triennium; et si saepius hoc modo deliquerit, per annum carceribus deputetur.

Super his quae praedicator. evitare debent.

Circa tertium, nullus fratrum, in suis praedicationibus, ne latum quidem unguem discedere audebit a communibus sensibus S. R. E. et a Patrum ab ea approbatorum sententiis, neque aliquam novam opinionem intrudet. Argumenta etiam haereticorum vel eorum responsiones in medium afferre nemo in suis concionibus audebit, ea praesertim quae captu difficilia sunt rudi plebeculae, ne haereticorum dicta pro conclusionibus veris et catholicis recipiantur. Si quis vero posthac convictus fuerit aliquam propositionem haereticam vel schismaticam populo praedicasse, propter quam abiurationem facere teneatur, numquam amplius ad praedicatoris munus, neque ad Ordinis officia admittatur. Et si quis a quatuor annis circa fuerit aliqua labe haeresis notatus et convictus, habeatur inhabilis ad quoscumque gradus et dignitates per decennium.

Fratres non edant in lucem libros non approbatos a superioribus Ordinis.

Nullus etiam librum aliquem tractantem de fide aut de quacumque alia materia in lucem edere valeat, sub poena excommunicationis et carceris, nisi prius a generali vel a deputatis ab eo ille liber fuerit approbatus; et praeterea alia observentur, quae circa hoc in decretis concilii Tridentini et indice librorum cauta sunt.

Cap. X.

Fratres qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, etc.

Verba cap. 10.

Declaratio super munere provincial. in visitationibus,

In hoc capitulo B. Franciscus instruit superiores Ordinis et eorum subditos, quomodo invicem se gerere debeant. Superiores vocat ministros et servos aliorum fratrum ut sciant se non esse dominos, neque habere dominium super subditos, ut domini temporales, sed ideo constitutos esse super alios, ut eorum utilitati et saluti inservire debeant; praefecturae enim nostrae sunt potius officia quam dignitates. Subditos vero docet ut omnimodam obedientiam suis superioribus praestent, memores quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Quamobrem mandatur omnibus provincialibus, sub poena privationis suorum officiorum, ut singulis annis, dum visitant, examinare debeant fratres suos, etiam sub iuramento, de statu conventuum et locorum, de vita fratrum, de moribus, de conversatione et observatione harum constitutionum, atque de omnibus certiorem faciant generalem magistrum; visitent quoque cameras, explorent si quid habent fratres superflui, quod non conveniat suae professioni, et ubi non sunt

inquisitores, etiam libros fratrum diligenter examinent.

Super eorumdem munere circa fratrum promotiones,

Mandatur quin etiam praedictis ad meritum obedientiae salutaris, ut, in promovendis fratribus ad aliquem gradum vel officium, invigilent ne indigni praeferantur dignis, et mali optimis, sed in omnibus publicae utilitati et ornamento consulant. Praeferantur vero qui publico commodo conventuum et locorum, non suae utilitati incumbunt.

Super eorumdem munere circa aetatem recipiendorum,

Caveant quoque provinciales, sub poena privationis officii, ne de cetero cooptent in coetum patrum, qui fuerint minoris aetatis annorum quadraginta, nec ad hoc suffragari possit aliquis gradus vel officium, praeter doctoratus titulum; indecens enim est ut inter eos, quorum consilio res conventuum aguntur, omnes passim sine delectu introducantur.

Super obedientia superioribus praestanda.

Subditis vero mandatur, sub eadem vi obedientiae, ita humiliter exhibeant se dicto superiorum, ut nihil sibi magis faciendum proponant quam illud quod ipsorum superiores, iuxta suae professionis praescriptum, peragendum iusserint.

Qui autem minus obediens vel contumax suis superioribus fuerit, et admonitus non se emendaverit, veluti Regulae suae et voti obedientiae trangressor puniatur. Et quicumque in generali vel provinciali capitulo ad aliquod officium assumptus fuerit et non paruerit, per quinquennium ad omnia officia Ordinis inhabilis habeatur, activaque voce careat.

Cap. XI.

Verba cap. II. *Praecipio firmiter fratribus universis ne habeant suspecta consortia.*

Duas partes habet hoc capitulum. Prima prohibet fratribus suspecta consortia mulierum; secunda, ingressum in monasteria monacharum.

Circa primam partem, mandat generale capitulum districte fratribus omnibus ne conversari neque loqui audeant cum mulieribus malae famae, et quantum fieri poterit, etiam ab alloquutione mulierum bonae famae se abstineant. Qui comprehensi fuerint habere suspecta consortia mulierum, et correcti non se emendaverint, carceribus per mensem mancipati, a conventu proscribantur.

Declaratio super colloquin et commercio cum inhonestis mulieribus,

Super poena admittent. mulier. intra claustra,

Et si quis convictus fuerit huiusmodi mulieres duxisse intra claustra conventus, ultra praefatas poenas, etiam flagris omni sexta feria publice caedatur per mensem.

Super custodia ostii conventus,

Ut autem haec omnia serventur, districte praecipitur ut in omnibus conventibus diligenter clausura observetur, et unus fratrum ianuae semper assistat, qui mulieres nullo modo ingredi permittat.

Super hospitio saecularium in conventu,

In ipsis vero conventibus et locis non recipiantur hospitio personae saeculares, nisi forte aliqui praelati et viri admodum insigues ad breve tempus et de licentia superioris, ut clausura debite servetur, et laicorum discursu non interrumpatur. Quare obsecrandus est beatissimus Papa ut iubeat principibus et magistratibus ne gravent conventus et loca equis, militibus et aliis eorum officialibus.

Super accessu fratrum ad monasteria monialium,

Circa secundam partem, de sanctimonialibus, mandatur omnibus et singulis fratribus nostris ne accedant ad monasteria monialium, nisi pro divinis agendis, et ex iussu superiorum, qui aetatem et probitatem mittendorum considerent, sub poena per triennium, secundum constitutiones capituli generalis Mediolanensis proximi. Et qui mittentur, a sanctimonialium alloquutione abstineant, sub poena exilii per annum.

Super ingressu eorumdem intra claustra monialium,

Circa vero ingressum monasteriorum servetur canon quintus reformationis Regularium Tridentinae synodi, ubi dicitur: Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine epi-

scopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda. Quapropter mandatur abbatissis omnibus monasteriorum nostrorum, sub poena eadem, et sub poena privationis officii, ne admittant inter claustra monasteriorum aliquem, absque expressa licentia in scriptis suorum superiorum, quicumque is sit et cuiuscumque conditionis. Licentia autem in casibus tantum necessariis detur, veluti pro confessore, medico aut aliis ministris, exigente necessitate.

Super medici qualitate et admissione intra claustra,

Unicus etiam sit et communis sanctimonialium medicus, provectae aetatis, ab universitate monialium eligendus, et per generalem seu provincialem approbandus, qui, cum in claustra monasterii ingressus fuerit, comitatus a duabus monialibus ex antiquioribus, si abbatissa adesse non poterit, semper incedat, quousque claustra exiverit.

Super admissione et eruditione puellarum inter moniales,

Circa puellas saeculares, quae in quibusdam monasteriis erudiendae introducuntur, maximam curam adhibeant superiores ut nonnisi honestas et pacificas virgines de monialium consensu ingredi sinant; et quae ingressae fuerint, non substineantur ultra XVI annos. Quo tempore, vel subiectum [1] regularem suscipiant, vel nubendae domum remittantur. Monasteria vero, quae tales virgines recipere non consuevere, nullo modo ad eas recipiendas cogantur.

Super earumdem puellarum examine et approbatione,

Puellae etiam habitum non suscipiant nec professionem emittant, absque approbatione generalis vel provincialis aliisque requisitis, iuxta decreta concilii Tridentini in sessione XXV. Quicquid secus factum fuerit, irritum sit et inane, ac contrafacientes excommunicationem incurrant. Superiores autem ipsi teneantur antea diligenter scrutari voluntatem puellarum, an sponte, an intuitu [2] monasterium ingrediantur: ut, si sponte ad Religionem accedant, eas suscipiant; si invite, eas reiiciant atque domum remittant.

Super earumdem aetate, ad susception. habitus et emissionem professionis,

Quae sponte voluerint ad Religionem accedere, habitum non suscipiant ante duodecimum annum, neque admittantur ad professionem ante decimumsextum suae aetatis annum expletum, et nisi per annum saltem antea in probatione steterint. Cuius professionis tempus, ne episcopus ignoret, teneantur praefecti monasterio eum ante mensem certiorem reddere, sub poena a concilio statuta: et singula monasteria habeant librum, in quo describantur nomina profitentium et tempus.

Super earumdem bonis,

Ante vero professionem (excepto victu et vestitu) nihil tribuatur monasterio ex bonis puellarum a parentibus, propinquis aut curatoribus, quocumque praetextu, ne hac occasione discedere nequeant, quod totam vel maiorem partem substantiae suae monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit. Quin potius praecipit sancta synodus, sub anathematis poena, dantibus et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat; et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quae sua erant.

Super novitiarum magistra,

Habeant quoque ipsa monialium monasteria sua seminaria sive novitiatus praecipuamque puellarum magistram, quae eas erudiat, et in viam mandatorum Dei dirigat.

Super monialium exercitio in cultu divino,

In primis vero mandat generale capitulum sanctimonialibus omnibus nostri Ordinis, ut divino cultui semper invigilent, horis canonicis de noctu vacent, verba otiosa et vana non admisceant, a choro harum [1] tempore non discedant, sed iuxta earum professionem, abiectis mundi vanitatibus et illecebris, se totas Deo committant, ieiuniis et orationibus insistendo: praecipue vero ieiunia Romanae Ecclesiae et suae Regulae ac disciplinam in his diebus non praetermittant. Confessionem peccatorum suorum singulis saltem mensibus

1 *Habitum*, Cherub. (R. T.). 2 *Invite*, Cherub. (R. T.).

1 *Horarum*, Cherub. (R. T.).

faciant, et sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari praesidio muniant ad omnes oppugnationes daemonis fortiter superandas. Quod vero ad Sanctissimum Christi Corpus attinet, praecipit sancta synodus ne intra chorum et septa monasterii, sed in publica ecclesia conservetur, non obstante quocumque indultu aut privilegio.

Super confessoris monialium qualitatibus,

Confessores sanctimonialium constituantur viri probi et modesti: et non maneant apud unum monasterium, ex celebrioribus praesertim, nisi per triennium, nisi forte ex aliqua rationabili causa aliter superiori visum fuerit. Neque in monasteriis nostri Ordinis confessores ulli admittantur, qui non sint ex ipso Ordine, quippe qui sciunt quid importet sanctimonialium professio, et possunt a transgressione Regulae absolvere, quod non possunt ceteri, ut literae apostolicae testantur. Sed et praeter ordinarios confessores alius extraordinarius a suis superioribus bis aut ter in domo [1] offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.

Super electione abbatissae monialium,

Electio vero abbatissae ea sit, quae et aliorum superiorum Ordinis, scilicet per balotationes, nulla ratione consuetudinis aut antiquitatis habita, sed sit in mera eligentium libertate eam monialem, quam magis idoneam iudicaverint, in abbatissam sibi eligere, servata forma Tridentini concilii, sess. XXV, cap. VII.

Quod eius officium triennio finitur,

Abbatissa autem electa confirmationem a superiore postulet: et nihil quod ad monasterium vel ad regimen ipsius pertineat, inconsultis vicaria et decretis [2] monasterii, faciat. Quod si fecerit, irritum sit et inane. Et si saepius hoc modo deliquerit, officio suo privetur. Sed neque abbatissa aliqua perseveret ultra triennium, nisi pro reformatione aut aliqua maxima monasterii utilitate; sed, expleto termino triennali, ad novae abbatissae electionem procedatur, nulla consuetudine in contrarium faciente.

1 Legimus *in anno* (R. T.). 2 *Discretis*, Cherub. (R. T.).

Quod ad officia eligi non possint Ordinem diffamantes,

Non promoveantur vero ad aliquod officium quaecumque secreta et scandala sui monasterii extra Ordinem, praesertim apud laicos, detulerint, quas volumus expresse in excommunicationem latae sententiae incidere, a qua per generalem tantum, praemissa poenitentia, absolvi possint. Neque promoveantur quae de suspecto consortio convictae fuerint, sed priventur omnino accessu ad crates et rotulas, quousque signum aliquod manifestae resipiscentiae ostenderint.

Quod moniales absque licentia non accedant ad crates vel rotas,

Nulla sanctimonialis accedet ad crates et rotulas aliquam personam alloquutura sine licentia abbatissae, et cum praesentia auditricum, quae in omni monasterio ex antiquioribus discretis de more habeantur; et haec licentia raro, et non nisi ex urgenti causa, atque pro alloquendis parentibus et consanguineis tantum concedatur. Quae vero sine abbatissae licentia vel sine auditricum praesentia ad crates aut rotulas inventa fuerit, privetur accessu ad eas per menses sex pro qualibet vice.

Quod literas et munuscula non mittant absque licentia,

Nulla etiam sanctimonialis aliqua munuscula dabit vel recipiet, neque mittet literas aut recipiet, nisi prius munuscula visa et literae lectae ab abbatissa fuerint, atque ab ea iudicatum fuerit ut admittantur.

Quod nulla exeat claustro,

Ex monasterio vero exire nulla ipsarum ex quacumque causa audebit, nisi secundum decreta sanctae Tridentinae synodi, capite quinto reformationis regularium.

Quod vestimenta sint simplicia et communia.

Vestimenta etiam sanctimonialium huiusmodi sint ut professioni earum respondeant, non preciosa, non colorata, non mollia, sed honesta, simplicia et communia, manicisque amplis utantur ad earum tunicas exteriores. Et omnes professae habeant sua pallia sive mantellos, cum quibus ad crates et coram suo superiore semper compareant; quae contrafecerint, activa et passiva voce, ad superioris arbitrium, privatae intelligantur.

Super cratibus ferreis sint telae nigrae, quae nunquam auferantur, ne moniales a quoquam videri possint, nisi forte a progenitoribus, fratribus et sororibus de licentia abbatissae.

Tela nigra sit super cratibus.

Visitatio, correctio, habitus in ingressu et vel in professione collatio ad solum superiorem Ordinis sive eius commissarium pertineat, non ad aliquem laicum sive presbyterum saecularem, consuetudine et abusu aliquo non obstante. Qui secus fecerit excommunicationem illico incurrat, in quam etiam incidant quicumque se intromittere audebunt in iis, quae pertinent ad spirituale regimen monialium, etiam in deputandis confessoribus aut aliis fratribus, exceptis superioribus Ordinis, quorum haec cura tantum sit et officium.

Collatio habitus et veli spectat ad superiores Ordinis fratrum.

Circa vero monasteriorum et sanctimonialium bona tam mobilia quam permanentia, servetur illud quod de bonis conventuum et fratrum supra in sexto capite statutum est, hoc adiicentes, ut operarii, factores et alii monasteriorum ministri non eligantur neque acceptentur a sanctimonialibus sine superiorum approbatione, ad quorum etiam nutum amovibiles sint, ut sancta synodus decernit.

Electio factorum pro monialibus fiat ab eis cum superiorum approbatione.

In singulis vero monasteriis, iuxta statuta concilii, certus et determinatus numerus monialium statuatur, qui, vel ex redditibus propriis monasterii, vel ex consuetis eleemosynis commode sustentari possit: ad quod invigilabunt superiores.

Certus monialium numerus statuatur in singulis conventibus.

Si autem fuerint aliqua monasteria, quae reformatione indigeant, possit superior, pro eorum reformatione, sumere moniales ex aliis monasteriis eiusdem Ordinis et eas ibi praeficere, cuiuscumque dominii et Status fuerint, non obstante contradictione dominorum temporalium.

Moniales transferri possint ad alios conventus pro reformatione.

Et quoniam supradicta omnia ab ipsis sanctimonialibus servari omnino volumus; mandamus omnibus et singulis monasteriorum nostrorum confessoribus, ne sanctimoniales contrafacientes his constitutionibus, nisi praemissa poenitentia, absolvant.

Confessores monialium curent observantiam praedictorum.

Cap. XII.

Quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos, etc.

Verba cap. 12

In hoc capitulo sunt duo admodum breves articuli: primus de iis, qui ad partes infidelium proficisci voluerint; secundus de protectore eiusque auctoritate. Circa primum invigilandum valde est ut fratres ad Terram Sanctam, ad quam provincia Regni Cypri pertinet, sive ad partes infidelium, praecipue ad Peram prope Constantinopolim, ubi locum satis amplum habemus, profecturi, sint eius vitae, morum et doctrinae, ut credi possit aliquem fructum christianae fidei, ex eorum accessu ad illas partes, proventurum.

Declaratio circa fratres mittendos ad loca infidelium;

Examinentur etiam et probentur, qui ad confinia haereticorum se conferunt, praesertim ubi conventus et monasteria sunt nostri Ordinis, ut puta in Gallia, Germania, Polonia, Bohemia, Austria, Moravia, Dalmatia, Epiro et similibus partibus, ut catholica Ecclesia aliquam utilitatem inde referat. Quapropter, sub vi obedientiae sanctae, omnibus superioribus Ordinis mandat generale capitulum ne cui ad ea loca, nisi prius de mittendorum probitate sibi constiterit, eundi facultatem aliquando faciant.

Circa fratres se conferentes ad confinia haereticorum.

Circa secundum, Deo optimo maximo summae a nobis gratiae agendae sunt, quod in ea incidimus tempora, in quibus protectorem, secundum Regulam nostram, videre et habere datum est. Eo enim gubernatore, quid boni sperare non debemus? Eo protectore, quid adversi timere possumus? Eo correctore, quis ab institutis suae Regulae deficiet? Gubernator est, promovebit ad bonum. Protector est, defendet a

Subsequuntur alia statuta, et primum circa protectoris auctoritatem;

malis. Corrector est, continebit in fide et obedientia sanctae Romanae Ecclesiae. In his enim auctoritas eius est, in his officium suum versatur, ut expresse dicit beatus Franciscus in hoc capite, et declarat Gregorius IX, alias XI, primus Ordinis protector, et deinde Sixtus quartus et reliqui omnes, qui Regulam explicarunt. Te igitur, o illustrissime et reverendissime Carole Borromæe, appellamus, tuam fidem et benignitatem obtestamur, ut nos, tuae curae et patrocinio commissos, beatissimo avunculo tuo et sanctissimo patri nostro Pio quarto commendatos facias; Tu vero Religionem nostram tua prudentia, consilio et auctoritate protegere non desistas, ut, ab inimicorum insidiis tuta, beati patris sui Francisci vestigiis inhaerendo, sedulum in humilitatis spiritu reddere valeat Domino famulatum. Praeterea cupiens generale capitulum ut supradictae leges et constitutiones tam extra Italiam quam in Italia ab universo sodalitio nostro serventur et executioni demandentur, tria haec praecipua decrevit ac iussit.

Circa generalis et provincialium facultatem dispensandi in his, quae in Regula continentur;

Primum, ne generalis et multo minus provinciales possint dispensare in his quae sunt de essentia Regulae, ut puta, quae respiciunt tria vota essentialia, obedientiae, scilicet, paupertatis et castitatis, sed neque in aliis, nisi ex urgenti necessitate vel aliqua valde rationabili causa, quae tamen decretis Tridentinae synodi non adversetur, super quo ipsorum superiorum conscientias oneratas voluit.

Circa accessum generalis ad visitandum Hispaniam et Portugalliam;

Secundum, quod quilibet generalis in primi officii sui triennio, cessante legitimo impedimento bellorum aut pestis, provincias Hispaniarum et Portugalliae in persona propria visitare teneatur. Quod si ex sua negligentia non fecerit, non possit in generalem reeligi pro secundo triennio; sed alius eligatur, qui huic decreto satisfaciat.

Circa punitionem ministrorum negligentium exequi hanc reformationem;

Ministri vero, qui in executione praesentis reformationis a generali vel visitatoribus minus diligentes inventi fuerint, ab officiis suis cadant, et reddantur inhabiles etiam ad minores gradus et officia Ordinis. Visitatores autem, qui provincialium partes implebunt, etiam provincialium magistratu potiantur.

Circa revocationem constitutionum, huic reformationi et concilio Tridentino adversantium.

Tertium, quod constitutiones Ordinis nostri quocumque tempore factae, etiam si apostolica auctoritate sint confirmatae, in his, quae decretis huiusmodi Tridentini concilii repugnant, omnino irritae et abrogatae esse intelligantur, atque omnes ad limites et praescriptiones istarum et concilii redactae censeantur.

Supplicatio pro executione reformationis in omnibus locis.

Postremo a beatissimo domino nostro Pio quarto supplices petimus ut iubeat principibus et magistratibus ne ullam molestiam vel impedimentum inferant vel inferri sinant, quo minus suprascriptae sanctiones in suis dominiis executioni mandentur, sed potius faveant, et auxilium suum impendant, *etc.*

CXXII.

Rescissio alienationum, infeudationum et concessionum terrarum et locorum sanctae Romanae Ecclesiae ac Sedis et Camerae Apostolicae, sine competenti recompensa, aut necessitate vel dictae Sedis utilitate id non exigente, factarum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolicae servitutis officium, fidei et diligentiae nostrae divinitus traditum, nos iampridem excitat et impellit ut ipsam Sedem et Cameram Apostolicam, non solum futuris rerum suarum iacturis sartam tectam praestare, sed etiam adversus illata sibi detrimenta, semotis omnibus omnium iniustis affectibus, quoad eius fieri potest, integrare studeamus.

§ 1. Sane, licet in pontificatus nostri

Hic Pontifex bullam Pauli IV editam contra alienantes bona ecclesiastica ad terminos iuris reduxit;

principio frequentibus multorum, qui constitutionem per felicis recordationis Paulum PP. IV, praedecessorem nostrum, de rebus Ecclesiae non alienandis et de alienatis recuperandis editam, tamquam nimis rigorosam, quippe quae nullam inter alienationes ex causa necessaria vel utili factas et alias mere voluntarias ecclesiis damnosas differentiam faciebat, retractari vehementer instabant, querelis inducti, rem in plena signatura nostra cognoscere, et multitudinem querelantium sedare volentes, dictam constitutionem ad terminos iuris communis, sub data videlicet tertio idus septembris, pontificatus nostri anno primo, reducere quodammodo coacti fuerimus.

Et modo ipse annullat quascumque alienationes bonorum Ecclesiae Romanae et Sedis et Cameræ Apostolicae sine competenti recompensa vel necessitate seu evidenti utilitate factas;

§ 2. Nos tamen, quos successu temporis experientia, longo rerum usu et quotidiano pastoralis officii nostri exercitio, variis modis edocuit multas alienationes rerum Ecclesiae Romanae Sedisque et Camerae praedictarum per aliquos, importunis precibus et aliis variis artibus inductos, Romanos Pontifices praedecessores nostros et forsan (quod dolenter referimus) per nos, nulla rationabili causa suadente, in gravissimam ipsius Ecclesiae laesionem, Dei offensam, populi scandalum et evidens animarum periculum, hactenus factas et approbatas extitisse, non solum perspicui huius animarum periculi magnitudine, sed etiam debita erga Deum et suam, cui nos præesse voluit, Ecclesiam pietate, tum etiam urgentis conscientiae nostrae testimonii religione perculsi, rem omnem cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus in concistorio nostro secreto diligenter duximus perscrutandam; ubi mature considerantes bonum et fidelem Dei servum nihil eorum, quae sibi a Domino credita sunt, distrahere seu negligere, nec aliter quam ex causa vel necessitatis vel evidentis utilitatis alienare, sed cuncta fideliter conservare debere; hinc est quod, his aliisque iustis de causis moti, quarumcumque venditionum, infeudationum, concessionum et aliarum quocumque nomine nuncupatarum alienationum de civitatibus, terris, oppidis, castris, feudis, dominiis et locis et aliis stabilibus bonis ac censibus et iuribus quibuscumque ubilibet constitutis, ad Ecclesiam, Sedem et Cameram praefatas quomodolibet pertinentibus et quae pertinuisse vel pertinere censeri possent, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, excellentiae, et quantumvis maximi vel minimi momenti fuerint, quibusvis personis, quavis ecclesiastica vel saeculari sive mundana, etiam episcopali, archiepiscopali, patriarchali, cardinalatus honore, seu marchionali, ducali, regali vel alia quacumque dignitate seu præeminentia praeditis, aut etiam communitatibus, universitatibus, collegiis et aliis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac per nos dictamque Sedem ac Cameram, ex causa gratiosa et lucrativa, sine aliqua vel saltem minime correspectiva nec competenti recompensa seu necessitate vel evidenti dictae Sedis utilitate id non exigente, perpetuo, vel ad recipientium vitam aut alias ad longum tempus, etiam per viam permutationis, hypothecae, recompensae, contractus, etiam iurati, etiam de fratrum consilio, quovis colore vel ingenio, etiam motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam cum quibusvis, adversus quascumque revocationes et alias contrarias dispositiones praeservativis, et in pristinum statum restitutivis ac derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam a quocumque, quantumlibet longissimo et immemorabili, tempore citra quomodolibet factarum et concessarum, ac etiam iteratis vicibus approbatarum et innovatarum; contractuumque de-

super initorum et iuramentorum, necnon quarumcumque apostolicarum et aliarum scripturarum aliorumque hîc etiam de necessitate exprimendorum tenores ac quarumcumque litium et causarum, si quae desuper ubilibet et in quavis instantia pendeant, status et merita praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis et insertis habentes, de fratrum ipsorum consilio et assensu unanimi, ex certa scientia nostra ac de eadem apostolicae potestatis plenitudine, universas et singulas venditiones, cessiones, infeudationes, locationes, donationes, permutationes, hypothecas, concessiones et alias omnimodas alienationes et contractus praefatos quoscumque, quotcumque et qualescumque, ac in quorumvis principum ac cardinalium, patriarcharum et aliorum praelatorum favorem, vel eorum contemplatione, per praedecessores nostros ac nos et Sedem praefatam, necessitate vel evidenti utilitate Sedis huiusmodi id non exigente, seu sine aliqua vel saltem minima correspectiva neque competenti recompensa, ut praemittitur, factos et concessos ac confirmatos et approbatos, etiamsi quamtumvis longissima temporis praescriptione robur sumpsisse dici possint, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo revocamus, rescindimus, cassamus, irritamus, annullamus ac viribus omnino vacuamus.

Declarat etiam huiusmodi alienationes nunquam tenuisse,

§ 3. Declarantes venditiones, cessiones, infeudationes, locationes, donationes, permutationes, hypothecas, concessiones et ceteras alienationes praemissas nequaquam tenuisse nec tenere, nullumque emptoribus, cessionariis, feudatariis, locatariis, donatariis aliisque rerum ipsarum detentoribus, nec aliquem possidendi titulum per eas quaesitum esse, nec eisdem Ecclesiae, Sedi et Camerae praeiudicium afferre potuisse.

§ 4. Ac civitatum, terrarum et aliorum locorum eorumdem habitatores, vassallos et subditos dictis illorum detentoribus nullum vassallagii, fidelitatis vel subiectionis aut aliud ius vel obedientiam, alienationum huiusmodi, vel etiam iuramenti per eos illis praestiti, quod etiam eis harum serie relaxamus, praetextu, debere aut illis adstrictos esse.

Vassallosque nullum ius vassallagii debere occupator. bonorum Sedis Apostolicae,

§ 5. Quinimo detentores ipsos ad easdem civitates, terras, castra, oppida et loca Sedi et Camerae praefatis realiter et cum effectu restituenda et relaxanda, ac eorum detentores ad fructuum inde post obitum concedentis hactenus perceptorum et in posterum percipiendorum restitutionem in utroque foro omnino teneri; et ad id etiam sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis, necnon privationis quorumcumque illorum feudorum ecclesiasticorum per eos etiam legitime obtentorum, et inhabilitatis ad illa aliaque deinceps obtinenda, ac aliis iuris et facti remediis cogi et compelli posse.

Occupatoresque bona occupata et fructus restituere debere.

§ 6. Ac decernentes praesentes vim perpetuae legis habere, neque de nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari seu impugnari posse; sed illas, omni exceptione remota, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et inviolabiliter observari.

Clausulae praeservativae.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quavis, etiam de praesenti pendente, causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere. Ac irritum quoque et inane quicquid a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 8. Non obstantibus reductione nostra et litis pendentiis praemissis, ac etiam per nos praestitis iuramentis et de non tollendo ius quaesitum aliisque quibusvis

Clausulae derogatoriae.

constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, indultis, promissionibus, ratificationibus, obligationibus, submissionibus, renunciationibus et literis apostolicis, detentoribus praefatis et aliis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, per nos, etiam consistorialiter, et contra tales revocationes quomodolibet concessis, ac etiam pluries approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, paribus motu, scientia et potestatis plenitudine, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicationis.

§ 9. Ut autem praesentes ad eorum, quos concernunt, notitiam facilius deducantur, volumus et mandamus quod illae, in basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae ac Camerae Apostolicae valvis per aliquem ex nostris cursoribus affixae, copia illarum ibi dimissa, universos et singulos, quorum interest, si citra videlicet, infra mensem; si vero ultra montes fuerint, infra tres menses a die affixionis huiusmodi computandos, perinde afficiant, ligent arctentque, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, xv kal. decembris [1], pontificatus nostri anno vi.

1 Legendum forsan *decimoquinto kal. septembris* vel *octobris*, ut nulla sit repugnantia inter diem datarum litterarum et diem publicationis earumdem (R. T.).

Papae subscrip.

✝ Ego Pius catholicae Ecclesiae episcopus.

Cardinalium subscriptiones.

✝ Ego Io. Mi. cardinalis Saracenus.
✝ Ego Io. cardinalis Sancti Vitalis.
✝ Ego Io. B. Cicada, cardinalis Sancti Clementis.
✝ Ego Scipio, cardinalis Pisarum.
✝ Ego Io. cardinalis Reumanus.
✝ Ego Io. Ant. cardinalis Capisuccus.
✝ Ego F. M. G. cardinalis Alexandrinus.
✝ Ego Clem., cardinalis Aracoeli.
✝ Ego Iac. cardinalis Sabellus.
✝ Ego Io. Ant., cardinalis Sancti Georgii.
✝ Ego Bern. cardinalis Salviatus.
✝ Ego Lud. cardinalis Simoneta.
✝ Ego F. cardinalis Pacecceus de Toledo.
✝ Ego M. Ant. cardinalis Amulius.
✝ Ego Io. F. cardinalis de Gambara.
✝ Ego M. S. cardinalis de Altemps.
✝ Ego Franciscus cardinalis Mantuanus.
✝ Ego Marcus Ant. cardinalis Columna.
✝ Ego Ptolomaeus cardinalis Comensis.
✝ Ego B. cardinalis Lomellinus.
✝ Ego Vitellotius cardinalis Vitellius, sanctae Romanae Ecclesiae camerarius.
✝ Ego Franciscus cardinalis Alciatus.
✝ Ego Gulielmus cardinalis Sirletus.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDLXV, indict. VIII, die vero V mensis octob., pontificatus autem sanctissimi in Christo patris D. N. D. Pii divina providentia Papae IV anno sexto, retroscriptae literae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Principis Apostolorum de Urbe et Canc. Apostolicae, ut moris est, per nos Scipionem de Octavianis et Ioannem Andream Rogerium, cursores.

Alex. Astancollus, mag. curs.

Dat. die 17 sept. 1565, pontif. anno VI.

Sequitur facultas Camer. sup. praedictis.

Pius Papa IV, motu proprio, etc.

Exordium.

Decens esse arbitramur et congruum ita nos, *etc. ut supra.*

§ 1. Nos, literas ipsas ac in eis contenta

Deputatio camerarii executoris dictae constitutionis.

quaecumque suos plenarios ac debitos effectus sortiri cupientes, dilecto filio nostro Vitellotio, S. Mariae in Via-Lata diacono cardinali Vitellio nuncupato, nostro ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerario, per apostolica scripta mandamus quatenus, in virtute sanctae obedientiae, ipse, etiam ultra ordinariam sui camerariatus officii facultatem, per se vel alium seu alios, literas praedictas ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, faciat auctoritate nostra executioni debitae demandari, illaque firmiter et inconcusse observari. Non permittens Sedem et Cameram praefatas ac pro eis agentes quoscumque, contra literarum earumdem tenorem, indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, literisque praedictis contravenientes, etiam contra eos manu regia ac simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, solaque rei veritate inspecta, procedens, per censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, eius arbitrio infligendas, moderandas et applicandas, omni et quacumque appellatione et reclamatione remota, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus de una et duabus, non tamen tribus diaetis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 3. Volumus autem quod praesentis nostri motus proprii sola signatura, etiam, si videbitur, absque aliqua illius registratura, sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula seu constitutione apostolica contraria non obstante.

Placet, motu proprio. I.

PIUS V

PAPA CCXXVII

Anno Domini MDLXVI.

Pius quintus, Alexandrinus, de Ghisileriis, frater Michael antea dictus, Ordinis Sancti Dominici, presbyter cardinalis tituli S. Mariae supra Minervam, creatus septimo idus ianuarii, coronatus XVI kalendas februarii MDLXVI, creavit cardinales XXI; vixit annos VI, menses III, dies XXIII; obiit kalendis maii, anno MDLXXII; sepultus fuit in basilica S. Petri; postea a Sixto quinto ad sacram ædem S. Mariae Maioris, in sacellum ad Praesepe constructum, translatus fuit. Vacavit sedes dies XI.

I.

Quod cardinalibus congregationis sanctissimae Inquisitionis officiales omnes pareant; et quoscumque pro aliis delictis carceratos et ad dictum officium Inquisitionis delatos, ad eosdem cardinales remittant, aliorum criminum cognitione suspensa.

Sanctissimus D. N. D. Pius divina providentia Papa quintus.

Omnes officiales obediant inquisitor. generalibus

§ 1. Statuit, decrevit [1] ac mandavit, ut negocia fidei omnibus et singulis aliis praeferantur, cum fides sit substantia et fundamentum christianae religionis, omnibus et singulis almae Urbis eiusque districtus gubernatori, senatori, vicario, Camerae Apostolicae auditori et quibuscumque aliis legatis, vice-legatis, gubernatoribus provinciarum et terrarum Suae Sanctitati et sanctae Romanae Ecclesiae mediate et immediate subiectarum, ac eorum locatenentibus, officialibus, barisellis et aliis ministris, necnon aliis locorum ordinariis, ceterisque ma-

1 Cherub. addit *ordinavit* (R. T.).

gistratibus et officialibus ac cuiusvis conditionis et status hominibus, in omnibus et singulis terris, oppidis et civitatibus ac in tota republica christiana existentibus, sub excommunicationis latae sententiae, ac indignationis Suae Sanctitatis et aliis arbitrio Suae Sanctitatis et illustrissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium inquisitorum generalium imponendis et exequendis poenis, ut eisdem cardinalibus inquisitoribus, ac eorum praeceptis et mandatis, in quibuscumque officium sanctae Inquisitionis concernentibus, pareant et obediant.

Reges et principes faveant eisdem.

§ 2. Reges vero, duces, comites, barones et quosvis alios principes saeculares in Dei nomine rogavit ut eisdem cardinalibus inquisitoribus eorumque officialibus faveant, auxiliumque praebeant et a suis magistratibus subditis auxilium praeberi faciant in negotiis ad dictum officium spectantibus.

Carcerati pro aliis causis, si de haeresi inquirantur, transmittantur ad inquisitores.

§ 3. Necnon carceratos quoscumque, pro quibusvis delictis et debitis, etiam atrocibus, apud dictum Inquisitionis officium quomodolibet delatos vel denunciatos, suspensa aliorum criminum inferiorum cognitione, ad eosdem cardinales et Inquisitionis carceres, ibidemque ad criminis haeresis totaliter cognitionem et expeditionem retinendos, et postea ad eosdem officiales, pro aliorum criminum expeditione, remittendos, sine mora transmittant.

II.

Quod beneficia curata in alma Urbe eiusque districtu, praevio examine cardinalis vicarii Romani Pontificis, conferantur.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

§ 1. Cupientes ut beneficia ecclesiastica curam animarum habentia, maxime in hac alma Urbe nostra, quae totius mundi caput existit, et a qua ceterae exemplum capere debent, personis dignis et habilibus, quae in loco residere, ac curam per se ipsos exercere valeant, iuxta sacrorum canonum decreta, ac examinatis et ad ea obtinenda idoneis et habilibus per examinatores ad id, iuxta novissime œcumenici Concilii Tridentini decreta, deputatos, repertis et approbatis, conferantur.

Ut beneficia ecclesiast. curata in Urbe et eius districtu idoneis personis conferantur,

Statuit hic Pontifex quod personae, quibus beneficia curata conferenda sunt, ab eius vicario examinentur et approbentur,

§ 2. Tenore praesentium statuimus atque decernimus quod, occurrente vacatione, tam per obitum quam per resignationem aut alias quomodolibet, beneficiorum ecclesiasticorum curam, ut praefertur, animarum habentium, in eadem Urbe nostra eiusque districtu, nulli de eisdem provideatur, aut illa conferantur, aut ad ea instituantur, eligantur, aut alias quovis modo disponatur de eis, per quosvis ordinarios collatores, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ad quos, etiam ratione titulorum suorum, collatio, institutio aut quaevis alia dispositio spectat et pertinet, nisi is, cui provisio, collatio, institutio, electio aut quaelibet alia dispositio in personam illius facienda sit, per dilectum filium nostrum Iacobum, tituli Sanctae Mariae in Cosmedin presbyterum cardinalem, de Sabellis nuncupatum, nostrum in dicta alma Urbe eiusque districtu vicarium generalem, praevio examine, per examinatores ad hoc deputatos idoneus et habilis repertus et approbatus fuerit.

Collationesque aliter factae nullae sint.

§ 3. Provisiones, collationes, institutiones et quasvis alias dispositiones aliter factas quibusvis personis, nullas, invalidas, nulliusque roboris vel momenti, ac nullum titulum, etiam coloratum, possidendi eis tribuere, sed beneficia praefata adhuc, ut praefertur, vacare, et per nos vel alios, ad quos illorum collatio spectat, personis dignis et habilibus conferri, et de eis disponi posse. Non obstantibus pro-

visionibus, collationibus et institutionibus, electionibus et aliis dispositionibus factis; sicque per quoscumque iudices *etc.*, sublata *etc.*, iudicari debere; irritum quoque *etc.*

Quibuscumque non obstantib.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quibuscumque, quibusvis, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, concessis et innovatis, ac indultis et literis apostolicis sub quibuscumque verborum et tenorum formis, latissime extendendis, quibus omnibus *etc.*, illorum tenores *etc.* habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis et consuetis.

Placet, motu proprio. M.

III.

Renovatio declarationis Pii PP. IV qua cavetur ne castra et loca comitatus Venayssini locentur, infeudentur, aut alio quovis titulo a sancta Romana Ecclesia alienentur 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Æquum reputamus et rationi consonum ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet, eius superveniente obitu, literae apostolicae super illis confectae non fuerint, suum consequantur effectum.

Comitatus Venaysinus multa patitur ab Ugonottis.

§ 1. Dudum siquidem cum, sicut felicis recordationis Pio Papae quarto, praedecessori nostro, ex dilectorum filiorum nobilis viri Pauli de Thezano, domini in temporalibus de Metameis, qui etiam condominus in temporalibus Venasce et Sancti Desiderii locorum Carpentoractensis dioecesis erat, et Syffridi Guillelmi, civis Carpentoractensis, legum doctoris procuratoris generalis, dilectorum filiorum trium statuum comitatus nostri Venaysini oratorum, ea de causa a praefatis statibus ad ipsum praedecessorem, Sedemque Apostolicam specialiter transmissorum, relatione satis innotuerat, dilecti filii nostri incolae et abitatores dicti comitatus, nostri tunc praedecessoris Sedisque praedictorum subditi, in eo diutino haereticorum Ugonottorum nuncupatorum bello, in quo ipsi perfidi homines maiorem partem illius patriae igne ferroque inhumaniter devastaverant et ad magnam paupertatem inopiamque redegerant, ultra incendia et sacrilegia oppidorum, villarum, domorum et sacrarum aedium, ingens damnum, ad extimationem summae sexcentorum millium scutorum auri, perpessi fuerant, ac expensas gravissimas, tam in pecunia numerata, quam cibariis et alimentis ipsius praedecessoris militibus per eos exhibitis ad summam aliorum ducentorum millium scutorum similium, pro sacrosanctae fidei et Sedis patriaeque defensione, libenter subierant, et non solum fortunas suas, sed etiam proprium sanguinem vitamque illi operi sanctissimo promptissime exposuerant.

Alimenta, ceteraque praebet exercitui pontificio.

Hisce de causis Pius IV declaravit huiusmodi comitatum eiusque terras et castra nulli esse infeudanda, locanda *etc.* alioque modo a S. R. E. alienanda cum omnibus clausulis, derogationibus, decreto irritante *etc.*

§ 2. Idem praedecessor, cuius iniuncti sibi officii debitum indubitanter exigebat ut inter omnes suos et Ecclesiae Romanae subditos, illos potissimum, uti devotos piissimosque filios, amplexaretur, qui pro ipsius Ecclesiae, atque adeo catholicae fidei suaeque patriae defensione clarum virtutis et fidelitatis suae specimen exhibentes, non solum opes et operam reipublicae graviter impenderant, sed etiam adversus armatos impiae gentis exercitus in acie fortiter dimicantes, ultimum vitae discrimen intrepidi subierant; et ne tam fidos Ecclesiae vassallos unquam ab eius amplexu dominioque divelli contingeret, providentiae suae ministerio libenter ca-

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

veret, eosdem vassallos ac subditos et populum universum dicti comitatus, qui etiam per eosdem Paulum et Syffridum oratores suos dicto praedecessori immortales, pro paterna charitate et sollicitudine defensioneque illorum per ipsum praedecessorem benigniter suscepta, gratias egerant, dignos esse censens quos in tot calamitatum damnorumque perpessorum recompensam aliquibus specialibus favoribus et gratiis prosequeretur, ipsos tres status eorumque singulos a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolvens et absolutos fore censens, motu proprio, non ad ipsorum trium statuum vel alicuius pro eis eidem praedecessori super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, ex certa scientia sua, sub datum videlicet sexto kalendas decembris, pontificatus sui anno sexto, tam de Paternis, alias Pernes, praedictae diocesis, quod cum praeteritis mensibus dictus praedecessor dilecto filio nobili viro Balthassari Rangonio, marchioni Lonzani et Savignani, in laborum et servitiorum praedecessori et Sedi praedictae in dicto bello strenue impensorum recompensam, ad eius vitam in feudum nobile vel alias concessisset, eius concessionem huiusmodi dudum apostolica auctoritate revocaverat, cassaverat et annullaverat, quam insulae Valciaci, Malanceae, Murmurionis Falconis, Villae de Montillis, Interaquarum, Pontissorgiae, Caderossiae, Gueiiranae, Segureti, Sableti, Menerbiae, Boviliarum, Lavearum, Avisani Marnassi, Abelene Grilhonio, Sanctae Caeciliae Paludis Gardepariolis, omniaque et singula alia oppida, terrae et loca comitatus praedicti, quae tunc praedecessori Sedique praefatis immediate suberant, imposterum per ipsum praedecessorem vel alium seu alios Romanos Pontifices successores suos, dictamque Sedem, ex quacumque, etiam necessaria et ipsi Sedi utilissima, causa nullatenus infeudari, vel alio quocumque titulo, etiam ad breve tempus, alienari possent, eadem auctoritate perpetuo statuit et ordinavit; ac statutum et ordinationem praedicta, literasque desuper conficiendas nullo unquam tempore, quovis quaesito colore vel ingenio, aut etiam enormis vel enormissimae laesionis seu recompensae servitiorum vel obsequiorum praedecessori et Sedi praedictis impensorum huiusmodi, aut alio praetextu, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis suae defectu notari vel alias quoquo modo impugnari posse, nec sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, derogationibus, limitationibus vel aliis contrariis dispositionibus similium gratiarum, etiam per praedecessorem et Sedem praefatos, vel eius legatos, ex quavis causa, quantumlibet iustissima, etiam consistorialiter pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis excepta, et quoties illae emanarent, toties in pristinum statum restituta et de novo, etiam sub data per ipsos tres status eligenda, concessa fore; et ad hoc ut praemissa revocari vel illis derogari aut aliter praeiudicari nequiret, illa literasque desuper conficiendas vim perpetuae et inviolabilis legis, ac validi et efficacis contractus inter praedecessorem ac Sedem praedictas et Cameram Apostolicam ex una, necnon ipsos tres status partibus ex altera desuper, etiam de fratrum consilio, solemniter stipulati et hinc inde iurati habere; ipsosque tres status seu eorum quempiam ad aliquam praemissorum, de quibus etiam dictus praedecessor sibi satis constare attestatus est verificationem aliamve probationem non teneri, sed in his huic suae

attestationi, in iudicio et extra, standum esse, eamque plenariam ubique fidem facere; sicque et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales atque legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari, diffiniri et interpretari debere; ac quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decrevit. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis pro tempore existentibus legato et vicelegato praedictis ac aliis quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie ac alias, quomodolibet, etiam per eumdem praedecessorem, etiam motu et scientia similibus, quacumque consideratione, ac etiam regum, reginarum, ducum et aliorum principum contemplatione concessis, ac pluries approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, idem praedecessor illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, specialiter et expresse motu pari derogavit, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Ne autem de absolutione, statuto, ordinatione, attestatione, decreto et derogatione praemissis, pro eo quod super illis ipsius praedecessoris, eius superveniente obitu, literae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ipsique tres status illorum frustrentur effectu, volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus quod absolutio, statutum, ordinatio, decretum et derogatio praedecessoris huiusmodi perinde, a dicto die sexto kalendas decembris, suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius praedecessoris literae, sub eiusdem diei data, confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes literae, ad probandum plene absolutionem, statutum, ordinationem, attestationem, decretum et derogationem praedicta, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Sed cum literae apostolicae desuper expeditae non fuerint, Pius V praesenti supplet declaratione;

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Carpentoractensi et Aptensi episcopis, ac dilecto filio officiali Arelatensi per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipsorum trium statuum vel alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, illos statuto, ordinatione, attestatione, decreto et derogatione praefatis, iuxta praemissorum continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos vel eorum aliquos desuper, per quoscumque contra praemissa seu eorum aliquod quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari. Contradictores ac molestatores quoslibet et rebelles ac in praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac, legitimis super iis habendis servatis processibus, sen-

Deputat exequutores huiusce constitutionis;

tentias, censuras et poenas praedictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae octavi, etiam praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praefata deputati, extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant; et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, et aliis apostolicis constitutionibus, ceterisque supradictis; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae poen.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quinto [1], sextodecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 ianuarii 1566, pontif. anno I.

IV.

Praesentandi facultatem ad ecclesias et monasteria aliaque beneficia ecclesiastica consistorialia, nisi de consensu duarum partium sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, concedi minime posse decernit [2].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pro debito iustitiae, quam Romanus Pontifex unicuique ministrare tenetur, expedit ea, quae a praedecessoribus suis, ad commune bonum felixque regimen sanctae Romanae Ecclesiae, solemni foedere facta sunt, idoneis temporibus promulgare, ut inde, perspecta facti evidentia, certius ex rebus iudicium desumatur.

Mortuo Paulo IV, cardinales nonnulla pacta formant et subscribunt.

§ 1. Cum igitur Apostolica Sede, per obitum felicis recordationis Pauli Papae quarti, pastore carente, piae memoriae Pius etiam Papa quartus, praedecessor noster, tunc tituli S. Stephani in Coelio Monte presbyter cardinalis, in conclavi, in quo ille ad summi apostolatus apicem assumptus fuit, inter alia pacta capitulis distincta, quibus ipse et reliqui omnes cardinales, in quorum numerum tunc eramus, maturo consilio subscripserant, quaeque postmodum idem Pius praedecessor sic assumptus pure, simpliciter ac bona fide ad literam observare et adimplere solemni voto promiserat et iuraverat, hoc quoque speciale statuerit, nemini umquam concessurum facultatem praesentandi ad ecclesias cathedrales seu monasteria aliave beneficia consistorialia, nisi de consensu duarum partium dictorum cardinalium, per modum secretum; quidquid secus per ipsum et alios quoscumque, scienter vel ignoranter, contingeret attentari, irritum et inane decernendo.

Inter cetera conventum fuit, nemini dandam facultatem nominandi ad beneficia, ecclesias cathedrales et monasteria consistorialia, nisi de consensu duarum partium cardinalium.

Idem praesentibus firmat Pius V.

§ 2. Nos, ut statutum et decretum pariterque votum, promissio et iuramentum huiusmodi amplius innotescant, ac per ea iurium ambiguitates facilius explicentur, etiam praesentibus literis proponenda duximus.

Praesentes literae plenam fidem faciunt.

§ 3. Volentes et apostolica auctoritate decernentes quod eædem praesentes literae ad probandum plene, in iudicio et extra, illud statutum et decretum praedecessoris huiusmodi sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

1 Legendum *sexto* (R. T.).

2 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quinto [1], quartodecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 ianuarii 1566, pontif. anno I.

V.

Bannitos aliosque delinquentes ex regno Neapolitano ad Ecclesiae Romanae Statum confugientes, et e contra subditos Ecclesiae ad praefatum regnum declinantes, capiendos puniendosque fore declarat [2].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex, in supremo iustitiae throno, divina disponente clementia, constitutus, inter multiplices sollicitudinis curas, quibus assidue premitur, suae vigilantiae studium circa ea adhibet potissimum, per quae Statum ac ditionem ecclesiasticam facinorosis ac scelestis hominibus purgatum reddat, subditique sui, ac sanctae Romanae Ecclesiae devoti et peculiares filii, ceterique omnes christifideles in eo pro tempore degentes pacifice et quiete vivere possint.

Proœmium.

§ 1. Ideirco animadvertentes quod, si malefactores, scelesti sicarii aliique diversorum capitalium criminum rei, tam vassalli ac subditi nostri et dictae Sedis Apostolicae, quam serenissimi regis catholici iure regni Neapolis, tutum aliquod refugium non haberent, neque spem aliquam salvos conductus, fidantias aut assecurationes ab aliquo consequendi, aut se ipsos in aliquem locum tuto recipiendi, prout in praesentiarum (sicut accepimus) habent, tot ac tam immania scelera et delicta non perpetrarentur, nec tam magna esset sceleratorum hominum multitudo.

Multi nefarii homines nisi refugium aliquod haberent, tot scelera non patrarent.

§ 2. Volentes propterea nos, pro nostri pastoralis officii munere, et dilectus filius nobilis vir Perafannus, Alcalae dux ac prorex et locumtenens generalis suae catholicae maiestatis in regno Neapolis, opportune providere ne adeo frequentia delicta tam a nostris quam dicti regni hominibus et incolis committantur, ac pro tempore commissa puniantur, debitisque poenis eorum auctores afficiantur, neque spem aliquam iustitiae laqueos effugiendi aut ad aliquem locum tutum se ipsos recipiendi habeant; inhaerentes praecipue literis felicis recordationis Pii IV, praedecessoris nostri, sub plumbo alias expeditis sub datum Romae octavo idus ianuarii, pontificatus sui anno secundo, et in forma brevis alias expeditis sub datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die X novembris, millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, pontificatus sui anno quinto, per has nostras in forma brevis literas specialius et enixius, auctoritate apostolica, prohibemus omnibus et singulis nostris et Apostolicae Sedis legatis, vicelegatis, gubernatoribus, locatenentibus et aliis quocumque nomine nuncupatis officialibus et ministris, et praesertim moderno et pro tempore existenti gubernatori civitatis nostrae Beneventanae, ne ab eis vel eorum aliquo post hac, in civitatibus, terris et locis nostris et dictae Sedis Apostolicae aliqui haeretici, rebelles, sacrilegi, falsarii, monetarii, raptores, pacis violatores, latrones, assassini aut homicidae a regno Neapolitano banniti et exules modo aliquo tacite vel expresse recipiantur, assecurentur vel tuti fiant.

Pii IV confirmantur literae, quibus iungitur Status Ecclesiast. gubernatorib., ne huiusmodi malefactores de Regno Neapolitano aufugientes recip. *etc.*;

§ 3. Quinimo si talia, ut praemittitur, crimina in dicto regno Neapolis et illius locis et terris patrantes, ad nostra et dictae Sedis Apostolicae loca, et praesertim ad dictam civitatem nostram Beneventi et eius comitatum, pervenire contigerit

Sed capiantur et ad petitionem proregis Neap. eiusque officialium detineantur, eisque tradantur.

1 Legendum *sexto* (R. T.).
2 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

aut ibi eos reperiri, ab eisdem legatis, vicelegatis, gubernatoribus, locatenentibus et aliis officialibus et ministris nostris et eiusdem Sedis capi, detineri et carceribus mancipari volumus et mandamus, ac eisdem proregi vel officialibus et ministris, seu ad omnem ipsius vel eorumdem ministrorum suorum requisitionem captivos factos libere et simpliciter remitti; non captos capi, detineri et remitti, quicumque illi fuerint, aut qualitercumque graduati, nobiles vel barones, mandantes eisdem legatis, vicelegatis, gubernatoribus et aliis officialibus, quocumque nomine nuncupatis, ut si quas fidantias, salvos conductus aut securitates hactenus fecerint, illos et illas revocent et annullent, prout nos, praesentium tenore, quas, post decimum a die publicationis earumdem diem, suum effectum sortiri volumus, revocamus et annullamus, nulliusque effectus, roboris vel momenti esse volumus et mandamus.

Si quis subditus S. R. E. delicta patraverit in Regno Neapolitano, puniatur perinde ac si commiserit in Regno Ecclesiastico

§ 4. Decernentes insuper quod si contigerit aliquem ex terris et locis nostris et Apostolicae Sedis oriundum vel incolam in praefato regno Neapolis vel illius terris et locis delictum aliquod committere, illum ab officialibus et ministris nostris, puniri et plecti posse, non secus ac si delictum ipsum in nostris et eiusdem Romanae Ecclesiae terris et locis immediate subiectis commisisset.

Proregis officialibus licet hujusmodi facinorosos insequi in campestribus locis Status Ecclesiastici.

§ 5. Et ne talia patrantes crimina iustitiae laqueos effugere possint, volumus et decernimus quod officiales et ministri eiusdem proregis, criminosos et delinquentes praefatos, ut praefertur, bannitos et exules insequentes et perquirentes, intra fines et territorium Status nostri Ecclesiastici per spatium decem milliarium in villis, casalibus et terris, quae tamen muris circumdatae non sint, et aliis locis campestribus, non tamen civitatibus, insequi, quaerere, capere et captivos captos secum ducere libere et secure valeant.

Sedis A. officialibus iniungitur ut proregi auxilium praebant in harum rerum exequutione.

§ 6. Mandantes propterea omnibus et singulis magistratibus, officialibus ac populis et particularibus personis, nobis et dictae Ecclesiae subiectis, ut ministris et officialibus ipsius proregis circa praemissa exequenda omnem favorem et auxilium praebeant.

Eadem promittit prorex

§ 7. Haec autem omnia eo libentius fecimus et decrevimus, quia idem prorex per suas literas nobis per dilectum filium Ferdinandum de Torres, secretarium nostrum de numero participantium, et cui ipsius regni negotiorum specialis cura imminet, significari fecit cuncta superius expressa, viceversa in dicto regno a suis ministris et officialibus pariter observari statuet et decernet.

Haec autem omnia exequenda sunt, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

§ 8. Quae cum statuta et decreta fuerint, haec illa inviolabiliter ab omnibus legatis, vicelegatis, gubernatoribus et aliis, ut praefertur, officialibus et ministris nostris observari volumus et mandamus sub nostrae indignationis poena. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus civitatum, locorum, privilegiisque, indultis ac literis apostolicis quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1 februarii MDLXVI, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 1 februarii 1566, pontif. anno 1.

VI.

Medici quae servare debeant in curatione infirmorum [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Supra gregem dominicum nostrae vigilantiae divinitus creditum, vigilis speculatoris, prout nobis desuper conceditur, exercentes officium, ad ea, per quae animarum saluti, cum divini nominis gloria, consuli valeat, libenter intendimus ut christifideles post baptismum in peccata lapsi, per sacramentum Poenitentiae Deo reconcilientur.

Innocent. III iussit medicis ut infirmis suadeant, quod vocent medicos animarum.

§ 1. Sane cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino, languido quem sanaverat: Vade, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat; ac propterea provide felicis recordationis Innocentius tertius, praedecessor noster, medicis praeceperit ut, cum eos ad aegrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant ut animarum medicos vocent, ne, cum eis hoc in extrema aegritudine constitutis suadetur, in desperationis articulum incidant.

Hic Pontifex innovat hanc iussionem,

§ 2. Nos igitur, volentes hoc tam salutare praeceptum nulla temporis praescriptione aboleri, sed semper observari, constitutionem praefatam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, innovamus.

Et prohibet medicis ultra tres dies infirmos non confessos curare;

§ 3. Et hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus et decernimus quod omnes medici, cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant ut idoneo confessori omnia peccata sua, iuxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae, confiteantur, neque tertio die ulterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo confessor, ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientiam oneramus, concesserit, et eis per fidem confessoris in scriptis factam constiterit quod infirmi, ut praemittitur, peccata sua confessi fuerint.

Iubet coniunctis, domesticis et paroc. confessionem eis suadere.

§ 4. Coniunctos vero ac omnes familiares et domesticos infirmi in Domino rogamus et monemus ut de infirmitate parochum certiorem faciant; ac tam parochus quam coniuncti et familiares praefati infirmum ad confessionem peccatorum suadeant et inducant.

Medici contravenient. coerceantur.

§ 5. Quod si qui medicorum praemissa non observaverint, ultra poenas in dicta constitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuo sint infames, et gradu medicinae, quo insigniti erant, omnino priventur, et a collegio seu universitate medicorum eiiciantur, ac poena, etiam pecuniaria, arbitrio ordinariorum, ubi deliquerint, mulctentur.

Iurentque haec observare quando doctorantur.

§ 6. Et ut haec omnia inviolabiliter observentur, volumus et eadem auctoritate praecipimus et mandamus ut nullus posthac ubique locorum in medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas a quovis collegio et universitate concedatur, nisi omnia in praesenti nostra constitutione contenta, medio eorum iuramento coram notario publico et testibus, observare in eorum manibus vel ordinarii iuraverint, et de huiusmodi iuramento in privilegio seu licentia medendi specialis mentio fiat. Quod si collegia et universitates praefatae, non recepto a promovendis iuramento huiusmodi, eosdem ad gradum praedictum promoverint, aut eisdem medendi licentiam praestiterint, poenam privationis facultatis alios ulterius doctorandi incurrant.

Ordinarii exigant idem iuramentum a medicis iam promotis, vel licentiam medendi habentibus, et iurare renitentes coerceant.

§ 7. Mandantes in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, quatenus in civitatibus et dioecesibus propriis praesentes nostras literas publicari faciant, ac iuramentum praedictum a medicis iam pro-

1 Recordare quod omnes medici professionem fidei facere debent antequam promoveantur, ut sup. in Pii IV const. cv, pag. 523, *In sacrosancta.*

motis, seu licentiam medendi habentibus, omnibus iuris remediis exigant, neque aliquos ad medendum in civitatibus et dioecesibus praedictis admittant, nisi eis constiterit eosdem iuramentum huiusmodi praestitisse; et contumaces et iurare ac iuramentum huiusmodi iam praestitum exhibere recusantes gradu medicinae et omnibus privilegiis eisdem medicis, tam coniunctim quam divisim, eis et eorum cuilibet concessis per quosvis, etiam Romanos Pontifices, privent, ac ab ingressu ecclesiae arceant, donec resipuerint.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis, privilegiis, indultis, literis apostolicis, quibusvis personis, collegio et universitati, sub quibusvis verborum formis et tenoribus, concessis, quae omnia, quoad effectum validitatis constitutionis nostrae tantum, revocamus, cassamus et annullamus; et omnes principes saeculares ac alios dominos et magistratus temporales rogamus, requirimus et obsecramus per viscera misericordiae Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum nihilominus iniungentes quod, in praemissis omnibus, eisdem patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis assistant, et suum favorem et auxilium praestent; ac contrafacientes poenis, etiam temporalibus, afficiant.

Iussio publicandi.

§ 9. Volumus autem quod praesentes literae in Cancellaria et acie Campi Florae publicentur, et inter constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

Fides transumptorum.

§ 10. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis, eadem prorsus fides ubicumque adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensæ.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDLXVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 martii 1566, pontif. anno I.

VII.

Iubilaeum pro unione christifidelium et defensione reipublicae christianae contra infideles [1].

Pius Papa V universis christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Peccata christianorum potentiorem reddunt exercitum Turcarum.

Cum gravissima et asperrima tempora populi christiani, in quae pontificatus noster incidit, consideramus, perturbatur intimo dolore cor nostrum et summo moerore conficitur, tum ex damnis calamitatibusque praesentibus, tum ex magnitudine periculorum instantium. Namque et in multis provinciis, propter haereses introductas, non sine miserabili animarum pernicie, christiani populi unitas concordiaque dirempta est, et dum reliquae nationes catholicam fidem verbo quidem profitentur, factis autem et moribus nequaquam tali professioni congruentibus Deum graviter offendunt, aucta est mirum in modum impiorum hostium potentia et adeo crevit, ut iam christianae reipublicae salus in extremum discrimen adducta sit. Quotidie enim ad nos et literae et nuncii afferuntur de classibus, de copiis et pedestribus et equestribus, de reliquis rebus ad bellorum et terrestrium et maritimorum usus necessariis, quas potentissimus et immanissimus Turcarum tyrannus, incredibili studio, diligentia ac sumptu comparat, ad bellum terra marique christiano populo primo quoque tempore inferendum, et christianorum, non religionem modo, sed etiam

1 Ex edit. typis R. C. A. per Baldum.

nomen penitus, si posset, abolendum atque delendum.

Huic se opponere paratus Pius,

§ 1. Huic tantae, tamque horribili, quae impendet, tempestati occurrere et pro commisso nobis officio pastorali, saluti populi christiani consulere cupimus, pro qua etiam sanguinem et vitam ipsam libentissime profundere parati essemus. Sed ut, propter iniquitates et peccata, irae divinae merito extimescenda est ultio, ita si populus christianus sese ad Deum converterit et poenitentiam egerit, sperandum est Deum, ut est benignus et misericors et praestabilis super malitia, nec vult peccatorum mortem, sed ut convertantur et vivant, quique ipse nos invitat, dicens *Convertimini ad me et ego convertar ad vos,* suis fidelibus auxilio futurum, nec passurum haereditatem suam ab infidelibus occupari. Etsi enim vires hostium maximae sunt, tamen maior est Qui in nobis est quam qui contra nos, potensque est Dominus tam in paucis salvare, quam in multis.

Christifideles hortatur ad poenitentiam;

§ 2. Quo circa, ex parte omnipotentis Dei, et per viscera misericordiae Illius, omnes et singulos utriusque sexus christifideles hortamur et monemus ut hoc acceptabili tempore, ad Dominum et Redemptorem nostrum humili corde conversi, conscientiam suam diligenti studeant examinatione discutere et orationibus atque eleemosynarum erogationibus vacare, iuxta ipsorum conscientiam, sive sacerdotum, quibus peccata sua confitebuntur, salutare consilium.

Indulgentiam concedit iis, qui opera pia hic statuta fecerint;

§ 3. Ut vero eo libentius faciant dignos poenitentiae fructus, quo talium operum maiorem sunt fructum et praemium percepturi, nos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum eius apostolorum Petri ac Pauli auctoritate confisi, et pro illa, quam nobis, licet insufficientibus meritis, Deus dedit ligandi ac solvendi et thesauros Ecclesiae aperiendi potestate, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui hoc quadragesimalis ieiunii tempore, postquam harum literarum notitiam habuerint, in sequentis hebdomadae quarta et sexta feria ac sabbato, pro defensione reipublicae christianae contra hostes et pro unione christifidelium, pias ad Deum preces effuderint, ac pro suae devotionis affectu eleemosynas erogaverint, sacramque Eucharistiam postea die dominico devote susceperint; post diem vero sacratissimum Resurrectionis Dominicae, si prius harum literarum notitiam non habuerint, et post ipsas literas promulgatas, in sequentibus hebdomadae quarta itidem et sexta feria ac sabbato ieiunaverint, et orando, ut praefertur, sacram Communionem die dominico proximo perceperint, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, quae christifidelibus ecclesias almae Urbis et extra Urbem ad id deputatas anno Iubilaei visitantibus concessa est, misericorditer in Domino elargimur.

Facultates nonnullas confessariis concedit;

§ 4. Dantes eis potestatem eligendi quem voluerint confessorem, cuiusvis Ordinis regularem sive saecularem presbyterum, qui, confessione eorum audita, ipsos a quibusvis peccatis, quamvis gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, et in bulla, quae in die Coenae Domini legi consuevit, contentis, et a censuris, in quas inciderint, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari, absolvere, et quaevis vota ab eis emissa (votis dumtaxat castitatis et Religionis exceptis) in alia pietatis opera commutare possit.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Harum litterarum publicatio per praesules ecclesiarum facienda.

§ 6. Cupientes autem has literas primo quoque tempore in omnium notitiam perferri, mandamus universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus et archiepiscopis, ut cum pri-

mum poterunt, eas et promulgent ipsi in civitatibus suis et a suffraganeis suis promulgandas curent. Ipsis vero episcopis, ut statim ipsi quoque per parochos suae cuiusque eorum civitatis atque dioecesis eas faciant publicari.

Transumptis fides adhiben.

§ 7. Id vero quo facilius fieri possit, transumptis ipsarum literarum, manu alicuius publici notarii scriptis subscriptisve, vel in hac alma Urbe aut alibi impressis, et sigillo ac subscriptione munitis personae in dignitate ecclesiastica constitutae, fidem, sine ulla dubitatione, haberi volumus atque decernimus, praesentibus post primam vicem minime valituris.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX martii MDLXVI, pontificatus nostri anno I.

Ant. Florebellus Lavellinus.

Dat. die 9 martii 1566, pontif. anno I.

VIII.

Revocatio privilegii, quibuscumque concessi, celebrandi missas vespertino tempore [1].

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Pius divina providentia Papa V

Revocatio facultatis celebrandi missas tempore vespertino.

§ 1. Ad cuius notitiam pervenit quod nonnulli cathedralium, etiam forsan metropolitanarum, collegiatarum et aliarum ecclesiarum, necnon monasteriorum, conventuum, domorum et aliorum piorum locorum saecularium et diversorum Ordinum ac militiarum regularium praelati, capitula, clerici, fratres aliique superiores et personae, antiquum sanctae Romanae Ecclesiae ritum in statutis missarum celebrandarum temporibus praevertere satagentes, diversas licentias et facultates missas, quae media nocte seu in aurora Nativitatis ac de mane Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, et forsan aliarum festivitatum, iuxta praedictum ritum, celebrari consueverant, de sero, etiam forsan circa solis occasum vigiliae festivitatum earumdem, in suis ecclesiis et cappellis celebrandi seu celebrari faciendi, ab Apostolica Sede vel eius legatis, ac etiam maiori poenitentiario pro tempore existente variis praetextibus impetraverunt, illisque iampridem utuntur: hoc ab antiquo catholicae Ecclesiae instituto, sanctorumque Patrum decretis deviare considerans, ac propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei submovere volens, omnes ac singulas licentias et facultates huiusmodi hactenus, etiam motu proprio, vel quorumvis, etiam imperatorum, regum et aliorum principum, contemplatione et ex quibusvis causis quomodolibet concessas, ac apostolicas et alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habens, apostolica auctoritate, ex certa scientia revocavit, ac omnino cassavit et annullavit.

Prohibitio sic de cetero celebrandi.

§ 2. Hac praesenti perpetuo valitura constitutione quibusvis praelatis, capitulis, clericis, fratribus aliisque superioribus et personis eorumdem ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, domorum et aliorum piorum locorum, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis suae, ac perpetuae suspensionis a divinis poena, districtius inhibens ne deinceps missas vespertino tempore, huiusmodi licentiarum et facultatum aut alio quovis praetextu, celebrare vel celebrari facere praesumant; ac mandans locorum ordinariis ut eamdem praesentem constitutionem, sub praedictis et aliis sibi benevisis poenis, per quoscumque praelatos, capitula, clericos, fratres, superiores et personas huiusmodi inviolabiliter observari faciant,

1 Consonat Concil. Trident., quo disponitur missas debitis horis celebrari, in cap. *Quanta*, sess. XXII., *De Sacrif. Missae*. Quo vero ad celebrationem missarum ritu Graeco et Latino, habes hic infra in constit. XXI, *Providentia*.

contradictores quoslibet auctoritate apostolica compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, domorum et aliorum locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem ecclesiis, monasteriis, domibus et locis, illorumque capitulis, conventibus, superioribus et personis ac Ordinibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam, aut eorum contemplatione, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus ipsa Sanctitas Sua, illorum tenores pro expressis habens, specialiter et expresse derogavit, illaque, quoad praemissa, cassavit penitus et annullavit, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicationis.

§ 4. Decernens praesentes, earumque copias per aliquem ex suis cursoribus in basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Lateranensis ac Cancellariae Apostolicae valvis affixas, omnes, cum primum earum notitiam habuerint, perinde afficere, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Placet, et ita mandamus. M.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini MDLXVI, indictione IX, die vero XXIX mensis martii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae quinti anno primo, suprascriptae literae lectae, affixae et publicatae fuerunt in locis suprascriptis, ut moris est, per me Bernardinum Andreutium, apostolicum cursorem.

Scipio de Octavianis, mag. cursorum.

Publ. die 29 martii 1566, pontif. anno I.

IX.

Ordinationes circa observantiam divini cultus in ecclesiis, et venerationem festivitatum; necnon et contra simoniacos, blasphematores, sodomitas et concubinarios 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum primum apostolatus officium divina nobis dispositione commissum suscepimus, statim omnem curam et cogitationem nostram in dominici gregis fidei nostrae crediti salute defiximus, et christifideles, Deo iuvante, ita dirigere statuimus, ut, a vitiis et peccatis abstinentes, iter, quod ad vitam aeternam ducit, insistant.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Cum autem ad omnia, quae divinam Maiestatem aliquo modo possent offendere, movenda, mentis nostrae aciem intenderimus, ea primum et sine mora emendare decrevimus, quae Deo praeter cetera displicere, et iram eius provocare, cum divinae docent Scripturae, tum gravissima exempla declarant, nempe divini cultus neglectum, simoniae labem, blasphemiae crimen et libidinis naturae contrariae vitium execrandum, propter quae

1 Quoad primam partem huius constitutionis habes etiam Concil. Trid., sess. XXII, *De Reformatione*, cap. 1 post canones, et sess. XXV, *De Invocatione*. Contra vero simoniacos vide Iulii II constitut. V, *Cum tam*, tom. V, pag. 405. Contra blasphematores vide Leon. X constitutionem VIII, *Supernae*, ibid., pag. 604; et Iulii III, const. XXX, *In multis*, tom. VI, pag. 478. Contra sodomitas autem vide eamdem bullam Leonis X. Et contra concubinarios attende dictam constit. Leonis X et Concil. Trid., sess. XXV, *De Reform.*, cap. 14.

populi et nationes bellorum, famis et pestilentiae calamitatibus iusta Dei ultione saepe plectuntur. Etsi autem contra eos, qui tam gravia crimina admiserint, multae a praedecessoribus nostris constitutiones editae fuerunt, tamen quia parum est leges edere, nisi sint, qui eas debitis temporibus exequantur:

Innovatio antiquarum poenarum contra inobedien. huic constitutioni.

§ 2. Idcirco, ne qui forsan ex tolerantia sperare impunitatem audeant, scientes plerosque poenarum gravitate magis, quam Dei timore arceri solere a voluntate peccandi, omnes et singulas sententias, censuras et poenas contra eos, qui talia deliquerint, latas confirmamus, et apostolica auctoritate innovamus, nec de earum rigore quicquam relaxamus; admonemusque eos, qui talia perpetrare veriti non fuerint, non solum subituros eas poenas, quae sacris sunt canonibus constitutae, sed eas etiam quas leges civiles comminantur, et nostri quoque arbitrii discretio pro personarum qualitate constituet.

Mandatum exequendi hanc constitutionem.

§ 3. Mandantes civitatum et locorum Status nostri Ecclesiastici pro tempore ordinariis et gubernatoribus, illis quidem sub poena suspensionis a divinis, his vero excommunicationis latae sententiae, ut quos debitum Deo cultum in ecclesiis non tribuere, aliisque nefandis criminibus pollutos esse compererint, comprehendi curent, poenis afficiendos competentibus; scituri etiam ipsi iudices quod, si post hanc nostram constitutionem in castigandis huiusmodi delictis negligentes fuerint, primum quidem Dei omnipotentis iudicio obnoxii erunt, deinde nostram quoque incurrent indignationem. Ut autem poenarum certitudo cunctis facilius innotescat, nonnullas hic duximus exprimendas, aliis nihilominus contra huiusmodi criminum reos a iure statutis in suo robore manentibus.

§ 4. Ut igitur Deo optimo maximo, gloriosae Virgini et sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorii X, praedecessoris nostri, constitutionem innovantes, ac statuta in Tridentino concilio observari volentes, statuimus et ordinamus ut ad ecclesias sit humilis et devotus ingressus, quieta conversatio, devotis orationibus insistant, et omnes, genibus flexis, Sanctissimum Sacramentum adorent, ad nomen Iesu Christi Domini nostri cum exhibitione reverentiae caput inclinent; nullus in dictis ecclesiis seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat, impetumve committat; cessent vana, foeda et profana colloquia, risus immoderati et strepitus omnes iudiciorum, et alia quaecumque, quae divinum officium perturbare possunt; nullus intra ecclesias deambulare audeat sive praesumat, dum celebrantur sacra missarum mysteria et alia divina officia. Qui vero praedicta petulanti animo contempserint, praeter divinae ultionis acrimoniam, nostri quoque arbitrii poenas incurrent; quae omnia locorum quoque ordinarii in suis ecclesiis facient observari. Quicumque vero in ecclesiis, dum ibi sacrificium missae et divina celebrantur officia, aut verbum Dei praedicatur, deambulare, vociferari, aut, verso tergo ad Sanctissimum Sacramentum, irreverenter sedere, aut aliquid, quod scandalum generet, aut divina perturbet officia, facere praesumpserit, poena vigintiquinque ducatorum incurret, praeter alias arbitrio nostro imponendas et moderandas poenas; et qui non habebit in ære, luet in corpore aut exilio mulctabitur. Qui vero in ecclesiis cum mulieribus impudicis sive etiam honestis colloquium scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum poenam incurrat, et carceris per mensem. Qui in ecclesiis, ut supra, obscoenis et inhonestis verbis aut signis usus fuerit, aut alia

Divini cultus observantia in ecclesiis ab omnibus teneatur, et contravenientes poenis hic descriptis afficiantur [1]

1 Ad hoc vide Concil. Trid. sess. XXII, decretum *De Sacrif. Missae.*

foeda colloquia cum personis quibuscumque habuerit, decem aureorum poena mulctetur, aut alias corporaliter puniatur. Mandamus praeterea omnibus et singulis cathedralium, collegiatarum et parochialium ecclesiarum capitulis, rectoribus, vicariis, sacristis, ostiariis et aliis ipsarum custodibus, quatenus praefatos omnes in ecclesiis delinquentes admoneant, et ut in eis vetita fieri non permittant, vel saltem ipsis ordinariis vel officialibus nostris puniendos deferant; quod si facere neglexerint, poenam duorum aureorum vice qualibet incurrent.

Pauperes in ecclesiis eleemosynas petere non permittatur, dum divina celebrantur officia.

§ 5. Pauperes quoque mendicantes seu eleemosynas petentes per ecclesias, tempore missarum, praedicationum, aliorumque divinorum officiorum, ire non sinant, sed eos ad valvas ecclesiarum stare faciant, sub poena duorum aureorum capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos eiici curaverint, et parochis dimidii aurei. Religiosis, etiam claustralibus sive regularibus, præcipimus, in virtute sanctæ obedientiae, ut in ecclesiis suis deputent aliquem qui tales eiiciat; et si negligentes fuerint, gravissime ab ordinario corripiantur; quod si illi parere recusaverint, gravissimas pœnas incurrent, et, pro qualitate personarum, etiam corporaliter punientur arbitrio nostro sive superiorum.

Cadaverum capsae in ecclesiis super terram existentes amoveantur.

§ 6. Et ut in ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem provideant ut capsae omnes et deposita seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

Festaque omnes venerentur 1.

§ 7. Cum vero dierum festorum observatio ad Dei cultum maxime pertineat, et in lege divina praecipiatur, cupientes abusus pravos, qui ex eorum inobservantia invaluerunt, omnino corrigere, et antiquorum canonum statuta renovantes, mandamus ut omnes dies dominici, et praecipue in honorem Dei, Beatae Mariae Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione observentur, et omnes in diebus praefatis ecclesias frequentent, divinis officiis devote intendant, ab omni illicito et servili opere abstineant, mercatus non fiant, profanae negociationes et iudiciorum strepitus conquiescant. Qui vero in diebus praefatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, praeter divinam ultionem, et amissionem animalium quibus ad vecturam utetur, etiam graves poenas incurret arbitrio nostro seu vicarii nostri in Urbe; in aliis autem locis, arbitrio ordinariorum vel aliorum magistratuum, ita ut praeventioni locus sit. Quibus omnibus districte praecipimus ut haec diligenter observari procurent, illas etiam festivitates, quae iuxta consuetudinem locorum solemniter celebrari consueverunt, iuxta laudabilem consuetudinem, debita cum reverentia observari faciant, sub poenis arbitrio ipsorum imponendis et moderandis.

Simoniacorum poenae.

§ 8. Et ut simoniacae pravitatis labes prorsus aboleatur, constitutiones antecessorum nostrorum contra simoniacos editas, et praesertim Pauli II, inviolabiliter observari mandamus, et delinquentes tam in sacrorum ordinum receptione quam in beneficiorum assecutione, statutis etiam inferius poenis nostra auctoritate affici volumus. Quicumque igitur detestabile crimen simoniacae pravitatis commisisse convictus fuerit in consequendis ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione per decennium, sine spe dispensationis, suspensus, et per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates ecclesiasticas simoniace acquisiverit, illis sit ipso iure privatus, et in futurum inhabilis ad eas et quascumque alias obtinendas. Qui beneficium aut officium ecclesiasticum simoniace adep-

1 Ad hoc habes Concil. Trid. sess. XXV, *De Invocatione*.

tus fuerit, illis similiter sit ipso iure privatus, et ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, et perpetuo sit inhabilis ad ea et quaecumque alia beneficia ecclesiastica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commisisse convictus fuerit, praeter supradictas poenas, etiam corporaliter puniatur, et, ab ordinibus ecclesiasticis degradatus, a fidelium consortio eiiciatur. Qui vero ordines et beneficia simoniace contulerint, poenis a iure statutis puniantur, cuiuscumque gradus, conditionis et dignitatis, etiamsi episcopi, archiepiscopi vel maiores fuerint.

Simonia sacramentalis severissime puniatur iuxta statuta concil. Tridentini.

§ 9. Caveant praeterea quicumque ne in sacramentorum exhibitione simoniacum aliquid faciant, alioquin gravissime puniantur per locorum ordinarios, qui huiusmodi criminis reos cum maxima severitate coercere procurent, iuxta concilii Tridentini statuta.

Blasphemantium poenae.

§ 10. Ad abolendum vero nefarium et execrabile blasphemiae scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, et imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem, propter nimiam iudicum in puniendo segnitiem vel potius desuetudinem, supra modum invaluit, Leonis X, praedecessoris nostri, in novissimo Lateranensi concilio statuta innovantes, decernimus ut quicumque laicus Deum et Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam, eius genitricem, expresse blasphemaverit, pro prima vice, poenam xxv ducatorum incurrat; pro secunda, poena duplicabitur; pro tertia autem, centum ducatos solvet, et ignominia notatus, exilio mulctabitur. Qui vero plebeius fuerit, nec erit solvendo, pro prima vice, manibus post tergum ligatis, ante fores ecclesiae constituetur per diem integrum; pro secunda, fustigabitur per Urbem; pro tertia, lingua ei perforabitur et mittetur ad triremes. Quicumque clericus in hoc blasphemiae crimen incurrerit, pro prima vice, fructibus unius anni omnium et quorumcumque beneficiorum suorum; pro secunda, beneficiis ipsis privetur [1]; et in exilium mittatur. Quod si clericus nullum obtinuerit beneficium, poena pecuniaria vel corporali pro prima vice puniatur; pro secunda, carceribus mancipetur; pro tertia, verbaliter degradetur et ad triremes mittatur. Qui reliquos sanctos blasphemaverit, pro qualitate blasphemiae atque personae, arbitrio iudicis puniatur.

Sodomitarum poenae.

§ 11. Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiae, perpetraverit, curiae saeculari puniendus tradatur; et si clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus, simili poena subiiciatur.

Concubinariorum poenae.

§ 12. Monemus praeterea omnes locorum ordinarios, et in virtute sanctae obedientiae eis praecipimus ut statuta Tridentini concilii contra concubinarios, tam clericos quam laicos, edita, districte faciant observari, reddituri Deo ac nobis, si id omiserint, rationem.

Procedatur contra praedictos etiam per secretam denunciationem.

§ 13. Et ut praemissorum delictorum simoniae, blasphemiae ac stupri nefandi notitia facilius habeatur, volumus quod in singulis casibus, non solum per accusationem et inquisitionem, sed etiam ad simplicem et secretam denunciationem procedatur per quoscumque iudices, alias tamen de iure competentes, tam ratione delicti quam personarum, ita quod inter eos locus sit praeventioni.

Denunciatores calumniosi coerceantur.

§ 14. Monemus praeterea omnes et singulos ut, solum Dei timorem prae oculis habentes et non alia animi prava affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocentes non vexent. Quod si aliqui ex calumnia aliquos denunciasse comperti fuerint, eos ad poenam talionis teneri volumus et mandamus.

Poenae applicentur ut hic.

§ 15. Mulctae autem pecuniariae applicabuntur, pro duabus partibus, locis piis

1 Adde : *pro tertia, omnibus etiam dignitatibus exutus, deponatur*, Cherub. et Giraldus (n. 7).

arbitrio nostro, in Urbe; extra vero, ordinariorum; pro tertia, accusatori qui delinquentes detulerit.

Iussio praedicta observandi.

§ 16. Mandamus autem principibus, comitibus et baronibus omnibus, S. R. E. feudatariis, sub poena privationis feudorum, quae ab ipsa Ecclesia Romana obtinent; reliquos vero principes christianos et terrarum dominos hortamur in Domino, et in virtute sanctae obedientiae mandamus ut, pro divini nominis reverentia et honore, praemissa omnia in suis dominiis ac terris exactissime servari faciant, uberrimam ab ipso Deo mercedem pro tam bonis operibus recepturi.

Clausulae derogatoriae.

§ 17. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac exemptionibus, privilegiis, indultis, facultatibus et literis apostolicis quibusvis capitulis, conventibus, militibus, Ordinibus et personis, cuiuscumque qualitatis et conditionis existentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides adhibenda transumptis.

§ 18. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae innovationis, relaxationis, admonitionis, confirmationis, mandati, statuti, decreti, ordinationis, praecepti, monitionis, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 aprilis 1566, pont. an. I.

X.

Confirmatio constitutionis a Paulo IV editae circa iudaeorum vivendi modum. Qui signum glauci coloris in Statu Ecclesiastico deferre debent.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Romanus Pontifex, Christi vicarius in terris, nonnumquam ea, quae pro zelo religionis, a ceteris Romanis Pontificibus praedecessoribus suis concessa dicuntur, ut illibata persistant, approbat et confirmat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Paulus IV edidit bullam.

§ 1. Dudum felicis recordationis Paulus Papa IV, praedecessor noster, zelo fidei christianae motus, certum modum vivendi et habitandi iudaeis praescripsit, prout in quadam eius constitutione, cuius tenor sequitur et est talis, videlicet: *Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cum nimis absurdum*, etc.[1].

Hic Pontifex eam innovat et approbat;

§ 2. Nos igitur, cupientes ut constitutio, statuta et ordinationes huiusmodi perpetuis futuris temporibus observentur, motu proprio et ex certa nostra scientia, et non ad alicuius alterius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera nostra deliberatione, constitutionem, statuta et ordinationes huiusmodi et, prout

1 Omittitur tenor istius constitutionis, quae habetur tom. VI, pag. 498.

illa concernunt, omnia et singula in dicti praedecessoris literis contenta et inde secuta quaecumque, auctoritate apostolica, praesentium tenore, approbamus, innovamus et confirmamus, et robur perpetuae firmitatis obtinere decernimus, volumus, et sub interminatione divini iudicii praecipimus et mandamus, et omnia in posterum observari firmiter, non solum in terris et dominiis nobis subiectis, sed etiam ubique locorum.

Signum deferendum a iudaeis declarat;

§ 3. Et, ad omnem circa colorem birreti per masculos, et signi per foeminas deferendorum huiusmodi submovendam haesitationem, declaramus dictum colorem esse, qui vulgo *gialdo* dicitur.

Hoc publicari iubet ordinariis;

§ 4. Mandantes, in virtute sanctae obedientiae, omnibus et singulis venerabilibus fratribus, patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, quatenus in civitatibus et dioecesibus propriis praesentes nostras literas publicari et observari faciant.

Observantiam petit a principibus;

§ 5. Et omnes principes saeculares et alios dominos et magistratus temporales rogamus, requirimus et obsecramus per viscera misericordiae Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum nihilominus iniungentes quod, in praemissis omnibus, eisdem patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis assistant, et suum favorem et auxilium praestent, ac contrafacientes poenis, etiam temporalibus, afficiant.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus omnibus, quae idem Paulus praedecessor in supradictis literis voluit non obstare, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis per recolendae memoriae Pium quartum, Romanum Pontificem praedecessorem nostrum, et Sedem Apostolicam, etiam forsan consistorialiter, ac per viam generalis legis et statuti, ac in vim stipulati contractus, ex quavis, etiam urgentissima et onerosa, causa, ac motu proprio, et ex certa scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, etiam si in eis disponeretur et caveretur expresse, quoad delationem birreti glauci coloris huiusmodi in itinere, ac quod non, ut praemittitur, in loco clauso habitare tenerentur, et quod bona stabilia usque ad certam summam acquirere, ac societatem cum christianis super rebus ad annonam spectantibus inire, ac conversationem cum eisdem christifidelibus habere, ac pignora alias quam praescripto modo distrahere, ac plures synagogas retinere possent indulserit, aut alias quomodolibet eis dictas literas Pauli praedecessoris in favorem hebraeorum praedictorum limitaverit. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda foret, et in eis caveatur quod nullatenus derogari possit, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, necnon modos et formas, ad id servandas, pro individuo servatis habentes, harum serie specialiter et expresse derogamus, et literas eiusdem Pauli praedecessoris, et omnia in eis contenta observari in omnibus et per omnia mandamus, perinde ac si literae Pii, similiter praedecessoris nostri, non emanassent, aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 7. Volumus autem quod praesentes literae in Cancellaria et acie Campi Floræ publicentur, et inter constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

Forma publicationis.

§ 8. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis, eadem prorsus fides ubicumque adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Fides transumptorum.

Nulli ergo *etc.*.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, XIII kalendas maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 aprilis 1566, pontif. anno I.

XI.

Contra impedientes aut non subvenientes nautis et aliis naufragium patientibus in locis S. R. E. mediate et immediate subiectis, bonorumque naufragantium occupatores, et communitates ac barones et dominos eos non capientes [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Cum nobis ex parte dilecti filii Martini de Ayala Romae commorantis, consulis, protectoris et defensoris ac generalis procuratoris in rebus maritimis et mercantilibus nationis Hispanorum, Neapolitanorum et Siculorum, Mediolanensium, ceterorumque subditorum carissimi in Christo filii nostri Philippi, Hispaniarum ac utriusque Siciliae *etc.* regis catholici, in alma Urbe nostra ac Ripis et portibus terrarum et locorum S. R. E. subiectorum, expositum fuerit, non sine maxima nostra displicentia, quod retroactis temporibus, cum maximo damno et periculo miserorum nautarum et mercium conductorum, naves et navilia, diversis mercibus onusta, propter maris infortunium in dictis portibus, fugamque ab infidelibus et aliis inimicis arreptam, aliosve inopinatos casus, ob quos nonnulli naves et navilia deseruerunt et ab eorumdem inimicorum conatibus evasi fuerunt, eorumque personas, navibus et mercibus in eis conductis omissis, in terra, aliique periti in mari, salvas effecerunt, naufragia passi fuerint in portibus, plagis et ripis locorum maritimorum praedictae S. R. E., non sine maximo damno patronorum naviliorum et navium praedictarum, ac mercium conductarum, et detrimento terrarum et locorum dictae S. R. E., ad quae praedictae naves et navilia cum suis mercibus saepissime tendebant, et ibidem in beneficio et abundantia ipsarum terrarum exponenda erant; et quod, occurrentibus ad loca praedicta nautis et conductoribus mercium praefatarum pro salute eorum necnon navium et mercium ipsarum nanciscenda, existimantes se securos esse, expectantes inter christianos et amicos consequi opem et favorem fratrum amicabilem, prout ratio et aequitas id postulant, et prout in aliis locis in similibus infortuniis fit, per dictorum locorum maritimorum incolas et abitatores ac officiales, non solum penes eos non reperierunt auxilium praefatum, quinimmo maius impedimentum, quia, contra omne ius divinum et humanum, addendo talibus naufragium patientibus damnum damno et afflictis afflictionem, cum maxima Dei et nostra ac proximi offensa, ab eisdem habitatoribus et officialibus terrarum praefatarum

Bona naufragantia frequenter ab incolis et officialibus locorum, in quibus naufragia eveniunt, diripiuntur.

1 Generalem sanctionem in surripientes bona christianorum ubique naufragata habes in bulla quotannis in die Coenae Domini legi solita; specialis vero pro regno Britanniae legitur in constitutione Honorii II, *Carissimus*, quae in Cocqueliniano Bullario deest. Auxiliatoribus autem, quod de bonis recuperatis debeatur, videre est in Pauli III constitutione LV, *Accepimus*, tom. VI, pag. 374.

damnum et tribulatio illata fuit, etiam cum minis et comminationibus; et illi naufragantes ab eisdem eorum bonis et mercibus, quas, Domino permittente, a tali infortunio liberarunt et liberabant, animo diabolico et perverso privati fuerunt, dicta bona et merces occupando et detinendo ac si essent infidelium. Barones dominique temporales et ecclesiastici officiales talium locorum, sub praetextu naufragii et specie praetensionis ac directi iuris, illa ad se spectare et pertinere asserebant, usurpando dictas naves et navilia mercesque quas auferunt a propriis patronis in scandalum perversum et iniquum exemplum, quod non solum repugnat religioni christianae, praesertim in terris S. R. E. huiusmodi, quae omnes ad se venientes benigne amplectitur, verum etiam contra omnem humanam et civilem legem et iuris aequitatem, mentemque nostram, quæ est ut omnes christifideles, qui in dictis terris S. R. E. contractabunt, sint patroni suorum bonorum de illisque possint libere disponere, sintque bene et amicabiliter tractati, et non debeant modo aliquo vexari nec molestari.

Hic ideo Pontifex pœnas imponit impedientibus naufragium patientes *etc.*, et naufragantes benigne tractari praecipit;

§ 1. Quapropter nos, praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo, volentes praemissis occurrere, damnisque et scandalis ne veniant, quantum possumus, obviare, motu simili *etc.*, auctoritate apostolica et de certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad perpetuam rei memoriam, statuimus et ordinamus, firmiterque et inviolabiliter observari mandamus, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis, necnon decem millium ducatorum auri largorum Camerae Apostolicae applicandorum poenis, quatenus in urbe Roma suisque portibus et ripis, ac civitate Anconitana, aliisque omnibus et singulis civitatibus, terris, castris, ripis, portibus et plagiis, tam versus Adriaticum quam Mediterraneum mare, dictae S. R. E. mediate vel immediate subiectis, et etiam praelatorum dominorumque temporalium et baronum dictarum terrarum, in quibus est commercium maritimum, persona aliqua, cuiuscumque gradus ecclesiastici vel saecularis, communiter vel divisim, officialis aut privatus, et praesertim Ostiensis et Portuensis episcoporum et quorumcumque aliorum cardinalatus honore fulgens desuper non audeat vel praesumat aut permittat præbere impedimentum, aut genus aliquod molestiae praestare dictis nautis et mercium conductoribus subditis praedicto regi catholico, et aliis quibuscumque et cuiuscumque nationis, qui cum bono et iniquo tempore infortunium aut naufragium patiantur in dictis ripis, vel prope ripas, aut intra mare, seu in aliqua parte illius aut portibus seu plagiis (quod Deus avertat), aut quovis alio voluntario, necessitato, infortunato aut pacifico modo eos inibi applicare contingat in quamcumque ripam, portum aut plagiam dictarum terrarum S. R. E. huiusmodi; quinimmo illi favore et ope gratiose recipiantur et benigne tractentur, restituendo et restitui faciendo res et bona eorum in talibus navibus conducta, si ea per aliquam vel aliquos detineri et occupari contingat, et in posterum occupabuntur et detinebuntur, libere, absque eo quod eos ad solvendum ius aut aliquid aliud cogant et compellant, ad effectum ut, stante huiusmodi bona comportatione, eorum querelae cessent, et illi libentiori animo conducant ad loca praefata se et eorum merces.

Commissarium et consulem deputat pro recuperatione huiusmodi bonorum.

§ 2. Et licet alias felicis recordationis Paulus Papa III et Iulius etiam III, praedecessores nostri, per eorum motus proprios et literas in forma brevis vel alias concesserant dicto Martino consuli auctoritatem recuperandi et libere recipiendi navilia, naves et merces naufragium passas, ac dictis subditis nostris, et illas pro-

priis patronis restituendi et restitui faciendi ab illis personis illa occupantibus, propterea approbando et confirmando dictum breve et motus proprios omnesque alias patentes et concessiones, tam apostolicas quam regias, quomodolibet emanatas et concessas, ac in illis contenta et inde secuta quaecumque, illis in suo robore permanentibus, et quae sub dictis poenis inviolabiliter observari mandamus, ipsum Martinum in naufragiis commissarium generalem deputamus, non obstantibus quacumque concessione, ordinatione, decreto in contrarium forsan emanato, quacumque via et modo, et ad instantiam quarumvis personae aut personarum, cuiuscumque status, gradus et conditionis existentibus, quarum tenores pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, ac si de verbo ad verbum inserti essent, quibus expresse derogamus per praesentes, concedimus et impartimur facultatem et auctoritatem dicto Martino consuli, ut ipse, tamquam talis consul et protector ac generalis procurator et defensor nationum praefatarum, repraesentando personas interesse habentes in talibus naviliis, navibus et mercibus, et tamquam persona legitima possit, per se suosque ministros in societate dictorum patronorum, praesentibus, aut in illis absentibus, etiam ipsi patroni, in absentia dicti Martini consulis suorumve ministrorum et deputatorum, coniunctim vel divisim, possint exigere, recuperare navilia, naves ac merces præfatas naufragium passas sive derelictas, in mare aut extra mare, aut in aliqua alia parte, portibusque et plagiis atque ripis, alioque quovis loco, ubi reperientur.

Servantibus aut recuperantibus illa præcipit ne disponant inscio d. commissario et consule;

§ 3. Et quia evenire solet quod tales naves et navilia ac merces in eis conductae non sunt propriae aut patronorum talia navilia conducentium seu patronantium, aut ea assecurantes interessati sunt, volumus etiam quod, si patroni et nautae seu aliae personae salvas effecerint aut recuperaverint dictas merces vel earum partem seu navilia praefata, non possint modo aliquo de eis disponere absque nutu et voluntate dicti Martini consulis, qui solerter inquirere debeat de mercibus salvis et perditis, usquequo veritatem omnino comperiat, ad hoc ne, sub praetextu naufragii aut proiectionis mercium in mare, interesse habentes modo aliquo damnificati aut defraudati seu suis privati existant. Et insuper quod omnes et singuli quarumcumque navium, cuiuscumque generis, patroni debeant et teneantur cum omni diligentia salvare et custodire bona quaecumque per eos conducta et naufragantia, neque illa tamquam perdita dimittere, sed ipsum consulem pro opportuno remedio certiorare in beneficium et salvationem ipsorum bonorum naufragantium, ita quod, ipsis patronis sive nautis deficientibus in aliquo praemissorum, naufragia huiusmodi et damna quaecumque et exinde provenientia ipsorum patronorum culpae imputentur, et ad interesse ac damna teneantur. Ac si contingat ab aliqua persona seu personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, et nostram monitionem huiusmodi ignorantibus, in toto vel in parte detinere merces, res et bona aliqua in eis conducta, furtive et coacte, vel praetextu praetensionis naufragii, vel alio quocumque modo, eadem nihilominus dictus Martinus consul recipere, exigere et recuperare et a detinentibus personis illa dictis patronis, ad quas ea de iure spectant et pertinent, restitui facere, absque aliqua exactione seu detractione, praetextu dictae praetensionis, aut quaesito colore seu solutione aliquibus personis ecclesiasticis vel saecularibus, baronibus, comitibus aut triremium capitaneis, castellanis, gubernatoribus, commissariis seu cuicumque alteri, cuius-

cumque conditionis, præeminentiae et status sit, facienda; cui consuli compellendi et restitui ac castigari faciendi tales usurpatores et detentores plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus.

Baronibusque et gubernatoribus ac aliis, ut in praemissis eidem consuli auxilio praestent;

§ 4. Quibus personis expresse, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis praefatis, mandamus quatenus dimittant et sinant praefatos patronos navium et naviliorum nationum praefatarum et quarumcumque aliarum, dictumque eorum consulem et ministrum seu ministros illa omnia recuperare, et alias de eorum navibus, naviliis, mercibus et bonis conductis, etiam derelictis, et iis tam per mare vagantibus, quam prope terram et in ripa consistentibus, libere disponere, absque aliqua molestia vel impedimento illis, directe vel indirecte, praestando; nec debeant se intromittere in dictis naufragatis nec naufragio praefato, nisi in eo, ad quod per dictos patronos, consulem, ministrum erunt requisiti et vocati pro eorum ope et favore; nec sub aliquo praetextu vel colore dicto Martino consuli aut eius ministris seu deputatis praefatis in libero exercitio sui officii generalis consulatus et commissariatus huiusmodi et ad illud spectantibus aliisque supradictis aliquod impedimentum, molestiam aut perturbationem praestent, seu praestari permittant; quinimo ei et eis omne auxilium et favorem in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, ad quae praefati nostri subditi, quotiescumque pro parte dilectorum consulis ac ministrorum in licitis et honestis erunt requisiti, praestare teneantur; quibus, eis videlicet qui a dicto Martino consule et ministris vocati erunt, ad recuperationem adiuvaverint, per dictum consulem, expensis rerum liberatarum in quarum beneficium elaboraverint, in laboris subsidium dabitur quod iustum et honestum erit et eidem consuli videbitur; quod erit iuxta meritum illorum, qui in salvandis huiusmodi rebus et bonis intervenerint, licet fraternitatis caritas in talibus calamitosis eventibus eos ad id obliget atque cogat.

Et auxilium dantibus indulgentias concedit;

§ 5. Et ut christifideles ad praemissa alliciantur, aut naufragium huiusmodi patientibus ab eis propitiora subsidia praebeantur, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui auxilium, consilium et favorem naufragium patientibus, in reparatione et conservatione suorum bonorum, praestiterint, decem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis in Domino relaxamus.

Omnibusque commorantibus prope loca naufragiorum iubet ut, vocati, auxilium praestent;

§ 6. Mandantes dictis nostris subditis, tam civitatis Vetulae et Ostiae, Porti et Neptuni, ac pilotis illarum, ac etiam Anconae, ac habitatoribus omnium terrarum, riparum, portuum et plagiarum, necnon patronis et nautis navium, naviliorum, triremium biremiumque capitaneis et barcharum conductoribus et piscatoribus, ac aliis quibuscumque personis existentibus et habitantibus in aut prope vel ubi talia naufragia accidere contingat, sub poena solutionis tanti, quanti bona naufragata valuerint, et quae, ob defectum auditorii, admitterentur, quatenus illico, postquam a patrono, consule aut deputatis vocati fuerint, occurrant, et festinanter accedant cum eorum barchis ac triremibus et biremibus, ad adiuvandum et salvandum ea omni cum diligentia, ac si eorum propria essent, solutis tamen eis pro eorum labore, expensis mercium conductarum et rerum salvatarum, his, quae consuli videbitur, prout labor eorum exegerit; et non possint petere, nec petant aliquid aliud, nec quartum, nec partem nec ius aliquod rerum salvatarum, praeter supradicta, concessione, statuto, consuetudine, ordinatione, usu

et quibusvis aliis minime obstantibus,[1] penitus cassamus et suffragari nolumus.

Communitates etiam et dominos locorum secuti naufragii latrones et occupatores capere debere decernit;

§ 7. Volumus autem quod in locis seu territoriis ubi naufragium praefatum eveniet, dominus vel domini aut communitas talis loci teneantur consignare in manibus nostrae iustitiae et ministrorum illius latronem seu latrones, usurpatorem seu usurpatores, detentorem seu detentores huiusmodi rerum naufragatarum; alias teneantur solvere totum damnum et expensas in tali naufragio aut illius dependentiis passa et seu patienda, ac passas et seu patiendas.

Camerariumque S. R. E. iudicem istarum causarum occupat;

§ 8. Et si aliquid forsan occurrerit super praemissis, quod dictus consul non possit accommodare et concludere, recurratur ad nos et seu dilectum filium Vitellotium, camerarium nostrum et sanctae Romanae Ecclesiae, quem et nullum alium illud decidere et finire posse volumus, etiam cum facultate et auctoritate amplissime puniendi et castigandi quoscumque latrones et praedatores, etiam usque ad poenam capitalem. Volentes etiam per praesentes praefatum cardinalem camerarium merum et verum iudicem et executorem in causis maritimis naufragiorum et etiam quorumcumque assecurationum, super quibus lis et controversia aliqua inter quoscumque evenire posset, ex causa tamen dictorum naufragiorum, cum opportuna avocatione a quibuscumque iudicibus, non tamen Romanae Curiae, fore et esse debere.

Consuli quoque et eius deputatis facultatem deferendi arma concedit;

§ 9. Necnon auctoritate praefata concedendo dicto consuli eiusque deputatis, prout concedimus eisdem, ut, pro ipsorum securitate et defensione, cuiuscumque generis arma, tam offensiva quam defensiva, in toto dominio et per totum dominium ecclesiasticum, scilicet in omnibus terris et locis maritimis et mari convicinis, per quindecim milliaria a terra distantibus, libere et licite portare possint et valeant, quibuscumque bannis, editis seu edendis, et aliis quibuscumque apostolicis constitutionibus et ordinationibus non obstantibus.

Executores deputat, et facultates concedit.

§ 10. Et nihilominus, pro observatione praemissorum, motu et scientia nostris praefatis praecipiendo mandamus dilecto filio Vitellotio Vitellio, camerario nostro; necnon clericis praesidentibus Camerae Apostolicae, ac praelatis, etiam cardinalatus honore fulgentibus; necnon universis et singulis tam almae Urbis, quam aliarum quarumcumque sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectarum provinciarum, terrarum et locorum vicelegatis, gubernatoribus, locatenentibus, potestatibus, iudicibus et aliis quovis nomine nuncupatis iusdicentibus et iustitiae ministris; necnon illustribus magnificis viris, dominis, ducibus, marchionibus et baronibus, domicellis, nobilibus, castellanis, triremiumque ducibus et capitaneis, ac quorumcumque locorum communitatibus seu universitatibus, omnibusque et singulis aliis particularibus personis, ad quas quomodolibet spectat, seu in futurum spectabit, seu spectare poterit, et sanctae Romanae Ecclesiae praedictae mediate vel immediate subiectis, quatenus praemissa omnia et singula inviolabiliter observent et observari faciant, et sub poenis et censuris antedictis, necnon rebellionis et privationis omnium et singulorum bonorum seu officiorum, ac confiscationis et publicationis quorumcumque bonorum per eos et ipsorum quemlibet obtentorum, incurrendique in crimine laesae maiestatis. Contradictores *etc.*, cum amplissima facultate et auctoritate dictos raptores, grassatores et depraedatores et latrones, in flagranti crimine seu delicto repertos, puniendi et castigandi, ad effectum ut, huiusmodi iustis querelis cessantibus, dicti mercatores et nautae eo libentius cum suis navigiis, navibus et

1 Deest forte *quae* (R. T.).

mercibus ad Urbem ipsam, locaque praedicta sanctae Romanae Ecclesiae praedictae securius et tutius accedant.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus, etiam municipalibus, quarumcumque terrarum et locorum in contrarium forsan editis, ac privilegiis, indultis et literis apostolicis quibusvis personis, necnon civitatibus, oppidis, locis, castris ac portibus maritimis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibuscumque clausulis, decretis et contractibus et motu proprio *etc.* ac alias concessis, quibus omnibus *etc.*, illorum tenores *etc.* pro expressis habentes, hac vice latissime derogare placeat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 12. Volumus autem quod praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria non obstante, seu, si videbitur, literae in forma brevis expediri possint.

Placet, motu proprio. M.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, octavo kalendas maii, anno primo.

Dat. die 24 aprilis 1566, pont. an. I.

XII.

Institutio domus in Urbe pro sanctae Inquisitionis ministerio exercendo, eiusque ministrorum et personarum commodo cooptando [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sollicitae nostrae considerationis providentia, prout nostri pastoralis officii cura requirit, nos admonet ut sanctae Inquisitionis almae Urbis nostrae officio, quod per nonnullos venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, nobis ipsis etiam praesidentibus, laudabiliter gubernatur, de stabili et commoda ac perpetua habitatione [1] nostrae subventionis opem ac ministerium non minus libenter quam liberaliter provideamus.

Fratres de Pucciis palatium in burgo S. Petri pro officio Inquisit. vendunt.

§ 1. Hinc est quod, cum nuper dilectus filius Alexander quondam Pandulphi de Pucciis, laicus, civis Florentinus, una cum Roberto Ascanio et Horatio suis germanis fratribus, duas integras tertias partes pro indiviso palatii, cum pertinentiis suis, siti in burgo Sancti Petri prope locum vulgariter dictum Campo Santo, acquisiti et constructi olim per bonae memoriae Laurentium, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, de Pucciis nuncupatum, et in quo de praesenti exercetur officium ipsius sanctae Inquisitionis haereticae pravitatis, tam suo proprio, quam fratrum suorum praedictorum, pro quibus de rato promisit, nominibus, nobis, pro pretio scutorum sex millium monetae, ad rationem decem iuliorum pro quolibet scuto, sub modis et formis ac in terminis tunc expressis solvendorum, vendiderit ac cesserit; prout in instrumento publico, per dilectum filium Marcum Antonium Peregrinum, Camerae nostrae Apostolicae notarium, rogato, latius continetur.

Pius venditionem huiusmodi instrumentumque desuper confectum approbat,

§ 2. Nos igitur, easdem duas tertias partes palatii huiusmodi pro dominio et omnimoda proprietate ac usu et habitatione ipsius officii Inquisitionis et eius ministrorum perpetuo concedere volentes, et ipsius palatii situationem, qualitates et confinia, ac instrumenti huiusmodi desuper confecti et inde secutorum aliorumque hic etiam forsan de necessitate exprimendorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ac venditionem et cessionem instrumentumque, et inde secuta huiusmodi auctoritate apostolica confirmantes et approbantes, ac

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

1 Legimus *Per nostrae subventionis opem* (R. T.).

illis omnimodae et perpetuae firmitatis robur adiicientes, omnesque et singulos iuris et facti solemnitatumque, etiam substantialium, defectus, si qui forsan in eisdem intervenerint, supplentes.

Et palatium officio Inquisitionis donat;

§ 3. Motu proprio et ex certa scientia, maturaque deliberatione ac liberalitate nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, dictas duas tertias partes palatii huiusmodi, sic per nos, ut praemittitur, emptas, eidem officio sanctae Inquisitionis, pro illius ministrorumque suorum nunc et pro tempore existentium perpetuo usu et habitatione, perpetuae et irrevocabilis donationis, etiam inter vivos titulo, dicto officio Inquisitionis, tam quoad proprietatem et directum dominium, quam quoad usum et habitationem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, in perpetuum damus, donamus, applicamus, appropriamus, liberaliterque concedimus et assignamus, perpetuoque datas, donatas, applicatas, appropriatas, concessas et assignatas fore et esse.

Illud ab huiusmodi officio alienari prohibet;

§ 4. Expresse prohibentes praedictum officium Inquisitionis nullo unquam tempore nec aliqua ex causa alienari posse.

Hasce literas nullo vitio notari posse declarat sub poena excommunicationis;

§ 5. Nostrasque praesentes literas nullo unquam tempore, ad cuiusvis, etiam nostri et sanctae Romanae Ecclesiae camerarii, praesidentiumque et clericorum eiusdem Camerae, seu fisci apostolici procuratoris instantiam, quovis quaesito colore vel ingenio, de surreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari, vel alias quoquo modo impugnari, aut ex quavis urgentissima, etiam necessario exprimenda, causa, etiam de ipsorum cardinalium inquisitorum pro tempore existentium consensu, revocari, annullari vel retractari, seu illas impugnantes in iudicio vel extra audiri posse, sed illas in omnibus et per omnia validas et efficaces esse, suosque plenarios, integros et totales effectus sortiri, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, sub excommunicationis maioris latae sententiae ac maledictionis aeternae poenis ipso facto a contrafacientibus incurrendis, firmiter et inviolabiliter observari, dictoque officio perpetuo suffragari.

Sic per quoscumque iudices definiri iubet;

§ 6. Et sic per quoscumque iudices et commissarios, etiam ipsius Ecclesiae Romanae cardinales, in quavis instantia et causa, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, diffiniri et sententiari debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus.

Deputat commissarios et exequutores huiusmodi literarum.

§ 7. Quo circa venerabilibus fratribus Amerinensi, Narniensi et Maceratensi episcopis per apostolica scripta motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipsorum officii vel inquisitorum fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos donatione, applicatione, appropriatione, concessione nostris praedictis pacifice frui et gaudere; ac ipsos inquisitores, si sibi videbitur, vel eorum aliquem seu ipsorum commissarium generalem ac procuratorem suum, nomine officii huiusmodi, in corporalem, realem et actualem possessionem duarum tertiarum partium palatii huiusmodi, iuriumque et pertinentiarum suorum omnium inducant auctoritate nostra, et inductos vel inductum in ea defendant, amoto exinde quolibet detentore; non permittentes eos desuper a quoquam indebite molestari, perturbari vel impediri. Contradictores quoslibet, rebel-

les et inobedientes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, arbitrio suo imponendas, moderandas et applicandas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, quacumque appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, illos easdem sententias, censuras et poenas incurrisse declarando, et eas etiam iteratis vicibus aggravando et reaggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 8. Non obstantibus praemissis et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Camerae praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stylo et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, harum serie specialiter et expresse pari motu, et de potestatis plenitudine totaliter derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Contraria tollit.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima octava maii, millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 maii 1566, pontif. anno I.

XIII.

De clausura et numero monialium cuiuscumque Ordinis, et poenis earumdem, absque licentia superiorum (ex causa magni incendii vel infirmitatis leprae vel epidemiae tantummodo eis concedenda), e monasteriis egredientium, concomitantiumque et receptantium; ac superiorum aliter eis licentiam concedentium; necnon de eleemosynis pro ipsarum monialium subventione colligendis [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Circa pastoralis officii nobis, meritis licet imparibus, desuper commissi curam, quantum nobis ex alto permittitur, invigilantes, assidue ad ea, per quae singulis erroribus et excessibus obviatur, ac personis quibuslibet, praesertim foeminei sexus virginitatem suam Altissimo voventibus, sub Religionis iugo Christo Salvatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, semita iustitiae et honestatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiatur incongruum, quod in regularis ponat honestatis gloria maculam, et divinam merito possint offendere maiestatem, opportune succurritur, libenter intendimus, ac in his nostrae vigilantiae partes propensius

Exordium.

1 Quoad clausuram, vide constit. Bonif. VIII in tit. *De Stat. Reg.* in 6, decretumque Concil. Trid. sess. XXV, *De Regular.*, cap. V.

impartimur, prout id in Domino salubriter expedire conspicimus.

Moniales tacite vel expresse Religionem professae clausuram servent.

§ 1. Hac igitur perpetuo valitura constitutione, inhaerentes etiam constitutioni felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, quae incipit *Periculoso,* et decretis concilii Tridentini super clausura monialium editis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus atque perpetuo decernimus universas et singulas moniales, praesentes atque futuras, cuiuscumque Religionis, Ordinis vel militiarum, etiam Hierosolymitani, sint, quae vel iam receptae sint, vel in posterum in quibusvis monasteriis sive domibus recipientur, et tacite vel expresse Religionem professae, etiam si conversae aut quocumque alio nomine appellentur, etiam si ex institutis vel fundationibus earum Regulae ad clausuram non teneantur, nec unquam in earum monasteriis seu domibus, etiam ab immemorabili tempore, ea servata non fuerit, sub perpetua in suis monasteriis seu domibus debere de cetero permanere clausura, iuxta formam dictae constitutionis felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, quae incipit *Periculoso,* in sacro concilio Tridentino approbatam, et innovamus in omnibus et per omnia, ac illam districte observari mandamus.

Inobedientes coercean. per ordinarios.

§ 2. Quod si aliquae moniales forsan reperiantur, quae, consuetudine, etiam immemorabili, aut instituto vel fundatione Regulae suae fretae, animo obstinato huic clausurae resistant, aut quoquomodo reluctentur, ordinarii, una cum superioribus earum, omnibus iuris et facti remediis compellant easdem tamquam rebelles et incorrigibiles ad praecise subeundum dictam clausuram, perpetuo observandam.

§ 3. Mulieres quoque, quae Tertiariae seu de Poenitentia dicuntur, cuiuscumque fuerint Ordinis, in congregatione viventes, si et ipsae professae fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram praecise, ut praemittitur, et ipsae teneantur; quod si votum solemne non emiserint, ordinarii, una cum superioribus earum, hortentur et persuadere studeant ut illud emittant et profiteantur, ac, post emissionem et professionem, eidem clausurae se subiiciant; quod si recusaverint, et aliquae ex eis inventae fuerint scandalose vivere, severissime puniantur.

Tertiariae, si solemne votum emiserint, clausurae subiiciantur; sic autem per ordinarios ad clausuram suadeantur.

Et volentes sine clausura et professione vivere, non recipiantur in aliqua Religione seu congregatione.

§ 4. Ceteris autem omnibus, sic absque emissione professionis et clausura vivere omnino volentibus, interdicimus et perpetuo prohibemus ne in futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem congregationemque recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem et decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones et receptiones irritas facimus et annullamus.

Eleemosynae pro monialibus colligantur per conversas aut per professas habitantes prope monasteria, aetatis annorum XL.

§ 5. Porro, ne moniales vel Tertiariae praedictae, propter hanc clausuram, detrimentum aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maxime in pertinentibus ad illarum victum, patiantur, sed ut eis opportune consulatur, auctoritate apostolica praefata statuimus, decernimus, praecipimus atque mandamus ordinariis et superioribus earum, ut curent colligi fidelium eleemosynas per conversas quae non sint professae; vel si professae fuerint, sint tamen aetatis annorum quadraginta, et in domibus contiguis, extra tamen monasterium, degant, et non ingrediantur clausuram aliarum monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis, et de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia ordinarii vel earum superiorum.

§ 6. Et decreto[1] nullae aliae conversae

1 Legimus *de cetero* (B. T.).

Conversae professae de cetero non recipiantur

professae recipi amplius, etiam de consensu suorum superiorum vel praelatorum, possint; quod si adversus hanc nostram prohibitionem receptae fuerint, illarum receptio nulla, irrita et inanis sit, prout ex nunc nullam, irritam facimus et annullamus.

Monialium recipiend. numerus reguletur iuxta redditus monasterior.

§ 7. Quod si praedicto modo necessitatibus monialium et mulierum Tertiariarum praedictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis ordinariis et superioribus earum ut ipsi provideant de aliis personis piis et Deo devotis, quae fidelium eleemosynas colligant, vel alias eo meliori et commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum monialium et mulierum praedictarum, arbitrio ordinariorum et superiorum earumdem, et prout eis congruentius expedire videbitur, provideatur et succurratur. Et ne, propter monialium numerum excessivum, clausurae observatio violetur, inhaerentes etiam similiter dispositioni dictae constitutionis Bonifacii, et concilii Tridentini decreto, monialibus praedictis et illarum superioribus et ordinariis, districte inhibendo, praecipimus et mandamus ne plures in earum monasteriis recipiant et admittant sive recipi et admitti permittant quam ex propriis redditibus ipsorum monasteriorum vel consuetis eleemosynis commode substentari possint.

Executorum deputatio.

§ 8. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae, universis venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, quatenus in civitatibus et dioecesibus propriis praesentes nostras literas publicari faciant, ac in monasteriis monialium sibi ordinario iure subiectis; in iis vero quae ad Romanam mediate vel immediate spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicae auctoritate, una cum superioribus eorumdem monasteriorum, clausuram, ut praemittitur, quamprimum poterint, servari procurent. Contradictores atque rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Ac, ut hoc tam salutare decretum facilius observetur, omnes principes saeculares et alios dominos et magistratus temporales rogamus, requirimus et obsecramus per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum iniungentes quod in praemissis omnibus eisdem patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis et aliis monialium superioribus assistant, ac suum favorem et auxilium praestent, ac impedientes poenis etiam temporalibus afficiant.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis et confirmatis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam in fundatione et institutione eisdem monasteriis vel domibus et monialibus, sub quibuscumque verborum formis et clausulis irritantibus et aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quoad effectum validitatis nostrae constitutionis tantum, derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici aut suspendi non possint per literas apostolicas non fa-

cientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Ordinarii nihil ultra praemissa audeant in locis exemptis.

§ 10. Per hoc autem, in monasteriis exemptis, ordinarii locorum quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem vel potestatem aliquatenus eis attributam.

Iussio publicandi.

§ 11. Volumus autem quod praesentes literae ad valvas basilicae beati Petri apostolorum principis, et in Cancellaria nostra, ac acie Campi Florae publicentur, et inter constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

Exemplorum fides.

§ 12. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaecumque loca deferri, volumus et etiam declaramus quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, ac sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides ubicumque adhibeatur quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, IV kal. iunii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 29 maii 1566, pontif. anno I.

Sequitur declaratio dictae bullae.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decori et honestati omnium sanctimonialium, quarum Iesus Christus Dominus noster sponsus est, ut in puritate et castitate superaedificantes, in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes, ea quae illarum existimationi detrahere possent, decet nos consulto submovere.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Sane periculo et scandalo plena res est, ac regulari observantiae vehementer adversatur, sanctimoniales aliquando parentes, fratres, sorores aut alios agnatos vel cognatos, necnon monasteria et alias filiationes nuncupata, etiam eis subiecta, visitandi, aut infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire, et per saecularium personarum domos discurrere et vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt.

Monialium a clausura exeuntium absque licentia *etc.* poenae, aliorumque, qui licentiam exeundi praebent aliter quam hic statuitur.

§ 2. Unde nos, malo huic pro nostro pastoralis officii debito salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam decreto sacri concilii Tridentini de clausura monialium disponentis, ac aliis nostris literis super huiusmodi clausura editis adiicientis, volumus, sancimus et ordinamus nulli abbatissarum, priorissarum aliarumve monialium, etiam Carthusiensium, Cisterciensium, S. Benedicti, et Mendicantium et quorumcumque aliorum Ordinum, etiam militiarum, ac statuum, graduum et conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum existentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, de cetero, etiam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu (nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis leprae aut epidemiae, quae tamen infirmitas, praeter alios Ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per episcopum seu alium loci ordinarium, etiam si praedicta monasteria ab episcoporum et ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit), a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere. Aliter autem quam ut praefertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas aut saeculares vel ecclesiasticas, consanguineas vel non, excommunicationis maioris latae sententiae vinculo sta-

tim eo ipso, absque aliqua declaratione, subiacere, a quo, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant. Et insuper tam egressas, quam praesidentes et alios superiores praedictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officiis et administrationibus, per eas et eos tunc obtentis, privamus, et illas et illos ad obtenta et alia in posterum obtinenda inhabiles.

Revocatio facultatum exeundi a monasteriis.

§ 3. Necnon licentias et facultates seu indulta et privilegia exeundi a monasteriis, et extra illa standi, a nobis, seu alio Romano Pontifice praedecessore nostro, ac Sedis Apostolicae nunciis et legatis, etiam de latere, ac maiore poenitentiario, aut Ordinum praedictorum superioribus aliisque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis restitutivis, praeservativis, mentis attestativis, etiam novam gratiam et datam concernentibus, aliisque efficacioribus ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in ispecie, etiam motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam imperatoris, regum, ducum et aliorum principum, necnon sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium intuitu et contemplatione ac instantia vel alias quomodolibet concessa (quae prorsus abolemus); ac literas desuper confectas et in posterum concedendas et conficiendas, nullas et invalidas, nulliusque roboris ac momenti fore, nec illas habentibus et habituris suffragari posse.

Decretum irritans.

§ 4. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Deputatio et facultates executorum huius constitutionis.

§ 5. Mandantes universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis, in virtute sanctae obedientiae, et sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis aeternae, quatenus, per se vel alium seu alios, praesentes literas in civitatibus et dioecesibus propriis quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, necnon praefatum decretum ipsius concilii, quod incipit *Bonifacii VIII* diligenter et inviolabiliter sub censuris ecclesiasticis, aliisque praefatis poenis et in eodem decreto contentis, observent et observari faciant et procurent; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, etiam aliis poenis, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; necnon legitimis super his habendis servatis processibus, poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; aliis apostolicis constitutionibus et iuribus, de huiusmodi clausura disponentibus, nihilominus in suo robore duraturis.

Transumptorum fides.

§ 7. Ceterum volumus quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides ubique terrarum, tam in iudicio quam extra, adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, kalendis februarii, pontificatus nostri anno v.

XIV.

Innovatio et ampliatio constitutionum a Pontificibus praedecessoribus editarum contra homicidas, brigosos, vindictam transversalem aut hominum collectam facientes, facinorososque homines, eorumque complices et fautores, communitates quoque et alios eorum territoria a praedictis non custodientes in Statu Ecclesiastico.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Ex supernae dispositionis arbitrio gregis dominici curae praesidentes, inter varias animi sollicitudines, quae ex pastoralis officii ministerio nobis incumbunt, illam a nobis potissime amplectendam esse putamus, per quam inter singulos gregis eiusdem fideles, praesertim vero nobis et Romanae Ecclesiae subditos, pax et concordia confoventur, seditiones sedantur, scandalis obviatur, et animarum salus procuratur; unde ea, quae sedula meditatione hactenus a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, praemissorum ratione, gesta fuisse ac ordinata comperimus, quo saepius fideles ipsi illa perspicient innovari, eo ferventius ac promptius ad illorum observationem excitentur, confirmanda, innovanda nostraeque auctoritatis munimine roboranda esse censemus, aliasque desuper disponimus, prout in Domino conspicimus expedire.

Citatio bullae Pii PP. II § 1. Sane alias, postquam felicis recordationis Pius Papa II, praedecessor noster, per eum accepto quod a certis tunc elapsis annis, *etc.* 1.

Paulus II edidit alteram. § 2. Cum saepius contingeret quod offensionis ignarus, aut ob huiusmodi excessus plurimum condolens, horribili *etc.* 2.

Sixtus IV aliam bullam edidit hic relatam et a me propterea praetermissam in hoc opere § 3. Et successive recolendae memoriae Sixtus Papa IV, similiter praedecessor noster, accepto per eum quod contenta in literis Pii praedecessoris huiusmodi, a certis annis tunc elapsis citra, non fuerant observata, et ex illorum non observantia subditi praefatae Ecclesiae procliviores erant ad homicidia committenda, ac fere passim quotidie perpetrabantur; et homicidae praefati ideo ad illa committenda promptiores existebant, quia sperabant latere et suorum excessuum remissionem consequi facile posse; ac detestabilem et horrendam sicariorum nequitiam talium, ad aliorum cautelam, iuris remediis prosequi studio cupiens indefesso, habita super iis cum fratribus suis praefatae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, de illorum consilio, per suas literas, statuta decretaque Pii praedecessoris huiusmodi, ac prout illa concernebant, omnia et singula in dictis literis Pii praedecessoris praefati contenta approbaverat, et robur perpetuae firmitatis obtinere debere decreverat ac voluerat, et de eorumdem fratrum consilio statuerat et ordinaverat quod condemnatos catenus et quos in posterum condemnari contingeret ubilibet in civitatibus, terris et locis praedictis pro homicidio, sive ut principales, sive ut auxilium, consilium vel favorem praestantes, suarum condemnationum remissionem, aut contra illas salvum conductum et licentiam secure in loco patrati criminis, vel infra quinquaginta mil-

1 Omittitur residuum narrativae, quia ipsam bullam Pii II, *Ad retinendas*, habes tom. v, pag. 156. 2 Omittitur pariter residuum relationis huius bullae Pauli II, *Piros*, quia eam habes tom v, pag. 186.

liaria (ut praefertur) propinquo,[1] nullatenus obtinere possent ab alio, quam a Romano Pontifice qui pro tempore esset, et alicuius alterius, etiam legati de latere, remissio nemini suffragaretur; et si forsan contingeret eumdem Romanum Pontificem ad remissiones sive salvum conductum huiusmodi procedere, talis remissio per praeoccupationem processisse censeretur et nemini prodesse posset, nisi in illa verus literarum Sixti praedecessoris huiusmodi tenor de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, inferius insertus foret, et determinata causa exprimeretur, quae eumdem Romanum Pontificem induceret ad derogandum eisdem literis Sixti praedecessoris, quae cum tam matura deliberatione ab eodem Sixto praedecessore emanaverant.

Iulius II edidit aliam hic cit.

§ 4. Et subsequenter sanctae memoriae Iulius Papa II, etiam praedecessor noster, habita super iis cum fratribus suis tunc *etc.*[2].

Et aliam relatam tom. v, pag. 399.

§ 5. Et insuper per eumdem Iulium praedecessorem accepto quod, cum nonnulli civitatum, castrorum et locorum, tam regni nostri tunc Siciliae citra Pharum, quam aliarum partium dictae Ecclesiae subiectarum, etiam Urbi praedictae adiacentium, propter homicidia aliqua nefanda per eos perpetrata, excessus, crimina et delicta et alias, eorum demeritis id exigentibus, a civitatibus, terris, castris et locis eorum, seu in quibus tunc morabantur, exules, rebelles et banniti, quod in illis propterea secure morari nequirent, alii de civitatibus, terris, castris et locis dictae Ecclesiae subiectis ad regnum et alias adiacentes huiusmodi, alii autem ex regno et adiacentibus partibus praedictis, ad civitates, terras, castra et loca eidem Ecclesiae subiecta praedicta, etiam dictae Urbi adiacentia, se transferrent, nonnulli barones, proceres et domini seu vicarii in temporalibus civitatum, terrarum, castrorum et locorum ac regni et partium adiacentium praedictorum, eorumque officiales et subditi dictos homicidas, bannitos, criminosos atque rebelles homines scienter receptare et, quod gravius erat, protegere et defendere non formidabant, se reos tantorum scelerum, per homicidas et alios bannitos praedictos perpetratorum, apud Deum constituentes, et tam ipsis homicidis et malefactoribus, quam aliis similia vel gravia delicta perpetrandi et committendi audaciam et scelerum huiusmodi impunitatem tribuentes, in animarum suarum periculum, iustitiae conculcationem, ac dictae Sedis auctoritatis contemptum, et scandalum plurimorum. Idem Iulius praedecessor motu proprio omnes et singulos barones, proceres, milites ac dominos et vicarios, in temporalibus civitatum, terrarum, castrorum et locorum eorumdem, necnon nostros et eorumdem baronum, procerum, militum et dominorum vicarios, officiales et subditos per suas literas requisiverat et monuerat, eisque et eorum cuilibet, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, quam contrafacientes eo ipso incurrerent, districtius inhibuerat ne homicidas, bannitos, criminosos, rebelles, aliosque infames homines praefatos, qui propter eorum delicta banniti in locis originis suae, seu aliis regnorum, civitatum, terrarum, castrorum et aliorum locorum praedictorum, propter eorum malam vitam, commorari non poterant, ex tunc de cetero nullatenus receptare, aut eis consilium, auxilium vel favorem, quovis quaesito colore, praestare praesumerent. Quinimmo tales ad eorum dominia declinantes, seu in eis commorantes capi et ad forum seu iustitias vel

1 Supple *commorandi* (R. T.).

2 Omittitur residuum narrativae const. Iulii II, *Cum homines*, quia est in tom. v, pag. 415

officiales, ad quos punitio et castigatio criminum et excessuum per eos perpetratorum, ut praefertur, de iure vel consuetudine pertinebant et spectabant, destinare; aut si partibus laesis et offensis utilius foret, illos, iuxta criminum et excessuum per eos perpetratorum qualitatem, ad poenas a iure statuta in locis, ubi deprehensi forent, procedere procurarent.

Leo X aliam edidit hic cit.

§ 6. Praeterea felicis memoriae Leo Papa X, etiam praedecessor noster, similiter per eum accepto quod nequissimi sicarii *etc.* [1].

Clemens VII alteram hic cit. edidit.

§ 7. Porro ad notitiam similis memoriae Clementis Papae VII, pariter praedecessoris nostri, pervento plures Urbis *etc.* [2].

Pius IV aliam edidit hic indicatam.

§ 58. Piae memoriae Pius Papa IV, similiter praedecessor noster, singulas Pii II, Pauli, Sixti, Iulii, Leonis et Clemen, *etc.* [3].

Hic modo Pontifex Pius V antedictas constitutiones approbat;

§ 9. Cum autem statim ubi nos ad summi apostolatus apicem, divina cooperante providentia, assumpti fuimus, ob earumdem literarum non observationem, in eisdem civitatibus, terris et locis, ac etiam in alma Urbe nostra varias dissensiones, discordias et odia vigere, latrocinia et homicidia aliaque nefandissima crimina perpetrari, ac praefatos Pium II, Paulum, Sixtum, Iulium, Leonem, Clementem ac Pium IV praedecessores, pro felici ac tranquillo statu et commodo personarum tam dictae Urbis quam aliarum civitatum, terrarum et locorum praedictorum, praemissa statuisse, ordinasse et peregisse perspexerimus. Idcirco nos quoque, eadem ratione, quietis videlicet ac pacis, moti, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, ac de illorum unanimi consilio et assensu, singulas Pii II, et Pauli, ac Sixti, necnon Iulii, et Leonis, Clementis, et Pii IV, praedecessorum; literas huiusmodi, cum statutorum, ordinationum, extensionum, ampliationum, revocationum, cassationum, irritationum, annullationum, decretorum, confiscationum, incorporationum, applicationum, voluntatum, hortationum, requisitionum et mandatorum, omnibusque et singulis aliis in eis respective contentis clausulis, apostolica auctoritate praedicta, tenore praesentium, approbamus, confirmamus et innovamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ab omnibus et singulis, quos illae concernunt penitus, ac sub praedictis per contrafacientes irremissibiliter incurrendis poenis observari volumus atque decernimus.

Communitatesque obligat ad refectionem damnorum

§ 10. Easdemque literas, ad hoc ut si homicidae, sicarii, banniti, in civitatibus, terris, castris et locis praedictis, cuiquam damna aliqua intulerint, ipsique, damnis taliter illatis, a civitatum communitatibus, ac terrarum, castrorum et locorum huiusmodi universitatibus capti et deprehensi non fuerint, sed taliter delinquentes impune evaserint, communitates ac universitates huiusmodi (praeter hoc quod ad damnorum quorumcumque sic illatorum parti laesae, damnaque huiusmodi patienti, eorumque haeredibus plenariam restitutionem et satisfactionem omnino teneantur) ad tantumdem, quantum damna illata huiusmodi aestimata fuerint, Camerae Apostolicae realiter et cum effectu persolvendum omnino sint adstricti, auctoritate et tenore praefatis, extendimus et ampliamus.

Communitates bannitos capere studeant

§ 11. Mandantes eisdem communitatibus et universitatibus quatenus ipsae, in virtute sanctae obedientiae, et sub maioris excommunicationis ac aliis nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici be-

1 Praetereo insertionem bullae Leonis X, *Omnes*, quia ipsa est in tom. v, pag. 757. 2 Non pono hic istam bullam Clementis VII, *In Sancta*, quia habes eam tom. vi, pag. 69. 3 Praetereo hanc bullam Pii IV, *In eminenti*, siquidem habes ipsam superius, pag. 102

nevisis poenis, eosdem sicarios et bannitos in eorum civitatibus, terris, castris et locis commorantes seu per eas et ea transeuntes, capere, et ad populum convocandum et coadunandum campanas pulsare, eosque sic captos ad carceres conducere aut curiae temporali consignare omnino teneantur.

Executores huius constitutionis deputat;

§ 12. Quocirca dilectis filiis Vitellotio Sanctae Mariae in Via-Lata, Romanae Ecclesiae camerario, et Camerae praefatae thesaurario, praesidentibus, clericis ac universis et singulis legatis et vicelegatis provinciarum nostrarum et aliis rectoribus ac officialibus civitatum, terrarum et partium praedictarum, nobis et dictae Sedi mediate vel immediate subiectarum, districte praecipiendo mandamus quatenus praesentes literas solemniter in singulis provinciis, civitatibus, terris et locis praedictis publicari, necnon omnia et singula in eis contenta inviolabiliter observari faciant et mandent. Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus et praeeminentiae fuerint, sententias, censuras et poenas praefatas damnabiliter incurrisse declarent, et declarationem huiusmodi per eos faciendam in libris maleficiorum conscribi et adnotari mandent et faciant. Necnon capitales praefatas sententias a ministris iustitiae, absque alicuius incursu irregularitatis, exequi procurent, ac realiter et irremissibiliter exigant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Necnon, pro exactione poenarum pecuniarum huiusmodi, contra communitates et universitates, ac in eorumdem inobedientium in temporalibus dominorum vassallos, propter eorum huiusmodi inobedientiam, repraesalias concedant, necnon et cum effectu exequi faciant. Attentius hortantes et requirentes in Domino barones et domicellos ac in temporalibus dominos dicti regni, necnon illius provinciarum, civitatum et locorum gubernatores et officiales pro tempore existentes, ut praefatos homicidas et fautores et complices capiant et capi procurent, captosque ad praesides nostrarum provinciarum, unde ipsi homicidae, fautores et complices originem traxerunt, conduci, et eis realiter consignari similiter cum effectu faciant.

Clausulas derogatorias apponit;

§ 13. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis, quae dicti praedecessores in praefatis eorum literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuscumque aliis privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, super recipiendis bannitis, homicidis et brigosis ac aliis praedictis, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quae, quoad hoc, cuiquam nolumus ullatenus suffragari.

Formam et effectus publicandi adiicit.

§ 14. Volumus autem quod praesentes literae nostrae, postquam in valvis basilicae Principis Apostolorum et in Campo Floræ de Urbe affixae fuerint, omnes et singulos cives Romanos et alios in Urbe commorantes, effluxis quindecim diebus; alias vero duces, comites, marchiones, domicellos, barones et alios temporales dominos et vicarios, communitates et universitates civitatum, terrarum et locorum Sedi praefatae mediate et immediate subiectorum huiusmodi, decurso mense, arctent; et contrafacientes poenas praefatas incurrant in omnibus et per omnia, per

inde ac si eis omnibus et singulis contrafacientibus personaliter et particulariter intimatae fuissent. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, tertio nonas iulii, pontificatus nostri anno I.

Subscriptio PP. † Ego Pius catholicae Ecclesiae episcopus.
† Io. cardinalis Moronus, episcopus Portuensis.

Subscriptiones cardinalium. † Ego Io. Mi. cardinalis Saracenus.
† Ego Io. cardinalis Politianus.
† Ego Io. Bapt. Cicada, cardinalis S. Clementis.
† Ego B. cardinalis Tranensis.
† Ego Io. cardinalis Capisuccus.
† Ego Iac. cardinalis Sabellus.
† Ego Marcus Ant. cardinalis Columna.
† Ego Ptolomaeus cardinalis Comensis.
† Ego Aloysius cardinalis de Padua.
† Ego Zacharias cardinalis Delphinus.
† Ego Marcus Antonius cardinalis Robba.
† Ego Francisc. Ab. cardinalis Constantiensis.
† Ego Io. Ant. cardinalis S. Gregorii.
† Ego Aloysius cardinalis Cornelius.
† Ego Lud. cardinalis Simoneta.
† Ego Ant. cardinalis Granuelanus.
† Ego F. cardinalis Pacieco de Toledo.
† Ego Io. Franc. cardinalis de Gambara.
† Ego Innicus Avalus cardinalis Aragonensis.
† Ego Guido cardinalis Vercellensis.
† Ego Benedictus Lomellinus.
† Ego G. cardinalis Sirletus.
† Ego Hier. cardinalis Simoncellus.
† Ego F. cardinalis Alciatus.

Publicatio. Anno a nativitate Domini MDLXVI, indict. IX, die XVII mensis augusti, pont. sanctis. in Christo patris et domini Pii divina providentia Papae V anno primo, suprascriptae literae apostolicae lectae, affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Florae, dimissis illarum copiis affixis, per nos Bernardinum Andreutium et Ioannem Andream Rogerium, apostolicos cursores.

Iulius Parmius magister cursorum.

Dat. die 5 iulii 1566, pontif. anno I.

Sequitur ampliatio poenarum contra fautores bannitorum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Indefessa pastoralis nostrae providentiae sollicitudo, ad ea potissimum diligenter intendit, per quae omnes christifideles, praesertim subditi et S. R. E. devoti, et peculiares filii quiete et pacifice vivere valeant. Unde nos in his nostrae provisionis remedium libenter adhibemus, ac poenas adiicimus, ut, si non pacis cupidine, saltem formidine poenae, mandata apostolica, ad ipsorum subditorum nostrorum tranquillitatem spectantia, debite serventur et alias desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Exordium.

§ 1. Cum itaque (sicut non sine gravi animi nostri molestia nuper accepimus) diversae Status Ecclesiastici et dominii nostri temporalis personae, posthabitis et neglectis constitutionibus et mandatis tam a nobis quam etiam aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris emanatis, homicidas, rebelles, latrones publicos, grassatores viarium, ac in poenam capitis bannitos et alios facinorosos homines in suis locis receptare ac tenere, eisque diversimode favere, consiliumque et auxilium praestare non reformident, in non modicum apostolicorum mandatorum contemptum, plurimamque eorumdem subditorum nostrorum perturbationem et offensionem. Causa huius constitutionis.

§ 2. Nos igitur, ad quos, pro universalis nostrae administrationis munere, praecipue pertinet inconvenientibus huiusmodi Ampliatio poenarum in auxiliatores praedictorum ban-

nitorum in futurum.

et scandalis, quae exinde quotidie proveniunt, omni diligentia nostra obviare, in praemissis, quantum cum Deo possumus, opportune matureque providere volentes, motu proprio et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, praeter alias contra talia perpetrantes a nobis iam factas constitutiones, hac nostra perpetuo valitura sanctione et constitutione statuimus, ordinamus, volumus, decernimus et declaramus quod quicumque subditi nostri et ipsius Romanae Ecclesiae, cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis et præeminentiae existentes, etiam si barones, domicelli et feudatarii nostri fuerint, aliquos homicidas, rebelles, publicos latrones, grassatores viarum, ac in poenam capitis bannitos et quoslibet alios facinorosos homines, illorumque adhaerentes, fautores et complices de cetero in suis locis receptaverint aut tenuerint, poenis confiscationis omnium bonorum ac demolitionis domorum suarum et exilii perpetui, una cum totis eorum familiis, ultra alias poenas tam in nostris quam eorumdem praedecessorum nostrorum desuper confectis literis contentas (quas contrafacientes eo ipso incurrere volumus), per dilectos filios gubernatores, officiales ac iustitiae ministros provinciarum, civitatum, terrarum et locorum nobis et dictae Romanae Ecclesiae subiectorum (quibus ut praesentes nostras literas omnino exequantur, sub indignationis nostrae pœna, districte praecipimus) irremissibiliter afficiantur, plectantur et puniantur, afficique et puniri debeant.

Declaratio quoad receptores praeteritos.

§ 3. Qui vero praefatos homicidas, rebelles, publicos latrones, viarum grassatores, in poenam capitis bannitos et facinorosos homines hucusque in locis suis receptaverint aut tenuerint, in exilium, una cum ipsorum familiis, ad varia loca per ipsos gubernatores, officiales ac iustitiae ministros declaranda et statuenda (data per eos idonea cautione de huiusmodi exilio servando) mittantur et relegentur. Decernentes praeterea super praemissis procedi posse per accusationem, delationem, inquisitionem et alio quovis modo.

Clausula sublata.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia (sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis et saepius innovatis, quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda esset, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Ceterum, quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca, in quibus opus fuerit, deferri, volumus etiam ac decernimus quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, XVIII kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

Sequitur mandatum quotannis dictam bullam publicandi.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Praeceptum publicandi hanc bullam anno quolibet et asservandi in archiviis.

§ 1. Cum nos nuper, pro nostri pastoralis officii sollicitudine, ad pacem et quietem in universo Statu nostro Ecclesiastico inducendam et conservandam, mala extirpanda, ac civitates, terras et loca nostra sicariis et aliis nefariis hominibus expurganda, quasdam nostras sub plumbo desuper confectas literas contra homicidas, bannitos et alios facinorosos, eorumque receptatores, adhaerentes et fautores publicari fecerimus; volentesque literas huiusmodi ab omnibus, quos ipsae concernunt, inviolabiliter observari, nec inobedientes ullo modo sese excusare possint, motu proprio et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus, ordinamus, ac, sub indignationis nostrae et mille ducatorum Camerae Apostolicae applicandorum per contrafacientes eo ipso incurrendis poenis, districte praecipimus et mandamus quod quaelibet communitas, universitas et populus quarumcumque civitatum, oppidorum, terrarum, castrorum et locorum nobis et S. R. E. mediate vel immediate subiectorum, statim cum dictae nostrae literae, si [1] earum transumptum impressum ad eos pervenerit, convocato eorum publico consilio, in praesentia officialium, syndicorum et curam maleficiorum habentium, eas ibi, alta et intelligibili voce, etiam vulgari sermone illas declarando, ut melius et facilius ab omnibus percipi possint, legi facere, et deinde in eorum archivio publico diligenter custodiri curare omnino debeant. Ac successive singulis annis in principio cuiuslibet anni, perpetuis futuris temporibus, similiter, ut praefertur, easdem literas in eorum publico consilio legendo reiterare teneantur.

1 Legimus *seu* (R. T.).

Contravenientium poenae.

§ 2. Quod si (quod non credimus) ab aliquibus praetermissum vel contraventum fuerit, volumus, et sub excommunicationis et aliis arbitrii nostri poenis etiam mandamus quod loci gubernator, rector et quilibet alius iustitiae minister, quocumque nomine nuncupatus, contra statutum et ordinationem nostram huiusmodi non observantes ad executionem poenarum praedictarum, sine mora, irremissibiliter procedat, ut quos obedientiae bonum ad mandatis nostris parendum non adducit, poenarum saltem metus a contraveniendo absterreat. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 3. Praeterea volumus praesentium literarum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, plenam et indubiam fidem aeque ac originalibus ipsis adhiberi debere.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die quarta septembris millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, pontificatus nostri anno I.

XV.

Confirmatio statutorum et ordinationum in synodo provinciali Mediolanensi circa mores personarum ecclesiasticarum eiusdem provinciae [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Inter omnes apostolicae servitutis nobis iniunctae sollicitudines, quae mentem nostram incessanter exercent, illa frequen-

1 Ex Regest. in Secr. Brevium.

tior occurrit ut ordinationes et statuta, quae circa iam dudum labascentis et pene convulsae disciplinae ecclesiasticae restitutionem prudenter edita fuisse cognoscimus, ab omnibus ipsius Ecclesiae ministris obedienter recipi et indifferenter observari procuremus.

S. Carolus Borromaeus synodum Mediolanensem celebrat.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, nuper in provinciali synodo Mediolanensi, dilecto filio nostro Carolo tituli Sanctae Praxedis, presbytero cardinali Borromaeo nuncupato, qui ecclesiae Mediolanensi ex concessione et dispensatione apostolica praeesse dignoscitur, illi praesidente, quam plurima saluberrima statuta et decreta, ad mores dilectorum filiorum cleri saecularis totius provinciae Mediolanensis reformandos pertinentia, et praesertim honestatem, decorem, reverentiam, ornamenta ecclesiastica, necnon locum, tempus, modum aliasque circumstantias in ecclesiasticorum sacramentorum administratione, missarumque celebratione observanda, ac sepulturas, funeralia, processiones, verbi Dei conciones seu praedicationes, repraesentationes, exuviarum decentiam, vitae honestatem, frugalitatem, morum correctionem et moderationem, archivia et alia ad scripturarum, iurium et aliorum bonorum ecclesiasticorum conservationem, necnon fructuum, redditiuum et proventuum ecclesiasticorum dispensationem pertinentia, non minus religiose quam sapienter ordinata fuerint, quae, cum non solum licita et honesta, sed etiam ecclesiasticae rei plurimum utilia et apprime laudabilia existant, ab omnibus Dei ministris aequaliter expedit observari.

Eius statuta et canones confirmat Pius et ab omnibus executioni mandari praecipit.

§ 2. Hinc est quod nos, bonorum civium utilitati, honestatique reipublicae nunquam refragari, sed sanctis patriae legibus libenter obtemperare debere considerantes, ac eorum statutorum et decretorum praedictorum, documentorumque desuper confectorum et inde secutorum tenores, de quibus plenam et distinctam informationem a praedicto Carolo cardinale oretenus nobis factas accepimus, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio et ex certa scientia nostra, omnia et singula statuta, ordinationes et decreta in particulari synodo Mediolanensi, sic ut praefertur, edita et publicata, ac, prout illa concernunt, in dictis documentis contenta, in omnibus et singulis ecclesiis, prioratibus, praeposituris, hospitalibus et aliis piis locis ecclesiasticis saecularibus vel etiam regularibus commendatis, etiam nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectis, etiam nullius dioecesis, aut alias quomodocumque exemptis, in universa provincia praedicta constitutis, ac per quoscumque eorum ecclesiarum et locorum praelatos, abbates, priores, praepositos, rectores, superiores, ministros, capitula, canonicos et personas saeculares, aut illa ex concessione vel dispensatione apostolica in commendam aut administrationem obtinentes, etiamsi dictae Sedis notarii, acoliti, cappellani ac Romanae Curiae officiales, etiam officia sua actu exercentes, etiam familiares nostri et continui commensales, etiam vere et antiqui aut alias in nostris seu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et praedictae Sedis servitiis et obsequiis insistentes existant, quos omnes, ratione beneficiorum quorumcumque personalem residentiam requirentium, in dicta provincia per eos quomodolibet obtentorum et obtinendorum, sub sententiis, censuris et poenis a concilio Tridentino, aliisque sacris canonibus contra non residentes latis et impositis, ad personalem residentiam districte per locorum ordinarios seu eorum in spiritualibus vicarios generales dictae provinciae cogi et compelli volumus; nec eis constitutionem felicis recordationis Eugenii PP. IV, praedecessoris nostri, in favorem curialium

dictae Sedis editam, ac quaecumque privilegia et indulta apostolica, etiam per nos ad id illis, in genere vel in specie, quomodolibet concessa, desuper suffragari intelligimus, vel alias quomodolibet exemptos ac nobis et dictae Sedi, ut praefertur, immediate subiectos, etiamsi nullius dioecesis esse dicantur, dummodo tamen de praedicta provincia existant, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, conditionis et praeeminentiae fuerint, in omnibus et per omnia integre, ac sub sententiis, censuris et poenis in eis forsan contentis, recipi et admitti, observari, praestari et debitae executioni demandari, nec quempiam se ab eorum observatione, cuiusvis exemptionis, immunitatis, privilegii nec alio praetextu, excusare debere, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Eadem statuta ad omnes ecclesias monasteria etc. extendit;

§ 3. Dictaque provincialia statuta et ordinationes et decreta ad ecclesias, monasteria et alia loca, ac eorum superiores, capitula et alias personas saeculares huiusmodi extendimus et ampliamus.

Ab eorum superioribus publicari mandat;

§ 4. Universis eorumdem ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, praeposituarum, aliorumque locorum praelatis, superioribus et capitulis praedictis, in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo, mandantes quatenus eadem provincialia statuta, ordinationes et decreta, iuxta eorum formas et tenorem, in suis ecclesiis, monasteriis et aliis locis publicent et publicari, ac per eorum capitula, canonicos aliasque personas saeculares huiusmodi integre observari faciant; alioquin si, super hoc per locorum ordinarios moniti, in praemissorum executione et observatione cessaverint, illamve locorum ordinarii distulerint, seu alias neglexerint, ipsum metropolitanum vel generalem eius in spiritualibus vicarium negligentiam seu dilationem dictorum ordinariorum omnino supplere volumus, committimus et mandamus.

§ 5. Necnon eosdem superiores, praelatos ac commendatarios, capitula, canonicos et personas saeculares praedictas ad praemissorum omnium observationem teneri et efficaciter obligatos esse, censurisque et pœnis, tam ecclesiasticis quam pecuniariis, praedicti Caroli cardinalis ac pro tempore existentis archiepiscopi Mediolanensis aut eius in spiritualibus vicarii generalis arbitrio moderandis et applicandis, ad id compelli posse.

Ad eorum observant. compelli posse decernit poenis spiritualibus et corporalibus;

§ 6. Sicque per quoscumque iudices et commissarios et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Sic ab omnibus iudicandum esse statuit;

§ 7. Non obstantibus exemptionibus et immunitatibus aliisque praemissis, necnon Eugenii praedecessoris huiusmodi aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum et locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis earumque praelatis, capitulis, superioribus et personis, aliisque praemissis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam iteratis vicibus, etiam per nos, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis

Obstantibus derogat;

alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI iunii MDLXVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 iunii 1566, pontif. anno I.

XVI.

Confirmatio litterarum Iulii II et Leonis X contra dominos locorum et communitates non custodientes eorum territoria, ne venientes ad Urbem et recedentes derobentur [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Proœmium.

Exigit apostolicae servitutis officium, quo fungimur, ut ea quae hactenus a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, maxime pro venientium ad hanc almam Urbem, et ab ea recedentium securitate, sancita sunt, confirmentur, seu, quatenus expediat, innoventur et extendantur, prout diversis occasionibus conspicitur salubriter expedire.

Iulius II et Leo X constitutiones super hoc ediderunt.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Iulio PP. II et Leone X, praedecessoribus nostris, emanarunt literae huiusmodi sub tenore, videlicet:

Leonis X bulla recensetur.

§ 2. Leo episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis providentia circumspecta praedecessorum suorum gesta, quae praecipue pro venientium ad almam Urbem totius orbis caput et recedentium ab ea securitate et commodo facta sunt, pensatis opportunis occasionibus, innovat atque extendit, prout conspicit in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem a felicis recordationis Iulio PP. II, praedecessore nostro, emanarunt litterae, in forma brevis tenoris subsequentis:

In qua legitur constitutio Iulii II.

§ 3. Iulius Papa II dilectis filiis baronibus et domicellis ac communitatibus et universitatibus terrarum et castrorum eorumdem, necnon aliis civitatibus et universitatibus oppidorum et terrarum S. R. E. mediate vel immediate subiectis, salutem et apostolicam benedictionem. Quia nihil est quod magis expediat nostrae almae Urbis et Curiae ac ceterorum subditorum S. R. E. quieti et regimini, quam quod euntes et redeuntes ad eandem ac ceteras terras eiusdem S. R. E. secure et libere, sine incursione, offensione et invasione latronum, furum ac sicariorum et aliorum male viventium, stare, ire et redire possint et valeant, ac propterea, tam de iure communi quam ex specialibus ordinationibus felicis recordationis Pauli II et Sixti IV, nostri secundum carnem patrui, ac Innocentii VIII et Alexandri VI, praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, statutum fuerit ut omnes barones et domicelli et universitates castrorum eorumdem ac civitates et ceterae terrae et oppida, S. R. E. mediate et immediate subiecti et subiectae, eorum terras, oppida, villas et territoria quaecumque a dictis latronibus, sicariis, furibus et aliis delinquentibus custodirent et secura ac libera facerent, alias ad emendationem omnium damnorum et rerum subtractarum tenerentur et obligarentur; idcirco, praedecessorum nostrorum vestigia insequentes, pro pace et quiete dictae Urbis et omnium terrarum praedictarum, omniumque incolarum et venientium ad easdem securitate, vobis omnibus et vestrum cuilibet tenore praesentium expresse mandamus ut vestras terras, communitates, universitates, villas et castra ac territoria omnia a praefatis viris facinorosis, latronibus, furibus, sicariis et aliis delinquentibus a die intimationis praesentium earumdem secura et libera teneatis, reservetis et custodiatis. Quod si secus feceritis, tam poenas iuris quam

1 Ex impresso typis R. C. A.

alias poenas et censuras a praedecessoribus nostris praedictis super his promulgatas ipso facto vos et quemlibet vestrum incurrere decernimus et declaramus. Mandantes insuper venerabili fratri Raphaeli, episcopo Albanensi, camerario nostro ac dilectis filiis clericis et praesidentibus Camerae Apostolicae, necnon almae Urbis senatori et aliis officialibus, legatis et gubernatoribus provinciarum, civitatum, terrarum et locorum eiusdem S. R. E. quatenus ad enunciationem et querelam eorum, qui invasi, spoliati aut aliquod aliud damnum ab huiusmodi latronibus, furibus et sicariis passi fuerint, pro satisfactione eorum, ad declarationem dictarum poenarum et emendationem dictorum damnorum, iuxta formam et tenorem constitutionum praedictarum, et praesertim constitutionis et ordinationis praefati Alexandri VI praedecessoris nostri, via executiva procedant et procedere debeant; alioquin, ubi requisiti fuerint et illa exequi neglexerint, tam ipsos quam vos et vestrum quemlibet ad emendationem dictorum damnorum teneri volumus, decerninus et declaramus, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die octava novembris MDIV, pontificatus nostri anno I.

Constitutionem Iulii II confirmat Leo X cum clausulis necessariis.

§ 4. Nos itaque, cupientes literas praedictas pro venientium ad almam Urbem et ab ea recedentium tutela et commodo inviolabiliter observari, motu proprio et ex certa nostra scientia, literas praedictas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, innovamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, illasque perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere decerninus. Et insuper, cum huiusmodi furta, delicta et derobationes fiant in silvis, nemoribus, latebris et in locis occultis et secretis, non adhibitis nec praesentibus testibus, adeoque sine maxima difficultate per ipsos spoliatos et derobatos furta et valor rerum subtractarum et ablatarum probari non possint, statuimus et ordinamus quod, quoad probationem bonorum subtractorum et eorum valorem stetur declarationi praefatorum praesidentium et clericorum ipsius Camerae Apostolicae, qui, diligenter considerata qualitate personarum spoliatarum et derobatarum, exposita quantitate furtorum, et aliis circumstantiis et coniecturis, recepto iuramento ipsarum personarum derobatarum seu mercatorum, quorum bona ablata existebant, super quibus praefatorum praesidentium et clericorum conscientiam oneramus, furtum et eius valorem declarare debeant; et quod, si derobatio seu furtum in confinibus diversorum territoriorum, diversarum communitatum seu dominiorum, vel iuxta huiusmodi confines[1] derobatus contra dominum territoriorum praedictorum aut communitatem, quam et quem elegerit, ad recuperationem rerum sibi ablatarum agere possit, et valeat ab actione, quam ipse derobatus intentaverit, discedere, si ei placuerit, et contra alium agere licite possit (cum domini confinium praedictorum illos non custodiendo in praemissis culpa non careant), reservato tamen solventi iure agendi contra tertios. Et ut, quantum fieri potest, occasio crassandi et derobandi sublata esse videatur, eisdem motu et scientia ac tenore praecipimus et mandamus, sub duorum millium ducatorum Cameræ Apostolicae applicandorum poenis similibus, omnibus et singulis ante dictis, ne fures, latrones et crassatores in silvis et sepibus latibula faciant, nec ibi se abscondere possint, ut prope vias publicas utrinque ad medium miliare arbores et sepes et quaecumque latibula incidere seu incidi, ac amovere seu amoveri et extirpari facere, infra duos menses a die publicationis praesentium computandos, et sic in-

1 Add. forte *fieri contingat* (R. T.).

cisas conservare et manutenere omnino teneantur et debeant. Sicque per clericos dictae Camerae, ac quoscumque alios iudices et commissarios, etiam S. R. E. cardinales et sacri Palatii Apostolici causarum auditores, iudicari ac definiri et exequi debere, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, decernimus summarie et absque iudicii tela. Mandantes propterea eisdem Raphaeli episcopo et camerario, ac praesidentibus et clericis pro tempore existentibus, ut praemissa omnia et singula ab omnibus inviolabiliter observari faciant, et contrafacientes ad illorum observationem per supradictas pœnas, iuxta stilum ipsius Camerae, compellant. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu unius clerici et unius notarii eiusdem Camerae subscriptis, eadem prorsus fides indubia adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis, commonitionis, decreti, statuti, ordinationis, onerationis, praecepti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octavo, kalend. septembris, pontificatus nostri anno VI.

Supradictas bullas renovat Pius.

§ 5. Nos igitur, cupientes praeinsertas literas, pro venientium ad hanc almam Urbem, quae caput est totius orbis, et recedentium securitate et commodo, inviolabiliter observari, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, literas praedictas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac perpetuae firmitatis robur adiicimus, seu, quatenus opus sit, innovamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus, illasque perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere decernimus.

Barones et communitat. tenentur solvere quantum cuilibet fuerit ablatum.

§ 6. Et insuper, ut barones, domini locorum et communitates praedictae diligentius eorum territoria et loca praedictis latronibus expurgata praeservent, volumus, statuimus et ordinamus quod, quotiescumque alicui seu aliquibus aliquid derobatum et furto subtractum fuerit in eorumdem territoriis et confinibus, ultra refectionem damnorum et rerum derobatarum, ut praefertur, teneantur, et quilibet eorum seu earum communitatum teneatur ad tantumdem Cameræ Apostolicæ, loco poenae, tam a iure quam a quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quomodolibet inflictas, quantum a dilecto filio nostro Vitellotio Sanctae Mariae in Via-Lata diacono cardinali Vitellio, S. R. E. camerario, ac praesidentibus et clericis ipsius Camerae et non aliis parti derobatae restituendum fore declaratum fuerit, ad cuius declarationis executionem statim, absque aliqua appellatione, contra barones, dominos locorum et communitates praedictas deveniri debere mandamus.

Sicque praecipit iudicari;

§ 7. Sicque per eumdem cardinalem camerarium ac quoscumque alios iudices et commissarios, etiam S. R. E. cardinales et sacri Palatii Apostolici causarum auditores, iudicari ac definiri et exequi debere, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, decernimus summarie et absque alia tela iudiciaria.

Camerarium deputat executorem.

§ 8. Mandantes propterea eidem Vitellotio cardinali camerario ut praemissa omnia et singula ab omnibus inviolabiliter observari faciat, et contrafacientes ad illorum observationem, sub poenis praedictis quoquomodo ac omnibus iuris et

facti remediis, agat et compellat, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Praesentium sola signatura sufficit.

§ 9. Volumus autem quod praesentis motus proprii sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula quacumque seu constitutione apostolica in contrarium faciente non obstantibus.

Placet, motu proprio. M.

Dat. die 8 iunii 1566, pontif. anno v.

XVII.

Causarum Curiae Camerae Apostolicae generalis auditoris facultates procedendi contra archiepiscopos, episcopos ceterosque praelatos in suis ecclesiis et dioecesibus minime residentes [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Pius IV auditori Cam. Ap. commisit ut declararet non residentes incurrisse poenas a concilio Tridentino contra tales statutas.

§ 1. Cum alias per felicis recordationis Pium quartum, praedecessorem nostrum, iuxta formam concilii Tridentini et aliarum bullarum emanatarum, tam ab ipso Pio, praedecessore nostro, quam aliis Romanis Pontificibus, motu proprio, cuius tenores pro expressis haberi volumus, ex ipsius certa scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, fuerit mandatum dilecto filio Alexandro Riario, nostro et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ut omnes episcopos, archiepiscopos, patriarchas et alias ecclesiasticas personas, curam animarum habentes non residentes, poenas in dicto concilio et bullis contentas incurrisse declararet, et ad illarum effectum executioni demandarentur per eumdem Alexandrum, auditorem nostrum.

Pius V eidem committit ut contra contumaces procedat

§ 2. Et ut, ne de eius iurisdictione in posterum dubitari contingat, denuo eidem auditori nostro auctoritate nostra committimus et mandamus quatenus statim, tam contra episcopos, quam archiepiscopos et alios quoscumque praefatos, tam in Urbe quam alibi et ubique locorum existentes, et in propriis dioecesibus non residentes, constito sibi quantum sufficere videbitur, summarie, simpliciter et de plano, sola veritate inspecta, et manu regia de inobedientia propria usque ad sententiam exclusive procedat.

ad sententiam exclusive;

Se autem ad privationis sententiam processurum declarat;

§ 3. Et deinde nobis referat, ut nos in consistorio nostro secreto, de fratrum nostrorum consilio, ut moris est, ad sententiam privationis et depositionis praelatorum inobedientium huiusmodi procedere valeamus, prout procedere intendimus.

Eidem auditori facultatem concedit procedendi contra habentes curam animarum;

§ 4. Quo vero ad alios curam animarum habentes usque ad sententiam inclusive procedat, et exequatur iuxta formam et tenorem dicti concilii et literarum nostrarum praefatarum cum eisdem facultatibus, ut supra, et alia faciat et exequatur, prout in dictis literis sive bullis continetur, cum potestate citandi, inhibendi, excommunicandi, suspendendi a divinis, declarandi, interdicendi, aggravandi, reaggravandi, carcerandi et brachium saeculare decernendi, relaxandi et exequendi, aliaque faciendi necessaria quomodolibet et opportuna.

Obstantibus derogat;

§ 5. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Praesentium solam signaturam sufficere declarat.

§ 6. Et quod praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat, ac ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria et aliis quibuscumque, quibus omnibus expresse derogamus, non obstantibus.

Die decima iunii MDLXVI.

Placet, motu proprio. M.

Dat. die 10 iunii 1566, pontif. anno I.

---

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

XVIII.

Declarationes circa allegationem novae causae, in casu fractae pacis vel treguae; admissionemque reorum in contumaciam condemnatorum in Statu Ecclesiastico ad faciendas defensiones, infra vel post annum; necnon circa praeventionem inter iudicem ecclesiasticum et laicum in causis mixti fori.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Cum, ob innumeras Romani Pontificis occupationes, ac particularium rerum quarumlibet Status ignorantiam, contingat ab eo quandoque literas emanare, quae in magnum aliquorum praeiudicium redundare noscuntur, minime reprehendendum esse videtur, si tandem, praeiudicio cognito, literas huiusmodi, etiam si per eius praedecessorem emanaverint, tamquam per inadvertentiam editas, revocat et limitat, aliasque desuper disponit, prout, rerum et temporum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire.

Pius IV allegationem novæ causae prohibuit, in casu pacis et treguæ fractae,

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa quartus praedecessor noster, cupiens criminibus et excessibus, qui in dies oriebantur, providere, per quasdam suas in forma motus proprii editas literas, inter alia, statuit quod, in causis treguarum et pacis fractarum, ipsi fractores vel eorum fideiussores allegare non possent quod offensa ex nova causa processisset, nec allegata cuiquam suffragaretur.

Et in causis mixtis iudicum praeventionem.

§ 2. Et etiam quod in causis mixtis inter iudicem ecclesiasticum et laicum locus sit praeventioni, ita tamen quod iudex ecclesiasticus in casu praeventionis non possit procedere contra laicum, sed illum debeat remittere ad iudicem laicum, et alias prout in eisdem literis plenius continetur.

Hic Pontifex declarat prohibitionem quoad principales tantum procedere, non autem quoad comprehensos;

§ 3. Nos, considerantes a ratione et iuris debito alienum esse eos, qui criminis innoxii fuerint, eorumque fideiussores, si treguae, pax seu fideiussiones de non offendendo, postea ex nova emergente occasione fractae fuerint, earum occasione gravari debere, cum praecipue paces, treguae seu fideiussiones huiusmodi de non offendendo, non ad offensionem ex futuris causis, sed ex praeteritis tantum oriantur, literas praefatas, quoad praemissa, revocantes, cassantes et moderantes, effectumque suum sortiri in praemissis non posse decernentes, motu simili, *etc.*, novam causam, in pacis, treguarum seu fideiussionum huiusmodi fractione, principales tantum, videlicet qui fuerunt causa pacis, treguarum seu fideiussionum de non offendendo huiusmodi factarum seu faciendarum, praestitarum seu praestandarum, si ipsi aliquo modo, seu aliquis eorum in dictis fractionibus intervenerint seu intervenerit, videlicet si aliquis ex dictis principalibus aliquem ex comprehensis in pace, tregua seu fideiussione de non offendendo offenderit, vel ipse ab aliquo ex ipsis comprehensis offendatur, non excusare. Si vero supradicti principales, seu aliquis eorum in fractione pacis, treguae seu fideiussionis huiusmodi ut supra non intervenerint seu intervenerit, ipsos eorumque consanguineos et fideiussores, ceterosque in pace et tregua seu fideiussione de non offendendo comprehensos, et quemlibet eorum novam causam huiusmodi allegare posse, et ea probata, excusari debere, et quoquomodo gravari, perturbari aut inquietari non posse neque debere; idque tam in causis motis et indecisis pendentibus, quam etiam finitis, et in quibus etiam pronunciatum fuit (dummodo sententiae desuper latae totaliter non sint executioni demandatae), locum sibi vindicare posse et debere declaramus.

Contumacibus dat annum ad comparendum;

§ 4. Cumque etiam saepe contingat partes ipsas, contra quas in contumaciam procedi consuevit, vel ita negociorum mole

gravari, vel ita longe abesse, ut ipsorum contumaciam sex mensium spatio eiusmodi expugnare minime queant, terminum sex mensium huiusmodi ad annum prorogamus, ac contumacibus huiusmodi defensiones, nonnisi post anni elapsi terminum, denegari debere; ac quascumque aliter quam ut praemittitur ferendas sententias, nullas, inanes, nulliusque roboris et momenti fore et esse, prout nos eas ex nunc, tamquam contra iuris debitum et de facto latas, annullamus, cassamus et irritamus.

Praeventionemque ad iuris et concilii Triden. terminos reducit.

§ 5. Quo vero ad praeventionem inter iudicem ecclesiasticum et laicum, declaramus illam habere locum in terminis et statu, prout ante dictum motum proprium erat, ac ipsum ad terminos iuris in hoc reducimus; et volumus ut in praeventionibus procedatur iuxta formam iuris et sacrorum decretorum concilii Tridentini, et non alias, aliter, nec alio modo.

Decretum irritans.

§ 6. Sicque et non aliter per quoscumque iudices *etc.*, etiam S. R. E. cardinales, ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata *etc.*, iudicari debere; irritum quoque *etc.*, auctoritate apostolica, tenore praesentium statuimus et decernimus.

Iudices et notarii haec observent.

§ 7. Et nihilominus, pro potiori praemissorum validitate, omnibus et singulis iudicibus, tam ordinariis quam delegatis et subdelegatis, ac eorum locatenentibus et notariis, sub excommunicationis maioris, ac indignitatis nostrae, officiorumque suorum privationis poenis, ne contra praemissa aut illorum aliqua facere et attentare praesumant, districtius inhibemus.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque civitatum, provinciarum et locorum, etiam iuramento, *etc.* roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis universitatibus, communitatibus et hominibus provinciarum, civitatum et locorum praedictorum quomodolibet concessis *etc.* Quibus omnibus *etc.*, etiam si de illis *etc.*, illorum tenores *etc.*, hac vice latissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat, motu proprio. M.

PP. subscr.

Clausularum repetitio.

§ 9. Et de revocatione, cassatione, declaratione, reductione, voluntate, prorogatione, annullatione, irritatione, statuto et decreto, inhibitione, derogatione et aliis praemissis, quae hic pro simul vel ad partem repetitis habeantur, latissime extendendis; et quod praemissorum omnium et singulorum, et praesertim praesentibus contrariorum, tenores pro sufficienter expressis habeantur.

Sola sufficiat signatura.

§ 10. Et quod praesentis motus proprii, etiam absque data et registratura, sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria non obstante.

Fides exemplorum.

§ 11. Eiusque transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Quando litteræ obligare incipiant.

§ 12. Quodque in Camerae et Cancellariae Apostolicae, ac Audientiae causarum Palatii Apostolici valvis, et in acie Campi Florae, dimissis copiis affixis, post mensem a die affixionis huiusmodi computandum, omnes ita afficiant et arcent, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Fiat. M.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini MDLXVI, indictione IX, die vero XX mensis iunii, pont. sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae V anno I, supradictus motus proprius affixus et publicatus fuit ad valvas Principis Apostolorum de Urbe, Camerae ac Cancellariae Apostoli-

carum, necnon in Audientia literarum contradictarum, ac in acie Campi Florae, dimissis inibi copiis affixis per me Ioannem Guerardi, praefati SS. D. N. Papae cursor.

Ant. Clerici, mag. curs.

Pub. die 20 iunii 1566, pontif. anno I.

Sequitur declaratio dictae constitutionis.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Dudum postquam felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, cupiens subterfugiis delinquentium obviare, per quasdam suas in forma motus proprii editas literas, sub dat. Romae apud Sanctum Petrum, XII kalendas iunii, anno IV, inter alia, statuisset quod rei in contumaciam condemnati, ad suas defensiones faciendas admitti non possint, nisi infra sex menses, quoad faciendas videlicet, a die condemnationis; quo vero ad iam factas condemnationes, a die publicationis earumdem literarum computandos; per alias nostras, etiam in forma motus proprii, emanatas literas, die XX mensis iunii, pontificatus nostri anno primo, publicatas, terminum sex mensium huiusmodi ad annum prorogavimus, ac contumacibus huiusmodi defensiones, nonnisi post anni elapsi terminum, denegari debere decrevimus.

Dubia exorta super praedictis

§ 1. Cumque, sicut accepimus, a nonnullis ordinationem et dispositionem huiusmodi, nostramque et dicti praedecessoris in illis edendis intentionem variis calumniis eludere, et super earum sinistris interpretationibus agentes pro fisco et Camera Apostolica fatigare, et causas in longum protrahere et illas intricare, sententiarumque executionem evitare satagentibus, saepe in dubium verti contingat (licet ex verborum proprietate res clara sit) an scilicet tam sponte comparentes, de quibus loquitur motus proprius praefati praedecessoris, quam etiam capti intra dictum tempus, indistincte admitti debeant ad faciendum suas defensiones, maxime stantibus in eodem nostro motu proprio appositis supra relatis verbis videlicet, *ac contumacibus huiusmodi defensiones, nonnisi post anni elapsi terminum, denegari debere*, quae indefinite prolata sunt et videntur posse comprehendere tam sponte comparentes quam captos: nihilominus, considerantes quod verba ipsa nihil aliud disponunt, quam prorogationem termini his quibus ex forma motus proprii praedicti praedecessoris denegari non poterat.

Declaratio quod capitaliter condemnati, capti infra annum, non audiantur absq. iussu Papae, sed sententiae contra eos in contumaciam latae, legitimis praecedentibus inditiis, executioni demandentur;

§ 2. Nos igitur, ad tollendum omne dubium et absurdum evitandum, quod capti et sponte comparentes paris essent conditionis; necnon calumniis et aliis inconvenientibus huiusmodi, quantum cum Deo possumus, obviare, omnemque disputandi materiam tollere et in his opportune providere volentes; necnon singularum literarum praedictarum ac indiciorum inquisitorum, processuum, condemnationum et sententiarum desuper formatarum et latarum ac formandarum et promulgandarum huiusmodi, aliorumque forsan latius exprimendorum tenores, continentias, formas et compendia, ac reorum, delictorum, criminum et excessuum ac poenarum huiusmodi, et iudicum nomina, cognomina, gradus et qualitates ac quantitates et loca pro plene et sufficienter expressis habentes et decernentes; necnon singulas praenarratas literas confirmantes et innovantes, motu simili *etc.*, quod banniti et in contumaciam condemnati in poenam capitis et ultimi supplicii, si capti ad manus Curiae devenerint, per iudices ad novas sive alias defensiones faciendas, etiam intra dictum tempus non admittantur, nisi habita a nobis vel Signatura nostra desuper gratia speciali; nec literae ipsae, quae in eorum odium editae sunt, eis in aliquo suffragentur, aut illis se iuvare sive de-

fendere possint. Quinimmo quod iudices praefati sententias ipsas condemnatorias, tam in Urbe quam extra eam latas et ferendas, si tamen legitimis praecedentibus indiciis ad id inquirendum promulgatae fuerint, executioni realiter et corporaliter, suis loco et tempore congruis respective, totaliter et integre, contra sic captos demandent et demandari faciant, hac nostra perpetuo valitura declaratione declaramus et decernimus, et, quatenus opus sit, de novo statuimus et ordinamus, et ita mentis et intentionis nostrae fuisse et esse attestamur.

Officialesque in omnibus praedicta observent.

§ 3. Praeterea almae Urbis nostrae generali gubernatori ceterisque iudicibus ordinariis vel delegatis, in Romana Curia vel extra eam residentibus, quibuscumque, in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae poena, committimus et mandamus, districte praecipiendo per praesentes, quatenus huiusmodi nostram declarationem seu novam constitutionem et ordinationem, necnon ipsas praesentes et in eis contenta omnia et singula, in causis criminalibus seu mixtis ac aliis fiscum et Cameram Apostolicam illiusque interesse quomodolibet concernentibus nunc et pro tempore pendentibus quibuscumque, etiam si forsan aliqui capti nunc in carceribus detineantur, perpetuo inviolabiliter observari mandent et faciant et illi observent.

Decretum irritans.

§ 4. Et ita et non aliter, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios *etc.*, etiam S. R. E. cardinales, ac Palatii Apostolici causarum auditores, sublata *etc.*, iudicari, interpretari et definiri debere; irritum quoque *etc.* decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque ac consuetudinibus provinciarum, civitatum, oppidorum et locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, universitatibus, communitatibus et hominibus provinciarum, civitatum et locorum praedictorum ac etiam singulis praenominatis et aliis quibuscumque iudicibus *etc.*, per nos et praedecessores nostros concessis et etiam iteratis vicibus innovatis, quibus omnibus *etc.*, illorum tenores *etc.*, hac vice latissime derogamus, ac stylo Palatii ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 6. Volumus autem quod praesentis motus proprii, etiam absque data et registratura, sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria non obstante.

Transumptorum fides

§ 7. Eiusque transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae seu literae desuper per breve nostrum expediri possint, et si videbitur, cum omnium et singulorum praenarratorum et expressorum aliorumque necessariorum specificatione et insertione et cum aliis clausulis opportunis et consuetis.

Placet, motu proprio. M.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, idibus septembris, anno VI.

XIX.

Exemptiones Ordinum Mendicantium pro eorum bonis et personis a solutione gabellarum et quarumcumque contributionum, onereque hospitandi milites [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Dum ad uberes, quos sacri Mendicantium Ordines in agro dominico quotidie

1 Aliam exemptionem generalem, pro omnibus monialibus et sororibus cuiuscumque Ordinis, a solutionibus et contributionibus huiusmodi, vide sup. in Pii IV const. VI, *De statu*, pag. 21.

faciunt, fructus attente respicimus, et attente considerationis indagine perscrutamur ipsorum Religionis sinceritatem et voluntariae paupertatis habitum, in quibus sub humilitatis spiritu devotum Altissimo praestant famulatum, dignum, quin potius debitum reputamus, ut illis ea libenter concedamus, per quae, semotis quibuslibet gravaminibus, promptiores eiusdem Altissimi inhaereant servitiis.

Exemptiones Ordinum Mendicantium a gabellis *etc.*, pro eorum personis, bonis, colonis, mercibus et animalibus.

§ 1. Hinc est quod nos, volentes eosdem Mendicantium Ordines et dilectos filios eorum fratres et monacos, ceterasque personas, ac etiam moniales quaslibet eiusdem Ordinis sub illorum cura degentes specialibus favoribus et gratiis prosequi, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod ex nunc deinceps, perpetuis futuris temporibus, omnes et singuli Mendicantium Ordinum huiusmodi fratres, monaci et dilectae filiae in Christo moniales seu sorores, ac aliae utriusque sexus personae regulares ubilibet per totum christianum orbem diffusi et constituti, illorumque monasteria, coenobia, domus, conventus, ecclesiae, cappellae, oratoria et alia loca, etiam unita, ac membra et dependentia, necnon terrae cultae et incultae, possessiones, praedia, agri, et alia omnia et singula, mobilia et immobilia ac semoventia, et ubilibet ac in quibuscumque rebus consistentia bona, necnon eorum in dictis bonis laboratores, coloni, arrendatarii, locatarii et affictuarii, negotiorumque suorum gestores universi quomodolibet nuncupati, nunc et pro tempore existentes, in perpetuum, ab omnibus et singulis exactionibus, tam urbanis quam rusticis, necnon datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, collectis, impositionibus et oneribus, ordinariis et extraordinariis, ac tam realibus quam personalibus, meris et mixtis, etiam subsidio triennali, et augumento ac focolaribus; e quorum taxis, militumque hospitiis, ac alias quibuscumque nominibus nuncupatis, quavis auctoritate quomodolibet impositis et imponendis, et quae laicis ac aliis quibusvis quomodolibet imponi consueverunt et in futurum imponentur; ac ratione quarumcumque mercium et rerum, cuiuscumque generis vel qualitatis existentium, tam per mare et aquam dulcem, quam per terram, undecumque et quomodocumque pro tempore delatarum, necnon animalium quorumcumque mortuorum et vivorum, et quae alias quomodolibet et ex quavis causa, ac super quibuscumque rebus tam in alma Urbe nostra, quam extra eam ubilibet locorum exiguntur et in futurum exigentur; necnon a contributionibus et solutionibus in illis faciendis, ac tam pro victu et vestitu, quam quocumque alio usu suo tantum, ac tam emendo quam vendendo et alias quomodolibet negociando; necnon etiam a solutione quadrantis pro singulis libris carnium de animalibus, quae nunc et pro tempore ex armentis occidi contigerit, necnon etiam quae in suis aedibus, praediis et possessionibus privatim detinent et nutriunt; ac a contributione sumptuum et expensarum, quae aliquando pro pontibus, viis, aquaeductibus, muris, moenibus, aliisve machinis struendis et reparandis seu reficiendis; ac civitatum, terrarum et locorum quorumcumque fortificationibus, necnon etiam alias in omnibus et per omnia; ac tam in dicta Urbe, quam extra eam ubilibet, penitus et omnino liberi, immunes et exempti, ac liberae et exemptae, liberaque immunia et exempta sint et esse censeantur, ac pro talibus teneantur et reputentur. Quodque terrae, agri, possessiones et loca arativa, ut praefertur, in illis, quae aliquando pro pascuis animalium ad certum tempus reservantur, nullatenus unquam comprehendantur, nec comprehendi censeantur.

Exemptio ab onere hospitandi milites.

§ 2. Ac etiam monasteria, coenobia aliaque omnia regularia loca praedicta, pro quorumcumque militum, tam equitum quam peditum, hospitiis, quemadmodum magno cum nostro dolore hucusque in plerisque locis factum comperimus, nequaquam assignentur, nec assignari debeant.

Redditus eorum per ipsos Mendicantes et eorum procuratores tantum exigi, et pro eorumdem substentatione expendi possunt.

§ 3. Et insuper quod fructus, redditus, proventus, introitus et alia quaecumque bona monasteriorum, coenobiorum et aliorum locorum regularium praefatorum, ab aliis quam a syndicis et procuratoribus religiosis fratribus, monacis et monialibus, aliisque personis praefatis exigi, illaque duntaxat in beneficium loci, vel sustentationem ipsorum religiosorum fratrum et monialium expendi, nec per alios quoscumque quovis nomine censeantur, nec in alium quam praemissum usum converti seu expendi possint neque debeant, nisi de consensu superiorum illius loci, cui data vel consignata aut donata fuerint, quem alias spectabunt; nec etiam soli tutores aut curatores seu protectores, et alio nomine sanctesii, aut alias nuncupati, de eisdem bonis ullo modo disponere possint. Quodque id ipsum etiam de eleemosynis, oblationibus et quibuscumque aliis donativis intelligi et observari debeat, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus, ordinamus, volumus et declaramus.

Repetitio exemptionum.

§ 4. Necnon fratres, monacos, moniales ac alias regulares personas, eorumque monasteria, coenobia, conventus, ecclesias, cappellas, oratoria et alia loca, ac terras, possessiones, praedia, agros et bona, necnon laboratores, colonos, arrendatarios, locatarios, affictuarios ac gestores praedicta, ut praefertur, libera, immunia et exempta eisdem auctoritate et tenore facimus, ac fore et esse decerninus.

§ 5. Mandantes propterea dilectis filiis modernis, et pro tempore existentibus Camerae Apostolicae camerario, praesidentibus et clericis, ac commissariis, agentibus et officialibus quibuscumque, ut omnibus et singulis, tam virorum quam mulierum monasteriis Mendicantium Ordinum huiusmodi existentibus, sub ditione nostra temporali mediate vel immediate constitutis, tantum sal, quantum pro eorum usu suffecerit, singulis annis, omni dilatione cessante, et contradictione remota, contribuere et assignare, ac contribui et assignari facere debeant realiter et cum effectu.

Sal Mendicantibus pro eorum usu detur gratis per ministros R. Camerae

Contravenientium poenae.

§ 6. Districtius etiam, in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae ac excommunicationis maioris latae sententiae, duorum millium ducatorum auri de Camera, pro una basilicae S. Petri de Urbe et pro altera medietatibus singulis monasteriis et locis praefatis, quae molestari seu perturbari contigerit, irremissibiliter applicandorum, poenis, eo ipso, si et quoties contrafactum fuerit, incurrendis, inhibentes tam illis quam dilectis filiis legatis, vicelegatis, gubernatoribus, potestatibus, datiorum, gabellarum, onerum et aliorum praemissorum exactoribus, conductoribus, appaltatoribus, necnon quibusvis communitatibus et universitatibus, illarumque officialibus et personis, aliisque quibuscumque, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, quatenus praemissa omnia et singula inviolabiliter et perpetuo observent, ac ab omnibus observari faciant; neque fratres, monacos, moniales et alias religiosas personas, aliosque supradictos super praemissis quomodolibet molestent et perturbent, neque permittant per quoscumque quomodolibet molestari seu perturbari. Et si quis contradicere, aut quovis modo contravenire praesumpserit, per mandatum executivum contra ipsum, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel praeeminentiae fuerit, ipso facto procedi.

§ 7. Et sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decerninus.

Decretum irritans.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, sive eorum vicariis in spiritualibus generalibus, necnon dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ac abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, canonicis et capitulis, ac aliis quarumcumque ecclesiarum praelatis et personis, ubilibet et in quibuscumque regionibus, terris et locis existentibus, et aliis, ad quos quomodolibet spectat et spectabit, per praesentes motu simili mandamus quatenus ipsi et eorum quilibet, per se vel alium seu alios, praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum, monacorum, monialium, aliarumque religiosarum personarum praefatarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, et eorum singulos statuto, ordinatione, voluntate, declaratione, constitutione, deputatione, mandato, inhibitione, decreto aliisque praemissis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per camerarium, praesidentes, clericos et commissarios Camerae huiusmodi necnon legatos, vicelegatos, gubernatores, collectores gabellarum et exactores praedictos, aut quoscumque alios ad aliquam solutionem, contributionem vel praestationem, praemissorum occasione, quomodolibet faciendam quovis modo cogi et compelli, aut alias contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari aut inquietari. Contradictores quoslibet, et rebelles per praedictas aliasque opportunas censuras et poenas, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii saecularis.

Executorum deputatio et facultates.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium non extrahatur, ac omnibus illis, quae in contrarium per quoscumque officiales et quosvis alios, ac praesertim per officiales civitatis nostrae Bononiensis et quosvis alios adducta sunt hactenus, et deducentur in posterum, ac adduci et allegari possent, necnon quibuscumque litibus et causis, tam in Romana Curia, quam extra eam ubilibet, ac coram quibuscumque iudicibus, etiam Palatii nostri causarum auditoribus, ac S. R. E. cardinalibus super praemissis inter quoscumque quomodolibet pendentibus, ac etiam instructis et ad sententiam deductis, vel etiam a sententia terminatis, nisi in favorem ecclesiae fuerint; et praesertim quadam lite inter huiusmodi regulares ac cives et communitatem dictae civitatis Bononiensis in Romana Curia pendente, quas et quam ac omnes processus et scripturas productas et producendas, ac registra et sententias ubivis comparentes et latas ac ferendas ad nos avocamus et penitus extinguimus, cassamus, annullamus et delemus, perpetuumque desuper silentium imponimus; necnon quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis, editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, etiam contra exemptos quomodolibet editis et edendis, ac etiam iuramento, confirmatione aposto-

Clausulae derogatoriae.

lica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis et eorum singulis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere et specie, etiam motu simili, et ex certa scientia, etiam consistorialiter, et alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die XXIX iulii MDLXVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 iulii 1566, pontif. anno I.

XX.

Poenae contra receptantes homicidas, rebelles, grassatores aliosque huius furfuris homines [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Indefessa pastoralis nostrae providentiae sollicitudo ad ea potissimum diligenter intendit per quae omnes christifideles, praesertim subditi et S. R. E. devoti et peculiares filii, quiete et pacifice vivere valeant, unde nos in his nostrae provisionis remedium libenter adhibemus, ac poenas adiicimus, ut si non pacis cupidine, saltem formidine poenae, mandata apostolica, ad ipsorum subditorum nostrorum tranquillitatem spectantia, debite serventur, et alias desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Nonnulli homicidas *etc.* receptabant, eisque favebant.

§ 1. Cum itaque (sicut non sine gravi animi nostri molestia nuper accepimus) diversae Status Ecclesiastici et dominii nostri temporalis personae, posthabitis et neglectis constitutionibus et mandatis, tam a nobis quam etiam aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris emanatis, homicidas, rebelles, latrones publicos, grassatores viarum, ac in poenam capitis bannitos, et alios facinorosos homines in suis locis receptare ac tenere, eisque diversimode favere, consiliumque et auxilium praestare non reformident, in non modicum apostolicorum mandatorum contemptum, plurimamque eorumdem subditorum nostrorum pertubationem et offensionem.

Qui haec de cetero patrabunt, poenis confiscation. bonorum, demolitionis domorum et perpetui exilii cum familiis puniantur;

§ 2. Nos igitur, ad quos, pro universalis nostrae administrationis munere, praecipue pertinet inconvenientibus huiusmodi et scandalis, quae exinde quotidie proveniunt, omni diligentia nostra obviare, in praemissis, quantum cum Deo possumus, opportune matureque providere volentes, motu proprio, et ex certa scientia maturaque deliberatione nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, praeter alias, contra talia perpetrantes a nobis iam factas constitutiones, hac nostra perpetuo valitura sanctione et constitutione statuimus, ordinamus, volumus, decernimus et declaramus quod quicumque subditi nostri et ipsius Romanae Ecclesiae, cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis et praeeminentiae existentes, etiamsi barones, domicelli et feudatarii nostri fuerint, aliquos homicidas,

1 Ex editione typis Bladi.

rebelles, publicos latrones, grassatores viarum, ac in poenam capitis bannitos et quoslibet alios facinorosos homines, illorumque adhaerentes, fautores et complices, de cetero in suis locis receptaverint aut tenuerint, poenis confiscationis omnium bonorum, ac demolitionis domorum suarum, et exilii perpetui, una cum totis eorum familiis, ultra alias poenas tam in nostris, quam eorumdem praedecessorum nostrorum desuper confectis literis contentas (quas contrafacientes eo ipso incurrere volumus), per dilectos filios gubernatores, officiales ac iustitiae ministros provinciarum, civitatum, terrarum et locorum, nobis et dictae Romanae Ecclesiae subiectorum (quibus, ut praesentes nostras literas omnino exequantur, sub indignationis nostrae poena, districte praecipimus) irremissibiliter afficiantur, plectantur et puniantur, afficique et puniri debeant.

Qui vero hucusque receptarunt, in exilium cum familiis mittantur.

§ 3. Qui vero praefatos homicidas, rebelles, publicos latrones, viarum grassatores, in poena capitis bannitos, et facinorosos homines hucusque in locis suis receptaverint aut tenuerint, in exilium, una cum ipsorum familiis, ad varia loca, per ipsos gubernatores, officiales ac iustitiae ministros declaranda et statuenda (data per eos idonea cautione de huiusmodi exilio servando), mittantur et relegentur.

Super his procedi potest per accusationem, delationem, etc.

§ 4. Decernentes praeterea super praemissis procedi posse per accusationem, declarationem, inquisitionem et alio quovis modo; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quavis causa et instantia (sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis et saepius innovatis, quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda esset, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 6. Ceterum, quia difficile foret *etc.*

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, decimo octavo kalendas septembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 augusti 1566, pontif. anno I.

XXI.

Revocatio facultatis quomodolibet concessae Graecis Latino ritu, et Latinis Graeco more celebrandi missas et divina officia [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Providentia Romani Pontificis plurimum circumspecta, nonnumquam ea,

1 Ad materiam celebrandi missas vide sup. const. IX, *Cum primum*, pag. 434. Alia autem de Graecis indicavi sup. in Pii IV constit. XC, *Romanus*, pag. 271.

quae, certis suadentibus causis, per eius praedecessores gesta sunt, ex aliis non minus rationabilibus causis alterat et ad pristinum statum reducit, prout aequitas suadet, et in Domino conspicit expedire.

Revocatio facultatum concessarum Græcis celebrandi ritu Latino, et Latinis ritu Græco.

§ 1. Sane, cum ad notitiam nostram pervenerit quod nonnulli presbyteri, tam Graeci quam Latini, antiquum sanctae Romanae Ecclesiae ritum, tam in celebratione missarum quam aliorum divinorum officiorum, pervertere satagentes, diversas licentias et facultates missas et alia divina officia Graeci Latino more, ac Latini Greco ritu celebrandi ab Apostolica Sede vel eius legatis ac etiam maiore poenitentiario pro tempore existente, variis praetextibus, impetrarunt, illisque iampridem utuntur; hoc ab antiquo catholicae Ecclesiae instituto sanctorumque Patrum decretis deviare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare et submovere volentes, omnes et singulas licentias et facultates huiusmodi hactenus, etiam motu proprio vel quorumvis, etiam imperatorum, regum et aliorum principum, contemplatione, et ex quibusvis causis, quomodolibet concessas, ac apostolicas et alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, apostolica auctoritate, ex certa scientia, hac praesenti nostra perpetuo valitura constitutione, revocamus, cassamus, annullamus et irritamus, quibusvis presbyteris, tam Graecis quam Latinis, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae, ac perpetuae suspensionis a divinis, poenis, districtius inhibentes ne deinceps praesbyteri Graeci, praecipue uxorati, Latino more, et Latini Graeco ritu, huiusmodi licentiarum et facultatum aut alio quovis praetextu, missas et alia divina officia celebrare vel celebrari facere praesumant.

Episcopi et alii faciant in eorum dioecos. publicari et observari hanc constitutionem.

§ 2. Mandantes, in virtute sanctae obedientiae, omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis quatenus in civitatibus et dioecesibus propriis praesentes nostras literas publicari et, sub praedictis et aliis sibi benevisis poenis, per quoscumque praelatos, capitula, clericos, fratres, superiores et personas quaslibet, inviolabiliter observari faciant. Contradictores quoslibet, auctoritate apostolica, compescendo.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, domorum et aliorum locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem ecclesiis, monasteriis, domibus et locis, illorumque capitulis, conventibus, superioribus et personis ac Ordinibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam ad imperatorum, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam aut eorum contemplatione, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, illaque, quoad praemissa, cassamus penitus et annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicandi.

§ 4. Volumus autem quod praesentes literae ad valvas Beati Petri apostolorum principis et Cancellariae nostrae ac in acie Campi Florae publicentur et inter constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca

deferri, volumus et etiam declaramus quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis ac sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides ubicumque adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimosexto, decimotertio kalendas septembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 augusti 1566, pontif. anno I.

XXII.

Revocatio constitutionis Pii IV et innovatio alterius constitutionis Gregorii XI et Clementis VI super exprimendis gradibus propinquioribus in dispensationibus matrimonialibus impetrandis in diversis gradibus.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Pius divina providentia Papa V,

Enarratio constitut. Pii IV

Attendens per quamdam constitutionem dudum per felicis recordationis Pium Papam IV, Sanctitatis Suae praedecessorem, editam, qua cavetur quod in dispensationibus matrimonialibus, pro diversis consanguinitatis seu affinitatis, ex eodem stipite provenientibus, gradibus coniunctis, non remotioris solum, prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris graduum expressa mentio fieri debeat, alioquin dispensationes ac desuper confectae literae nullius sint roboris vel momenti, prout in dicta constitutione plenius continetur, a dispositione iuris communi et laudabili ac antiquo Romanae Curiae stylo nimium recedi ac favorem matrimonii debitum restringi.

§ 1. Volensque propterea iuri et stylo praedictis, necnon, piae memoriae Gregorii XI et Clementis VI, Romanorum Pontificum etiam Sanctitatis Suae praedecessorum, vestigiis inhaerendo, sacramento et libertati matrimonii, quantum cum Deo potest, favere, statuit et ordinavit quod de cetero in quibuscumque dispensationibus, quas pro matrimoniis contractis aut contrahendis inter viros et mulieres, invicem diversis prohibitis consanguinitatis et affinitatis aut mixtis, ex communi seu ab eodem stipite surgentibus, quicumque illi sint, dummodo primum quoquomodo non attingant, cum in eo Sanctitas Sua nunquam dispensare intendat, gradibus coniunctos, ab eadem Sanctitate Sua et pro tempore existente Romano Pontifice aut Sede Apostolica impetrari vel alias concedi contigerit, ac literis commissionibusque desuper, etiam locorum ordinariis, faciendis, gradus remotior attendatur trahatque secum propinquiorem, ac, ob id, sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratoriis, iuxta Gregorii et Clementis praedecessoris huiusmodi constitutiones, quas, quoad hoc, innovavit et inviolabiliter observari mandavit; dispensationesque seu dispensandi commissiones ac desuper confectas literas et processus habitos per easdem dispensatis, seu his cum quibus dispensari mandatur, propter proximioris gradus huiusmodi non expressionem, de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus et per omnia suffragari, perinde ac si in literis seu commissionibus huiusmodi de proximiore seu utroque gradu specialis et expressa mentio facta fuisset.

Revocatio et innovatio (*de qua in rubrica*).

Clausula sublata

§ 2. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quocumque, quavis au-

ctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decrevit.

Constitutione Pii praedecessoris huiusmodi ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet, publicetur et describatur. M.

Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romae, in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimosexto, die vero Martis, vigesima mensis augusti, pontificatus praefati sanctissimi domini nostri Papae anno I.

A. Lomellinus, custos.

Publ. die 20 augusti 1566, pontif. anno I.

XXIII.

Declarationes concilii Tridentini, sess. XXIV, *cap.* II *et* IV, *circa impedimenta cognationis spiritualis et affinitatis ex fornicatione, quoad matrimonia post confirmationem concilii contracta et de cetero contrahenda* [1].

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Pius divina providentia Papa V.

Dubium circa cap. II concil. Trid. sess. XXIV, *De Reform. matrim.* quoad impedimenta cognationis spiritualis

Ad cuius notitiam pervenit quod, cum in decretis sacri concilii Tridentini certae tantum personae enumerentur inter quas dumtaxat cognatio spiritualis deinceps contrahatur, ab aliquibus revocatur in dubium an qui, ultra personas in dictis decretis enumeratas, quoquomodo cognatione spirituali, ante confirmationem dicti concilii, coniuncti erant, absque dispensatione apostolica, matrimonium, post dictam confirmationem, contrahere potuerint, ac hodie et de cetero contrahere possint, cum ante praedictam confirmationem id facere de iure minime liceret.

1 Huius concilii confirmatio habetur sup. in Pii IV constit. LXXX, *Benedictus*, pag. 244, ubi dixi de eius indictione, prosecutione et quo tempore illud ligaro coeperit.

Dubium circa eiusdem concil. cap. IV, quoad impedimen affinitatis ex fornicatione.

§ 1. Et insuper, cum in eisdem decretis statuatur affinitatem, quae ex fornicatione contrahitur, in illis solummodo attendi debere, qui primo vel secundo affinitatis gradu coniunguntur, ab aliquibus pariter dubitetur an matrimonia inter personas, quae, ante confirmationem dicti concilii [1], absque dispensatione apostolica, contracta, et quae deinceps contrahi contigerit, dirimi debeant.

Declaratio primi dubii circa cap. II.

§ 2. Sanctitas Sua, ad tollendum omne dubium, eos, qui, ante confirmationem praedicti concilii, cognationem spiritualem contraxerunt, dummodo non sint ex personis in dictis decretis enumeratis, et inter quas tantum concilium voluit deinceps contrahi hanc cognationem spiritualem, matrimonii vinculo inter se, absque dispensatione aliqua, libere et licite copulari posse, ac matrimonia, etiam post confirmationem huiusmodi, absque dispensatione Sedis Apostolicae, inter eas iam contracta valere, plenamque roboris firmitatem obtinere.

Declaratio primi dubii circa cap. IV.

§ 3. Et similiter matrimonia, post confirmationem concilii, absque dispensatione apostolica sequuta et quae de cetero sequentur inter personas, quae, ante dictam confirmationem, affinitatem (infra tamen secundum gradum ex fornicatione provenientem) contraxerant, propter huiusmodi affinitatem dirimi non debere, sed valida et efficacia existere declaravit.

Decretum irritans.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decrevit.

Placet, publicetur et describatur. M.

Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romae, in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quin-

1 Cherub. addit *tertio vel ulteriori huiusmodi affinitatis gradu coniunctae erant, post confirmationem dicti concilii*, (B. T.)

gentesimo sexagesimosexto, die vero Martis, vigesima mensis augusti, pontificatus praefati sanctissimi domini nostri Papae anno I.

A. Lomellinus, custos.

Publ. die 20 augusti 1566, pontif. anno I.

Sequitur alia declaratio circa impedimenta cognationis spiritualis.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum Illius vicem, licet minime suffragantibus meritis, geramus in terris, de cuius vultu prodit iudicium et vident oculi aequitatem, officii nostri debitam prosequimur actionem, sic obscuros sacrorum canonum sensus ita aperire studemus ut piis christifidelium mentibus nulla dubitandi occasio relinquatur.

Dubium secundum circa dictum cap. II.

§ 1. Sane, licet ex eo quod in concilio Tridentino decretum fuerit cognationem spiritualem inter eos tantum contrahi, qui suscipiunt baptizatum de baptismo ac baptizatum ipsum et illius patrem et matrem, necnon baptizantem et baptizatum baptizatique patrem et matrem, in reliquis personis, quae per antiquos canones, occasione cognationis huiusmodi, contrahere prohibebantur, omne impedimentum sublatum esse videatur, adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus an saltem impedimentum cognationis spiritualis huiusmodi inter maritum vel uxorem suscipientis et baptizatum, necnon inter maritum vel uxorem suscipientis, patrem ac matrem baptizati vigeat, propterea quod prohibitum de uno coniuge, de altero etiam prohibitum esse videatur.

Declaratio eiusdem dubii.

§ 2. Nos, piarum mentium quieti et matrimoniorum favori (quantum ex alto nobis permittitur) consulere volentes, a praecisis verbis concilii minime discedendum in praemissis esse censuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum, ratione cognationis huiusmodi, subesse decernimus et declaramus quominus inter dictos maritum vel uxorem suscipientis et baptizatum, baptizatique patrem et matrem et quascumque alias personas, tam ex parte suscipientis quam baptizantis et baptizati, in dicto concilio nominatim non expressas, matrimonium libere et licite contrahi possit, et ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes irritum et inane si quid secus a quoquam, quacumque dignitate, auctoritate et potestate praedito, contigerit iudicari.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque.

Forma publicandi, quae mox sequitur.

§ 5. Volumus autem quod praesentes literae in Cancellaria nostra Apostolica et in acie Campi Florae de more publicentur et inter constitutiones perpetuo valituras describantur. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis ac sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimosexto, quarto kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Visum de Curia. Iacobus Barengus.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimosexto, indictione nona, die vero nona mensis decembris, pontificatus sanctissimi domini nostri Pii divina providentia Papae V, anno eius I, retroscriptae literae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Cancellariae Apostolicae et acie Campi Florae, ut moris est, per nos Antonium Clerici et Ioan-

nem Andream Rogerium, praefati sanctissimi domini nostri Papae cursores.

Stephanus de Olea, magister cursorum.

Sequitur alia declaratio circa impedimentum affinitatis et fornicationis.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad Romanum Pontificem spectat canonicas sanctiones, quae expressiorem sensum postulare videntur, re diligenter perspecta, ita declarare et alias providere ut omnis dubietas de piis christifidelium mentibus evellatur.

Dubium secundum circa dictum cap. IV, conc. Triden.

§ 1. Sane, postquam ex eo quod Tridentina synodus impedimentum affinitatis ex fornicatione proveniens, per quod non solum matrimonium contrahi prohibetur, sed etiam postea factum dirimitur, ad eos tantum restrinxit, qui primo et secundo gradu coniunguntur, in ulterioribus vero gradibus statuit matrimonium postea factum non dirimi, a pluribus christifidelibus, ut accepimus, est dubitatum an, licet in ulterioribus gradibus huiusmodi matrimonium contractum non dirimatur, adhuc tamen, iuxta antiquos canones, contrahi prohibeatur.

Declaratio eiusdem dubii.

§ 2. Et propterea, nos omnem ambiguitatem tollere et animarum tranquillitati ac matrimonii libertati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, declaramus et apostolica auctoritate decernimus nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus huiusmodi libere et licite matrimonium contrahi possit.

Decretum irritans.

§ 3. Et ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus, decernentes irritum et inane si quid secus a quoquam, quacumque dignitate, auctoritate et potestate praedito, contigerit iudicari, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis aliisque contrariis quibuscumque.

Forma publicandi, quae mox sequitur.

§ 4. Volumus autem quod praesentes literae in Cancellaria nostra Apostolica et in acie Campi Florae de more publicentur, et inter constitutiones perpetuo valituras describantur; et quia difficile foret eas ad singula quaeque loca deferri, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis ac sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimosexto, quarto kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Publicatio

Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimosexto, die vero decimanona mensis decembris, pontificatus sanctissimi domini nostri Pii divina providentia Papae V, anno eius I, retroscriptae literae apostolicae affixae et publicatae fuerunt Romae in valvis Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, ut moris est, per nos Ioannem Andream Rogerium et Camillum Cherubinum, cursores.

Stephanus de Olea, magister cursorum.

Dat. die 28 nov. 1566, pontif. anno I.

XXIV.

Familiares sanctae Romanae Ecclesiae et aliorum praelatorum Romanae Curiae regalia vel stipendia non conventa ab eis vel eorum haeredibus petere prohibentur; et ordo in satisfaciendis eorumdem creditoribus praefinitur 1.

1 Haec stipendia infra annum a die obitus debitorum et pro biennio tantum peti posse decrevit Paulus III in const. LVI, *Cum sicut*, tom. VI, pag. 377. De consignatione annuli et ornamentorum cappellae, de quibus hic agitur, vide Iulii III const. VII, *Cum sicut*, ibidem, pag. 417.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Pius divina providentia Papa V,

Causa huius constitutionis

Accepto, ut asseruit, quod nonnulli familiares reverendissimorum dominorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, veluti parafrenarii, credentiarii, coqui, magistri stabuli, ita vulgariter nuncupati, et forsan alii, cuiuscumque sint nominis et ministerii, defunctis cardinalibus eorum dominis, consuetudinis, privilegii seu quocumque alio praetextu, in non modicam memoriae ipsorum defunctorum cardinalium ignominiam, parafrenarii videlicet mulas cum instrumentis et phaleris suis, et alii alia ipsorum cardinalium instrumenta et bona per ipsos familiares respective in eorum ministeriis teneri et exerceri solita, etiam invitis ipsorum defunctorum haeredibus et cardinalibus sive testamentorum exequutoribus ab ipso testatore, sive pro haeredibus ab intestato per constitutiones pontificias deputatis, etiam argentea et pretiosa sibi arripere et usurpare, ac pro illis plerumque etiam inter se rixari et digladiari consueverunt, cum magno totius Curiae scandalo et cardinalatus dignitatis opprobrio; et universi etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium parafrenarii, caudatarii, universitates et collegia inter se facientes, in novorum cardinalium creatione et obitu, et forsan aliis certis temporibus, ab eisdem novis cardinalibus et defunctorum haeredibus respective certas pecuniarum summas aut res alias, magna cum importunitate et temerarie, exigere et quodammodo extorquere sunt soliti.

Prohibitio petendi regalia a cardinalibus vel eorum haeredibus

§ 1. Volens tam scandalosorum abusuum occasionem tollere, omnes et singulas consuetudines et usus per praedictos et alios quoscumque ipsorum cardinalium familiares et ministros, tam singulariter quam communiter et collegialiter, ut praefertur, seu alias quomodolibet petendi, et exinde actiones et iuris quaecumque remedia allegari et exerceri solita penitus abrogavit et substulit; ac de cetero familiaribus ipsis, praedictorum occasione, nullum ius nullamque penitus actionem aut iuris remedium competere, neque eis aliqua ex bonis et pecuniis praedictis deberi, sed eos debere esse contentos suis salariis, si qua eis promissa fuerunt, et eo amplius si defunctorum haeredibus aut cardinalibus praedictis respective aliquid familiaribus ipsis, sive ut singulis sive ut universis, aut alias, ex mera ipsorum haeredum et cardinalium liberalitate, dare placebit; irritumque *etc.* decrevit.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus praetensis constitutionibus praedictis, et forsan per Romanos Pontifices suos praedecessores et per se et Sedem Apostolicam, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, privilegiis quoque *etc.*, tenores *etc.*, latissime extendentes *etc.*

Apud Sanctum Marcum, in consistorio habito die Veneris, sexta septembris, millesimo quingentesimo sexagesimosexto.

Sequitur alia in praedictis constitutio.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Familiares non petant mercedem non conventam

Cupientes litium anfractibus, qui post obitum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium et aliorum quorumcumque praelatorum in Romana Curia decedentium inter eorum creditores oriuntur, dum se unusquisque altero potiorem contendit, dum aliqui, praetextu mercedis et regaliarum, alios creditores praecedere conantur, quo fit ut saepenumero pauperrimi, qui eorum substantiam bona fide crediderunt, non tantum debita satisfactione defraudentur, sed etiam longis et periculosis litibus, gravissimo cum eorum impendio, defatigentur, hac perpetuo valitura

constitutione sancimus ut, defunctis in Romana Curia tam sanctæ Romanae Ecclesiæ cardinalibus, quam patriarchis, archiepiscopis, episcopis, Camerae Apostolicae clericis, sacri Palatii Apostolici auditoribus, referendariis, maioris praesidentiae abbreviatoribus et aliis quibusvis praelatis, nullus super eorum bonis mercedem petere possit in praeiudicium creditorum, nisi evidenter appareat quod sub certa constituta mercede ad servitium huiusmodi accessisset.

Servetur bulla Pauli III, cit. in nota ad rubricam.

§ 1. Et ut etiam servetur forma constitutionis felicis recordationis Pauli tertii super hoc concessa, quam (quatenus opus sit) innovamus.

Regalia non petantur, ut in decreto praecedenti

§ 2. Similiter eorundem cardinalium et praelatorum familiares abstineant a petitione regaliarum, cuiuscumque generis, iuxta formam decreti, de fratrum consilio, de mense septembris proxime praeteriti super hoc editi.

Camera pro annulo et cappella praeferatur omnibus;

§ 3. Porro in satisfactione creditorum dictorum cardinalium et praelatorum in Romana Curia decedentium talis ordo servetur ut, post consignationem annuli et ornamentorum cappellae dilecto filio Camerae commissario (respectu cardinalium), in primis et ante omnia satisfaciendam.

Creditores postea pro cibariis;

§ 4. Prior causa sit eorum, qui pro usu dictorum cardinalium et praelatorum eorumque familiae res cibarias dederint.

Successive pro vestiariis;

§ 5. Secunda eorum, qui res vestiarias et ad usum corporis ipsorum, non autem ad ornatum vel ad pompam, necessarias subministraverint. Quandoquidem ex causis huiusmodi creditores ut plurimum sint pauperes vel mercatores, qui pro illis advehendis innumera pericula subeunt, et sine illis praefati cardinales et praelati statum eorum dignitatis usque ad obitum minime sustentare potuissent, et requisiti, utique verisimiliter omnem honestam obligationem, etiam cum iuramento et in forma Camerae, contraxissent.

Mercenarii deinde, quae convenerunt de mercede.

§ 6. Tertia vero causa sit praefatorum mercenariorum, quibus certa constituta merces appareat. Quibus satisfactis, in ceteris servetur ius commune. Quod non tantum in futuris, sed etiam in pendentibus negociis locum habere decernimus, etiam si ex alia causa creditores instrumenta et obligationes, etiam in forma Camerae, habeant.

Executor bullae deputatur auditor Cam.

§ 7. Quo circa dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae auditori nunc et pro tempore existenti, tenore praesentium, committimus et mandamus quatenus praemissa omnia et singula per haeredes et testamentorum executores et ceteros, ad quos pro tempore spectabit, etiam per censuras ecclesiasticas et poenas, etiam pecuniarias, et alia iuris et facti remedia opportuna inviolabiliter observari faciat.

Contraria tolluntur

§ 8. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis privilegiis, obligationibus in forma Camerae concessis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet, motu proprio. M.

Sequitur declaratio quoad aromatarios.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Dubitatio quoad aromatarios

§ 1. Quia, sicut accepimus, a nonnullis dubitatur an praemissus motus proprius in ea parte qua creditores occasione cibariorum ceteris, etiam anterioribus et habentibus hypothecam, praeferuntur, extendatur vel contineat aromatarios, qui, occasione suorum aromatum et aliarum mercium ad exercitium eorum spectantium, creditores existunt.

Declaratio d. dubitationis

§ 2. Nos, dubitationem hiusmodi tollere cupientes, animadvertentes quod illorum merces ad victum quotidianum necessariae non existunt, sed potius pro deliciis inserviunt, aut pro medicamentis, quorum occasione magnum sibi quaestum

parant, et nihilominus speciali privilegio sunt muniti, cuius vigore concurrunt cum obligatione in forma Camerae. Propterea declaramus dispositionem supradictam aromatarios, quoad medicinalia et expensas funerum, non comprehendere, nec eos qui fuerunt de eorum credito satisfacti, praestito iuramento de restitutione prioribus et potioribus, cum non teneantur illud servare, ex quo non vergit in dispendium salutis aeternae.

Fiat, motu proprio. M.

XXV.

Iurisdictio consulum artis agriculturae Urbis cognoscendi causas rerum ad artem spectantium inter quascumque personas, et confirmatio statutorum eius.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium

Pia devotio et assidua cura et diligentia, quas dilecti in Christo filii consules et collegium nobilis et antiquae artis agriculturae Urbis erga nos et sanctam Sedem Apostolicam almamque Urbem nostram indesinenter exhibent, nos inducunt ut quae ad dicti collegii conservationem et augmentum fore dignoscimus, liberaliter et proprio motu concedamus.

Novorum statutorum editio.

§ 1. Cum igitur dilecti filii praedicti nuper antiquissima eorum statuta, id usu exigente, emendaverint et suppleverint, multaque etiam de novo, quae ad necessariam dicti collegii ac iurisdictionis consulum ipsius collegii conservationem et augmentum necessaria visa fuerunt, statuerint et addiderint, quae omnia diligenter inspici et emendari mandavimus, prout inspecta et emendata fuerunt.

Commendatio nobilis artis agriculturae Urbis.

§ 2. Nos igitur, attendentes quod opera, cura, diligentia et impensa praedictorum dilectorum filiorum, Deo optimo maximo favente, factum est ut civitas nostra, quae retroactis temporibus mari invecto et undique perquisito frumento indigebat, nostris felicissimis temporibus non solum frumento abundet, sed etiam, quod plus est, vicinis et exteris, terra marique, iam agri Romani frumentum subministrari possit, prout saepissime subministratum fuit; et, quod non minus est, aer nostrae almae Urbis, ex assidua agrorum cultura, silvarum et nemorum extirpatione, palustriumque locorum exsiccatione, factus est tutior, clementior et salubrior; et considerantes quod qui agrorum culturae incumbunt, non debent litibus et per diversa tribunalia trahi, ne forte a cultura, propter lites, dum forum prosequi cupiunt, retrahantur; ac etiam attendentes quod de rebus spectantibus ad artem, nullus magis quam ipsi de arte cognoscere et terminare valent; cupientesque dictum collegium, illiusque consules et eorumdem iurisdictionem amplioribus gratiis et favoribus prosequi, eosdem dilectos filios a quibuscumque censuris, ad effectum validitatis praesentium, absolventes et absolutos fore censentes.

Confirmatio statutorum.

§ 3. Motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, statuta praedicta, sicut predictum est reformata et emendata et suppleta, tenore praesentium approbamus, confirmamus et homologamus, eisdemque nostrum et Sedis Apostolicae robur adiicimus.

Iurisdictio dominorum consulum eiusdem artis.

§ 4. Eaque auctoritate praedicta inter homines de arte praedicta, deque rebus spectantibus ad artem, iuxta eorumdem statutorum declarationem, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, etiamsi clerici et curiales Romanam Curiam sequentes, aut quocumque alio privilegio muniti existant, servari volumus et mandamus, eosdemque dictis consulibus eorumque iurisdictioni, pro rebus spectantibus ad artem, suppetimus, subiicimus et submittimus.

Decretum irritans.

§ 5. Et sic per quoscumque iudices, tam ordinarios quam delegatos, iudicari, decerni et definiri volumus et mandamus, sublata aliter iudicandi et interpretandi facultate; irritum quoque et inane decernentes quicquid in contrarium contigerit attentari. Volumus autem quod de subreptione et obreptione aut intentionis defectu praesentis nostri motus proprii quovis modo opponi non possit, attento quod motu proprio.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibuscumque privilegiis et indultis, etiam quibusvis personis ac iudicibus, ordinariis sive delegatis, etiam dohaneriis almae Urbis, respectu affidatorum damnum dantium in segetibus et casalibus Urbis, per nos et quoscumque Romanos Pontifices editis, quorum omnium privilegiorum et indultorum tenores hic pro sufficienter expressis, perinde ac si de verbo ad verbum inserta et expressa forent, haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 7. Et quod praesentium sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, attento quod in Urbe.

Fiat, motu proprio. M.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, quinto idus septembris, anno I.

Dat. die 9 sept. 1566, pontif. anno I.

XXVI.

Sclavi baptizati ad conservatores almae Urbis pro libertate confugientes, libertatem consequuntur et cives Romani efficiuntur 1.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium

Dignum et rationi congruum esse videtur ut ea, quae ex veteri instituto officium Senatus Camerae Urbis et ipsius conservatores consueverunt, vel alias illis concessa existunt, munimine apostolicae superioritatis in posterum roborentur et in usum, si adhuc non existant, reducantur.

Paulus III reintegravit facultatem conservatorum Urbis, libertate donandi mancipia ad eos pro libertate confugientia.

§ 1. Nos siquidem qui, etiam in minoribus constituti, semper et continue Romanum populum paterno dilectionis amore prosecuti sumus, et ipsius privilegia, ea maxime quae christiano populo necessaria et utilia esse videntur, confirmare consideramus, felicis recordationis Pauli Papae III, praedecessoris nostri, qui, per suas in forma brevis literas, ipsos conservatores et populum in facultate et privilegio mancipia quaeque, sclavos vulgariter nuncupata, quae baptizata et christiana prius facta fuerint, ad Senatus Camerae ipsius Urbis officium ac illius conservatores pro eorum libertate confugientia, prout ex veteri consuetudine hactenus, ut ipse praedecessor narraverat, conservatores praefati, tum ex speciali privilegio pontificali, tum imperiali potestate, ab aspero servitutis iugo liberandi facultatem habuerant, etiamsi lapsu temporis deperdita fuissent, reintegravit, vestigiis inhaerendo.

Hic Pontifex eamdem facultatem confirmat,

§ 2. Motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, eosdem conservatores pro tempore existentes speciali favore prosequentes, ac literas apostolicas Pauli praedecessoris, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habentes, illasque in totum, iuxta illarum tenorem, confirmantes, ipsos conservatores ac officium Senatus Camerae Urbis in iurisdictionem, facultatem et potestatem mancipia quaecumque sub iugo servitutis quomodolibet alligata, ad huiusmodi Senatus Camerae Urbis officium pro tempore existens ac ipsius Urbis conservatores confugientia, ac libertatem acclamantia, per eosdem

1 Hoc prius statuit Paulus III, sed postea revocavit. Eius ergo constitutiones uti otiosas ponere nolui, stante hac postrema piaque dispositione.

conservatores libertate donari, et Romani cives liberique homines effici possint, prout ipse Paulus praedecessor reintegraverat, reintegramus, ac, pro potiori cautela, de novo damus, concedimus et gratiose impartimur. Itaque mancipia seu sclavos eadem, quae ab eisdem in posterum liberabuntur, pro liberis hominibus et Romanis civibus in omnibus et per omnia ubique haberi, teneri et reputari debere; dantes et concedentes eisdem mancipiis, sic ut praefertur ab eisdem conservatoribus liberatis, facultatem in iudiciis contra quascumque personas standi, contrahendi, testandi et alia faciendi, quae ceteri cives Romani, liberi homines facere consueverunt et faciunt, et ea in omnibus et per omnia haberi et libera esse decernimus, volumus et mandamus; ac ex nunc, prout ex tunc et e contra, omni iuri cuiuslibet, statutorum, consuetudinum et aliorum contrariorum rigore penitus reiectis, liberamus.

Et ita iudicari mandat.

§ 3. Et sic in praemissis omnibus per quoscumque, tam ordinarios quam delegatos, etiam quacumque iurisdictione fungentes, iudices et personas, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, sententiandi et definiendi facultate, potestate et auctoritate, iudicari, sententiari et definiri debere; ac quicquid secus, scienter vel ignoranter, contra praesentium tenorem fieri et attentari contigerit, irritum et inane decernentes.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus motu proprio et seu literis forsan desuper per viam decreti vel alias per dictum Paulum praedecessorem, sub datum Romae apud Sanctum Petrum, v idus novembris, anno pontificatus sui quintodecimo, supradictarum suarum literarum in forma brevis, etiam forsan ad instantiam dicti populi Romani decretis, derogatoriis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Urbis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, reformationibus et decretis, ac quibusvis privilegiis, indultis et literis apostolicis, in genere vel in specie, per quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, tam sub plumbo quam in forma brevis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam irritantibus, et aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, tenores illorum, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac omnibus illis, quae dictus praedecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 5. Volumus autem quod sola signatura praesentium sufficiat et ubique, in iudicio et extra, fidem faciat, regula contraria non obstante; seu, si videbitur, literae desuper per breve nostrum seu sub plumbo aut alias, prout melius videbitur, expediri possint.

Declaratio pro mancipiis baptizatis.

§ 6. Et quoad illos servos dumtaxat, qui antea, ut praefertur, sacro baptismatis lavacro mediante, christiani facti fuerint et non de alio.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, v idus septembris, anno I.

Dat. die 9 sept. 1566, pontif. anno I.

XXVII.

Iurisdictio vicarii Papae circa obligationes et contractus initos in forma Camerae Apostolicae, quoad loca pia et personas ecclesiasticas in Urbe [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Causa huius constitutionis.

Considerantes varia dispendia et incommoda, quae ecclesiis, monasteriis et aliis

1 De hac iurisdictione adnotationes vide in constit. XVII Pauli III, *Licet*, tom. VI, pag. 247.

piis locis illorumque rectoribus, abbatibus, archipresbyteris, prioribus, praepositis et aliis beneficiatis in alma Urbe consistentibus inferuntur, si ad diversa tribunalia Urbis evocari et proprium vicarii nostri in dicta Urbe tribunal deserere cogantur, et ob id saepe iura et instrumenta, monimenta et scripturae bonorum eisdem ecclesiis, monasteriis et locis piis deperduntur, in detrimentum eorumdem.

Iurisdictio vicarii in obligationibus cameralibus

§ 1. Idcirco, indemnitati eorum consulere, prout tenemur, et occurrere volentes, per facultatem et potestatem dilecto filio Alexandro Riario, causarum Camerae Apostolicae auditori, per felicis recordationis Pium Papam IV, praedecessorem nostrum, sub variis concessionibus concessam et attributam, quarum omnium tenores hic pro sufficienter expressis, etiam cum illarum datis, haberi seu inseri posse volumus et decernimus, potestati et iurisdictioni dilecti filii nostri Iacobi tituli S. Mariae in Cosmedin presbyteri cardinalis, nostri in alma Urbe eiusque districtu vicarii generalis, circa personas ecclesiasticas, loca pia, illorumque bona, quae iurisdictioni praefati vicarii subsistunt, etiam si inter contractus cum solita obligatione in forma Camerae seu Ripae et Ripettae intervenerint, aliquod praeiudicium factum non fuisse; sed quod idem vicarius cardinalis, in omnibus et per omnia, procedere possit, quoad personas et bona praefata, prout ante eum ceteri vicarii pro tempore, quondam Franciscus Albericus et alii eiusdem Camerae auditores praedecessores in dicto auditoriatus officio tunc fungebantur, procedebant, tenore praesentium, auctoritate apostolica, declaramus; et sic per quoscumque *etc.*, sublata *etc.*; irritum quoque *etc.*

Sola signatura sufficit.

§ 2. Solamque praesentis nostri motus proprii signaturam, in iudicio et extra, etiam absque illius registratura, fidem facere, regula contraria non obstante, decernimus.

Clausulae derogatoriae

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et facultatibus et indultis, eidem auditori Camerae concessis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus.

Placet, motu proprio. M.

Datum Romae apud S. Marcum, pridie idus septembris, anno I.

Dat. die 12 sept. 1566, pontif. anno I.

XXVIII.

Privilegia pro exercentibus artem agriculturae in districtu almae Urbis, et frumenta ac blada afferentium ad eam; prohibitioque eos impediendi, vel illa ultra usum necessarium suae familiae emendi [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Cupientes, pro commisso nobis apostolico munere, omnibus regimini ac curae nostrae subiectis populis non modo spiritualia fideliter, ut debemus, dispensare, sed in temporalibus etiam, quantum cum Deo possumus, salubriter providere, nullam praetermittimus diligentiam pro pauperum, qui sub hoc nostro temporali gubernio vivunt, sublevandis necessitatibus, ac potentiorum oppressionibus propulsandis.

Causae huius constitutionis

§ 1. Hinc est quod, cum ad rei frumentariae negotium, quod praecipua pro eorumdem pauperum substentatione et victu cura eget, animum nostrum intendimus, summopere nobis laborandum cognoscimus, ut fraudibus, quae in annona a ditioribus fiunt, quo carius eam vendant, omni studio ac diligentia provideatur. Intelligentes itaque, non sine animi nostri molestia, divites ipsos ac

1 Privilegium fori dedit eisdem idem Pontifex sup. in constit. XXV, pag. 481.

potentes non modo propria ipsorum frumenta bladaque, quae ex praediis suis propriaque agricultura colligunt, in horreis recondere, ac conclusa supprimere, et donec illorum pretium pro eorum avaritia adauctum conspiciant, ab omni prorsus venditione abstinere, verum etiam a laboratoribus operariisque propriis, ac etiam subditis (si barones sint) illud vili pretio comparare, donec tantam undique tritici copiam cumularint, ut pauperes, qui aliunde frumentum venale non reperiunt, necessitate ducti, ab eisdem divitibus et baronibus eo pretio emere cogantur, quod venditorum ipsorum avaritia affectaverit: quinimmo eos etiam, qui ad Urbem hanc nostram, quo undique ex omnibus mundi partibus Christi fideles confluunt, frumenta bladaque praedicta importare cupiunt, omni via et ratione impedire ac retardare praesumunt, contra Summorum Pontificum praedecessorum nostrorum decreta ordinationesque, et in maximum etiam animarum suarum periculum.

Approbatio prohibit. Clementis VII

§ 2. Nos, praemissis remedium aliquod opportunum adhibere omnino volentes, in primis divites praedictos omnes ac barones hortamur in Domino et monemus ut, Dei largitatem in se ipsos agnoscentes, pauperibus benigniores in posterum sese praebeant, atque huiusmodi detestabili frumentario quaestu prorsus abstineant, memores scriptum esse quod *qui abscondit frumenta maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.* Quod si propria frumenta, quae ipsis ultra usum eorum supersunt, debitis temporibus, prout certe deberent, vendere detrectant, at saltem ab alienorum emptione et illicita negociatione abstineant, et quam Dei benignitas populis fertilitatem anni concedere dignatur, eam ipsi invidiose perturbare non praesumant. Quod si tam a praedictis emptionibus frumentorum, quam ab impediendo subditos eorum, aliosque ad urbem Romam frumenta bladaque omnia deferentes in posterum non abstinuerint, sciant se poenas in constitutionibus Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, praecipueque Clementis VII, pro abundantia rei frumentariae et agriculturae exercendae, anno a nativitate Domini nostri MDXXIV, decimo kalendas martii, editis, incursuros, quas quidem praedecessorum nostrorum dispositiones praesenti nostra perpetuo duratura constitutione in hac parte innovamus.

Declaratio dictae prohibitionis.

§ 3. Declarantes insuper omnes, cuiuscumque generis, qualitatis et conditionis fuerint, qui frumentum aliaque blada, ultra usum familiae suae, animo et intentione illa carius vendendi, emunt, sine licentia in scriptis ab ordinario annonae pro tempore obtenta, quam tamen rationabili de causa tantum et gratis omnino concedi volumus, non modo poenas amissionis ipsius frumenti et bladorum et alias pecuniarias ab ipso ordinario pro tempore impositas incursuros, sed etiam Dei omnipotentis maiestatem summopere laesuros, graviterque in eo peccaturos. Barones vero et alios dominos terrarumque universitates, omnesque alios nobis et sanctae Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectos, cuiuscumque status aut conditionis extiterint, etiam si episcopali, metropolitana, patriarchali et cardinalatus etiam dignitate praefulgeant, qui subditorum suorum frumenta aliaque blada, ultra usum et necessitatem suam et familiae suae, emerint; quique accedentes ad Urbem cum frumentis aliisque rebus ad victum necessariis, directe vel indirecte, impediunt vel remorantur, poenas in dicta Clementis septimi praedecessoris nostri constitutione expressas incursuros, videlicet privationis feudorum, suspensionis, excommunicationis et inter-

dicti, iuxta tenorem et formam praedictae constitutionis aliarumque in ea expressarum, quas in hac parte per praesentes nostras innovamus, et earum tenores hic pro sufficienter expressis haberi volumus.

Exemptio deferentium bladia ad Urbem a solutione vectigalium et aliorum onerum.

§ 4. Ut vero facilius commodiusque omnes possint ad Urbem hanc nostram frumenta bladaque libere convehere, eos, ut praefertur, dicta de causa ad Urbem accedentes, ab omni pedagio, gabella aut onere quocumque, pro dicti frumenti bladorumque comportatione, eximimus ac liberamus, immunesque et exemptos esse ac fore perpetuo declaramus.

Prohibitio quidquam ab eis exigendi

§ 5. Mandantes omnibus tam universitatibus terrarum quam gubernatoribus, rectoribus aliisque dominis, nobis ac sanctae Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectis, quocumque titulo vel dignitate praefulgeant, etiamsi S. R. E. cardinales existant, ne, praedictorum frumentorum aliorumque bladorum ad Urbem venientium occasione, quicquam solvi ab ipsis vectoribus faciant, aut quoquomodo in civitatibus, terris ac locis regimini eorum subiectis dicta de causa solvi permittant aut patiantur, sub poenis supradictis aliisque arbitrio nostro declarandis.

Privilegium eorumdem ne molestentur pro eorum debitis, etiam cameralibus, veniendo, stando et redeundo ab Urbe

§ 6. Volumus etiam quod venientes ea de causa ad Urbem, videlicet ad frumenta bladaque praedicta convehenda, tuti omnino sint ab omnibus civilibus executionibus, tam pro eorum debitis, quam pro cameralibus quibuscumque exactionibus et repraesaliis quacumque de causa et contra quoscumque decretis seu decernendis. Irritum et inane decernentes quidquid contra et adversus praedictos seu eorum animalia et res, quas secum praedicta de causa detulerint, tam in accedendo ad Urbem ibique commorando per biduum, ad effectum vendendi ea quae attulerint, quam etiam in redeundo ad eorum solitam habitationem, executum vel quoquomodo attentatum fuerit; inhibentes omnibus cuiuscumque generis executoribus seu Curiae ministris ne praedictos dicta de causa ad Urbem accedentes ibique, ut praefertur, commorantes seu inde discendentes molestare praesumant, sub poenis arbitrio praefecti annonae pro tempore infligendis.

Privilegium exercentium agriculturam ne molestentur pro debitis, dum colunt, seminant vel colligunt frumenta

§ 7. Eos etiam qui agriculturam ipsam, pro communi bono laudabiliter intra XL ab Urbe milliarium exercent, dignis favoribus et privilegiis prosequi volentes, tam messium quam seminum tempore, dum scilicet colligendo vel seminando tritico verisimiliter occupantur, ab omni supra dicta executione, etiamsi ex obligatione in forma Camerae processerit, tutos omnino ac salvos fore et esse declaramus, dummodo aliunde quam ex agricolturae fructibus solvere non possint.

Boves aratorii etc. pro debitis capi non debent, et in tacitis hypothecis non comprehenduntur, et gaudent privilegiis bonorum dotalium

§ 8. Boves vero aratorios omniaque instrumenta ad agriculturam necessaria, non supradictis temporibus tantum, sed perpetuo, pro quavis civili obligatione, auferri aut alia ratione impediri prohibemus. Declarantes insuper in tacitis quibuscumque hypothecis, a quacumque, quavis de causa, inductis, praedictos boves aliaque instrumenta praedicta minime comprehensa fore; et in summa praedictis rebus agriculturae inservientibus, tamquam commoditatis, immo necessitatis publicae, instrumentis, omnia privilegia concedentes, quae bonis dotalibus de iure concessa esse reperiuntur. Sicque per quoscumque iudices *etc.*; irritum et inane *etc.*.

Executorum deputatio

§ 9. Quae omnia, quo fidelius ab omnibus observentur, volumus dilectos filios nostros Ludovicum Simonetam, Marcum Antonium Amulium, et Vitellotium Vitellium, camerarium, S. R. E. cardinales, ea quae ipsorum gravitatem et virtutem decet diligentia curare. Dantes eis in praemissis plenam et omnimodam facultatem et eam, quam nos ipsi habemus, potesta-

tem, pro praemissorum executione observantiaque, cum potestate declarandi et decidendi si quid in praesenti nostra constitutione, declaratione aut definitione egere videbitur.

Clausulae derogatoriae.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Urbis, terrarum, oppidorum et villarum quarumcumque, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, reformationibus et decretis; privilegiis quoque et indultis apostolicis, communitatibus, universitatibus, baronibus ac aliis praefatis a dicta Sede Apostolica vel a nobis forsan concessis, quae eis, quoad præmissa, nolumus suffragari; necnon pactis et conditionibus ac omnibus aliis, quae dicti praedecessores voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi.

§ 11. Ceterum, ne de praemissis quemquam dubitare contingat, volumus quod praesentium literarum tenor per omnia loca publicari debeat, ipsaeque literæ sic publicatae perinde arctent omnes quos concernunt ac si singulis eorum personaliter intimatae fuissent.

Sola signatura sufficit.

§ 12. Volumus autem quod praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula seu constitutione apostolica contraria non obstantibus.

Placet, motu proprio. M.

Admissio in Cam Apost.

Die XI octobris MDLXVI admissa est hæc cedula motus proprii ex decreto Cameræ et registrata libro secundo signaturarii sanctissimi domini nostri Papae apud me notarium, folio CXIII.

Hieronymus De Tarano.

Publicatio

Anno a nativitate Domini MDLXVI, ind. IX, die vero XX mensis octobris, pontificatus sanctissimi patris et D. N. D. Pii Papæ V anno I, infrascriptae literae apostolicae affixae fuerunt ac publicatae in acie Campi Floræ, ac valvis Cancellariæ Apostolicæ, ut moris est, per nos Franciscum Sottocasa et Nicolaum de Matthaeis, cursores.

Philibertus Chappuis, magister cursorum.

Adm. die 11 octob. 1566, pontif. anno I.

XXIX.

Quod mulieres, etiam praetextu cuiusvis privilegii, facultatis aut licentiae, ingredi non possint (exceptis casibus hic expressis) monasteria et claustra cuiuscumque Ordinis regularis.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Regularium personarum quae, relicto saeculo, Dei se obsequio dedicarunt, pro commisso nobis officio, quieti consulere cupientes, ad ea removenda, quae religiosum earum propositum impedire possunt, curam nostram libenter intendimus, ut nulla re, quæ eas a divino cultu avocet, præpeditae, secundum Ordinum suorum regularia instituta et decretum sacri Tridentini concilii, tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

Causa huius constitutionis

§ 1. Quia igitur et Carthusiensium Ordinis et aliorum regularem vitam professorum quies non parum solet, sicut accepimus, perturbari, propterea quod mulieres, modestiae matronalis oblitae, domos ac monasteria eorum, contra ipsorum instituta, praetextu confessionalium aut aliarum literarum apostolicarum, ingredi audeant, ipsis etiam abbatibus, praepositis, prioribus et aliis praesidentibus aliquando reclamantibus et renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine gravi aliquorum etiam offensione ac scandalo, si quando admitti nimis facile videantur.

Revocatio licentiarum.

§ 2. Huic rei providere volentes, motu proprio et certa scientia ac de apostolicæ potestatis plenitudine, omnes et singulas facultates ac licentias ingrediendi monasteria ac domos Carthusiensium et alio-

rum quorumcumque regularium Ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, et quacumque dignitate ac praeeminentia praeditis, etiam comitissis, marchionissis, ducissis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, ab Apostolica Sede quomodocumque concessas, quarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, tenore praesentium, revocamus, et cassas, irritas et inanes esse decernimus.

Prohibitio et poena mulierum ingredientium.

§ 3. Districte prohibentes mulieribus quidem praedictas facultates et licentias praetendentibus, sub excommunicationis latae sententiae poena, postquam harum literarum notitiam habuerint, a qua non possint, nisi a nobis aut Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi, praeterquam in mortis articulo, ne dictas domos et monasteria ingredi audeant.

Poena religiosorum eas admittentium.

§ 4. Ipsis vero monasteriorum et conventuum abbatibus, praepositis, prioribus et aliis praesidentibus, quocumque nomine vocentur, et eorum monachis, canonicis et fratribus, sive Mendicantibus sive non Mendicantibus, sub privationis officiorum, quae in praesentia obtinent, et inhabilitatis in posterum ad illa et alia omnia, et suspensionis a divinis ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis poenis, ne eas introducere admittereve praesumant.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi.

§ 6. Volumus autem et mandamus ut hae literae ad valvas basilicae Beati Petri apostolorum principis et in Cancellaria nostra, atque in acie Campi Florae de more publicentur.

§ 7. Quia vero difficile foret has literas ad omnia loca deferri, volumus et declaramus ut earum exemplis et transumptis manuscriptis vel impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius praelati munitis, par ubique fides habeatur, ac si praesentes exhibitae essent vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV octobris, millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 24 octob. 1566, pontif. anno I.

Sequitur declaratio constitutionis.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Decet Romanum Pontificem, certissimum mentis suae interpretem, si quando quippiam dubietatis in literis ab eo emanatis occurrit, suae declarationis oraculo quamprimum explanare.

Hic Pontifex edidit constitut. praeced.

§ 1. Cum alias a nobis emanaverint quaedam literae in simili forma brevis sub die XXIV octobris MDLXVI, pontificatus nostri anno primo, in quibus mulieribus quibuscumque monasteriorum regularium ingressus, cum derogatoriis clausulis et irritantibus decretis, prohibetur, et alias prout in illis plenius continetur.

Extensio dictae prohibitionis ad quascumque mulieres.

§ 2. Nos, intuitu et in favorem congregationis Montis Virginis, aliquas dubitationes, quae circa dictarum literarum et mentis nostrae intelligentiam oriri possent, elucidare et submovere volentes, supplicationibus dictae congregationis, nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, apostolica auctoritate, tenore praesentium, dicimus et declaramus fuisse et esse mentem et intentionem nostram quod dictae literae non solum comprehenderent et comprehendant mulieres habere praetendentes facultatem et indulta ingrediendi monasteria, sed etiam omnes et quascumque mulieres alias, tam in genere quam in specie.

Declaratio eiusdem prohibitionis.

§ 3. Significantes nihilominus, prout significamus, quod propter hoc et praedictas nostras literas non intelleximus nec intelligimus quod mulieribus praecluderetur vel praecludatur aditus ad monasteria et loca regularia dictae congregationis ac eorum claustra, quando in eis missae et alia divina officia celebrantur, ac dum processiones fiunt, et quando Christi fidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed libere perpetuo concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem ut ad illa loca dictae congregationis, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis catholicis personis, accedere libere et licite possint et valeant.

Alia declaratio.

§ 4. Et similiter quod quando divinum verbum in claustris monasteriorum et regularium locorum congregationis huiusmodi proponitur, vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fierit, quod commode ingredi non possint et egredi per portam ecclesiae, perpetuo concedimus ut dictae mulieres, una cum aliis saecularibus personis, possint ingredi et egredi per portam claustri monasteriorum et locorum regularium congregationis huiusmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam qua exitur e monasterio; sicque volumus pariter et indulgemus.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Decernentes praesentes de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari vel impugnari non posse; sicque in praemissis ab omnibus censeri; et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac dictis nostris literis, cum inde secutis et quibusvis aliis apostolicis, universalibus, provincialibus et synodalibus, et specialibus et generalibus constitutionibus et ordinationibus; necnon etiam monasteriorum et locorum praedictorum ac illorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, et etiam novis reformationibus; privilegiis quoque, indultis et etiam aliis literis apostolicis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et consistorialiter ac alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimasexta iulii, millesimo quingentesimo septuagesimo, pontificatus nostri anno quinto.

XXX.

Concesso monasterio Ordinis Sancti Augustini in Urbe, sub invocatione Beatae Mariae Virginis Annunciatae virginibus neophitis, moniales transferuntur ad praeceptoriam S. Basilii Magni in regione Montium cum omnibus bonis etc.[1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacrosanctae catholicae Ecclesiae, extra quam constitutis nulla aeternae salutis spes ostenditur, divino consilio praesidentes, inter ceteras gentes, quas cum maximo animi nostri dolore a vera religione alienas et in erroribus suis obstinatas in æter-

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Hebraeorum gens in suis erroribus obdurata,

num exilium praecipites ferri videmus, hebraeorum gens et acerbissimum nobis dolorem infert et misericordiam commovet singularem, dum recolimus populum hunc, quem sibi Dominus prae ceteris omnibus elegerat, nunc a Domino pertinacissime dissidere et, in erroribus suis obstinatum, sibi damnationem perpetuam incredulitatis merito comparasse. Neque sane quicquam praetermittimus, quantum quidem in nobis situm est, quod ad eos ab erroris semita in rectam aeternae salutis viam reducendos pertinere arbitremur.

Ut eam reducant ad viam veritatis adlaborant Pontifices.

§ 1. Itaque et alias et maxime posteaquam ad summum apostolatus officium provecti sumus, numquam destitimus docendo, hortando et monendo, connisi ut eorum quamplurimos ad Christi fidem adduceremus; neque omnino irriti, Dei benignitate, labores nostri fuerunt, quando et satis multi utriusque sexus sacro fonte regenerati, nonnulli etiam ex primariis, a nobis ipsis salutari aqua perfusi, christianam religionem susceperunt, et alii quamplures eorum exemplum secuti, ad tantam multitudinem pervenerunt, ut iam amplissimum hospitale, quod felicis recordationis Paulus Papa tertius, praedecessor noster, apud ecclesiam Sancti Ioannis de Mercato, regionis Campitelli de Urbe, pro excipiendis et in catholica religione instituendis cathecumenis et neophitis, erexit, fere compleant, parumque inde remotum neophitarum virginum monasterium Beatae Mariae Annuntiatae, Ordinis fratrum Prædicatorum, sub Regula S. Augustini, iampridem angustum nimis reddatur.

Hoc praecipue curavit Pius.

Nec frustra, cum multi conversi sint, ut neophitar. praecipue domus angusta iam sit.

§ 2. Quare nos, postquam in hanc cogitationem incubuimus, qua ratione et sanctimonialibus ipsis et aliis virginibus, quae, annuente Deo, ex eo genere convertentur, Religionemque huiusmodi profitebuntur, quarum magnum in dies numerum confluxurum speramus, de idoneo loco, ubi omnes habitare valeant, provideri possit, tandem, diversarum aedium capacitate atque positione nobis proposita, quasdam sed minus idoneas etiam per nos ipsos invisimus, deinde venerabili fratri nostro Ioanni Michaeli episcopo Sabinensi Saraceno, hospitalis et monasterii praedictorum nec non archiconfraternitatis ibidem institutae protectori, et dilecto filio nostro Ioanni tituli Sanctae Mariae Transtyberim presbytero de Montepolitiano nuncupatis cardinalibus, et aliis rerum usu peritis hanc curam delegavimus, omnibusque Urbis partibus magna cura perlustratis, nobis denique relatum est ecclesiam et vetusta aedificia praeceptoriae Sancti Basilii, regionis Montium, hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani etiam de Urbe invenisse, quae in dictarum sanctimonialium usus commode aptari possent.

Volens itaque monasterium B. M. Virginis Annunciatae ipsis aptare, alio sanctimonial. transferendas decrevit, dato ad huc mandato nonnullis viris peritis;

§ 3. Hac igitur nobis opportune oblata occasione, motu proprio et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, unionem, annexionem et incorporationem seu quamcumque aliam appropriationem vel concessionem de dicta praeceptoria et ecclesia Sancti Basilii prioratus eiusdem Urbis hospitalis praedicti Sancti Ioannis Hierosolymitani, etiam vigore stabilimentorum eiusdem hospitalis, ac privilegiorum et indultorum apostolicorum illi concessorum, vel alias ac quacumque auctoritate et ex quavis causa, perpetuo vel ad tempus, factas, dilecti filii nostri Bernardi, tituli Sanctae Priscae presbyteri cardinalis de Salviatis nuncupati, qui dictum prioratum in titulum vel commendam ex dispensatione apostolica obtinet, expresso ad hoc accedente consensu, harum serie, dissolvimus; ac eamdem praeceptoriam, sive illa magistralis, sive alia camera sive membrum dicti prioratus, sive etiam ut principale cum dicto prioratu coniunctim, ac per priorem huiusmodi pro tempore existentem obtineri

Easdem collocat in praeceptoria S. Basilii Magni, Ord S. Ioannis Hierosolymitani, in regione Montium;

et possideri solitum, cum ecclesia sive sacello eiusdem Sancti Basilii, necnon palatio, aedibus, viridariis, hortis, tabernis et domunculis circum positis necnon granariis et emphytheuticis apothecis, ceterisque aedificiis, iuribus, etiam litigiosis, devolutis, iurisdictionibus, actionibus et pertinentiis suis ab ipsis prioratu et hospitali Sancti Ioannis Hierosolymitani dismembramus, dividimus et separamus, ac in eadem praeceptoria seu camera necnon ecclesia Sancti Basilii ordinem, statum et essentiam ceteraque insignia dicti hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, nomenque, titulum et denominationem praeceptoriae ac magistralis seu alterius camerae vel membri perpetuo supprimimus, extinguimus et abolemus.

Praeceptoria suppressa eius bona et redditus sanctimonialibus adiicit;

§ 4. Eamdemque praeceptoriam, cuius et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus centum ducatorum auri de Camera, secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, sive per dissolutionem huiusmodi, sive alio quovis modo et ex cuiuscumque persona vacet, una cum dicta ecclesia Sancti Basilii, necnon palatio, aedibus, hortis, viridariis, tabernis, domunculis, granariis, iurisdictionibus, actionibus, rebus et bonis ac omnibus iuribus, adhaerentiis, usibus et pertinentiis suis archiconfraternitatis praedictae, ad dictarum virginum usum, commodum perpetuo concedimus et assignamus: ita quod liceat ex nunc Ioanni Michaeli episcopo ac protectori praedicto, necnon administratoribus archiconfraternitatis corporalem possessionem ecclesiae Sancti Basilii, necnon palatii, aedium, hortorum, viridariorum, aliarumque proprietatum, bonorum, rerum et iurium praedictorum, per se vel alium seu alios, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus et proventus in praedicti monasterii usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

Illuc monasterium Annunciatae transfert;

§ 5. Et nihilominus in dictis palatio et aedibus aliud monasterium huiusmodi virginum, sub dicta invocatione Beatae Mariae Annunciatae et eiusdem Ordinis Praedicatorum, cum omnibus ad id requisitis, perpetuo erigimus, et ad illud moniales primodicti monasterii, cum sacra et communi supellectile, ceterisque rebus et bonis, necnon privilegiis, indulgentiis, gratiis, concessionibus et indultis apostolicis, eis et eorum singulis quomodolibet concessis, ita ut eadem illa habeant, illisque ipsis potiantur, quae in primodicto monasterio obtinebant, dicta auctoritate, transferimus, illisque dictam ecclesiam Sancti Basilii pro ecclesia secundodicti monasterii concedimus et assignamus.

Magno magistro et priori Urbis prohibet quominus super hac praedictas moniales molestent;

§ 6. Districtius inhibentes, in virtute sanctae obedientiae, dilectis filiis magistro et conventui dicti hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, et pro tempore existenti priori prioratus Urbis ne, etiam quorumcumque statutorum, stabilimentorum ac privilegiorum praetextu vel alias quomodocumque, divisionem et alia praemissa, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, audeant impugnare, seu eorum effectum alias quoquomodo impedire.

Huiusmodi literas nullo vitio notari posse vetat;

§ 7. Ac decernentes singula praemissa nullo tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu argui vel notari; nec sub illis revocationibus, restitutionibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ad magistri et conventus seu prioris praedictorum instantiam, aut etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter et ex quibusvis causis pro tempore factis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, et quoties emanabunt, toties in pristinum statum restituta et plenarie reintegrata

esse et censeri, nec ipsos magistrum, conventum aut priorem, etiam praetextu enormissimae laesionis aut damni et incommodi sui hospitalis et prioratus, rescissionem praemissorum aut restitutionem in integrum vel reductionem ad terminos iuris, seu quodcumque aliud iuris vel gratiae remedium, contra illa impetrare, seu etiam ab alio vel aliis impetratis, vel etiam motu et scientia similibus concessi, uti posse; sicque, in eisdem praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores huiusmodi literarum deputat;

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Theatinensi, et Amerinensi ac Narniensi episcopis, per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ioannis Michaelis episcopi ac protectoris, necnon administratorum et archiconfraternitatis praedictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia et singula firmiter observari; ipsosque omnes, quos eaedem literae concernunt, in futurum illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eorum quempiam per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, desuper quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, eorum arbitrio moderandas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria quaecumque tollit.

§ 9. Non obstantibus nostra per quam dudum inter alia voluimus quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset; ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis; nec non piae memoriae Bonifacii Papae octavi, etiam praedecessoris nostri, quibus cavetur ne Mendicantes ad nova loca transire, aut illa recipere praesumant quoquo modo, sine speciali dictae Sedis licentia, de prohibitione huiusmodi mentionem faciente, et ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicem evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant; et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis constitutionibus; ac hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani et prioratus praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis necnon praedictis magistro, conventui et priori, ac quibusvis aliis superioribus, personis et locis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, qui ab ipsius hospitalis institutione hucusque fuerunt, ac nos et Sedem Apostolicam contra huiusmodi alie-

nationes et dismembrationes, etiam cum decreto quod illae ex quavis causa factae nullis temporibus subsistere possint, sed res et bona semper unita, ut prius, censeantur, et suam pristinam naturam sortiantur, nec unquam aliis consolidari, aut in alios usus converti, sed ad ius et proprietatem quocumque tempore revocari valeant, et alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, necnon consistorialiter, ac consideratione, intuitu, contemplatione vel ad instantiam imperatoris, regum, ducum et aliorum principum, aut etiam nullius instantiam, ac pro conservatione religionis christianae, quotiescumque concessis, confirmatis et innovatis, etiamsi in eis ac praedictis stabilimentis caveatur expresse quod illis etiam per quascumque literas apostolicas, etiam quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, districtiores et insolitas, et etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione, in se continentes, nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil omisso, insertus, ac huiusmodi derogationes consistorialiter factae, et per trinas distinctas literas, eumdem tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus, magistro et conventui praedictis legitime intimatae et insinuatae fuerint, et ipsorum magistri, conventus ad id expressus accesserit assensus, et aliter factae minime suffragentur, nec magister et conventus praedicti ad parendum literis derogatoriis huiusmodi et decretis desuper illis processibus, ac illorum executoribus et subexecutoribus, eorumque mandatis et monitionibus teneantur, sed literarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec, ratione resistentiae huiusmodi, censuris ecclesiasticis, per eosdem executores et subexecutores latis, innodari possint. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliqui, super promissionibus sibi faciendis de praeceptoriis huiusmodi, speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in dicta Urbe, generales dictae Sedis vel legatorum eius literas impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem literas et processus habitos per easdem et inde secuta quaecumque ad dictam praeceptoriam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; seu si magistro et conventui praedictis vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indultis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis te-

noribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Clausulae

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, tertio kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 novemb. 1566, pontif. anno I

XXXI.

De reformandis Hispaniarum coenobiis [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Maxime cuperemus eos, qui, religiosam vitam professi, divino se cultui dedicarunt, ita vivere ut eorum Religio immaculatum decorem suum obtineret, et ex illorum vitae ac morum honestate bonisque operibus coelestis glorificaretur Pater; sed quia multi a fundatorum Ordinis sui institutis nimis iampridem aberrant, ipsos auctores et Ordinem moribus suis non parum dedecorantes, cogit nos zelus domus Domini, eorum irreligiosae vitae atque licentiae, quandoquidem ipsi modum eius nullum faciunt, finem imponere.

Exordium.

§ 1. Non sine magna sane animi molestia nobis innotuit fratres Ordinis Sancti Francisci Conventuales, in diversis Hispaniae partibus et provinciis constitutos, professionis et salutis suae immemores, et privilegiis ab Apostolicae Sedis benignitate impetratis abutentes, vitam ab institutis fundatoris et patris sui Seraphici admodum discrepantem ac remotam ducere, et pravis suis exemplis quamplurimos Christi fideles pusillos non mediocriter offendere. Cum igitur tam grave tamque inveteratum scandalum, divini honoris et salutis animarum causa, pro commisso nobis officio, tollere statuerimus, piis etiam ad hoc adducti precibus carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, religiosissimi principis, non immerito videlicet timentis ne qui pro populo apud Deum intercessores esse debent, nimia sua vivendi licentia, Illius iram acrius provocent, universis et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, per Hispaniam constitutis, in virtute sanctae obedientiae, praesentium tenore, committimus atque mandamus ut quisquis eorum in civitate vel dioecesi sua habet domum vel domus fratrum Minorum Conventualium, is, Dei tantum omnipotentis honorem ante oculos propositum habens, assumptis secum de Ordine fratrum Minorum de Observantia ministro provinciali eius provinciae, in qua illi fratres consistunt, et aliquo praeterea eiusdem Ordinis Observantium, quem ipse minister provincialis idoneum duxerit, accedat ad domum seu domos singulas, si plures sint, dictorum fratrum Conventualium, in eisque conventibus, ex auctoritate Sedis Apostolicae, cuius vices in hoc negotio ei, tenore praesentium, erogamus, aboleat penitus, et in perpetuum tollat atque extinguat formam vivendi conventualem, eosque fratres ad eamdem vivendi formam eademque instituta redigat, quae fratres Minores de Observantia seu de Familia vocati observant, et eorum ecclesias ac domos Ordini fratrum Minorum de Observantia assignet perpetuo habendas, atque in eas domos alios fratres de conventibus fratrum eiusdem Ordinis de Observantia, quos et quo sibi visum fuerit, de illorum duorum fratrum sibi assistentium consilio, transferat, et ex ipsis guardianum atque alios officiales, ad eum conventum regendum et gubernandum idoneos, auctoritate nostra deputet atque constituat; ipsos vero fratres Conventuales,

Diplomatis causa

Mandatum

[1] Ex bull. Ord. fratrum Praedicat., tom. V, pag. 146, in quo ita inscribitur haec constitutio, quae in romana editione hunc profecto parum accuratum titulum habebat, *De reformandis coenobiis fratrum Ordinis Praedicatorum in Hispaniis* (R. T.).

aliorum fratrum Minorum de Observantia consortio aggregatos atque unitos, ex domibus, in quibus antea vitam conventualem egerant, translatos, per conventus fratrum Minorum de Observantia distribuat, ut posthac eiusdem ipsi quoque Observantium Ordinis et appellentur et sint, sub eiusdem ministri generalis obedientia atque regimine. Quae autem de fratribus Conventualibus Ordinis Sancti Francisci ad vitae regularis observantiam reducendis mandavimus, eadem, propter easdem causas, et ad eadem tollenda offendicula et scandala, de fratribus in Hispania consistentibus, aliorum quoque Ordinum quorumcumque Conventualibus, ad vitae regularis observantiam reducendis, eadem auctoritate, eisdem venerabilibus fratribus mandamus, velut Canonicorum Regularium, Sancti Benedicti, Cisterciensis, Prædicatorum, Eremitarum Sancti Augustini, Carmelitarum et aliorum quorumvis Ordinum, ex quibus tamen, praeter fratres Conventuales, sint quoque aliqui eiusdem Ordinis in Hispania Observantes. Ad eam formam omnes eiusdem Ordinis, qui ad hoc tempus Conventuales fuerant, suscipiendam et observandam, iuxta sua cuiusque Ordinis regularia instituta et sacri concilii Tridentini decreta, redigi et ad alios conventus transferri, eodemque modo ut de domibus et ecclesiis fratrum Minorum Conventualium diximus, ipsorum quoque domos et ecclesias fratribus, una cum bonis omnibus eiusdem Ordinis, Observantibus assignari volumus. De fratribus vero illorum Ordinum, quorum nulli usquam conventus sunt qui vitam regularem observent, sed omnes tantum Conventuales sunt, quemadmodum ipsi quoque reformandi, et ad quam vivendi in communi formam sint reducendi, aliis literis statuemus. Si qui autem de fratribus Conventualibus ad regularis vitae observantiam reduci se pertinaciter recusaverint, eos in carceribus, donec ad cor redeant, sub fida custodia retineri mandamus. Ne autem ipsorum fratrum Conventualium excessus et delicta remaneant impunita, in eos procedendi, et pro culparum atque excessuum magnitudine, animadvertendi; et si quorum delicta adeo gravia fuerint ut, si laici essent, ultimo fuerint supplicio puniendi, ad triremes eos damnandi, si modo aetas et vires illi labori aptae sint; sin minus, in perpetuum carcerem, ad agendam poenitentiam, relegandi; excessus vero minus graves, nec poenam capitis meritos, secundum canonicas sanctiones, seu archiepiscopi episcopive, ad quem id spectabit, et provincialis atque illi adiuncti fratris arbitrio, puniendi; bona praeterea quaecumque, mobilia et immobilia, tam quae domus eorum in communi possident, quam fratrum Conventualium antea propria, ex consuetudine, vel forsan ex aliquo obreptitio vel subreptitio privilegio et dispensatione apostolica eis obtinere concessa sive permissa, vel ex ipsorum industria acquisita, vel ex parentum successione, aut ab aliis relicta, legata donatave, ab eis, tam quoad usum et possessionem, quam quoad proprietatem attinet, in perpetuum abdicandi; de conventibus, etiam fratrum regularis observantiae, uno vel pluribus, alios in huiusmodi conventus, de ipsorum fratrum assistentium consilio, transferendi; omnia denique, quae vel ad abolendam vitam conventualem, et vitae regularis observantiam loco eius introducendam, vel ad inquirendam criminum veritatem fuerint necessaria quoquo modo aut opportuna, agendi, faciendi et exequendi ipsis venerabilibus fratribus, una cum dictis provinciali et eius socio, sicut dictum est, plenam et liberam, auctoritate apostolica, damus atque concedimus potestatem. Quod si qui vel ipsorum fratrum Conventualium vel aliorum Ordinum prae-

dictorum ad alium Ordinem regularis observantiae transferri maluerint, id eis permitti volumus, dummodo ad Regulam transeant arctiorem. De bonis autem ipsorum fratrum Conventualium, mobilibus et immobilibus, et de omnibus huiusmodi conventuum redditibus, ipsos venerabiles fratres nostros, ad quos pertinebit, ita, de consilio provincialis et socii eius sibi assistentium, disponere volumus, ut fratribus regularis observantiae illuc introducendis de supellectili et aliis rebus victui eorum aut divino cultui et reparationi ecclesiarum ac domorum necessariis per ipsos provideatur. Quae vero ultra huiusmodi sumptus superfuerint, ea singulis in locis apud idoneas personas deponi volumus et sequestrari, fideliter conservanda, ac postea Sedem Apostolicam consuli, in quorum usus ea converti debeant. Contradictores et omnes, qui ipsis fratribus Conventualibus, ad impediendam reductionem huiusmodi, consilium, auxilium vel favorem praestare ausi fuerint, per censuras ecclesiasticas et alia iuris ac facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus quibuscumque apostolicis, et inter ceteras felicis recordationis Sixti IV et Leonis X, praedecessorum nostrorum, etiam *Mare Magnum* appellatis; ac in generalibus, provincialibus synodalibusve conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; statutisque et consuetudinibus ipsorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis dictis Ordinibus, necnon eorum superioribus, quocumque nomine vocentur, conventibus et personis, sub quacumque verborum forma et cum quibuscumque decretis et clausulis, quantumvis efficacibus et insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis ac saepius confirmatis.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Quibus omnibus, etiamsi de eis eorumque totis tenoribus specialis, expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales eamdem vim habentes, esset mentio facienda, eorum tenores, perinde ac si praesentibus inserti fuissent, pro expressis habentes, auctoritate apostolica, specialiter et expresse pro hac vice dumtaxat derogamus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Omniaque, quae supradictam reductionem fratrum Conventualium, ac vitae regularis observantiam, seu harum literarum executionem quovis modo impedire possint, concessa hactenus atque edita, revocamus et annullamus.

Transumptorum fides.

§ 5. Quia vero difficile foret praesentes literas ad omnium, quorum opus fuerit, pervenire notitiam, transumptis earum, manu alicuius notarii publici subscriptis vel impressis, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eandem fidem ubique haberi volumus atque decernimus, ac si originales literae exhibitae essent vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die secunda decembris MDLXVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 decemb. 1566, pontif. anno I.

Sequitur eidem super hac re [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Cum, gravissimis de causis, pastoralis officii cura animum nostrum stimulante, ac pie nos etiam hortante carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico, fratres Ordinis Minorum et aliorum Ordinum Conventuales in Hispania consistentes, ad vitae regularis observantiam, secundum sua cuiusque Ordinis

1 Ex bull. Ord. fratrum Praedicator., tom. V, pag. 148.

instituta, reducendos esse statuerimus per ordinarios locorum, de consilio provincialis cuiusque provinciae et alterius fratris ab ipso provinciali assumendi, sicut in literis nostris, super ea reductione confectis, plenius continetur, volentes bono quoque regimini monialium in Hispania consistentium, quae per fratres Minores Conventuales gubernari antea solebant, providere, et quae in quoque earum conventu corrigenda et reformanda sint, corrigi ac reformari, praeter illa, quae super clausura et reformatione generali cunctarum monialium, per literas nostras sub plumbo antea editas salubriter constituimus, venerabilibus fratribus Hispaniae archiepiscopis et episcopis, in quorum civitatibus et dioecesibus conventus sunt monialium, quae per fratres Ordinis Minorum Conventualium antea regi consueverunt, tenore praesentium mandamus atque in virtute sanctae obedientiae committimus ut, assumpto quisque eorum ministro provinciali fratrum Minorum de Observantia sive Familia et altero fratre, quem minister elegerit, ad earum domum seu domos personaliter accedens et Deum tantum prae oculis habens, auctoritate Sedis Apostolicae eas visitet et, de consilio fratrum sibi assistentium, tam in capite quam in membris reformet, atque ad regularis vitae observantiam, iuxta fratrum Ordinis Sancti Francisci de Observantia instituta, reducat, easque in perpetuum curae regiminique committat fratrum Minorum de Observantia. Item vero de monialibus Conventualibus aliorum Ordinum quorumcumque in Hispania itidem consistentibus, et per fratres Conventuales antea regi solitis, quod ad reformationem et curam ac regimen earum pertinet, ab ordinariis locorum fieri statuimus atque mandamus; ipsis ordinariis omnia quae ad talem visitationem, reformationem et reductionem faciendam necessaria aut quomodolibet opportuna erunt, agendi, faciendi et exequendi plenam tribuentes et liberam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, potestatem; contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 1. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis et consuetudinibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis et confirmatis; privilegiis quoque et indultis, etiam in fundatione et institutione, monasteriis vel domibus et monialibus, sub quibuscumque verborum formis et clausulis, irritantibus aliisve decretis quibuslibet concessis, confirmatis ac saepius etiam innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque tenoribus totis specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales eamdem vim habentes, esset mentio facienda, tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes, perinde ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti essent, quod ad harum literarum executionem tantum attinet, derogamus; aut si aliquibus ab eadem Sede communiter vel divisim indultum sit ne interdici suspendive possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Quia vero difficile foret praesentes literas ad omnium notitiam pervenire, volumus ut transumptis earum, manu alicuius publici notarii subscriptis, vel impressis, et sigillo alicuius praelati munitis, eadem fides ubique habeatur, ac si originales literae exhibitae essent vel ostensae. Obstantium derogatio.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDLXVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 decemb. 1566, pontif. anno I.

XXXII.

De veritate exprimenda a procuratoribus S. Poenitentiariae, in dispensationibus matrimonialibus ceterisque gratiis apostolicis, sub poena falsi [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Cum, sicut accepimus, nonnulli, suae conscientiae prodigi, ac propriae salutis immemores, ut facilius a nobis et Sede Apostolica dispensationes matrimoniales et alias gratias et concessiones obtineant, gradus consanguinitatis vel affinitatis aut cognationis spiritualis, ac scientiam illorum aliter quam eis a principio ab ipsis partibus significatum vel narratum fuerit, exponunt; et si matrimonia huiusmodi adhuc contracta non fuerint, pro contractis narrant, ac alias diversimode veram facti speciem, tam in ipsis dispensationibus matrimonialibus, quam pro aliis quibuscumque gratiis et concessionibus obtinendis immutent; ac propterea cum non solum in impetrationibus huiusmodi falsitas narretur, verum etiam in partibus plerumque, pro verificatione gratiarum huiusmodi, veritas immutetur et falsitas committatur. Causae constitutionis.

§ 1. Nos igitur, huiusmodi abusibus et erroribus obviare cupientes, motu proprio *etc.*, omnes et singulos procuratores, tam officii sacrae Poenitentiariae seu contradictarum, quam alios quoscumque sollicitatores et scriptores, quos copistas vocant, qui veritatem facti a narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt, quoad substantialia et qualitates necessario exprimendas diversam faciunt, seu quoquomodo intervertunt aut immutant, depravant, et per subreptionem et obreptionem gratias a nobis extorquent, poenam falsi incurrere, et ea puniri omnino debere decernimus et declaramus. Veritas exprimatur sub poena falsi

§ 2. Mandantes propterea almae Urbis gubernatori, Camerae Apostolicae auditori et vicario, quatenus in praemissis reos et culpabiles repertos poena falsi, ut praemittitur, puniant, cum potestate citandi, etiam per edictum, constito summarie de non tuto accessu, aliaque dicendi et faciendi in praemissis necessaria seu quomodolibet opportuna. Executorum deputatio

§ 3. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus; irritum quoque et inane *etc.*, dicique *etc.*, iudicari et diffiniri debere, sublata *etc.*, decernentes. Clausulae derogatoriae

§ 4. Et quod praesentis motus proprii, et absque data et registratura, sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria non obstante. Sola signatura sufficit

§ 5. Eiusque transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptorum fides.

§ 6. Quodque Camerae et Cancellariae Apostolicae ac Audientiae causarum Palatii Apostolici valvis et in acie Campi Florae, dimissis inibi copiis affixis, omnes ita afficiant et arctent ac si illis personaliter intimatae fuissent. Forma publicationis.

Placet, motu proprio. M.

Die v decembris MDLXVI suprascriptae literae apostolicae affixae et publicatae fuerunt in locis suprascriptis, dimissis in eisdem locis copiis affixis, per me Nicolaum de Mattheis, cursorem.

Io. Guerardi, magister cursorum.

Publ. die 5 decemb. 1566, pontif. anno I.

---

1 Alias poenas habes infra in const. *In omnibus*, ubi agitur de reformatione Poenitentiariae. De materia autem huiusmodi dispensationum vide infra in const. *Ad Romanum*, ubi notabo.

XXXIII.

Declaratio quod sententiae in favorem reorum de haeresi inquisitorum a quibuscumque iudicibus contra stilum vel dispositionem iurisdictionis Officii sanctissimae Inquisitionis latae et ferendae, non transierint nec transeant in rem iudicatam; et iurisdictio cardinalium inquisitorum ipsas causas revidendi; et confirmatio constitutionis Pauli quarti editae contra haereticos [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Hic Pontifex, in minoribus existens, inquisitor fuit, et abusus hic descriptos evenire cognovit.

Inter multiplices curas, quae animum nostrum assidue pulsant, illa in primis est, prout esse debet, ut Ecclesia Dei, nobis ex alto commissa, purgatis, immo, quantum fieri potest, procul exterminatis omnibus haeresibus et pravis erroneorum opinionum dogmatibus, tuto militare, et tamquam navis in tranquillo mari, sedatis omnibus tempestatum fluctibus et procellis, secure navigare et ad optatum salutis portum pervenire possit. Cum itaque nos dum in minoribus constituti sanctissimi Officii Romanae et universalis contra haereticam pravitatem Inquisitionis negocia pertractaremus, tandem ex longo usu atque experientia rerum magistra cognoverimus quod multi rei delati, et in praedicto sanctissimo Officio seu alibi coram locorum ordinariis et haereticae pravitatis inquisitoribus processati, ac de haeretica pravitate inquisiti falsos testes ad eorum defensam examinari faciendo, ac compurgatorum, de eorum vita et doctrina minime informatorum opera et testimonio se iuvantibus, ac diversis aliis illicitis modis excogitatisque dolosis excusationibus et malitiis, praedictum sacrum Officium sanctissimae Inquisitionis ceterosque iudices [2]; plures etiam, veluti innocentes, diffinitivas a praedictis processibus et inquisitionibus absolutorias, et, praecedente canonica purgatione, eorum assertae bonae et catholicae fidei vitae et doctrinae declaratorias sententias seu decreta ab eodem sanctissimo Officio aliisque locorum ordinariis sive delegatis et inquisitoribus, ac etiam Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris obtinuerunt seu extorserunt, quas sententias et decreta praefati Romani Pontifices, etiam cum perpetui silentii impositione, ac inhibitione ne dictum sanctissimum Officium aut alii inquisitores ad ulteriora procedere possent seu deberent, necnon etiam cum causarum avocatione ad solum Romanum Pontificem, sub cuius protectione submittebantur, aliisque derogatoriarum derogatoriis et efficacissimis clausulis, ac etiam irritantibus et aliis decretis, etiam in forma gratiosa, ampliando, per varios et varias eorum motus proprios, ac etiam sub plumbo vel annulo Piscatoris expeditas literas, etiam in consistorio seu consistorialiter emanatas, confirmarunt. Unde eveniebat quod praedicti rei inquisiti, sub velamine et tutamine praedictarum sententiarum, declarationum et literarum apostolicarum, et praesertim vigore clausulae inhibitoriae contra inquisitores factae, confidentes, clam, et etiam aliquando palam, in antiquis eorum erroribus contra fidem catholicam perseverando, nunquam ad gremium Ecclesiae vere redibant, immo cum aliis secure et tanquam catholici conversando, eorumdem aliorum animos corrumpere et inficere, ac in suas haereticas opiniones trahere de facili potuerunt, in totius reipublicae christianae non modicum scandalum et praeiudicium, praedictorumque delatorum animarum perniciem et iacturam.

Et ideo reducit ad terminos iuris quascumque literas apo-

§ 1. Nos, huic scandalo adeo periculoso et contagioso obviare, dictarumque animarum saluti consulere et providere, om-

1 Haec bulla Pauli IV, *Cum ex*, est in tom. VI, pag. 551.

2 Deest forte *decceperunt*, aut quid simile (R. T.).

stolicas in causis haeresis emanatas, et revocat easdem quatenus sint contrariae dispositioni, iurisdictioni ac stilo Inquisitionis, et declarat quod sententiæ in reorum inquisitorum favorem contra dictum stilum et dispositionem datae et ferendae numquam transeant in iudicatum.

nemque iurisperitorum dubietatem et altercationem, ac quaecumque impedimenta et obstacula, propter quae sancta Inquisitio haereticae pravitatis quomodocumque et qualitercumque impediretur vel retardaretur, tollere volentes, motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, in primis omnes et singulas ac quascumque literas apostolicas, sub quacumque verborum forma, etiam in praedictis ac quibusvis aliis causis haeresis, etiam motu proprio *etc.* ac etiam consistorialiter *etc.* et alias quomodolibet emanatas, necnon etiam desuper signatas motuum propriorum et alias cedulas quaslibet, ad ius et iustitiam ac iuris terminos reducentes; necnon fisco praedicti sancti Officii Inquisitionis et aliorum ordinariorum et delegatorum iudicum adversus praedictas literas, ac etiam derogatoriarum derogatorias, aliasque clausulas quaslibet os operientes, et quatenus iurisdictioni, dispositioni vel stylo dicti officii sint contrariae, illas penitus et perpetuo revocantes, hac nostra perpetua perpetuoque valitura universali constitutione, omnes et singulas et quascumque, etiam ex capite assertae innocentiae absolutorias, vel etiam, praecedente canonica purgatione, sub quacumque verborum forma declaratorias sententias, etiam diffinitivas, et decreta in eorumdem reorum inquisitorum et delatorum favorem per praedictum sanctissimum Officium aliosque iudices ordinarios et delegatos, ac etiam Romanos Pontifices latas et lata, aut in futurum, per nos etiam et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes ferendas et ferenda, numquam fecisse nec in futurum posse facere transitum in rem iudicatam, apostolica auctoritate declaramus, decerninus, statuimus et ordinamus.

§ 2. Praefatisque sententiis et decretis, et quacumque per literas apostolicas, etiam in forma gratiosa, etiam iteratis vicibus, ac etiam a pluribus Romanis Pontificibus emanatis, confirmatis vel confirmandis, cum praedictis vel aliis quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac etiam irritantibus aliisque clausulis et decretis, necnon inhibitionibus, ac etiam canonicis sanctionibus, quorum omnium et singulorum aliorumque præmissorum et inde secutorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis ac totaliter insertis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque non obstantibus, per praedictum sanctum Officium sanctae Inquisitionis, ac dilectos filios modernos et pro tempore existentes sanctæ Romanae Ecclesiae cardinales haereticae pravitatis inquisitores et super dicto Officio nunc et pro tempore deputatos, contra eosdem et reos, delatos et inquisitos, etiam si fuerint et sint episcopi, archiepiscopi, patriarchae, primates, eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales legati, etiam de latere, comites, barones, marchiones, duces, reges et imperatores, tam de antiquis quam noviter, etiam super eisdem articulis, receptis vel recipiendis testibus aliisque argumentis, probationibus et indiciis, iuxta facultates eisdem cardinalibus inquisitoribus per nos et quoscumque praedecessores et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes ac Sedem Apostolicam quomodolibet concessas et datas, ac in futurum respective dandas et concedendas, denuo inquiri et procedi posse et debere, etiam in omnibus et per omnia, perinde ac si praedictae sententiae, decreta et literae apostolicae ac etiam canonicae purgationes in praedictorum reorum delatorum et inquisitorum, etiam episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum, primatum, cardinalium, legatorum, comitum, baronum, marchionum,

Facultas inquisitorum gener. revidendi causas, non obstantibus sententiis a Sede Apostolica confirmatis.

ducum, regum et imperatorum favorem, non emanassent, novis praesertim supervenientibus indiciis eiusdem vel alterius speciei haeresis, tempus praeteritum etiam respicientis, vel ubi appareret per aliena indicia quod illicitis modis prius ipse delatus vel inquisitus fuisset absolutus, eadem apostolica auctoritate volumus pariter et mandamus. Concedentes eisdem cardinalibus inquisitoribus et super dicto sacrosanctissimae Inquisitionis Officio nunc et pro tempore deputatis plenam, liberam, amplam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem causas huiusmodi, etiam auctoritate oecumenici universalis concilii Tridentini decisas, revidendi, ac in statu et terminis, in quibus ante praedictas sententias et decreta ac etiam canonicas purgationes quomodolibet reperiebantur, reassumendi fineque debito terminandi, prout in aliis causis pendentibus indecisis per eosdem cardinales inquisitores, iuxta eorum facultates, fit fierique potest et consuevit.

Pauli IV constitutio contra haereticos approbatur.

§ 3. Et insuper, vestigiis felicis recordationis Pauli Papae IV, praedecessoris nostri, inhaerendo, constitutionem alias contra haereticos et schismaticos per eundem Paulum praedecessorem, sub data videlicet Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, quintodecimo kalendas martii, pontificatus sui anno IV, editam, tenore praesentium renovamus et etiam confirmamus, illamque inviolabiliter et ad unguem observari volumus et mandamus, iuxta illius seriem atque tenorem.

Clausula sublata.

§ 4. Et sic in omnibus et singulis supradictis censeri, ac ita per praedictos et quoscumque iudices *etc.*, sublata *etc.*, iudicari *etc.* debere; irritum *etc.* perpetuo decernimus et declaramus.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac regula nostra de non tollendo iure quaesito et quibusvis aliis apostolicis, universalibus, provincialibus et synodalibus constitutionibus, ordinationibus, necnon iuramento *etc.* roboratis, statutis *etc.*; privilegiis quoque, indultis et praedictis ac aliis literis et etiam motibus propriis quibuslibet, etiam praefatis reis et inquisitis, etiam episcopis *etc.* ac imperatoribus, etiam absolutis, et quibusvis aliis personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus *etc.*, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque clausulis, ac etiam irritantibus et aliis decretis, ac etiam poenalibus inhibitionibus, etiam motu proprio *etc.* ac consistorialiter *etc.* et alias in contrarium quomodolibet concessis *etc.* in posterumque concedendis *etc.* Quibus omnibus, etiam si de illis *etc.*, eorum tenores *etc.*, latissime hac vice derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Clausulae derogatoriae.

Fiat, motu proprio. M.

Repetitio clausularum.

§ 6. Et cum absolutione a censuris, ad effectum *etc.*, et de reductione *etc.*, revocatione, singulis declaratione, decretis, statuto, ordinatione, voluntatibus, mandatis, concessione, revocatione, confirmatione, derogatione aliisque praemissis, ut supra in forma gratiosa perpetuo et ad perpetuam rei memoriam.

Forma et effectus publicationis.

§ 7. Et quod postquam praesentes seu desuper forsan conficiendae literae, per aliquem vel aliquos ex cursoribus nostris in basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae valvis ac acie Campi Florae affixae et publicatae fuerint, omnes praedictos, etiam episcopos *etc.* ac imperatores et alios quorum interest, afficiant et arcent, perinde ac si eis personaliter intimatae et insinuatae fuissent; ac vim et efficaciam solemnis, personalis, validae et peremptoriae monitionis et citationis habere, omnesque ligare habeant.

Sola sufficit signatura.

§ 8. Et quod praesentis nostri motus

proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria non obstante. Et nihilominus, si videbitur, literae desuper, etiam per breve nostrum aut officium contradictarum, simul vel ad partem, expediri possint.

Transumptorum fides.

§ 9. Et quod praesentium seu desuper conficiendarum literarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, aut curiae ecclesiasticae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si exhibitæ forent vel ostensae.

Fiat, motu proprio. M.

Datum Romae apud S. Petrum, XII kalendas ianuarii, anno I.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini MDLXVI, indictione IX, die vero lunae, XXX mensis decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae V anno I, suprascriptus motus proprius affixus et publicatus fuit ad valvas Principis Apostolorum B. Petri de Urbe, Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, dimissis ibidem eiusdem copiis affixis, ut moris est, per nos Ioannem Gerardi et Christianum de Monte, praelibati sanctissimi domini nostri Papae cursores.

Stephanus de Olea, magister cursorum.

Dat. die 21 decemb. 1566, pontif. anno I.

XXXIV.

Quod fecerit maior pars cardinalium sanctissimae Inquisitionis vel, aliquibus absentibus, etiam duo, valet ac si omnes fecissent [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Pius IV edidit const. hic enunciatam.

Cum felicis recordationis Pius IV, praedecessor noster, per suum specialem motum proprium *etc.* [2].

1 Similem constitutionem edidit Pius IV, *Cum nos*, ut supra, pag. 301.

2 Omittitur relatio, quia ipsa bulla est in loco supra indicato.

Hic Pontifex quosdam cardinales deputavit inquisitores,

§ 1. Nos, postquam divina providentia ad summi apostolatus apicem assumpti sumus, considerantes eosdem praefectos cardinales in variis ac diversis publicis negociis, ob eorum experientiam et doctrinam, implicitos et occupatos esse, ut dictum officium concernentia eo celerius expediri possint, quo illi praepositi aliis negociis fuerint minus impliciti, loco ipsorum, quibus etiam aliorum quorumdam negociorum ad Sedem Apostolicam spectantium curam dedimus, in eodem sacro Officio Inquisitionis haereticae pravitatis deputavimus inquisitores dilectos filios nostros Bernardinum Scotum tituli Sancti Matthaei, Scipionem tituli Sanctae Anastasiae Rebibam, Franciscum tituli S. Crucis in Hierusalem Pacicchum, Ioannem Franciscum de Gambara tituli Sanctae Pudentianae, sanctae Romanae Ecclesiae cardinales.

Et modo talem deputationem confirmat;

§ 2. Ne tamen in posterum de eorum iurisdictione haesitari contingat, motu simili et ex certa nostra scientia deputationem huiusmodi, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, et, quatenus opus sit, de novo eosdem quatuor cardinales generales haereticae pravitatis in eisdem alma Urbe, Curia Romana ac tota republica christiana creamus, confirmamus et deputamus.

Facultatesque hic expressas eisdem concedit.

§ 3. Et insuper, pro faciliori earum expeditione, statuimus, decernimus et ordinamus ut quicquid per maiorem partem praesentium vel, aliquibus absentibus, per duos ex praedictis cardinalibus deputatis, qui in congregatione pro dicto officio intervenerint seu convenerint, dictum, gestum, statutum, ordinatum, decretum, terminatum seu sententiatum extiterit, sit validum et firmum, ita et taliter quod nullo modo impugnari possit, perinde ac si omnes et singuli cardinales praedicti in dicta congregatione intervenissent et convenissent, et maior pars eorum consen-

sisset, cum plena et omnimoda iurisdictione, auctoritate et potestate dicto officio ac omnibus praedictis cardinalibus et eorum praedecessoribus per nos vel alios Summos Pontifices alias quomodolibet concessis et attributis; irritum *etc.* decernentes.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae nos et praedecessores nostri voluerunt et volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Signatura sola sufficit.

§ 5. Decernentes solam praesentis nostri motus proprii signaturam sufficere et ubique, in iudicio et extra, fidem facere, regula contraria non obstante.

Placet, motu proprio. M.

XXXV.

Mitigatio constitutionis Pii IV, quoad appellationes condemnatorum, facto deposito vel data cautione 1.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Pius IV post alios Pontifices prohibuit appellationem, non facto deposito, in causis criminalibus.

§ 1. Cum (sicut accepimus a dilecto filio Alexandro Riario, auditore nostro et appellationum iudice ordinario) ex diversis literis in forma motus proprii per felicis recordationis Pium quartum et alios Pontifices praedecessores nostros, et praesertim sub datum Romae apud Sanctum Petrum, duodecimo kalendas iunii, anno sexto (quorum omnium tenores hic volumus pro expressis haberi), emanato, de non admittendis appellationibus, neque decernendis inhibitionibus, monitoriis et citationibus in causis criminalibus fiscum nostrum quomodolibet concernentibus, in quibus reos contigerit condemnari, nisi prius facto actuali deposito poenarum, in quibus ex delicto delinquentes ipsi, aut illi, qui pro eisdem fideiussissent, vel ex contractu quoquo modo condemnandi venirent, aut catenus condemnati fuissent, contingat quod alii, etiam optimum ius foventes, interdum, ob nimiam eorum paupertatem, modum talia deposita faciendi non habentes, et sic secluso eis, ob non factum depositum, remedio appellationis, eorum bonum ius, quod praetendunt deducere in appellatione, remanet incognitum et deperditum, et praesertim quoad illos, qui non sunt confessi crimen.

Hic autem Pontifex concedit appellationem, data cautione, ut hic, quatenus nonnisi dives appellans.

§ 2. Nos igitur, more pii pastoris, praemissis omnibus obviare volentes, ne appellationis remedium eiusque prosecutio pauperibus tolli videatur, motu simili et ex certa nostra scientia, dictas literas mitigantes et reformantes, tenore praesentium statuimus, decernimus et ordinamus, ac perpetuo observari mandamus quod in similibus causis fiscalibus et aliis, de quibus in literis et motu proprio huiusmodi fit mentio, omnes et singulae appellationes, ac quaecumque desuper pro tempore praesentatae ac praesentandae commissiones per dictum Alexandrum, modernum et pro tempore existentem Curiae causarum Camerae Apostolicae auditorem, tamquam iudicem talium appellationum, necnon per quemcumque alium iudicem huiusmodi iurisdictionem habentem, admittant ac recipiant et admitti ac recipi libere et licite possint, valeant ac debeant; illarumque vigore quascumque inhibitiones, citationes seu monitoria decernendi et alia faciendi in praemissis necessaria, eisdem auditori nostro et iudicibus praefatis, ad id iurisdictionem habentibus, auctoritatem damus, ac licentiam impartimur, praestita tamen prius cautione idonea per partem seu partes appellantes, non tamen confessos, in forma depositi, pro poena in qua condemnatus extitit, et seu respe-

1 Ista Pii IV constitutio LXIV, *Etsi cuncta*, est supra, pag. 186.

ctive de se constituendo in carcere et ibidem remanendo in quacumque parte iudicii; et quatenus pars esset dives, facto prius actuali deposito, arbitrio iudicis ad quem.

Confessis tamen appellationem denegat.

§ 3. Quo vero ad confessos, liceat iudici a quo, non obstantibus huiusmodi appellationibus et inhibitionibus, et absque aliquarum poenarum incursu, ad ulteriorem executionem pro poenae huiusmodi consecutione procedere. Et neque tam ipsi quam partes ad literarum seu motus proprii praefati observantiam, quoad haec et illa quoquo modo concernentia, nisi iuxta praesentem limitationem et moderationem, ullatenus teneantur.

Decretum irritans

§ 4. Et ita, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices, etiam Camerae Apostolicae camerarium, praesidentem, clericos, thesaurarios ac procuratores fiscales, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales *etc.*, sublata *etc.*, debere; irritum *etc.* perpetuo decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit

§ 6. Volumus autem praesentis nostri motus proprii solam signaturam sufficere et fidem facere in iudicio et extra, regula contraria non obstante, etiam absque eo quod per cursores praesentetur.

Placet, motu proprio. M.

XXXVI.

Reformatio collegii Capranicensis, a cardinali de Capranica, et collegii Nardini, a cardinali Nardino, in Urbe pro scholaribus institutorum; et confirmatio iurisdictionis custodum hospitalis Sancti Salvatoris, gubernatorum utriusque collegii 1.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Accepimus quod, postquam piae memoriae Dominicus et Angelus cardinales de nobili familia Capranicensi, et Stephanus cardinalis Nardinus collegia scholasticorum in Urbe, illud Capranicense, istud Nardinum nuncupata, fundaverunt et erexerunt et dotaverunt; ac constitutiones pro vita et moribus, habitu, vestitu et professione inibi studentium scholarium ediderunt, et eorumdem collegiorum gubernatores, dilectos filios nobiles viros custodes pro tempore pii hospitalis Imaginis Sancti Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe creaverunt et esse voluerunt, quibus omnimodam potestatem corrigendi, multandi, puniendi et alias, prout in dictis constitutionibus latissime continetur, concesserunt, dictique custodes in praemissorum pacifica et quieta possessione extiterunt.

Card. de Capranica instituit in Urbe collegium Capranicense, et card. Nardinus collegium Nardinum, et eorum gubernium dederunt custodibus S. Salvatoris

Sed scholares eorum iurisdictionem evitare tentabant

§ 1. Idem scholares, in pravum animum conversi, iuramenti per eos praestiti immemores, contra praedictarum laudabilium constitutionum formam, quaerentes se a iurisdictione, protectione et gubernio dilectorum filiorum custodum praedictorum eximere, et dicto collegio et pio loco abiectis, diversas in dies inhibitiones a diversis Urbis tribunalibus, ac diversas a Signatura iustitiae commissiones extorquere tentabant et extorquebant, per quas dictorum dilectorum filiorum administrationem, gubernium et correctionem evitare tentabant.

Paulus idem III dictos custodes competen. eorum iudices esse declaravit

§ 2. Cumque praedicta ad notitiam felicis recordationis Pauli Papae tertii, praedecessoris nostri, pervenissent, idem praedecessor, quaerens non minus mentis et voluntati dictorum piorum cardinalium, quam animabus ipsorum scholarium consulere, suo proprio motu voluit, iussit et mandavit quod illucusque omissae causae, ipso iure ad eosdem custodes redirent, quos solum in solidum iudices eorumdem scholarium ordinarios, iuxta earumdem constitutionum formam, esse declaravit, reservata solum eisdem scholaribus facul-

1 Privilegia autem scholarium generalis gymnasii almae Urbis vide in Bonifacii VIII constitutione XX, *In supremae*, tom. IV, pag. 166.

tate appellandi a diffinitiva, et tunc ad solos dilectos filios conservatores Urbis. Ac de cetero inhibuit commissiones aut inhibitiones contra praedicta decerni non posse, et insuper voluit et mandavit dictas constitutiones de cetero, ut iacent, observari.

Scholaresque non sustinentes conclusiones iuxta statuta collegiorum, inde expelli decrevit.

§ 3. Et quod qui e scholaribus secundum statuta conclusiones infra tempus constitutum sustinere cessarent, ipso facto, sine ulla monitione, privati existerent, et a collegiis expellerentur, et alii pro illis substituerentur, et ad restitutionem expensarum, quibus se indignos indicaverant et fecerant, collegii omnino tenerentur.

Paulus IV praedicta confirmavit.

§ 4. Et successive sanctae memoriae Paulus Papa quartus, praedecessor noster, de praemissis certioratus, praedicta omnia per suas in forma motus proprii literas confirmavit, et perpetuis futuris temporibus servari mandavit.

Hic modo Pontifex ista confirmat.

§ 5. Nos igitur, cupientes non solum quae pie et sancte constituta sunt observari, sed etiam prolapsa ad viam salutis revocari, et quae ad animarum salutem et vitae christianae cultum conveniunt, augeri et in ampliorem formam redigi, praedecessorum constitutiones et ordinationes praedictas ac dicti collegii constitutiones, auctoritate apostolica et de potestatis plenitudine, motu proprio et ex certa nostra scientia, confirmamus et approbamus.

Armorum omnium usum et retentionem prohibet, non tamen ensis in camera

§ 6. Ac motu simili et simili potestate, ad augmentum quietis dicti collegii, salutem animarum scholarium praedictorum et cultum christianae fidei, de novo hac nostra in perpetuum constitutione valitura statuimus, decernimus et mandamus quod de cetero in dicto collegio nullus scholaris, nec etiam ipsum collegium possit retinere aut habere, neque publice neque occulte, aliquod genus armorum, tam defensibilium quam offensibilium, excepto solo ense, quem ipsis scholaribus in eorum cameris retinere permittimus; et quae erunt in dicto collegio, tam ipsorum scholarium quam collegii, arma cuiusvis generis, excepto solo ense, in visitatione per dilectum filium Franciscum cardinalem Alciatum tituli Sanctae Susannae diaconum et per dictos dilectos filios custodes, de mandato nostro nuper facta, reperta fuerunt, illa omnia per praefatos custodes vendi mandamus, et pretium ex eis producendum dominis ipsorum, sive sint scholares sive ipsum collegium, assignari mandamus. Conscientiam eorumdem dilectorum filiorum custodum onerantes in hoc, videlicet ut pugiones, et quos appellant pistolesios necnon et falcatos enses, quos vulgo stortas aut alio simili nomine appellant, vendant magistris, qui eos fundant, et ad eudem materiam reducant. Et quia qui bonis literis operam navare et in sacris initiari incipiunt, paci et quieti ac togae et non armis incumbere debent, volumus et mandamus quod quicumque scholaris de cetero de die vel de nocte et quocumque tempore cum ense, quem his solum retinendum, videlicet ut supra, reliquimus, vel alio genere armorum per Urbem incedere repertus fuerit, etsi licentiam a quovis ad id potestatem habente, excepta sola nostra licentia et successoris nostri, legitime se habere asserant et habeant, illico per quoscumque executores, nullo alio expectato mandato, carcerentur, et in carceribus per sex continuos menses detineantur, absque eo quod aliquid de mensa dicti collegii participent, et ulterius illico a loco dicti collegii priventur. Qui vero de cetero in eorum cameris aut alio loco dicti collegii reperti fuerint tenere aliquod genus armorum, excepto ense solum, ut praefertur, pro prima vice, priventur expensis unius mensis; pro secunda vero vice, eiiciantur statim de collegio.

§ 7. Non minus etiam quia non solum

Ludum quoque alearum et taxillorum eisdem vetat;

in scholaribus et viris togatis, quam in omnibus hominibus ludum aleae seu taxillorum et chartarum, cuiuscumque generis, tamquam a legibus et sacris canonibus ac bonis moribus abhorrentem, detestamur, praecipimus, mandamus et inhibemus ne de cetero aliquis scholarium seu familiarium et servientium in dicto collegio aliquod genus chartarum seu aleae aut taxillorum, publice vel occulte, retinere possit et valeat. Quod si alicui chartae aut alea seu taxilli in eorum camera aut alio loco collegii reperti fuerint, illico, pro prima vice, a mensa et victu per unum integrum mensem arceantur; et si iterum in tale crimen inciderint, a collegio arceantur, et tamquam incorrigibiles priventur.

Habitumque et capucium eosdem gestare debere praecipit;

§ 8. Insuper, quia ex habitu mens et animus ut plurimum et cognoscitur et demonstratur, inhaerentes piae menti testatorum, volumus et mandamus quod, incipiendo a proximis futuris kalendis mensis novembris, scholares perpetuo, quando eunt extra collegium, quocumque eant per Urbem, incedere debeant in habitu longo et veste longa cum solito capucio, iuxta dictarum constitutionum formam. Volentes et mandantes quod illi qui fuerint reperti extra dictum collegium sine dictu habitu et capucio, prima vice, per quemcumque executorem, etiam absque aliquo alio mandato, carcerentur, et in carceribus per tres continuos menses detineantur, absque eo quod de mensa collegii aliquod participent; secunda vero vice, a dicto collegio arceantur et locis eiusdem collegii priventur.

Et logicae, philosophiae ac iuri civili operam dare posse declarat;

§ 9. Et quia nonnunquam controversum accepimus circa studia et professiones ipsorum scholasticorum, declaramus dictas constitutiones, ac etiam, quando opus sit, supplemus et emendamus: volumus et mandamus quod de cetero dictorum collegiorum scholastici logicae et philosophiae operam eo usque dare, quantum et quousque eis sufficiat pro ingressu ad sacram theologiam; et similiter possint iuri civili eo usque operam dare, quantum et quousque eis sufficiet pro ingressu ad ius canonicum; medicinae autem eos operam dare omnino prohibemus et inhibemus.

Licentiasque a Pio IV concessas revocat;

§ 10. Cassantes et irritantes ac annullantes omnem licentiam, etiam per felicis recordationis Pium Papam quartum eisdem concessam, tamquam piae menti fundatorum contrariam; quibuscumque in ea clausulis existentibus non obstantibus.

Constitutionesque collegiorum circa promotion. ad sacros ordines declarat;

§ 11. Et quamvis constitutiones collegiorum praedictorum arcent scholasticos ad se promoveri faciendum, post triennium a die ingressus collegii, saltem ad sacrum subdiaconatus ordinem; nihilominus, respicientes ad decreta sacri concilii Tridentini, volumus quod dicti scholares, elapso triennio, teneantur dumtaxat accipere quatuor ordines minores, et teneantur et obligati sint quotidie officium Sacratissimae Virginis Mariae recitare, et ulterius se aliter praeparare, ut in eventum quod a nobis et successoribus nostris illis, ut speramus, ecclesiastica beneficia conferentur, vel probaretur legitime habere eos sufficienter patrimonium, possint apparere habiles et idonei ad suscipiendos sacros ordines, et tunc vel ad titulum beneficii, quod eis conferetur, vel patrimonii, quod habere eos probabitur, teneantur omnino promoveri ad dictos ordines sacros.

Executores deputat ipsos custodes;

§ 12. Mandantes propterea dilectis filiis custodibus hospitalis praedicti, ut praedicta diligenter attendant et totis viribus, auctoritate nostra, inviolabiliter observari faciant, prout inviolabiliter nos, motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, observari volumus et mandamus.

Contraria omnia tollit;

§ 13. Contrariis non obstantibus quibuscumque; irritum quoque et inane decernentes quicquid in contrarium a quo-

quam super praemissis contigerit attentari.

Signaturam solam sufficere iubet

§ 14. Volumus autem quod praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra. Et quod registretur per secretarium dicti hospitalis in libro constitutionum dicti collegii, ut nemo de illis ignorantiam quovis tempore praetendere possit.

Placet, motu proprio. M

XXXVII.

In quibusvis collationibus, provisionibus et commendis beneficiorum per Sedem Apostolicam collatorum, speciali vel generali concilii Tridentini derogatione minime opus esse declarat [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Causae faciendi decreti.

§ 1. Cum plerumque contingat dubitari in causis in Rotae auditorio nostro et alibi pendentibus, super provisionibus et commendis, unionibus et aliis dispositionibus ac aliis gratiis apostolicis, quae contraveniunt decretis concilii Tridentini, an sit opus speciali derogatione eiusdem concilii.

Decretum (de quo in rubrica)

§ 2. Nos, quaecumque dubia desuper mota et movenda submovere volentes, ac quorumcumque decretorum concilii huiusmodi tenores praesentibus pro expressis habentes, motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, declaramus neque speciali neque generali derogatione eiusdem concilii opus fuisse et esse, in quibusvis collationibus, provisionibus, commendis, unionibus *etc.* et aliis dispositionibus de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, etiam monasteriis conventualibus et consistorialibus ac curam animarum habentibus, quae quomodolibet vacarunt et vacabunt, ac etiam gratiam et iustitiam concernentibus et aliis gratiis ac concessionibus apostolicis per nos ac felicis recordationis Pium Papam quartum praedecessorem, nec non quoscumque Romanos Pontifices successores nostros (nostra tamen et praedecessoris ac successorum praedictorum propria manu signatis) ac Sedem Apostolicam quibusvis personis, collegiis et aliis piis locis ac alias quomodolibet factis et faciendis ac concessis et concedendis. Et ita per quoscumque iudices *etc.*, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quibusvis causis, etiam per appellationem pendentibus, iudicari et definiri debere, sublata *etc.*; irritum quoque decernimus.

In Cancellaria registrandum.

§ 3. Volentes praesentis nostri motus proprii cedulam in Cancellaria Apostolica publicari, et in illius libro, quinterno nuncupato, describi.

Quibuscumque non obstantibus

§ 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stilo palatii *etc.*, ceterisque *etc.* contrariis quibuscumque.

Placet, motu proprio. M.

XXXVIII.

Exemptio monasteriorum et aliorum locorum piorum Status Ecclesiastici ab hospitio militum etc. [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Milites hospitio recipi in domibus ecclesiasticis, magnum eis afferebat detrimentum.

§ 1. Cum, sicut non sine gravi dolore nobis innotuit, omnia et singula seu quam plurima huius almae Urbis ac etiam Status nostri Ecclesiastici conventus et monasteria et alia ecclesiastica et pia loca, tam saecularia quam regularia et a personis religiosis quomodolibet inhabitata, eo

1 Ex Regest. in Archiv. Vat.

1 Ex edit. typis Bladi.

tempore quo equites et milites eiusdem almae Urbis ac Status Ecclesiastici praefati, pro defensione ipsius Urbis et Status adversus infestissimum Turcarum tyrannum vel ob alias, quae pro tempore sese offerunt, causas, expediri, et ad diversa eiusdem Status loca transmitti contingit, ab eisdem equitibus et militibus perturbentur et molestentur; ipsique conventus, monasteria et alia ecclesiastica et pia loca, in eorumdem equitum seu militum distributione, nonnullos eorumdem equitum et militum intra eorum domos monasterii hospitio excipere cogantur, in maximum eorum detrimentum, divini cultus perturbationem, gravissimum religionis dedecus, Dei optimi maximi offensam, et non solum praeter nostram intentionem, verum etiam intolerabilem animi nostri amaritudinem.

Fieri vetat sub poenis nonnullis

§ 2. Qua propter nos, in praemissis, quantum cum Deo possumus, de optimo remedio celeri manu providere, ac monasteriorum et aliorum ecclesiasticorum et piorum locorum huiusmodi personarum, Deo altissimo die noctuque famulantium, quieti, integritati et decori consulere volentes, motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, universis et singulis, tam dictae almae Urbis quam totius Status praefati gubernatoribus, potestatibus, ducibus et capitaneis, communitatibusque et universitatibus et aliis ad quos spectabit et pertinebit quomodolibet in futurum, ne deinceps, perpetuis futuris temporibus, in eorumdem militum et equorum distributione, tam in transeundo quam inibi commorando, communitatibus et universitatibus videlicet, ne dictos equites ac milites in eisdem monasteriis, coenobiis, domibus et aliis ecclesiasticis et piis locis, sub duorum millium ducatorum auri Camerae Apostolicae ipso facto applicandorum et aliis arbitrii nostri poenis, quovis quaesito colore, causa, ingenio sive praetextu, distribuere sive assignare, vel ad illos recipiendum et hospitio excipiendum cogere; ipsis vero capitaneis et ducibus, ne eosdem suos equites et milites, sub indignationis nostrae ac privationis officiorum suorum aliisque arbitrii nostri poenis, in dictis monasteriis, coenobiis, domibus et aliis ecclesiasticis et piis locis, etsi communitates et universitates ipsae eadem loca eisdem assignassent, distribuant. Gubernatoribus vero et ipsarum civitatum et locorum praetoribus ac aliis officialibus quibuscumque quo minus praemissa ab ipsis communitatibus et universitatibus ac capitaneis et ducibus fiant, sub eiusdem indignationis nostrae ac etiam privationis officiorum suorum praefatorum respective poenis, auctoritate apostolica, sinant vel permittant, inhibemus, praecipimus, committimus et mandamus.

Prohibet huiusmodi pia loca hoc titulo quomodolibet molestari;

§ 3. Et insuper tam illis, quam equitibus et militibus praefatis, ne monasteria, coenobia et loca pia huiusmodi in personis, rebus et bonis aut alias desuper quomodolibet molestare, perturbare, impedire et inquietare, seu molestari, perturbari vel alias inquietari facere audeant seu praesumant, in virtute sanctae obedientiae, sub iam dictis poenis, eadem auctoritate inhibemus, praecipimus, committimus et mandamus, ipsa monasteria, coenobia, domos et alia ecclesiastica et pia loca ex nunc ab eisdem militibus et equitibus ac onere illos hospitio excipiendi, motu et auctoritate similibus, eximendo et totaliter liberando, ac libera et immunia faciendo.

Exequutores huius declarationis deputat;

§ 4. Necnon dilectis filiis nostris Vitellotio cardinali Vitellio nuncupato, et pro tempore existenti S. R. E. camerario, ac praesidentibus et clericis Camerae Apostolicae, ut, eisdem monasteriis et piis locis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittant illa, seu eorum personas, a praedictis militibus et equitibus, illorumque hospitio gravari contra praesentium tenorem, sed literas

et exemptiones huiusmodi eis desuper concedant, ac favorabiliter defendant, etiam praecipimus et mandamus; et sic per quoscumque iudices, sublata *etc.*, iudicari *etc.* debere, irritumque *etc.* decernimus.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis, etiam iuramento *etc.* roboratis; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis, etiam praedictis ac aliis quibusvis, personis, sub quibuscumque tenoribus, ac alias in contrarium quomodolibet concessis et concedendis. Quibus omnibus, illorum tenores *etc.*, latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Novae clausulae

§ 6. Et cum absolutione, ad effectum *etc.*, et de commissione, mandato, inhibitione, praecepto, exemptione, liberatione, decreto, derogatione aliisque praemissis extendendis perpetuo in forma gratiosa, et, si videbitur, cum opportuna executorum deputatione, qui assistant, ac sub censuris et poenis, etiam pecuniariis *etc.*, cum facultate gravandi *etc.*, invocato *etc.* saecularis, cum opportuna dictarum derogatione, latissime extendendis; et quod praemissorum omnium et singulorum etiam maior et verior specificatio et expressio fieri possit in literis etiam ad partem pro quolibet monasterio et pio loco, si videbitur, per breve nostrum expediendis, seu si videbitur, praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio extraque, regula contraria non obstante.

Placet, motu proprio. M.

XXXIX.

Pius V ad se et successores suos Romanos Pontifices quascumque causas confidentiarum, tam motas et pendentes, quam in futurum quomodolibet movendas, avocat [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

§ 1. Licet felicis recordationis Pius Papa quartus, praedecessor noster, postquam certam simoniacae pravitatis speciem, beneficiorum confidentiam vocatam, etiam in Romanam Curiam, atque adeo in sacrum venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegium, quasi per cuniculos, irrepsisse, ac nonnullos ex ipsis fratribus, nimia quadam facilitate, seu potius importunis amicorum familiarumque precibus adductos, beneficia in confidentiam huiusmodi recepisse, et tunc frequenter recipere intellexerat, hancque illicitam beneficientiae exercendae seu amicitiae colendae viam a tanto saltem collegio prorsus eliminare cupiens, eosdem fratres in suo concistorio secreto non semel admonuerat huic aliena beneficia custodiendi modo ne assuescerent, neve illa hoc pacto reciperent, sed sic recepta dimitterent.

Pius IV sacri collegii cardinales admonuit de non conferendis beneficiis in confidentiam;

Sed cum nullum inde remedium malo fuerit allatum,

§ 2. Cumque ad aures suas pervenisset eorum aliquos, monitionis huiusmodi, immo potius suimet, oblitos, ea, quae custodienda receperant, beneficia, nondum tamen dimisisse; et insuper illos et nonnullos alios, etiam patriarchas, archiepiscopos et alios episcopos ecclesias, monasteria, dignitates et alia beneficia, in eorum favorem resignata, cessa vel alias dimissa, acceptasse, illaque in titulum, commendam vel administrationem, aut alias auctoritate apostolica concessa quandoque in resignantium vel cedentium seu etiam aliorum favorem, cepisse, vel alias dimisisse, ac sibi propterea fructus ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum et aliorum beneficiorum huiusmodi, in toto vel in parte, ac regressus sive accessus et ingressus ad ecclesias, monasteria et beneficia huiusmodi sibi reservari procurasse et obtinuisse, ad hoc videlicet ut confidentes sic decimarum apostolicarum vel communis dicti collegii et annatae, aliorumque iurium dictae Camerae debitorum solutionem eluderent,

1 Ex edit. typis Bladi.

et alia tunc expressa fecisse, in animarum suarum periculum et perniciosum exemplum.

Literis apost. huiusmodi beneficia ipso iure vacantia declaravit

§ 3. Iis et aliis tunc expressis occurrere volens, per suas sub plumbo expeditas literas, ecclesias et monasteria ac beneficia huiusmodi ipso iure a die receptionis eorum vacavisse et vacare, ac fructuum reservationes, ut praemittitur factas, ac regressus sive accessus et ingressus concessos huiusmodi cessasse et cessare ac extinctos esse, et alia similiter tunc expressa decreverit et declaraverit, cum inhibitionis et decreti ac aliis clausulis etiam tunc expressis, prout in ipsis literis plenius continetur.

Causae novi faciendi decreti

§ 4. Tamen, pro eo quod ipse Pius praedecessor sibi ipsi et successoribus suis praemissorum et in eisdem literis contentorum cognitionem et dictarum literarum executionem, prout debebat, non reservavit, cum, ut plurimum, istae confidentiae inter S. R. E. cardinales et archiepiscopos, episcopos et alios potentes viros sint, et inferiores iudices ad eos, pro eorum dignitatibus, gradibus vel officiis aut potentia, respectum habentes; ac etiam quia nullus est qui contra eos se instigatorem aut accusatorem ostendere aut propalare velit, in iustitia desuper exhibenda et ministranda, ac praefatis Pii praedecessoris literis exequendis, se negligentes aut morosos reddunt. Quod fit, ut ad aures nostras, non sine animi nostri displicentia, pervenit ut nonnulli, sacros canones seu literas Pii praedecessoris huiusmodi parvipendentes, non vereantur, in animarum suarum perniciem, ecclesias, etiam cathedrales et metropolitanas, monasteria, prioratus et alia beneficia, saecularia et regularia, in confidentiam, quam simoniacam pravitatem sapere non ignorant, acceptare et retinere, seu illa, in vim assertorum regressuum sive accessuum et ingressuum sic ut praefertur eis concessorum, et effectuum, ut aiunt, sortitorum consequi et habere velle.

Reservatio (*de qua in rubrica*).

§ 5. Nos, qui, post nostram ad summi apostolatus apicem, divina favente clementia, assumptionem, inter alias nobis imminentes curas, hoc praecipue et maxime cordi habuimus, prout habemus, huiusmodi confidentias de medio tollere, et in sua pertinacia circa huiusmodi ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum detentionem seu assecutionem persistentes, nisi resipiscant, debitis nobis visis poenis plecti; ac unicuique, prout ex nostro universali et pastorali officio tenemur, in his iustitiam ministrare, et ne abusus vel potius delictum huiusmodi ulterius, fidelium animas illaqueatas tenendo, progrediatur, omni debito et celeri remedio providere volentes, motu simili *etc.*, ac ex nostra certa scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine, praemissorum omnium cognitionem et literarum praedictarum executionem nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus reservantes, prout harum serie reservamus, omnes et singulas confidentiarum huiusmodi contra quoscumque, etiam eiusdem S. R. E. cardinales, archiepiscopos, episcopos et alios quoscumque, coram quibuscumque iudicibus, etiam ad hoc specialiter delegatis, etiam sacri Palatii Apostolici causarum auditoribus, ac S. R. E. cardinalibus, motas et pendentes, in eisdem statu et terminis, in quibus reperiuntur, ac etiam alias quascumque similium confidentiarum causas contra supradictos et alios quoscumque de cetero movendas, seu ad nos quomodolibet deferendas, per nos summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, etiam per viam inquisitionis, seu ex nostro officio aut alias, prout nobis expedire videbitur, procedendo, audiendas, cognoscendas, decidendas fineque debito terminandas,

et totaliter exequendas, ad nos avocamus, decisionique et terminationi per nos super illis faciendae, appellatione quacumque, etiam alias de iure admissibili, reiecta et postposita, standum ac acquiescendum et omnino parendum et obediendum fore statuimus et ordinamus, sicque mentis et voluntatis nostrae incommutabilis esse dicimus, decernimus et declaramus. Certificantes, prout certificamus et attestamur, omnibus et singulis supradictis, in ipsis causis eos in eorum praetensis iuribus et aliis, quae coram nobis dicere et allegare seu praetendere voluerint, audiendo, iustitiam, ut par est, nos ministrare paratos existere.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Cancellariae Apostolicae regulis in contrarium quomodolibet editis, ceterisque contrariis quibuscumque, volentes solam nostram, per *Placet*, signaturam sufficere, et ubique in iudicio fidem facere, quacumque regula contraria non obstante.

Praesentium publicatio

§ 7. Et ut praemissa ad supradictorum et aliorum, quorum interest, notitiam devenire possint, praesentem nostrum motum proprium per unum ex nostris cursoribus in basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae valvis, illius copia inibi affixa, ut moris est, publicari mandamus. Quae omnes supradictos perinde arctent, ac si eis ipse motus proprius personaliter intimatus fuisset.

Placet, motu proprio. M.

Anno a nativitate Domini MDLXVII, indic. X, die vero quinta mensis ianuarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris domini et domini nostri Pii, divina providentia Papae quinti anno I, suprascriptae literae affixae et publicatae fuerunt in locis suprascriptis per me Stephanum de Olea, SS. D. N. PP. cursorem.

Franciscus Sottocasa, mag. curs.

Publ. die 5 ianuarii 1567, pontif. anno I.

XL.

Applicatio reverendae Camerae Apostolicae fructuum beneficiorum regni Neapolis Sedi Apostolicae reservatorum, pro tempore vacantium, a die vacationis usque ad diem quo a Romano Pontifice provisi possessionem ceperint de manu nuncii apostolici in eodem regno [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Causa applicationis

Cupientes malitiis nonnullorum, qui fructus monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, dispositioni apostolicae reservatorum, usurpare non verentur, occurrere, et Camerae nostrae Apostolicae indemnitati, quantum cum Deo possumus, consulere.

Applicatio (de qua in rubrica)

§ 1. Motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos fructus, redditus et proventus ac iura, obventiones et emolumenta quaecumque, quomodolibet et qualitercumque nuncupata, omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, et monasteriorum, etiam consistorialium, nobis et Sedi Apostolicae, tam per constitutiones apostolicas, quam Cancellariae Apostolicae regulas editas et edendas, seu alias quomodolibet et ex quavis causa, generaliter vel specialiter, reservatorum seu affectorum, in regno Neapolis et quibusvis illius provinciis, civitatibus, terris, oppidis et locis consistentium, per obitum et alias quovis modo, praeterquam per cessum illa obtinentium, pro tempore vacantium, a die ipsorum beneficiorum et monasteriorum vacationis pro rata temporis, us-

1 Eamdem applicationem fecit Pius IV die 7 decembris 1560, quam ideo praetermisi. Applicationem vero generalem edixit Pius idem IV fructuum omnium beneficiorum Italiae, reservatorum Sedi Apostolicae, in alia eius constit. XLI, *Cupientes*, pag. 127, ubi notavi.

que ad diem, quo provisi per nos de eisdem beneficiis et monasteriis, vigore literarum nostrarum sub plumbo, illorum possessionem de manu dilecti filii magistri Pauli Odescalchi, notarii et in dicto regno nuncii et collectoris nostri, quem per alias nostras literas commissarium ad capiendum possessionem beneficiorum et monasteriorum huiusmodi deputavimus, habuerint et acceperint, et aliter capta possessio nullius sit roboris vel momenti, ac provisis ipsis nullum ius per eam acquiri, neque eis ullatenus suffragari possit, eidem Camerae Apostolicae, auctoritate apostolica, tenore praesentium, applicamus, incorporamus et approprianus, illaque applicata, incorporata et appropriata esse et fore, et ad illam spectare et pertinere, nullumque, praeter nos et dictam Cameram aut ipsum Paulum nuncium et collectorem aut ab ipso deputatos subcollectores, ea percipere, exigere aut alias se in illis intromittere posse aut debere statuimus et ordinamus.

Ordinarii et alii non se intromittant in collatione horum beneficiorum.

§ 2. Et nihilominus, ne aliquod impedimentum huic nostrae ordinationi occurrat, quibusvis archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub suspensionis a divinis et interdicti ingressus ecclesiae, quoad archiepiscopos et episcopos; quo vero ad alios inferiores, etiam sub excommunicationis et aliis arbitrii nostri; et quoad omnes, sub privationis facultatis conferendi beneficia in eorum mensibus pro tempore vacantia poenis, districte praecipimus et inhibemus ne beneficia dispositioni apostolicae reservata seu affecta praedicta, quovis praetextu, causa aut quaesito colore, cuiquam conferre, seu de illis providere quoquo modo audeant vel praesumant.

Clausula sublata.

§ 3. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, iudices, commissarios et personas, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Facultas thesaurarii Papae ut hos fructus exigat.

§ 4. Mandantes eidem Paulo nuncio et collectori ut, nostro et dictae Camerae nomine, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi exigat, percipiat et levet, sibique consignari et tradi ab omnibus, ad quorum manus pervenerint, pro rata praedicta, per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris et facti remedia, quacumque appellatione postposita, faciat et curet, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Super quibus omnibus et singulis plenam et liberam illis per praesentes concedimus facultatem et potestatem.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum et illorum Ordinum ac beneficiorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu et scientia similibus concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in

suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, illaque adversus praemissa nullatenus suffragari posse sive debere decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem quod praesentium, manu notarii publici subscriptis, transumptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu curiae ecclesiasticae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII ianuarii MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 ianuarii 1567, pontif. anno II.

XLI.

Miserabiles personae, in causis discussionum, ceteris aliis creditoribus praeferuntur, pro eorum creditis, usque ad summam scutorum quinquaginta in Urbe [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Causa constitutionis.

Accepimus multos pauperes et personas miserabiles reperiri, qui alicuius sint creditores, de eorum credito volentes sibi satisfieri, comparent in causis discussionum bonorum eorum debitoris, iura sua producentes; verum ipsi, aut quia non priores potioresve, aut quia ut priores, nec potiores sunt, propterea evenit quod, dum eorum creditum, in maximum ipsorum praeiudicium, consequi non valent, saepissime fiat quod eorum pauperrimae familiae, in non modicum ipsorum earumque dedecus, mendicare cogantur.

1 Ad materiam discussionum videndum est Clementis VII constitut. XVI, *Cum ex*, tom. VI, pag. 97; et constit. XXIV huius Pontificis, *Sanctissimus*, pag. 478 huius voluminis.

Miserabiles personae in causis discussionum praeferendae sunt, pro summa scut. L, aliis creditoribus.

§ 1. Nos itaque, huiusmodi personarum miseriis compatientes, eisdemque in praemissis subvenire volentes, motu simili et non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera voluntate et deliberatione et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, apostolica auctoritate volumus ac perpetuo statuimus et ordinamus quod si, in causis huiusmodi, in tribunali dilecti filii Alexandri Riarii, nostri et Camerae Apostolicae auditoris, tam motis quam movendis in futurum, comparuerint creditores usque ad summam scutorum quinquaginta inclusive pro quolibet, qui vere sint miserabiles personae, iis de eorum credito, etiam quod non sint priores aut potiores, satisfieri possit et debeat.

Iudex deputatur A. C.

§ 2. Mandantes propterea praefato dilecto filio Alexandro Riario, auditori nostro, quatenus, constito sibi prius, etiam summarie et extraiudicialiter, ac quantum sibi sufficere videbitur, de praemissis paupertate et miseria, dictos pauperes ad satisfactionem eorum crediti admittat, eisque satisfieri mandet et faciat realiter et cum effectu, plenamque et liberam ac omnimodam sibi in et super praemissis, eadem apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus facultatem, cum potestate quos, quibus, ubi, quando et quoties opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, ac etiam sub ecclesiasticis sententiis, censuris et etiam pecuniariis poenis, aliisque arbitrio suo imponendis, moderandis et applicandis, citandi, monendi et inhibendi, et in eventum non paritionis declarandi, aggravandi, reaggravandi et excommunicandi, interdicendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi seu adhibendi, necnon perpetuum desuper silentium, omni et quacumque appellatione et recursu remotis, imponendi, omniaque et

singula alia faciendi, dicendi, gerendi, mandandi et exequendi, in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna.

Decretum irritans.

§ 3. Sicque etiam in praemissis ab omnibus censeri, ac etiam per quoscumque alios iudices *etc.*, sublata *etc.*, iudicari *etc.* debere; irritumque *etc.* decernimus et declaramus de gratia speciali.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac dicta nostra de non tollendo iure quaesito, et quibusvis aliis apostolicis, universalibus provincialibusque et synodalibus ac municipalibus constitutionibus et ordinationibus specialibus et generalibus; necnon etiam Urbis et Curiae Romanae, etiam iuramento *etc.* roboratis, statutis *etc.*, usibus, naturis, stilis et etiam novis reformationibus; privilegiis in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacibus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis *etc.*, etiam motu proprio et consistorialiter *etc.* ac alias in contrarium quomodolibet concessis *etc.*, in posterumque concedendis; necnon legibus, etiam pontificiis et imperialibus *etc.*, editis et edendis, quibus omnibus, etiamsi de eis *etc.*, eorum tenores *etc.* pro plene et sufficienter expressis habentes, latissime hac vice derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, statum *etc.* et merita causarum huiusmodi, ac praemissorum omnium et aliorum necessariorum tenores *etc.* etiam pro plene et sufficienter expressis habentes.

Sola sufficit signatura

§ 5. Volumus autem praesentem nostrum motum proprium perpetuis temporibus durare, ac illius solam signaturam sufficere, et ubique, in iudicio et extra, fidem facere, regula contraria non obstante.

Placet, motu proprio. M.

XLII.

Prohibitio iudaeis possidendi bona stabilia, quae, nisi vendantur ab eis iuxta sancita, applicata censentur domui cathecumenorum de Urbe [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Alia constitutione decreverat Pius ab hebraeis vendenda esse bona stabilia sub poena perduellionis.

§ 1. Cum nos nuper, constitutionem felicis recordationis Pauli Papae quarti, praedecessoris nostri, contra hebraeos editam innovantes, inter cetera statuerimus et mandaverimus quod hebraei, tam in alma Urbe nostra, quam in quibusvis aliis civitatibus, terris et locis sanctae Romanae Ecclesiae temporali dominio subiectis, bona immobilia per eos possessa, infra tempus per magistratus praefigendum, non obstantibus indulto et concessione eisdem hebraeis per felicis recordationis Pium quartum, etiam praedecessorem nostrum, quod liceret eis bona stabilia usque ad summam mille et quingentorum ducatorum auri de Camera tenere et possidere, facta, christianis vendere tenerentur, ac multa eisdem hebraeis, ne eis facere liceret prohibuerimus, partim vero ut iidem facere et observare tenerentur praeceperimus; et quod, si dicti hebraei circa ea ac praemissa in aliquo deficerent, iuxta qualitatem delicti, in dicta Urbe nostra, per nos aut vicarium nostrum seu alios a nobis deputandos, et in civitatibus, terris et locis praedictis, per magistratus, tamquam rebelles et criminis laesae maiestatis rei, ac a toto populo christiano diffidati, nostro et ipsorum vicarii ac deputandorum et magistratuum arbitrio puniri possent, decrevimus, prout latius, in dicta constitutione nostra, cuius tenorem *etc.*, continetur.

Cui constitutioni variis fictionibus quum dicti hebraei illuderent,

§ 2. Et, sicut nobis nuper innotuit, quidam hebraei, obstinata adhuc mentis duritie, bona stabilia, contra tenorem di-

1 Ex Regest. in Archiv. Vat.

ctae constitutionis, detinere; vel illa, sub variis coloribus ac palliatis contractibus, in christianos simulate transferre satagerunt, ac quotidie satagunt, interdumque, ut magis eorum versutia tegatur, sub apparenti solutione pretii, vel fide de pretio habita aut eius parte, immaginarias venditiones confingere et alia etiam facere soliti sunt, in fraudem et contemptum dictae constitutionis ac mandatorum prohibitionumque nostrarum et scandalum plurimorum.

Nondum revera vendita bona ab eorum iure distrahit,

§ 3. Nos igitur, volentes fraudibus huiusmodi, ut par est, obviare, utque ea, quae constituimus, suum in praedictis sortiantur effectum providere, motu simili et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et quaecumque bona stabilia, quae ad dictos hebraeos, tam in hac alma Urbe, quam ubique locorum, excepta civitate Bononiensi et aliis locis ubi fuerunt iam commissarii deputati, nostrae et Apostolicae Sedis dictioni subiectorum, commorantes, pertinere apparuerint, post diem emanatae dictae constitutionis nostrae, lapso termino ad vendendum eis praefixo, vel, quatenus opus sit, praefigendo, sive illa per semetipsos possessa fuerint et seu alio quovis modo ad eos pertinere dignoscantur, sive ex quovis titulo et causa ad alios, etiam christianos, translata fuerint, de quibus praefati hebraei veras et certas venditiones, per indubitatam solutionem pretii, non autem apparentem, vel de eo habitam ex quacumque causa fidem, factas esse legitime non docuerint, ab eisdem hebraeis eorumque dominio seu quasi omnique iure et actione penitus abdicamus, ipsosque hebraeos illis privatos ipso iure fore et esse decernimus.

Et domui cathecumenorum de Urbe applicat;

§ 4. Ac tam ea bona sic abdicata, quam omnes et singulas poenas et mulctas, quas eisdem hebraeis, occasione transgressionis ac inobedientiae contra singula in eadem constitutione nostra contenta, sive etiam ex causa contumaciae, aut alias circa praemissa impositas et inflictas esse seu etiam imposterum imponi et infligi contigerit, hospitali seu domui cathecumenorum de Urbe, pro una; pro alia vero, dimidiis partibus, monti pietatis eiusdem almae Urbis perpetuo applicamus et appropriamus.

Causas omnes super hoc motas, vel in posterum movendas dictae domus cardinali protectori decidendas committit;

§ 5. Et, pro faciliori mandatorum nostrorum ac praesentis nostri motus proprii executione, omnes et singulas causas, tam in eadem alma Urbe, quam in quibusvis civitatibus, terris et locis sanctae Romanae Ecclesiae temporali dominio subiectis, coram quibusvis iudicibus, aut etiam coram nostro in dicta Urbe vicario, contra dictos hebraeos, occasione praemissorum, motas vel imposterum movendas, in terminis et statu, in quibus reperiuntur, ad nos penitus avocamus; illasque ac omnes alias similes venerabili fratri nostro Ioanni Michaeli, episcopo Sabinensi, cardinali Saraceno nuncupato, dictae domus cathecumenorum protectori et iudici ordinario, committimus et delegamus, mandantes eidem ut in praemissis omnibus, una cum suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, usque ad integram executionem, procedat summarie, simpliceter et de plano, sola facti veritate inspecta, ac etiam, ubi opus sibi videbitur, manu regia, ac alias iuxta facultates sibi in iurisdictione sua ordinaria concessas, cum potestate et facultate citandi et inhibendi in Romana Curia et extra eam, ac per edictum, constito summarie de non tuto accessu, ac terminos, etiam peremptorios, in praemissis arbitrio suo praefigendi, et omnia alia faciendi in praemissis necessaria et opportuna.

Contraria omnia tollit.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac nostra de non tollendo iure quaesito, quatenus opus sit, et aliis constitutionibus et

ordinationibus, stilo Palatii, necnon quibusvis privilegiis, indultis et literis apostolicis, eisdem hebraeis in contrarium quomodolibet, etiam motu, scientia ac potestatis plenitudine similibus, concessis *etc.*, quibus omnibus, etiamsi de illis *etc.*, tenores *etc.*, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium sola signatura sufficit

§ 7. Volumus autem praesentis nostri motus proprii solam signaturam sufficere, et ubique, etiam in iudicio et extra, fidem facere, regula contraria non obstante.

Placet, motu proprio. M.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, decimo quarto kalendas februarii, anno II.

Dat. die 19 ianuarii 1567, pontif. anno II.

XLIII.

Declaratio, reformatio et revocatio plurimarum gratiarum, immunitatum et privilegiorum militiae hospitalis Sancti Lazari Hierosolymitani hactenus a Summis Pontificibus concessorum [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius reform. privilegiorum militiae S. Lazari.

Sicuti bonus agricola, qui largiorem ex agro, quem colit, proventum colligere cupit, temporum vices solicitus observat, et, positis in eo plantis, non semper irriguos rivos aut pinguem limum admovet, sed collectum quandoque humorem deducit, ac nimiam ramorum laetitiam cohibet, et, ne vires frustra effusae evanescant, ferro comprimit; ita nos agri Dei nostri culturae, ipso favente, fidelibus studiis incumbentes, hospitale Sancti Lazari Hierosolymitani, eiusque militiam, feracem sane, uti speramus, inter ceteras huius agri plantam, pridem a compluribus praedecessoribus nostris ac nobismetipsis indulgentiis excultam, ne forte inutili frondium sylva luxuriet, resectis ac veluti putatis ramis sterilibus, intra ordinem ponere, atque ad meliorem et utiliorem cultum (habita horum temporum ratione) reducere cupimus, ut tandem, suis in se collectis viribus, et tamquam radicibus solo altius adactis, firmius persistens, suaves atque uberes fructus Domino perferat.

Pius IV multa d. militiae privilegia approbavit, et alia concessit.

§ 1. Dudum etenim, postquam felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, institutionem, erectionem, necnon translationem hospitalis et militiae huiusmodi, ac quamplurima privilegia, indulta, facultates, licentias, exemptiones, libertates, indulgentias, gratias et alia a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, tunc suis, dicto hospitali eiusque magno magistro et conventui ac fratribus, etiam per modum communicationis et extensionis, in genere et in specie, concessa; necnon statuta, usus et consuetudines in eisdem hospitali et militia edita et introducta, apostolica auctoritate, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae auctoritatis plenitudine confirmaverat et approbaverat, ac etiam innovaverat, et insuper alia multa concesserat, eaque omnia ad hospitale S. Lazari, quod in civitate Capuana etiam tunc consistebat, extenderat, ipsumque hospitale et eius membra et pertinentias, adversus suppressiones, extinctiones, uniones et alias dispositiones quascumque, de illis per recolendae memoriae Innocentium VIII et Pium II ac forsan alios Romanos Pontifices, etiam consistoriaiter, factas, in pristinum, quo ante illas erant, statum restituerat, ac plenarie re-

1 Haec militia Regulam S. Augustini profitetur, ut habetur in const. x Alexandri IV, *Cum a nobis*, tom. III, pag. 602. Multa privilegia elargitus est Clemens IV in const. IV, *Cum dilectis*, ibidem, pag. 727, et in const. VII, *Venerabilibus*, pag. 742. Et plerique alii Pontifices, necnon Pius IV, alia plurima indulta dederunt, ut in ipsius Pii IV constitut. CX, *Inter assiduas*, supra, pag. 336.

integraverat, decernens, inter alia, ea, tamquam ex causa onerosa concessa, restituta et facta, revocari, limitari vel alterari, ac sub revocationibus, limitationibus, alterationibus, generalibus vel specialibus, si forte fierent, comprehendi non posse.

Hic etiam Pontifex illa confirmavit in quadam eius bulla, quam hic non posui.

§ 2. Nos quoque, in ipso statim pontificatus, ad quem, divino afflante Spiritu, vocati sumus, initio, eadem omnia ipsiusque Pii IV praedecessoris literas super eis expeditas, paribus motu, scientia, plenitudine et auctoritate confirmavimus, approbavimus et innovavimus, ac similibus clausulis et decretis munivimus, quibusdam tamen limitationibus et restrictionibus adiectis, quas hic quoque pro repetitis esse volumus, prout in praedictis literis ac quadam cedula, motu proprio et manu nostra signata, plenius continetur.

Nunc autem iustis de causis illa reformare volens,

§ 3. Verum postea experti tam multa sic concessa, non tantum ipsis hospitali et militiae incrementum, quantum aliis cupiditatem afferre, illorum vero usum et dispensationem tum periculo iis ipsis, quibus concessa sunt, tum oneri nobis fore, ac propterea volentes illis modum et normam ac certos demum limites statuere, illorumque omnium, necnon praedictarum et quarumcumque praeterea literarum et cedularum similiumve scripturarum, quae inde confectae sunt, tenores, continentias et formas pro plene et sufficienter expressis habentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei gloriam et publicam utilitatem, manentibus erectione, institutione ac translatione necnon restitutione et reintegratione dictorum hospitalis et militiae, ac illarum approbatione praedictis, quas, prout hactenus factae sunt, prout tamen iuris fuerit, ratas habemus in praemissis, ut praefertur, concessis, confirmatis et innovatis, tenore praesentium sic perpetuo statuimus et ordinamus.

Firmas remanere declarat reintegrationes, translationes et restitutiones d. militiae et hospitalis;

Concessiones ante Pium IV factas confirmat, quatenus tunc essent in usu, et nemini praeiudicarent

§ 4. Omnia et singula dictis hospitali, magistro, conventui et militibus a praedictis et aliis quibuscumque Romanis Pontificibus ante ipsum Pium IV praedecessorem concessa, eatenus dumtaxat confirmata esse et censeri, quatenus temporibus eiusdem Pii IV, ante factam ab eo illorum confirmationem, praedicta observabantur et in usu erant, atque alienis iuribus, sive ex praescriptione, sive alias quocumque titulo legitime quaesitis, detrimentum aut praeiudicium non inferant.

Concessiones Pii IV hic non contentas revocat, et contentas limitat *etc.*, ut sequitur

§ 5. Ex his vero, quae ab ipso Pio IV concessa sunt, atque ex statutis, ordinatis et decretis ab eodem erga illa quibuscumque, non alia ulla neque aliter omnino valida esse, aut ipsis hospitali, magistro, conventui et militiae licere, quam infrascripta, et cum moderationibus, reductionibus, limitationibus et restrictionibus, tam in praedicta cedula, motu proprio et manu nostra signata, positis, quam infrascriptis. Reliqua autem omnia et singula, necnon illa concernentia confirmationes, literas et alia supradicta et inde secuta quaecumque revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, ac viribus omnino evacuamus, ac revocata, cassata, irrita et nulla ac sine viribus semper fore, neque in iudicio aut extra iudicium attendi, vel etiam allegari, neque cuiquam suffragari, neque pro eis aut secundum ea quicquam statui ac iudicari, neque praesentes de intentionis nostrae aut alio defectu impugnari, neque earum revocationem, moderationem vel reductionem aut adversus ea restitutionem, aliave institiae aut gratiae remedia impetrari, aut etiam motu, scientia et plenitudine similibus, etiam consistorialiter, concedi, aut concessis quemquam uti posse: et ita per quoscumque iudices, etiam ad id specialiter delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et

sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eorum cuilibet quavis aliter interpretandi et indicandi auctoritate, interpretari et indicari debere; ac quidquid secus, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac quibusvis clausulis et decretis, etiam mentes dictorum praedecessorum attestantibus, et quantumvis validis et firmis, in dictis concessionibus, confirmationibus et literis, sub quavis exquisita verborum formula, approbatis, necnon de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique hospitalis, etiam iuramento, simili confirmatione aut quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, naturis, usibus, stabilimentis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Et cum conditione quod haec militia obsequiis S. R. E. semper parata esse debet contra eius hostes.

§ 7. Volumus autem quod magister et conventus ac milites praefati nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus ac Sedi Apostolicae, ubi ac quoties vocati aut requisiti fuerint, contra quoscumque Romanae Ecclesiae hostes vel rebelles armati inservire, atque opem et auxilium praestare suis impensis teneantur. Ea vero, quae magistro, conventui et militiae praefatis licere ac manere permittimus, sunt quae sequuntur, videlicet:

Electio magni magistri spectet ad Religionem, sed confirmatio a Sede Apostolica obtineatur infra tres menses, alias ad eam devoluta sit.

§ 8. Quod dilecto filio Ioannotto Castilioneo, moderno et pro tempore existente magno magistro, cedente vel etiam apud eamdem Sedem decedente, seu magnum magistratum alias quomodolibet, etiam per liberam resignationem in nostris vel nostrorum successorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum manibus, dimittente vel amittente, et illo quovis modo vacante, conventus eiusdem militiae (si tamen tunc firmam sedem in aliquo certo loco, ibi, auctoritate et de licentia dictae Sedis, ante vacationem huiusmodi, constitutam habuerint, et illic resederint) insimul ibidem congregati, alium magnum magistrum, iuxta eiusdem Religionis et militiae stabilimenta, de consensu sui protectoris edita vel edenda, quae concilio Tridentino minime sint contraria, eligant: ita tamen quod eiusdem electionis confirmationem, intra tres menses a die quo facta fuerit, ab eadem Sede petere omnino debeant; alioquin electio ipsa nulla sit, et electo aliquod ius non tribuat, sed magistratus ipsius omnimoda dispositio ad dictam Sedem eo ipso devolvatur.

M. magist. et conventus, de licentia Sedis Apost., principalem locum transferre, ac habitum, Regulam et statuta reformare possint.

§ 9. Quodque idem magister pro tempore existens et conventus principalem ipsius militiae sedem ad quemcumque locum, etiam maritimum, eis visum, consulta prius Sede Apostolica, et ab ea licentia et facultate obtenta, transferre; habitumque suum regularem, ac etiam crucem, etiam si de suis antiquis habitu cruceque appareat [1], in eum meliorem, qui sibi videbitur, modum (citra tamen aliarum militiarum et Religionum praeindicium) reformare, in toto vel in parte immutare vel stabilire ac innovare; Regulamque, stabilimenta et statuta dictae Religionis et militiae, de consensu sui protectoris et aliorum fratrum vel definitorum, instituere et reformare, seu de novo condere, edere, et illas ac illa corrigere et mutare (dummodo licita et honesta nec eidem concilio contraria existant) toties quoties voluerint.

M. magister potest instituere oblata qualiacumque simplicia beneficia de iurepatron. laicorum in commendas, eaque ipsi hospitali et militiae incorporare, ac de eis personas idoneas providere, ut divinus cultus exerceatur.

§ 10. Necnon idem Ioannottus et pro tempore existens magnus magister, quaecumque, quodcumque et qualiacumque, simplicia duntaxat beneficia ecclesiastica, de iure patronatus laicorum ex fundatione et dotatione existentia, et personale servitium in cathedralibus et collegiatis non requirentia (accedente tamen consensu patronorum, de quorum iuribus eis, ut praefertur, ex fundatione et dotatione com-

1 *Appareat vel non appareat* legit Bullarium Milit. S. Lazari, impressum Romae 1567 apud haer. Ant. Bladi (R. T.).

petentibus, per publica documenta, non autem alia probationum genera, coram pro tempore existentibus vicario nostro in Urbe in spiritualibus generali et auditore Curiae causarum Camerae Apostolicae, vocatis quorum interest, legitime constet, et sine praeiudicio ea obtinentium, et ipsis cedentibus vel decedentibus) in praeceptorias, commendas, cappellas aut ecclesias ipsorum hospitalis et militiae perpetuo erigere et instituere, dictaeque suae militiae perpetuo incorporare, applicare et appropriare; ac illarum fundatoribus et dotatoribus ius patronatus et praesentandi dictis magistro et conventui vel eorum deputato personas idoneas, ac praeceptorias, domos, cappellas seu ecclesias et hospitalia huiusmodi pro tempore vacantia, perpetuo praeservare, seu etiam reservare et concedere; et sic a patronis praesentatos, iuxta stabilimenta dictae Religionis, ordinariorum locorum et quorumvis aliorum consensu minime requisito, in illis instituere, ac alias illa conferre et de eis providere possint: ita tamen quod debitus divinus cultus per personas idoneas, etiam si dicti Ordinis fuerint, ab ordinario approbandas, in eisdem exerceatur. Quodque confirmatio erectionis et institutionis praeceptoriarum, commendarum, cappellarum aut ecclesiarum pro tempore sic erectarum, ac illarum incorporationis, applicationis et approbationis, necnon iurispatronatus ad illas reservationis et concessionis huiusmodi, si citra, infra quatuor; si vero ultra montes beneficia huiusmodi consistant, infra sex menses a die quo factae fuerint, a Sede Apostolica impetrari debeat, alias illae et inde secuta quaecumque nulla et irrita nulliusque roboris vel momenti existant; ac beneficia huiusmodi in eorum pristinam naturam esse [1] censeantur, et ab eadem Sede impetrari possint.

[1] *Restituta esse* l. s. c. (R. T.).

§ 11. Necnon quod hospitalia, leprosariae et alia loca quaecumque, tam in alma Urbe, quam in aliis quibuscumque terris, dominiis et locis, sub invocatione Sancti Lazari Leprosorum, hactenus fundata, constructa, erecta et instituta, et quae in posterum fundari, construi, erigi et institui contigerit, etiam si per magistrum, conventum et fratres huiusmodi recepta aut possessa non sint, ubi ullo unquam tempore fuerit, sit vel erit hospitalitas leprosorum seu infirmorum Sancti Lazari nuncupatorum, de qua legitime coram locorum ordinariis constet, etiam si iurispatronatus laicorum sint, cum omnibus unionibus, annexionibus, incorporationibus et applicationibus illis pro tempore factis, militiae et hospitali Sancti Lazari huiusmodi subiecta et incorporata, et ad ius et proprietatem ac omnimodam dispositionem, institutionem et collationem moderni et pro tempore existentis magni magistri et conventus eorumdem, iuxta ipsius militiae seu Religionis stabilimenta (salvo tamen iure patronatus) pertinere censeantur, prout alia etiam dictæ Religionis seu militiae hospitalia, cappellae, oratoria, beneficia et loca spectant et pertinent; illaque per dictae militiae fratres (non autem per alias ecclesiasticas aut saeculares personas, etiam civitatum, terrarum, oppidorum et villarum communitates vel universitates) regi et gubernari, et, in signum recognitionis superioritatis dicti hospitalis, de aliquo rationabili canone seu censu per magistrum et conventum ac diffinitores generalis capituli dicti hospitalis imponendo, singulis annis respondere debeant, sine alicuius praeiudicio, et dummodo in illis hospitalitas debita servetur, et cultus divinus nullatenus diminuatur, ac in illorum fundatione vel dotatione secus non fuerit ordinatum.

Hospitalia et alia loca quaecumque hospitali S. Lazari censeantur esse subiecta, quae non per universitates aut alias ecclesiasticas personas, sed per ipsos fratres regantur, qui *etc.*

§ 12. Salvis tamen legitimis titulis et

Praeservatio iurisdiction. ordinariorum et contributio pro seminariis.

praescriptionibus et salva iurisdictione ordinariorum, tam ea, quae de iure communi eis competit, quam quae ex decretis dicti concilii Tridentini eisdem est attributa, praeterquam in iis casibus, in quibus concilium praedictum expresse exemit et excepit Religionem Sancti Ioannis Hierosolymitani, in quibus et haec Sancti Lazari Religio, postquam tamen in aliquo certo loco firmam sedem conventualem habere coeperit, et ibi magister et conventus praefati resederint, pariter et exempta sit et esse censeatur, excepta taxatione pro seminariis instituendis.

Facultas percipiendi pensiones annuas usque ad sum. 500 duc. auri; loco pensionum, similes fructuum reservationes etiam coniugatis, qui cum unica tantum et virgine, matrimonium contraxerint.

§ 13. Et insuper milites ac presbyteri et cappellani hospitalis et militiae Sancti Lazari huiusmodi, nunc et pro tempore existentes, ac eorum singuli, etiam coniugati, qui cum unica tantum et virgine matrimonium contraxerint, unam vel plures pensiones annuas, usque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera novorum, super quorumvis cathedralium, etiam metropolitanarum, et aliarum ecclesiarum, ac etiam mensarum, etiam patriarchalium, archiepiscopalium et episcopalium, necnon etiam monasteriorum, etiam consistorialium, prioratuum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, aliorumq. beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis ac distributionibus quotidianis, alias canonice sibi assignatas vel assignandas, vel, loco pensionum annuarum, omnes et singulos ac quoscumque similes fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque ac etiam distributiones quotidianas, usque ad dictam summam sibi reservatos et reservandos, etiamsi, post illarum vel illorum reservationem, uxorem, unicam tamen, eamque virginem, ut praefertur, duxerint, ad vitam percipere, exigere ac levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, libere et licite valeant, et quoad hoc, atque etiam pensiones et fructus assignandos et reservandos, una cum prioratibus, praeceptoriis et aliis beneficiis hospitalis Sancti Lazari huiusmodi percipere.

Religio S. Lazari ac eorum vassalli, coloni et servitores, etiam presbyteri curam animarum exercentes et eorum bona quaecumq. praeter patrimonialia sub protectione S. Sedis Apostolic., cum exemptione ab omni iurisdictione, correctione, onere, dominio, etc.

§ 14. Et insuper idem hospitale S. Lazari, ac illius prioratus, praeceptoriae, domus, camerae, hospitalia et loca quaecumque, necnon intra regularia dictorum hospitalis et militiae loca degentes magister, priores, praeceptores, milites et personae, ac eorum subditi, vassalli, coloni et servitores, nunc et pro tempore existentes, etiam presbyteri curam animarum exercentes (servatis tamen decretis concilii Tridentini), quamdiu illam exercuerint et in illorum obsequiis fuerint, ac illorum ratione beneficiorum dicti hospitalis S. Lazari tantum, non autem patrimonialia, res, animalia, praedia, domus, molendina et bona quaecumque quae obtinent et possident, ac in futurum canonice obtinebunt et possidebunt, sub beati Petri et dictae Sedis et nostra protectione, ab omni iurisdictione, correctione, onere, statutis, bannis, dominio, superioritate et potestate, iuxta tamen terminos concilii Tridentini et salvis eius decretis, quorumcumque patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et praelatorum, etiam locorum ordinariorum, cum primum sedem conventualem propriam habere coeperint, ut praefertur; necnon ex nunc quorumcumque temporalium dominorum, quavis potestate, etiam imperiali, regali et ducali, fungentium, ac universitatum, et illarum regentium, etiam (praeterquam dicti hospitalis) ordinariorum temporalium, ubicumque, tam citra quam ultra montes et mare constitutorum, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentium, illorumque vi-

Quorumcumque dominorum, tam spiritualium quam temporalium, et a solutione cuiusvis alterius oneris personalis, realis, ordinarii, extraordinarii, etc.

cariorum et officialium, locatenentium et iudicum, nunc et pro tempore existentium quorumlibet; necnon a solutione et exactione passagii, arreragii, gabellae, datii, tractae, collectae, procurationis, iucundi adventus, iurium, etiam synodalium, censuum et decimarum, etiam novalium, etiam hortorum, pratorum, piscationum et molendinorum, atque cuilibet accessus, nullatenus, directe vel indirecte, prohiberi possint, et terrarum, quas per seipsos vel alios eorum nominibus, etiam colonos, arrendatarios et emphytheutas excolent et de quibus fructus percipient, ratione beneficiorum hospitalis Sancti Lazari huiusmodi et cuiusvis alterius oneris personalis, realis seu mixti, ordinarii vel extraordinarii, ubicumque et quacumque causa impositi vel imponendi pro tempore, liberi et exempti, ac nobis et dictae Sedi immediate subiecti existant. Ita quod archiepiscopi, episcopi, praelati, ordinarii, vicarii, officiales, locatenentes et iudices in spiritualibus, etiam ratione delicti (dummodo illud non sit de atrocioribus) vel contractus, seu rei de qua agetur, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipsa consistat, si personae ipsae intra regularia loca praedicta degent, et ibi aliquis a dicto magistro et conventu ad id specialiter cum iurisdictione deputatus fuerit, postquam conventus hospitalis huiusmodi dictam sedem habuerint; temporales vero iudices et domini praefati, etiam ex nunc, nullam in eos vel ea iurisdictionem, correctionem seu potestatem (salvis tamen decretis concilii Tridentini) exercere, aut excommunicationis aliasve sententias, censuras et poenas promulgare, aut etiam, ratione personarum vel rerum, animalium ac bonorum (non tamen patrimonialium), ad aliquam solutionem pontium, fontium,[1] murorum, seu etiam aliarum ecclesiarum, quam dictae Religionis, etiam si forsan hactenus per abusum seu alterius privilegium aut negligentiam, etiam per longissimum tempus, taliter observatum non fuerit. Quae omnia, etiam praescriptiones, nullo pacto saltem in posterum obstent quo minus exemptionibus, quibus alii regulares cuiuscumque militiae milites utuntur, et eodem modo quo illi, uti possint eos coarctare, aut alii quicumque, cuiuscumque ecclesiasticae vel mundanae dignitatis aut praeeminentiae, status vel conditionis existant, etiam in locis et terris sanctae Romanae Ecclesiae, etiam immediate subiectis, et ad instantiam cuiuscumque principis seu communitatis, sub excommunicationis latae sententiae, seu quadrupli, ultra damna et expensas, restitutionis poenis, per contrafacientes eo ipso incurrendis, eos, in iudicio vel extra, super praemissis vel eorum usu seu possessione vel quasi, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare, impedire, vexare aut alias quomodolibet impetere praesumant, debeant seu etiam valeant; sed priores, milites et aliae personae hospitalis et militiae Sancti Lazari huiusmodi sic degentes, post firmatam dictam sedem, de iustitia coram solo magno magistro et conventu, vel eorum deputato (alioquin et interim, donec ipsam sedem habuerint, coram ordinariis locorum tamquam Sedis Apostolicae delegatis) respondere debeant. Et quicumque processus contra illos vel eorum aliquem, per ipsos locorum ordinarios vel eorum vicarios, alias quam ut praemittitur, seu quosvis alios pro tempore facti, et quaelibet etiam excommunicationis vel suspensionis aliaeque sententiae promulgatae, nulli et invalidi, nulliusque roboris et momenti sint.

§ 15. In delictis autem atrocioribus, inter magnum magistrum seu deputatos ab eo, ac locorum, tam in spiritualibus quam temporalibus, ordinarios ita servetur, ut qui ex eis praevenerit, eius sit in delinquentes iurisdictio.

Si delictum fuerit atrocius, in eius sit iurisdict., ad quem primo pervenerit.

1 Bull. S. Laz. addit *furnorum* (R. T.).

Exemptio a decimis et novalibus ac quartis, seu canonica portione, vel a caritativo subsidio, etiam concesso regi Hispaniarum, ac quarta in Franciae regnis imposita.

§ 16. Nec aliqui ex hospitalis et militiae S. Lazari fratribus, donatis, servitoribus vassallis et colonis in prioratibus, commendis, domibus, hospitalibus, leprosariis aut aliis quibusvis beneficiis, praediis sive grangiis, quomodocumque a dicto hospitali dependentibus, in quibuscumque locis, sub quorumcumque patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, universitatum, hospitalium, rectorum, ecclesiarum limitibus et iurisdictione constituti, decimas aut canonicam portionem seu caritativum subsidium, aut quartas nuncupatas, seu alias quascumque collectas seu contributiones, tam ex antiquis hospitalis S. Lazari et beneficiorum huiusmodi culturis, quam ex recenter cultis novalibus, alicui quovis modo solvere teneantur, nisi prout alii regulares cuiusvis militiae milites, generalibus vel specialibus circa hoc privilegiis pacifice gaudentes, solvere tenentur; a quibus omnibus exactionibus, atque etiam novo subsidio, carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi in suis regnis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concesso, et canonica portione seu quarta nuncupata in Franciae regnis imposita, necnon a quibuscumque aliis facultatibus, regibus huiusmodi et aliis principibus concessis vel concedendis in futurum, omnia dicti hospitalis loca, necnon ecclesiarum quomodocumque a dicto hospitali dependentium fabricae, ad exemplum aliarum regularium militiarum locorum, sint libera et exempta.

Facultas extrahendi frument. et quoscumque alios fructus et pecunias ex locis militiae et hospitii S. Lazari, illaque ad quæcumq. fidelium loca sine datio et gabella asportandi.

§ 17. Et insuper quod praefati magister et conventus, priores, praeceptores aut quicumque alii ex dicti hospitalis fratribus, per quoscumque locorum aut terrarum dominos, tam spirituales quam temporales, etiamsi regali dignitate praefulgeant, etiam in terris S. R. E., ab extractione frumenti, ordei, vini, olei, legumi-num et quorumcumque fructuum, atque etiam pecuniarum, ex prioratibus, commendis, membris, domibus, grangiis aliisve praefati hospitalis locis provenientium, nullo umquam modo impediri possint quo minus praefata omnia, pro sua possessorum voluntate, in quaecumque fidelium loca, ab omni pedagio, datio seu tracta, ut praefertur, libera et exempta valeant asportare.

Exemptio etiam pro bonis patrimon. post emissam professionem.

§ 18. Et bona magistri, priorum, praeceptorum et fratrum ac aliarum personarum huiusmodi, tam acquisita quam in posterum acquirenda, ex concessione apostolica vel magistrali, ex die emissae per eosdem priores, praeceptores, fratres et personas professionis, ab omnibus decimis et aliis oneribus, similiter ad exemplum bonorum aliarum regularium militiarum, libera, immunia et exempta existant.

Iurisdictio M magistri et conventus seu eorum delegatorum inter personas Religionis et militiae.

§ 19. Et quod quaelibet querelae, quaestiones, lites, causae et controversiae, quas ex nunc inter fratres et subditos hospitalis et militiae S. Lazari, praesentes et futuros, ex quibusvis occasionibus oriri et moveri contigerit, quovis modo, cum omnibus suis incidentibus, emergentibus, connexis et annexis, ac omnium cuiusvis appellationis (praeterquam in defectus aut denegatae iustitiae, vel illati perperam contra stabilimenta et consuetudines dicti hospitalis gravaminis casibus), remoto obstaculo, per pro tempore magistrum et conventum dicti hospitalis, seu illos ex fratribus quibus ipsi magister et conventus id commiserint, etiam usque ad tertiam definitivam sententiam inclusive, audiantur, necnon (iuxta laudabiles consuetudines et stabilimenta hospitalis huiusmodi et alias prout iuris fuerit) debito fine decidantur; omnesque et singuli priores, praeceptores, milites et fratres hospitalis praefati (postquam de mandato seu auctoritate magistri seu

conventus praefatorum, in quibusvis ex praedictis contra eos intentandis causis, ad comparendum coram ipsis et commissariis per eos, ut praefertur, deputatis, in locis quantumcumque ab eodem hospitali remotis, citati fuerint) coram eisdem magistro, conventu et commissariis, prout contigerit, legitime comparere debeant et teneantur, iuri et institiae (secundum stabilimenta, approbationes, usus et laudabiles consuetudines praefati hospitalis) parituri.

Milites et aliae personae religiosae prohibentur coram aliis litigare, seu comparere pro instit. quam coram iudicibus Religionis.

§ 20. Quodque illi ex prioribus, praeceptoribus, fratribus et subditis praefatis, qui contra eorum aliquem super quibusvis querelis, rebus vel negociis, praeterquam in casibus praefatis, coram alio quam praefatis magistro et conventu, ac per eos pro tempore datis commissariis, in causam traxerint, et ad alium quam ad eosdem appellationes quascumque interposuerint, causas huiusmodi prorsus perdant, reque, super qua contenderint, privati existant eo ipso.

Potestas et urisdictio magistri et conventus super personis et rebus;

§ 21. Necnon modernus et pro tempore existens magister et conventus hospitalis huiusmodi (iuxta illius stabilimenta et laudabiles consuetudines ac mores) in prioratus et praeceptorias, domos, hospitalia, membra, bona et loca quaecumque, necnon quoscumque priores, praeceptores, fratres et personas hospitalis et Religionis huiusmodi, ac illorum vassallos, subditos et servitores, ubicumque, tam citra quam ultra montes, nunc et pro tempore constitutos et commorantes (qui omnes magistro et subdelegatis ab eo firmiter, tam personaliter quam realiter, omni exceptione cessante, et quocumque a nobis vel Sede praedicta obtento vel obtinendo indulto non obstante, parere et obedire teneantur) plenariam et omnimodam, etiam meri et mixti imperii iurisdictionem et superioritatem.

§ 22. Ipseque magister, contra rebelles et suis mandatis non obedientes, etiam vigore literarum apostolicarum, etiam in forma brevis, a nobis et successoribus nostris pro tempore emanatarum, servatis quatuor terminis ad docendum se paruisse et satisfecisse in loco conventus hospitalis huiusmodi, post legitime executam primam citationem, ad mulctam sive poenam personaliter, iuxta mores et stabilimenta praedicta, seu etiam ad privationem habitus et beneficiorum, domorum et praediorum per eos obtentorum, procedendi; vel etiam, si magis expedire videbitur, beneficia, domos et praedia ipsa ad manus suas seu receptorum dicti hospitalis reducendi, et (donec ipsi inobedientes contumaciam purgaverint, et debita onera persolverint) pro suo arbitrio retinendi, illorum fructus, redditus et proventus arrendandi et percipiendi.

Procedendique contra rebelles et inobedientes, etiam per edictum publicum, et am ad privationem beneficior. quomodolib. obtentorum;

§ 23. Necnon omnes et singulas causas, lites et querelas (nondum tamen coram aliis iudicibus motas et pendentes) super quibusvis dicti hospitalis beneficiis ac bonis, rebus et pecuniis aerarii et fratrum quorumcumque, in quibus inter se ipsos invicem, realiter sive personaliter, convenient seu convenientur, atque etiam in quibus ab aliis, etiam clericis, saecularibus vel regularibus, aut laicis similiter convenientur, etiam per deputatos abeis, in locis in quibus causae ipsae cognoscentur, audiendi et decidendi, cosque citandi, et, quoties opus fuerit, inhibendi, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, tam in curia praedicta quam extra eam, facultatem habeant.

Et advocandi singulas causas, lites et querelas, quae inter ipsos fratres et milites oriuntur;

§ 24. Necnon illorum sententiae et res iudicata, per priorem ecclesiae dicti conventus, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, contra condemnatos, tam realiter quam personaliter executioni mandentur: ita quod alibi quam in dicto hospitali, aut extra illud ex magistri et conventus commissione, cognosci et terminari nequeant.

Et exequendi sententias et rem indicatam.

Appellationes a sententiis delegatorum ad M. magist. et conventum, et ab eis ad capitulum generale declarantur.

§ 25. Nec a sententiis per iudices dicti hospitalis pro tempore latis, ad alium quam magistrum et conventum praedictos seu iudices ab eis deputatos, in quavis instantia; neque a sententiis per ipsum magistrum et concilium latis, alio quam ad generale capitulum, sive per ipsius hospitalis fratres sive per ipsos subditos et vassallos, quoquo modo appellari possit; quinimmo illi usque ad tertiam sententiam in eodem conventu procedere teneantur.

Omnes expeditiones et executoriales magistri et conventus exequantur absque alicuius licentia, nec a quopiam possint impediri.

§ 26. Et similiter quod omnes sententiae per eosdem magistrum et conventum latae, omnes item commissiones, citationes, collationes et omnia denique eorumdem rescripta, ad omnes suae iurisdictioni subditorum ac reliquorum etiam, quorum intererit, causas, lites seu querelas coram ipsis pertractandas, directe exequi, et a nullis locorum et terrarum dominis, etiam regali aut ducali dignitate fulgentibus, aliqua ratione, expectandi consensus seu alio quovis quaesito colore, in eorumdem executione impediri possint, servato tamen in eis exequendis datae ordine, ita quod eorum ultimae primis anteferri nequeant.

Facultas procedendi contra clericos seu alios indebite occupantes loca et bona Religionis, seu non solventes annuales census et debitas responsiones vacantium, mortuariorum, annatarum, etc. communi aerario.

§ 27. Ac quod contra clericos saeculares seu laicos, prioratus, praeceptorias, domos, cameras magistrales nuncupatas, et alia beneficia hospitalis huiusmodi, eorumque res et bona quocumque titulo, sine tamen consensu et expressa licentia magistri et conventus praefatorum, indebite occupantes, seu illi aut eius communi aerario seu fratribus, occasione responsionum annuarum, vacantium, mortuariorum, annatarum, passagiorum, arreragiorum, seu alias quomodolibet et ex quacumque alia causa debentes, siquidem illi actores sint, et in quavis instantia ad causam venient, magister et conventus praefati, modo et forma quibus contra ipsius hospitalis fratres procedi consueverit, pro illorum recuperatione, libere procedere, et eos prioratibus, praeceptoriis, domibus et aliis beneficiis huiusmodi, servata forma iuris, et alias iuxta formam privilegiorum praedictorum privare; si vero rei fuerint, coram ipsorum competentibus iudicibus ad recuperationem et alia praedicta agere, et omnia iuris remedia tentare, ac demum, privatione huiusmodi legitime facta, de prioratibus aliisque beneficiis praedictis, per privationem eamdem vacantibus, libere disponere valeant.

Quaelibet personae in dignitate ecclesiastica possunt eligi in conservatores cum facultatibus necessariis.

§ 28. Necnon personae in dignitate ecclesiastica ubilibet constitutae et quicumque locorum ordinarii, ac eorum vicarii et officiales, per eosdem magistrum et conventum, postquam dictam sedem habuerint pro tempore eligendam, servata tamen forma concilii Tridentini, in eorum et quorumcumque priorum, praeceptorum et fratrum hospitalis huiusmodi conservatores, qui, quamdiu exercuerint dictum officium, a nemine quo minus illud exerceant, sub aliquo praetextu, impediri vel molestari possint, deputati sint: ita quod ipsi electi, sub excommunicationis poena, eosdem priores, praeceptores et fratres, ac eorum singulos, non tamen extra regularia dicti hospitalis loca degentes, adversus inferentes eis aut eorum servitoribus et familiaribus iniurias seu gravamina vel damna in personis, rebus et bonis, seu exigentes ab eis, contra ac suprascriptum est, vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas aut alia onera, defendere et praeservare, ac omnem eorum iurisdictionem exercere; necnon, ubi executio realis vel personalis adversus reos fieri non poterit, et reorum contumacia id exegerit, praecedentibus legitimis monitionibus, aliisque servandis rite servatis, sententias, censuras et poenas ecclesiasticas contra rebelles et inobedientes cum effectu promulgare; ac privilegia

prioribus, praeceptoribus et fratribus praefatis pro tempore concessa, eis observari facere debeant et teneantur; in causis autem hospitalis et militiae huiusmodi, eorumque bonorum et personarum, ubi aliae probationes non existent, eorum magister, priores, praeceptores, milites, fratres, vassalli, subditi, servitores et aliae personae in testes adhiberi et recipi possint.

Obtinentes beneficia hospitalis tenentur solvere hospitali iura mortuariorum et vacantium, *etc.*

§ 29. Ac iura mortuariorum et vacantium, necnon arreragiorum, passagiorum et aliorum quorumcumque, ita ut quaevis personae, cuiuscumque ecclesiasticae dignitatis existentes, beneficia hospitalis huiusmodi pro tempore obtinentes, illa solvere omnino teneantur et adstricti sint, ac ad id, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis ac aliis, iuxta eorumdem privilegia, privationis et apprehensionis bonorum ad manus suas remediis, cogi possint, solvantur.

Facultas sumendi ordines etiam extra tempora, et celebrandi in quibusvis ecclesiis, cum conditionibus quibusdam.

§ 30. Necnon quod magister, priores, praeceptores et dicti hospitalis fratres cappellani, ab ordinariis, intra quorum dioecesum fines eorum prioratus, praeceptoriae et alia loca, in quibus eos residere oportuerit, existent; vel si ab ordinariis praefatis legitime impeditis non potuerint, ab eis nihilominus examinati, atque idonei secundum canonicas sanctiones reperti et approbati, habitisque ab eis dimissorialibus literis, et a suis superioribus licentia, et servata in omnibus forma concilii Tridentini, a quocumque catholico antistite sub Romanae Sedis obedientia constituto, in propria dioecesi residente, aut in aliena pro dioecesano pontificalia exercente, diligenti prævio examine, sacros ordines, etiam (si id, pro utilitate aut necessitate hospitalis, prioratuum, praeceptoriarum et aliorum locorum huiusmodi respective, eisdem ordinariis et superioribus videbitur expedire) extra tempora a iure statuta, tribus nec paucioribus diebus festivis, suscipere, et in quibusvis tam saecularium, quam regularium ecclesiis, cum commendatitiis sui superioris literis, absque alicuius licentia, celebrare possint.

Magister, conventus, priores et praeceptores intra limites suarum iurisdictionum veri ordinarii existunt.

§ 31. Et ipsi magister et conventus, necnon prior ecclesiae, aliique priores et praeceptores, intra limites suarum iurisdictionum et administrationum, veri ordinarii, iuxta formam stabilimentorum et privilegiorum praedictorum, existant et esse censeantur.

Magister et conventus quoscumque delinquentes ubique capere et ad locum conventus vel alium ad id destinat. transmittere possunt.

§ 32. Necnon magister et conventus, quoscumque et singulos priores et commendatores, suorum prioratuum et commendarum fratres seu religiosos delinquentes vel inobedientes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et praeeminentiae existentes, etiam si quavis, etiam apostolica, exemptione fungantur, in quocumque loco, quantumvis privilegiato, et quavis, etiam imperatoris, regum seu aliorum principum, etiam ecclesiasticorum curia, praeterquam Romana, per se aut suos officiales et ministros, capere et incarcerare, ac captos a se vel eorum nomine liberare, et ad hospitale praefatum, per magistrum et conventum praefatos (iuxta eorum constitutiones et stabilimenta) puniendos, sub debita custodia transmittere et transmitti facere, libere et licite possint.

Officiales omnes debent praestare auxilium pro capiendis et transmittendis delinquentibus.

§ 33. Ac tam ecclesiastici quam saeculares officiales et locorum potestates, ad eisdem magistro et conventui, prioribus, commendatoribus aliisque in praemissis assistendum, ac auxilium, consilium, favorem et iuvamen praestandum, sub excommunicationis et aliis censuris et poenis ecclesiasticis, teneantur et obligati sint.

Cassatio et annullatio quarumcumque expectativar., reservation., an-

§ 34. Ac omnia et singula, quae tamen suum nondum sortita sunt effectum, speciales et generales, etiam mentales, reservationes, expectativae, mandata de provi-

tianitatum, concessionum ac aliarum gratiarum praeventivarum super locis Religionis absque consensu magistri et conventus.

dendo, antianitates, sine consensu coadiutoriae, necnon praeventivae quaecumque gratiae de et super prioratibus, praeceptoriis, rectoriis, domibus, cameris magistralibus, locis et membris ac aliis beneficiis ecclesiasticis dicti hospitalis, quovis modo nuncupentur, etiam in Angliae, Castellae, Legionis ac Valentiae regnis ac principatu Cathaloniae et comitatu Flandriae, quomodocumque et qualitercumque, absque magistri et conventus praefatorum consensu, etiam cum quibusvis fortissimis et insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis et inhibitionibus, etiam motu et scientia similibus, quibusvis, etiam aliis quam dicti hospitalis, personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel præeminentiae fuerint, et etiam cardinalatus honore fungentibus et functuris, etiam per nos et Sedem praefatam, tam in genere quam in specie, concessa et facta, et quasvis, etiam praeventivas et restitutorias ac praeservativas necnon derogatorias iuribus dictorum magistri et conventus, etiam quoad annuam responsionem illis faciendam, clausulas in se continentia, eorumque vires et effectus, revocata, cassa et nulla, nulliusque roboris vel momenti sint, ac nemini suffragari possint neque debeant, nec per ea cuiquam in prioratibus, praeceptoriis, dignitatibus, domibus, locis et membris ac aliis beneficiis hospitalis huiusmodi ius acquiri possit, neque coloratus titulus possidendi tribui, sed illis, effectum suum, ut praefertur, nondum sortitis, nequaquam obstantibus, magister et conventus præfati, coniunctim vel divisim, iuxta consuetudines et stabilimenta huiusmodi hospitalis, de prioratibus, praeceptoriis, domibus, cameris, locis et membris ac aliis hospitalis beneficiis huiusmodi libere disponere.

§ 35. Et interim (donec de illis disposuerint) per se vel procuratores suos possessionem eorumdem vacantem propria auctoritate libere apprehendere, ac illorum fructus, redditus et proventus percipere, ac in suos et magistralis et conventualis mensarum usus et utilitatem convertere et retinere possint, cuiusvis licentia super his minime requisita.

Licentia apprehend. propria auctoritate possession bonorum et locorum per alios occupatorum et ea non restituentium.

§ 36. Praeterea, quod prioratus, praeceptoriae et membra ac beneficia quaecumque dicti hospitalis, quae pro tempore Curiam [1], sub quibusvis generalibus vel specialibus reservationibus apostolicis factis, et quas fieri contigerit de beneficiis ecclesiasticis pro tempore vacantibus, utpote ad hospitalitatem et fidei tuitionem ordinata, nullatenus includantur, nec reservata vel affecta existant, sed hospitalium pauperum, quae sub reservationibus ipsis non includuntur, quoad id sortiantur naturam.

Loca Religionis non comprehendant. sub reservationibus apostolicis, sed sint manualia.

§ 37. Debeatque de illis per pro tempore existentem magistrum et conventum praedictos dumtaxat et non alium, iuxta stabilimenta praedicta, fratribus dicti hospitalis provideri. Resignationes vero seu cessiones de illis a pro tempore illa obtinentibus, etiamsi obtinentes de dicta militia non sint, in favorem quarumcumque personarum fieri nequeant, nisi personae ipsae professionem per fratres dicti hospitalis emitti solitam, iam emiserint, aut illam ex nunc intra duos menses expresse emittere, et habitum per eosdem gestari solitum suscipere et gestare paratae existant; alioquin resignationes et cessiones ipsae et quas aliter fieri contigerit per nos aut successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac dictam Sedem vel eius aut alia quacumque auctoritate, de prioratibus, praeceptoriis, membris et beneficiis huiusmodi, reservationes, provisiones, collationes, commendae, uniones et quaecumque aliæ similes vel dissimiles dispositiones.

Loca Religionis per magnum magistrum et convent. dumtaxat et non alios conferri debent personis Religionis, quæ profession. iam emiserint; et resignationes seu cessiones fieri nequeant, nisi in personis in dicta Religione professis, habitum solitum gestantibus.

1 *Quae pro tempore qualitercumque vacaverint extra Romanam Curiam*, l. s. c. (R. T.).

Exemptiones concessae prioribus et militibus non suffragentur adversus debita per ipsos communi aerario hospitalis et obedient. magni magistri et conventus.

§ 38. Et exemptiones priorum, praeceptorum et fratrum a magistri et conventus praefatorum obedientia et superioritate, aut debitis per eos praefato aerario responsionibus annuis et aliis iuribus, quacumque ratione vel causa, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam cum expressa derogatione posteriorum literarum quarumcumque, quas etiam per nos in contrarium fortasse fieri contigerit, nullius penitus sint roboris vel momenti, et habeantur prorsus pro infectis, nec censeatur in hac parte umquam derogatum per quascumque clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias fortiores et efficaciores, nisi dum et quoties ipsarum posteriorum literarum de verbo ad verbum, vere et non per clausulas id importantes, inserto tenore, de ipsorum S. R. E. cardinalium consilio, derogari contigerit; nec etiam tunc, nisi ad id magistri et conventus praefatorum expressus accedat assensus, et non aliter nec alio modo, et semper in huiusmodi, quae sic fient de consilio praefato, derogationibus censeatur apposita clausula, *quod effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praefatorum, et non aliter nec alio modo.*

Loca Religionis nonnisi in Religione professis ac habitum gestantibus conferri possint.

§ 39. Quodque collationes, provisiones, commendae, uniones, reservationes et aliae dispositiones quaelibet, quas de eisdem prioratibus, praeceptoriis et membris pro tempore, per cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem, praeterquam apud Sedem, vacantibus, alias quam in huiusmodi personis et modo praedicto fieri contigerit, etiamsi per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem fient, illis, quibus sic fient, nullum ius nullumque coloratum titulum tribuant possidendi.

Alienationes non fiant, et quae factae, iuribus omnino careant.

§ 40. Alienationes censuum, redditum, iurium, iurisdictionum et bonorum quorumcumque, ad prioratus, praeceptorias, domos, hospitalia, beneficia et loca hospitalis huiusmodi pertinentium, sub excommunicationis latae sententiae et privationis beneficiorum obtentorum poenis, per contrafacientes eo ipso, absque aliqua declaratione, incurrendis, de cetero ne fiant, et si fiant viribus omnino careant.

Revocatio iurispatronatus, et facultas liberandi, facta restitutione.

§ 41. Et insuper quod iura patronatus et praesentandi personas idoneas ad prioratus, praeceptorias, hospitalia, membra aliaque beneficia et loca hospitalis huiusmodi, a quadraginta annis citra acquisita et in futurum acquirenda, ex quavis causa, praeterquam ratione fundationis et iuxta dispositionem concilii Tridentini, nisi, praevia diligenti cognitione per locorum ordinarios habenda, reperta fuerint ob maxime evidentem beneficiorum et locorum huiusmodi necessitatem constituta esse, ab eisdem ordinariis in totum revocentur, et restituto patronis eo quod ab ipsis propter ea datum fuerit, in pristinam libertatem reducantur; et ex tunc (sine tamen damno illa canonice possidentium) liceat magistro et conventui praefatis, prioratus, praeceptorias, hospitalia, membra et beneficia huiusmodi conferre.

Prohibitio reservationis pensionum super beneficiis dicti hospitalis, nisi in favorem fratrum eiusdem Ordinis et Religionis.

§ 42. Et quod nulla pensio annua super alicuius praeceptoriae, commendae vel alterius beneficii militiae huiusmodi fructibus, etiam ex resignatione in manibus Romani Pontificis, aut alia quavis probabili causa, nisi in personam dictae Religionis et militiae, etiam per ipsum Pontificem, reservari, neque commendae et alia beneficia dictae Religionis pensionibus huiusmodi, aliter quam ut praefertur, onerari possint; et si pensiones desuper aliter assignari contingat, assignationes ipsae nullius sint roboris vel momenti, nec titulares beneficiorum huiusmodi ad illarum solutiones teneantur, neque ad id censuris ecclesiasticis aliisve poenis compelli possint.

§ 43. Et quod liceat magistro singulis-

Ad parochiales et alias dicti Ordinis ecclesias deputari possunt fratres cappellani, non obstante quod per abusum aut alias per longissimum tempus presbyteris saecularib. fuerint collatae aut conferri consuetae.

que prioribus, praeceptoribus, militibus et fratribus hospitalis huiusmodi, parochiales, ac etiam sine cura ecclesias vel earum vicarias seu cappellanias perpetuas, aut cappellas vel altaria seu alia beneficia simplicia, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem, ratione prioratuum, praeceptoriarum et camerarum magistralium nuncupatarum, domorum et aliorum beneficiorum dicti hospitalis, per eos pro tempore obtentorum, de iure, statuto, consuetudine, fundatione aut privilegio seu alias quomodolibet spectantia et pertinentia, et ab ipsis prioratibus, praeceptoriis, domibus, hospitalibus et aliis beneficiis dependentia seu illis annexa, et quae dudum fratribus saltem cappellanis eiusdem hospitalis ab eisdem magistro, prioribus et praeceptoribus et aliis praefatis conferebantur, a longo tamen et forsan longissimo tempore citra, de cuius initio memoria hominum forsan non existit, per ipsos magistrum, priores, praeceptores, milites et fratres, per abusum aut ex defectu fratrum cappellanorum vel aliarum personarum eiusdem hospitalis ad id idonearum, clericis seu presbyteris saecularibus collata aut conferri, et per ipsos presbyteros vel clericos saeculares obtineri solita, cum primum, per quamcumque dimissionem illa nunc obtinentium, vacaverint, ea scilicet quibus presbyteratus ordo annexus est, non aliis quam fratribus hospitalis huiusmodi cappellanis nuncupatis, qui a militibus presbyteris seu clericis nisi quoad gestationem crucis vel habitus dicti hospitalis ad pectus non differunt, dummodo si presbyteri aut in ea aetate constituti ut ad ordinem presbyteratus promoveri possint, et ad id alias, etiam iuxta dispositionem concilii Tridentini, idonei et habiles sint; reliqua vero ceteris fratribus militibus conferre, ac alias de illis providere et disponere.

Fratres cappellani a presbyteris saecularibus non differunt, nisi quoad gestationem cruc. ad pectus.

§ 44. Ipsique fratres, quibus beneficia huiusmodi [1] contigerit, illa, si sibi canonice alias conferantur, aut eligantur, praesententur, vel alias assumantur ad illa et instituantur in eis, recipere, et in titulum, etiam quoad vixerint, retinere.

Fratres milites, quibus beneficia conferuntur, in titulum ea quoad vixerint retinere possunt.

§ 45. Et quod presbyteri, qui in dicta Religione professionem non emiserint, nisi de expressa licentia vel consensu magistri seu priorum, praeceptorum vel fratrum, quos id tangeret, ad deserviendum parochialibus et aliis ecclesiis ac cappellis hospitalis huiusmodi, cappellani eiusdem Religionis vel, in defectum eorum, presbyteri in ea non professi, dummodo tam hi quam illi (ut praefertur) idonei sint et iuxta decreta concilii Tridentini huiusmodi, per locorum ordinarios, ad requisitionem seu praesentationem dictorum priorum, praeceptorum et fratrum, ad quos id pertinere compertum fuerit, absque aliqua exactione et oneris impositione, recipi et admitti debeant.

Parochialibus et aliis ecclesiis nonnisi per cappellanos Ordinis, etiam non professos, in defectum professorum deserviatur, qui, praesentati, ab ordinariis ad requisition. magistri, etc. admittantur.

§ 46. Quodque illi dumtaxat privilegiis dicto hospitali concessis gaudeant, qui a praefato magistro seu de eius licentia habitum susceperint et professionem emiserint, seu de habitu suscipiendo et professione huiusmodi emittenda infra certum tempus arctati fuerint.

Privilegiis Religionis dumtaxat gaudeant qui habitum susceperint, et infra certum tempus profess. emiserint.

§ 47. Nullusque priorum, praeceptorum et fratrum praefatorum, absque mandato seu licentia praefati magistri, aut saltem sui prioris seu procuratoris ipsius hospitalis in Romana Curia existentis, privilegiis praedictis in eadem Curia uti valeat, nec illa, absque huiusmodi licentia, vagantibus suffragentur.

Qui gaudeant his privilegiis.

§ 48. Ac manus violentae in eos qui ad ecclesias seu domus eiusdem Religionis pro sua salute confugerint, per quempiam iniici nequeant, sub excommunicationis latae sententiae poena.

Non iniciatur manus violenta in confugientes ad ecclesias Religionis.

§ 49. Liceat etiam loannotto et pro tempore existenti magistro et conventui præ-

Facultas deputandi vica-

1 Bull. S. Laz. addit *conferri* (R. T.).

rium cum facultate conferendi beneficia;

fatis, in singulis prioratibus ipsius hospitalis unum vicarium, cum facultate conferendi praeceptorias et domos hospitalis huiusmodi, deputare; ac pensiones seu responsiones et onera super domibus, praeceptoriis, leprosariis et aliis beneficiis hospitalis huiusmodi imponi solita a quibuscumque, etiam clericis saecularibus, illa in commendam obtinentibus, eorumque colonis et inquilinis, etiam laicis, eo modo quo a fratribus dicti hospitalis exiguntur, exigere.

Et procuratorem generalem in Romana Curia cum potestate conferendi beneficia etiam reservata, affecta vel devoluta, etiam in titulum perpetui beneficii, vel ad nutum aut amovibiliter, etiam per viam perpetuae unionis;

§ 50. Ac in Romana Curia procuratorem generalem, cum generali vel speciali aut limitata potestate et facultate, constituere seu deputare; et in eadem Curia, per se seu dictum procuratorem, quaecumque eiusdem hospitalis beneficia, cuiuscumque qualitatis existentia, quomodolibet, praeterquam per resignationem in manibus nostris et successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore, aut per obitum seu alias quomodocumque apud Sedem vacantia, iuxta ipsius hospitalis et militiae stabilimenta, libere conferre; et de illis, de quibus iam dispositum fuit, de novo; de aliis vero beneficiis huiusmodi, sive illa tamquam privata praedia in titulum perpetui beneficii ecclesiastici, seu etiam ad nutum aut amovibiliter uni vel diversis personis assignari solita sint, iuxta solitum huiusmodi, pro beneficiorum eorumdem natura, aut etiam, si expediverit, per viam perpetuae unionis, libere disponere, ita tamen quod beneficia presbyteris destinata, nullatenus militibus, sed fratribus cappellanis in presbyteratus ordine, aut tali aetate, qua ad illum canonice promoveri possint, constitutis dumtaxat conferantur.

Et concedendi antianitates ac resignationes.

§ 51. Necnon antianitates, tam generales quam speciales, super eisdem beneficiis, fratribus eiusdem hospitalis, quae eo ipso apostolica auctoritate confirmatae et approbatae censeantur, concedere, ac resignationes dictorum beneficiorum recipere et admittere.

Facultas sepeliendi in eorum paroch. quoscumque, etiam interd., dummodo etc.;

§ 52. Necnon coemeteria in eorum parochialibus ecclesiis habere, et quorumcumque christifidelium cadavera, etiamsi interdicti forent (dummodo interdicto causam non dederint), salvo iure, si quo cathedrali ecclesiae aut alteri parochiali, ratione quartae funeralis, debitum fuerit, absque alio onere et solutione episcopo facienda, recipere et sepelire.

Exigendi donata et legata;

§ 53. Legata et donata, tam inter vivos quam qualibet ultima voluntate, exigere et percipere.

Recipiendi quaecumque ecclesiastica sacramenta a quocumque catholico antistite;

§ 54. Necnon prioribus, praeceptoribus, militibus, fratribus et personis praefatis intra regularia dicti hospitalis loca degentibus (de suorum superiorum licentia, aliis vero, quoad confirmationem, sine dioecesani; quoad alia vero, sine parochialium ecclesiarum, intra quorum limites eos degere contigerit, praeiudicio, et servatis decretis concilii Tridentini) liceat quaecumque ecclesiastica sacramenta a quocumque maluerint catholico antistite, sive alio illa licite administrante, gratiam et communionem dictae Sedis habente, nihil oblato vel soluto, recipere.

Deferendi quaecumque arma, ubiq. locorum.

§ 55. Et tam ipsis quam eorum familiaribus arma quaecumque et ubicumque locorum, pro sua defensione et hostium dictae Sedis offensione, gestare.

Audiendi confessiones, ministrandi sacramenta ac celebrandi divina, pro fratribus cappellanis, etiam tempore interdicti;

§ 56. Liceat similiter cappellanis eiusdem hospitalis, priorum, praeceptorum, militum, fratrum, personarum, vassallorum, subditorum et familiarium praefatorum intra huiusmodi loca degentium confessiones audire et poenitentiam salutarem eis iniungere, ac Eucharistiae et alia sacramenta ecclesiastica ministrare, necnon tempore interdicti, dummodo illi causam non dederint, excommunicatis et interdictis exclusis, clausis ianuis et submissa voce, missas et alia divina officia celebrare.

Erigendi praeceptorias, domos, hospitalia, absque licentia ordinarior. locorum, quae gaudeant privilegiis, et in quibus ordinariorum nulla sit iurisdictio.

§ 57. Quilibet autem christifideles, in quibusvis civitatibus, locis, dioecesibus, praeceptorias, domos, hospitalia, sub dependentia et subiectione dicti hospitalis et militiae, per eius fratres et milites obtinenda, quae iisdem privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, concessionibus et indultis, quibus aliae dicti hospitalis praeceptoriae, domus et hospitalia utentur, fruentur et gaudebunt, utantur, potiantur et gaudeant, assignata illis congrua dote, ordinariorum locorum et quorumvis aliorum licentia minime requisita, et nulla praeterea (nisi usqueqno magister et conventus hospitalis huiusmodi propriam Sedem conventualem in aliquo certo loco habuerint) in illis ordinariis ipsis iurisdictione aut oneris imponendi facultate reservata, construi et erigi faciendi, plenam et liberam facultatem et auctoritatem habeant.

Facultas testandi omnibus, etiam ministris presbyteris et beneficiatis, de quibusc. bonis, et ex fructibus beneficior. acquisitis, et inter quoscumque consanguineos inhabiles, dummodo quintam partem hospitali relinquant;

§ 58. Ac quod pariter liceat omnibus prioribus, praeceptoribus, ceterisque militibus ac fratribus et ministris, etiam presbyteris et beneficiatis, eiusdem Religionis et militiae, de quibuscumque, tam stabilibus quam mobilibus, bonis, pecuniarum summis, gemmis et lapidibus pretiosis, aliisque rebus, cuiuscumque qualitatis et quantitatis ac valoris existant, per eos, etiam ratione beneficiorum ecclesiasticorum dicti hospitalis dumtaxat per eos obtentorum ac alias undecumque et quomodolibet acquisitis et ad illos quovis modo spectantibus (dummodo quintam illorum partem conventui praefato relinquant), inter quoscumque consanguineos filios, etiam spurios et alios illegitimos, aliasque, quantumvis incapaces, personas testari, ac alias etiam per codicillos, donationes inter vivos, causa mortis et alia quacumque via, prout sibi videbitur, disponere, ac illa in pias et non pias, alias tamen licitas, causas erogare.

§ 59. Priori autem ecclesiae dicti conventus pro tempore existenti, quoties sibi placuerit, missam et alia divina officia in praefata aliisque dictae Religionis ecclesiis, in habitu pontificali, cum mitra et baculo pastorali, celebrare; ac post missarum solemnia (dummodo non sit praesens aliquis catholicus antistes, vel de illius consensu) ibi benedictionem Christi populo impartiri.

Celebrandi in habitu pontificali, et dandi benedictionem, dummodo non sit praesens aliquis antistes, et tunc de illius licentia.

Milites et alii non incurrunt peccatum mortale nisi propter inobedientiam et contumaciam pluries commissam, et rebellionem a Religione.

§ 60. Et insuper quod nullus ex magistro et militibus ac fratribus pro tempore existentibus, aliisque personis dictae militiae et Religionis, propter eius Regulam, capitula et statuta, nunc et pro tempore edita, non observata vel minus rite adimpleta, in peccatum mortale incidat, praeterquam propter inobedientiam et contumaciam pluries commissam et continuam, et ab ipsa Religione rebellionem et excommunicationis poenae sibi impositae ac alios casus peccatum huiusmodi ex divinis praeceptis sacrisque canonibus generantes.

Personae Religionis tempore sumptionis habitus, et professionis, atque in articulo mortis habent facultatem eligendi confessorem, a quo recipiant indulgentiam plenariam, *etc.*

§ 61. Et quod ipsi milites et aliae eiusdem militiae personae, qui tempore sumptionis habitus et professionis eorum regularium emissionis, atque in articulo mortis constituti, de peccatis suis corde contriti et ore confessi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, cum facultate etiam eligendi sibi dicto tempore professionis et mortis confessorem ab ordinario tamen approbatum. Ac tam milites et personae praefatae quam quivis alii utriusque sexus, qui ecclesias domorum et aliorum locorum hospitalis huiusmodi, ubicumque existentes, singulis diebus festivitatum quæ in honorem Domini nostri Iesu Christi et Beatissimae Mariae Virginis eius matris annuatim celebrantur, a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatum huiusmodi, devote visitaverint, et pro pace inter principes christianos confovenda ter Orationem Dominicam et totidem Angeli-

eam Salutationem recitaverint, septem annorum et totidem quadragenarum de iniunctis eis poenitentiis relaxationem consequantur.

Notarii tenentur sub excommunicat. poena notitiam dare de legatis factis hospitali et militiae.

§ 62. Necnon quod notarii, qui rogati fuerint de testamentis vel ultimis aliis voluntatibus, in quibus aliquid disponi contigerit in favorem et commodum hospitalis et militiae, sub excommunicationis pœna, dispositionem huiusmodi, quanto citius commode poterunt, magistro et conventui dicti hospitalis vel alteri, per quem id poterit ad ipsorum magistri et conventus notitiam pervenire, intimare curent.

Priores et praeceptores in dominica Palmarum et per eius octavam possint, de consensu ordinarior., confessiones audire, et cum confitentibus indulgentiis, etc. uti, et easdem illis impartiri.

§ 63. Necnon quod priores et praeceptores quorumcumque hospitalium et domorum a dicto hospitali Sancti Lazari dependentium, et illud in caput suum recognoscentium, in die festo dominicae Palmarum, et per eius octavam, si in sacerdotio constituti fuerint, per se, in suis hospitalibus ac domibus praefatis tantum, confessiones quorumcumque, de consensu ordinariorum locorum, audire, et cum huiusmodi confitentibus quibuscumque facultatibus et indulgentiis ad peccatorum remissionem, eis auctoritate apostolica concessis, uti, ac easdem illis (de licentia tamen expressa magistri pro tempore existentis et conventus praefati hospitalis singulis annis renovanda) impartiri; iidemque aut, etiamsi in presbyteratus ordine constituti non sint, alium vel alios probos et idoneos praesbyteros, sæculares vel cuiusvis Ordinis regulares, per locorum ordinarios approbatos, ad id deputare plene et libere possint; aliis vero temporibus sint sicut alii sacerdotes nullam a Sede praedicta facultatem habentes.

Facultas appendendi campanas, vel subsignandi animalia S. Lazaro oblata.

§ 64. Possint etiam nolas seu campanas porcis seu aliis quibusvis animalibus, quae eidem Sancti Lazaro offerri contigerit, appendere, seu aliqua nota subsignare.

§ 65. Necnon quod, durante quacumque suspensione temporali indulgentiarum, gratiarum concessarum vel in posterum concedendarum, indulgentiae praedictae ac omnes facultates et gratiae eisdem hospitali, illiusque magistro, conventui, fratribus et membris per Sedem praefatam concessae non intelligantur suspensae, sed in suo pristino et vero valore et firmitate existant et permaneant.

Indulgentiae et gratiae S. Lazari non intelliguntur suspensae.

Facultas celebrandi divina officia, sacramenta ministrandi, ac corpora quorumcumq. fidelium sepeliendi;

§ 66. Necnon ut liceat ipsis fratribus in eorum ecclesiis missas et alia quaecumque divina officia legere vel etiam alta voce celebrare vel per alios presbyteros idoneos celebrari facere; ac omnibus et singulis christifidelibus et leprosis pauperibus infirmis in dictis hospitalibus pro tempore degentibus ecclesiastica sacramenta ministrare; ac eorum et (sine tamen cuiuscumque praeiudicio) aliorum quorumcumque fidelium corpora mortuorum id eligentium et petentium in coemeteriis et ecclesiis dictorum fratrum ecclesiasticae tradere sepulturae.

Verbum Dei praedicandi.

§ 67. Ac verbum Dei, debitis et congruis temporibus, in parochialibus quidem, parochianis et populo; in aliis vero ecclesiis ipsorum, pauperibus ipsis ac leprosis huiusmodi, per se ipsos, si suorum superiorum licentiam habuerint, atque ab ipsis de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, petita ab episcopis, intra quorum dioecesum fines ecclesiae ipsae constitutae fuerint, benedictione, proponere: et si legitime impediti fuerint, per alios idoneos, superiorum suorum et eorumdem episcoporum licentiam habentes, et in omnibus, iuxta formam concilii Tridentini, proponi facere.

Concessio quorumcumque aliorum privilegiorum, gratiarum, exemptionum et aliarum facultatum concessarum hospitalibus et militiis Sancti Ioannis Hiero-

§ 68. Et insuper quod modernus et pro tempore existens magnus magister et conventus, ac singuli milites et aliae personae hospitalis et militiae huiusmodi, postquam praefatam sedem conventualem firmaverint, ut praemissum est, omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, iu-

solymitani, S. Iacobi de Spatha, S. Antonii Viennensis, S. Spiritus de Urbe et S. Stephani in Tuscia.

risdictionibus, exemptionibus, etiam per viam exceptuationis in ipsa onerum impositione, dispensationibus, indultis, concessionibus, dispositionibus, honoribus, gratiis, libertatibus, favoribus, antelationibus, restitutionibus, reintegrationibus et aliis quibusvis gratiis hucusque Sancti Ioannis Hierosolymitani, Sancti Iacobi de Spatha, Sancti Stephani militiis, ac Sancti Spiritus in Saxia de Urbe et Sancti Antonii Viennensis hospitalibus, Religionibus et Ordinibus, eorumque locis, personis, rebus, bonis, per quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac etiam per nos et Sedem praedictam seu concilia generalia vel alios quoscumque, in genere vel in specie, etiam ad imperatorum, regum ac aliorum principum instantiam, vel motu proprio aut alias quomodolibet hactenus concessis, quibus hospitalia, Religiones et militiae huiusmodi eorum magni magistri, conventus et fratres milites utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter, absque ulla penitus differentia (citra indulgentias quaestuarias) uti, potiri et gaudere in omnibus et per omnia libere ac licite valeant, perinde ac si ea omnia et singula, prout illis concessa fuerunt, eorumque omnium et quarumcumque literarum desuper quomodolibet confectarum tenores hic de verbo ad verbum insererentur: ita quod super illis vel eorum occasione per ipsos ordinarios aut quosvis alios molestari, perturbari vel inquietari non possint, dummodo moderationibus et limitationibus suprascriptis et concilio Tridentino praedicto non repugnent, et per hoc dictis hospitalibus et militiis ac iuribus cuiuslibet alterius tertii non praeiudicetur, ac (quoad exemptiones) iurisdictio ordinariorum, tam ea quae de iure communi eis competit, quam quae ex decretis dicti concilii Tridentini eisdem est attributa, semper salva existat, praeterquam in iis casibus, in quibus concilium praefatum expresse excepit et exemit Religionem Sancti Ioannis Hierosolymitani, in quibus et haec Sancti Lazari Religio et militia (praeterquam quoad seminarii contributionem) excepta et exempta pariter intelligatur.

Publicatio et affixio privilegiorum et aliarum litterarum apostolicarum, et mandatorum magistri et conventus arctent ac si personaliter factae essent.

§ 69. Praeterea, quod tam praesentium quam aliarum quarumcumque literarum apostolicarum, seu earum transumptorum ac mandatorum magistri et conventus praefatorum publicatio et affixio, in singulis prioratibus, praeceptoriis, membris et beneficiis Religionis huiusmodi factae, perinde arctent ac si contra contentos sub eisdem personaliter factae essent, facta tamen in praemissis diligentia de illis personaliter reperiendis in dictis locis.

Fides adhibenda literis magistri et conventus.

§ 70. Quodque verbis in ipsorum magistri et conventus literis, circa singulorum fratrum militum dicti hospitalis professionis emissionem, habitus susceptionem, debitorum et obsequiorum praestationem, plena fides adhibeatur.

Magister et conventus possunt privare quemcumq. inobedientem, ac iura Religionis non servantem, praesertim si in solutione annualis census morosus fuerit.

§ 71. Et nihilominus, quod si quisquam priorum, praeceptorum, militum et fratrum dicti hospitalis ac quicumque alius, qui professionem per fratres dicti hospitalis emitti solitam emiserit, quandocumque pro servitiis Religionis aut alias evocatus, seu in solutione iurium communis aerarii morosus fuerit, et citatus coram dictis magistro et conventu personaliter non comparuerit, ac illis obedientiam aliaque iura debita non praestiterit, tempore sibi ad id praefigendo elapso, canonico impedimento cessante, habitu, dignitate, administratione et beneficio ac quocumque honore et officio, alias, iuxta formam stabilimentorum et privilegiorum praedictorum, per magistrum et conventum praefatos privari possit.

§ 72. Nec ulla derogatio aut exemptio

Nulla exemptio valet adversus obedientiam magni magistri, quo minus vocati comparere teneantur. Sed magister et conventus possunt disponere de beneficiis vacantibus per privationem.

realis vel personalis, seu alia gratia praeservativa, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus quomodolibet pro tempore facta seu concessa, contra praemissa valeat, nec magister et conventus praefati illis parere teneantur; sed, illis non obstantibus, de prioratu, praeceptoria, dignitate, officio vel beneficio sic per privationem huiusmodi vacante, iuxta stabilimenta et alia praemissa, libere disponi, ac illa alias per eum vel eos, ad quem seu quos antianitatis vel alio iure pertinet, acceptari possit.

Clausulae harum concessionum praeservativae.

§ 73. Necnon quod praemissis, etiam per quascumque literas apostolicas, etiam quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias efficacioresque et insolitas, ac etiam irritantia decreta sub quacumque verborum expressione in se continentes, nullatenus derogari possit, nec quoad illa derogatum censeatur, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et huiusmodi derogationes consistorialiter factae, et per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes, tribus distinctis similibus vicibus, magno magistro et conventui praefatis intimatae et insinuatae fuerint, ac ipsorum magistri et conventus ad id expressus accedat assensus; et aliter factae derogationes nemini suffragentur; ac magister et conventus praefati ad parendum literis derogatoriis huiusmodi et decretis super illis processibus, ac illorum executoribus et subexecutoribus, eorumque mandatis et monitionibus minime teneantur, sed literarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec, ratione resistentiae, censuris ecclesiasticis per eosdem executores vel subexecutores latis, innodari possint.

Decretum irritans, et clausula sublata, etc.

§ 74. Et sic, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et cuilibet eorum quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debeat. Et quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane sit.

Clausulae derogatoriae.

§ 75. Et quoad praemissa non obstent ea omnia, quae dictus Pius IV praedecessor in dictis literis voluit non obstare.

Sanctio poenalis.

§ 76. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum ratihabitionis, statutorum, ordinationum, revocationis, cassationis, irritationis, annullationis, evacuationis et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, septimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 ianuarii 1567, pontif. anno II.

XLIV.

Reservatio beneficiorum propter crimen haeresis vacantium, et declaratio quod haec beneficia non comprehenduntur in impetrationibus, in quibus modus vacationis propter crimen haeresis non sit expressus, nisi in casibus hic nominatis.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis

Cum, ex apostolatus officio nobis (meritis licet imparibus) credito, cura dominici gregis nobis immineat generalis, et exinde teneamur, more vigilis pastoris, vigilare et attentius providere ut ecclesiis, monasteriis et quibusvis aliis beneficiis

ecclesiasticis, nunc et pro tempore propter crimen haeresis vacantibus et vacaturis, tales viri eis praeficiantur idonei, qui detestandas ac nefarias haereses, diabolo disseminante, contra verae et orthodoxae fidei puritatem exortas, de agro Domini extirpare, et populos sibi commissos ad catholicae Ecclesiae veritatem reducere, doctrina, verbo et boni operis exemplo valeant.

Reservatio omnium beneficiorum propter crimen hæresis vacantium.

§ 1. Praemissorum itaque consideratione inducti et aliis ad id suadentibus rationabilibus causis, nonnullis etiam praedecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera nostra voluntate et deliberatione, omnia et singula beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani et aliarum quarumvis militiarum, regularia, quaecumque et qualitercumque sint, etiam si saecularia, canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, et dignitates ipsae in cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales; regularia vero beneficia huiusmodi, monasteria, etiam consistorialia, prioratus, praepositurae, praepositatus, dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes vel officia, etiam claustralia, ac hospitalia et praeceptoriae et alias quomodocumque qualificata fuerint, ordinationi et dispensationi nostrae et Sedis Apostolicae, hac perpetuo constitutione valitura, auctoritate apostolica, tenore praesentium, reservamus.

Declaratio quod in impetrationibus beneficiorum non comprehenduntur beneficia

§ 2. Declarantes omnes et quascumque impetrationes de beneficiis, ut praefertur, quomodocumque qualificatis, certo modo in futurum faciendas et obtinendas, beneficia huiusmodi propter haeresim vacantia et in futurum vacatura non comprehendere, nisi specialiter et dispositive vacationis modus propter crimen haeresis expressus fuerit, et illum nullo sub modo quibusvis clausulis et decretis comprehendi, quantumcumque generalibus, in quibusvis gratiis et concessionibus per nos et Romanos Pontifices successores nostros faciendis, etiam per *Fiat* signatis et concessis; ac decernentes omnes et quascumque impetrationes de quibusvis beneficiis, ut praefertur qualificatis, hactenus factas et obtentas, nisi earum vigore in iudicio per impetrantes crimen huiusmodi deductum fuerit, et super eo sententiam favorabilem obtinuerint, vel dictorum beneficiorum possessionem assequuti fuerint, ad vacationem huiusmodi, propter crimen haeresis, se non extendere, et illum neminem comprehendere.

propter haeresim vacantia, nisi specifice sit expressum, *etc.*

Decretum irritans.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, iudicari et interpretari debere; irritum quoque et inane, si secus per quoscumque, quavis dignitate et auctoritate praeditos, iudicatum fuerit decernimus.

Forma publicandi, quæ mox sequitur.

§ 4. Volumus autem quod praesentes literae in Cancellaria nostra Apostolica et in acie Campi Florae de more publicentur, et inter constitutiones perpetuo valituras describantur.

Fides exemplorum.

§ 5. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis ac sigillo alicuius prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXVII, sexto kalendas februarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 ianuarii 1567, pontif. anno II.

XLV.

Revocatio indulgentiarum, quomodolibet concessarum, continentium facultatem quaestuandi, et pro quibus consequendis porrigendae sunt manus adiutrices; prohibitioque de cetero quaestuandi et quaestores deputandi [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Etsi, dominici gregis saluti semper intenti, singulis cum humilitate poscentibus ea benigne concedere nos et prædecessores nostri studuerint, per quae, peccatorum mole deposita, salus ipsis succedat, et hostis humani generis servitute ereptas animas lucrifaciant Altissimo, Qui eas nobis sua bonitate commisit; id tamen propensiori studio nos praecavendum esse censemus, ne, cuiusvis indulgentiae, remissionis vel facultatis obtentu, christifideles procliviores ad illicita in posterum committenda reddantur, aut facilitas veniae eis peccandi tribuat incentivum, et exinde clavium auctoritas deducatur in contemptum, et christifideles quamplurimum scandalizentur.

Causae revocationis.

§ 1. Sane, cum ad auditum nostrum ex diversis mundi partibus quamplurimae querelae perlatae fuerint quod, vigore diversarum indulgentiarum et facultatum per praedecessores nostros ac etiam nos vel auctoritate nostra, tam fabricae nostrae basilicae Principis Apostolorum et ecclesiae Sancti Ioannis Lateranensis de Urbe ipsiusque ecclesiae, necnon Sancti Ioannis, et Sancti Lazari Hierosolymitani, ac Sancti Spiritus in Saxia, et Sancti Ioannis Lateranensis, ac Sancti Iacobi Incurabilium de eadem Urbe, necnon Sancti Elmi, et Sancti Bovis, ac Sancti Gothardi, et Leuguzioni, necnon Sancti Nicolai, et Sancti Bernardi Montis Iovii, necnon Sancti Leonardi, ac Sanctae Marthae, necnon Sanctissimi Crucifixi Siracusanensis, ac Sanctae Mariae de Monte Serrato, hospitalibus, ac etiam Sancti Sebastiani prope et extra muros dictae Urbis, necnon Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennensis dioecesis, et Redemptionis Captivorum nuper Neapoli instituto, monasteriis, illorumque ac diversis aliis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, militiis, confraternitatibus, societatibus et piis locis concessarum, multi quaestores ex eisdem indulgentiis lucrum temporalem tantum quaerentes, nominibus fabricae ecclesiarum, hospitalium, monasteriorum, militiarum, confraternitatum, societatum et piorum locorum praedictorum, in diversis civitatibus et dioecesibus quaestas facere, confratres describere, cappellas et oratoria erigere, illisque erectis indulgentias huiusmodi communicare, et in diversis gradibus a iure prohibitis dispensare, ac plura etiam concedere, quam eis, vigore facultatum praedictarum, licitum sit; ipsique, lucro intenti, pecuniasque potius quam christifidelium salutem quaerentes, ac eisdem indulgentiis sic abutentes, quæstum ex illis particularem facere conentur, variosque et diversos quaestores, commissarios, procuratores, receptores, thesaurarios, factores, nuncios et alios ministros constituere, qui non solum supradicta, sed etiam plura alia eis numquam concessa facere et concedere; necnon locorum ordinarios, illorumque in spiritualibus vicarios generales et officiales ac ministros, ecclesiarumque et Ordinum praelatos, superiores et personas quaestas huiusmodi impedientes censuris ecclesiasticis innodare, et alias in pluribus graviter excedentes, in Divinae Maiestatis offensam, ac suarum et christifidelium animarum perniciem, ac ordinariorum

[1] Vide concilium Tridentinum, sess. XXI, *De Reform.*, cap. ult., ubi, abolito usu quaestorum, datur ordinariis forma colligendi eleemosynas.

perturbationem et piarum mentium scandalum, praesumant.

Revocatio indulgentiarum continent. facultatem quaestuandi, et pro quibus consequendis porrigendae sunt manus adiutrices.

§ 2. Nos qui, Deo propitio, gregis dominici, meritis licet insufficientibus, curam gerimus, et illum spiritualis thesauri elargitione cupimus ipsi Deo reddere acceptabilem, ex praemissis et aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus, felicis recordationis Callisti quarti, Clementis VII, Pauli III, Iulii similiter III et diversorum aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera nostra voluntate et deliberatione, omnes et singulas indulgentias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones fabricae et ecclesiae huiusmodi, necnon Sancti Ioannis Hierosolymitani, etiam pro constructione et aedificatione illius novae civitatis praedictis, et quibusvis aliis hospitalibus, monasteriis, ecclesiis, domibus, militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, congregationibus, confraternitatibus et universitatibus et piis locis, illorumque Ordinibus, capitulis et conventibus, magistris, superioribus et tam saecularibus quam quorumvis, etiam Mendicantium, Ordinum regularibus personis, tam singulariter quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac ex quibusvis, etiam urgentissimis, causis, etiam causa redemptionis captivorum et alias quomodolibet concessis, pro quibus consequendis manus sunt porrigendae adiutrices, et quae quaestuandi facultatem quomodolibet continent, illarum omnium tenores, formas, derogationes et decreta praesentibus pro expressis habentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, ac viribus vacuamus.

Prohibitio deputandi quaestores, aut faciendi quaestas nisi de speciali licentia Papae.

§ 3. Et insuper perpetuo hac nostra valitura constitutione decernimus quod ex nunc de cetero, sub indignationis nostrae poena, praetextu indulgentiarum et facultatum per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam motu simili, ac Sedis Apostolicae legatos et alias quomodolibet concessarum, et quas a nobis et Sede praedicta in posterum verbo, literis aut quavis alia scriptura, etiam manu nostra signata, etiam cum clausula quod sola signatura sufficiat, etiam in favorem fidei aut Cruciatae Sanctae vel cuiuscumque alterius piae causae, etiam privilegiatae, concedi quomodolibet contigerit, nullus, quavis, etiam episcopali, archiepiscopali et patriarchali aut maiori dignitate, etiam cardinalatus honore, seu etiam regali vel temporali excellentia praefulgeat, audeat vel praesumat quaestas facere, aut nuncios, quaestores, commissarios, thesaurarios, receptores pro illis recipiendis in dictis hospitalibus, ecclesiis, domibus, monasteriis, militiis et aliis supranominatis, vel pro eis aut illorum nominibus alibi constituere et deputare, nisi de speciali licentia et ex certa scientia nostris et Romani Pontificis pro tempore existentis, de qua per literas nostras et eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis, locorum ordinariis vel eorum in spiritualibus vicariis seu officialibus, derogationem praesentis nostrae constitutionis, illius tenore de verbo ad verbum inserto, expresse continentes:

Decretum irritans.

§ 4. (Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari) constare debeat.

Executorum deputatio.

§ 5. Mandantes, in virtute sanctae obedientiae, omnibus et singulis venerabilibus

fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, quatenus in civitatibus et dioecesibus suis praesentes nostras literas publicare et observare debeant; rogantesque omnes et singulos principes saeculares et alios dominos et magistratus temporales, eisque per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi, in remissionem peccatorum suorum, iniungentes quatenus in praemissis eisdem patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis assistant, et suum auxilium et favorem praestent, cum auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon fabricae ecclesiae, hospitalium, monasteriorum, militiarum, confraternitatum, Ordinum, capitulorum, conventuum, aliorum locorum praedictorum et quorumvis illorum membrorum, ecclesiarum, etiam cathedralium et metropolitanarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis et praesertim Sancti Ioannis et Sancti Lazari ac Sancti Spiritus in Saxia hospitalibus, necnon Sancti Antonii de Sancto Antonio et Sanctorum Nicolai et Bernardi Montis Iovii monasteriis, ipsorumque monasteriorum hospitalibus, singulorumque eorum conventibus, superioribus et personis praefatis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores ac nos et Sedem Apostolicam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu simili et ex certa scientia, ac quavis, etiam imperiali vel regali consideratione vel instantia, et alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus specialiter et expresse derogamus et sufficienter derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Iussio publicandi.

§ 7. Volumus autem quod praesentes literae in Cancellaria nostra Apostolica, et acie Campi Florae de more publicentur et inter constitutiones perpetuo valituras describantur.

Fides transumptorum.

§ 8. Et quia difficile foret easdem praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus quod earum transumptis *etc.*

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXVII, sexto idus februarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 februarii 1567, pontif. anno II.

XLVI.

Confirmatio gratiarum et indultorum congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, cum aliorum privilegiorum elargitione [1].

[1] De huius congregationis institutione et aliis eius gratiis videnda est const. X Clementis VII, *Exponi*, tom. VI, pag. 73; et eiusdem const. XLVI, *Dudum*, pag. 160

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Ad immarcescibilem vitae aeternae coronam, ad quam fortes Christi athletae non adversus carnem et sanguinem praeliantes, sed contra spirituales antiqui hostis nequitias et huius mundi tenebrarum principatus, assiduo fidei clypeo et scuto bonae voluntatis armati, lumbisque praecinctis, colluctantes, reiectis vanitatibus et illecebris, indefesse aspirant, et quo optatum finem tutius consequantur, Religionis arcem, unde inimicorum insultibus, dante Domino, securius resistere et hostilia tela propulsare queant, animose ascendunt, elevantes oculos mentis nostrae, paterna pietate et benevolentia, ex nostri pastoralis officii debito, non ab re iugiter inducimur ut tranquillo eorum statui, quantum cum Deo possumus, prompte consulamus, et his quae propterea facta esse dignoscuntur, auctoritatis nostrae adiiciamus firmitatem, aliasque desuper opportune provideamus, prout, personarum et temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Clementis VII constitutio,

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa VII, praedecessor noster, sibi pro parte *etc.* [1].

Eius et alia.

§ 2. Et deinde, pro eadem parte, eidem Clementi praedecessori etiam exposito quod ipsi *etc.* [2].

Paulus III decrevit quod maior pars vocalium capituli, ubique repraesentaret totum capituluoi cum omnimoda potestate;

§ 3. Ac postmodum recolendae memoriae Paulus Papa III, similiter praedecessor noster, vivae vocis oraculo, eidem Paulo IV praedecessori, qui etiam tunc in minoribus constitutus tituli S. Sixti presbyter cardinalis erat, per eumdem Paulum III praedecessorem facto, eidem congregationi Clericorum Regularium, inter alia, quod maior pars habentium vocem in capitulo, in quocumque loco commoraretur, repraesentaret totum capitulum congregationis Clericorum Regularium huiusmodi; et ubicumque vocalium maior pars foret, semper repraesentaret capitulum generale, et haberet in ipsa congregatione Clericorum Regularium super praepositos omnes et superiores sacerdotes et alios professos, in spiritualibus et temporalibus, post sanctam Sedem Apostolicam, cui immediate subiiciebantur, supremam iurisdictionem et potestatem, donec capitulum generale solemniter celebraretur.

Et vocalium numero pari existente, ibi esset capitulum ubi vocalium esset antiquior;

§ 4. Et si vocales in ecclesiis et locis eorumdem congregationis Regularium pares numero forent, ibi ex gratia et privilegio intelligeretur adesse capitulum repraesentans generale, ubi foret vocalis, qui antiquior esset omnibus aliis vocalibus, qui in locis particularibus pares numero forent.

Et dicti capituli ius esset supremum quibuscumque necessitatibus et super. translationibus, *etc* providendi,

§ 5. Capitulumque huiusmodi haberent in praedictis congregatione Clericorum Regularium ius supremum; et quandocumque, in ecclesiis et locis praedictis, omnibus casibus et necessitatibus providere possent; et maxime superveniente causa de superiore cassando, transferendo et de novo creando, quocumque nomine appellaretur, ut in spiritualibus et temporalibus libere administraret.

Qui superiores anno durarent;

§ 6. Quodque tempus suae administrationis non posset ultra annum prorogari, et omnibus congregationis Clericorum Regularium gaudere privilegiis.

Praepositorumque et eorum loca tenentium eadem esset auctoritas, et tempus administrationis non computaretur triennio praelaturae;

§ 7. Et generaliter quicquid possent praepositi per privilegia, possent etiam eorum locatenentes. Et si ille, qui ut superior administrasset, in praepositum erigeretur, tempus quo sine titulo praepositurae administravisset, non impediret quo minus posset sicut ceteri praepositi usque ad triennium confirmari.

Et praepositu-ris vacantibus,

§ 8. Ac etiam tempore, quo contingeret per lapsum anni officia praeposito-

1 Omittitur, quia haec bulla est quae citatur in nota ad columnam secundam paginae praecedentis.

2 Omittitur, quia ipsa bulla est citata in nota ut supra, et illa Pauli III sufficienter relata.

capit. praepositis congregationis dat auctoritatem;

rum vacare, supradictum capitulum scribere possent praepositis sub hac vel simili forma: *Licet officium praeposituraе tunc tali die vacaret, tamen, ut superior, non desistas in spiritualibus et temporalibus libere, ut antea, administrare, donec aliter fuerit provisum, provisioque suum sortiatur effectum.*

Antiquiorque in voce succederet ipso iure praeposit. vacanti per lapsum anni;

§ 9. Necnon quod antiquior in voce, qui in loco esset, succederet ipso iure praeposituraе vacanti per lapsum anni, cessum vel decessum praepositi, et gauderet omnibus privilegiis congregationis Clericorum Regularium huiusmodi, donec per capitulum generale vel repraesentans generale de alio superiore vel aliter provideretur, et observaretur ut dictus antiquior, ut supra, administraret in causa absentiae vel infirmitatis ipsius praepositi, nisi ipse praepositus aliter providisset.

Laici etiam venientes ad Religionem uterentur vestibus clericalibus, et absque earum mutatione admitterentur ad professionem, omnibusq. privilegiis congregationis gauderent

§ 10. Quodque laici ad congregationem venientes, si videretur eos non divino officio mancipandos, uterentur vestibus clericalibus, quae tamen secundum conditionem locorum et personarum honeste censerentur, eisque tempore probationis simpliciter assignatae, ad professionem trium votorum, more eorumdem congregationis, sine tamen vestium mutatione et benedictione, admitti, ac omnibus privilegiis praedictis gaudere possent dicta auctoritate concessit et declaravit.

Iulius III praedicta omnia confirmavit, sed eius bullam uti simpliciter confirmatoriam non posui.

§ 11. Ac postea, pro parte quondam Bonifacii presbyteri Alexandrini eiusque sociorum congregationis Clericorum Regularium huiusmodi, inclitae memoriae Iulio Papae etiam III, predecessori nostro, exposito quod ipsi, qui in locum Pauli praedecessoris et Caietani huiusmodi successerat, ut literae praedictae firmius permanerent et inviolabiliter observarentur, cupiebant illas ab eodem Iulio praedecessore approbari et innovari, idem Iulius praedecessor, eorum supplicationibus in ea parte inclinatus, concessiones et statuta ac ordinationes, necnon, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, singulas literas praedictas, etiam per suas in simili forma brevis sub die x iunii, anno Domini MDLI, pontificatus sui anno II, expeditas literas approbavit et innovavit, illisque perpetuae et validae firmitatis robur adiecit; ac illa omnia et singula observari, et Bonifacio et sociis praefatis et eorum successoribus Clericis Regularibus suffragari, ipsosque illis, perpetuis futuris temporibus, uti, frui, potiri et gaudere posse; necnon, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decrevit.

Paulus IV bullam Iulii III approbavit, et privilegia congregationis de Somasca et huius congregationis a Paulo III unitarum communicavit, sed haec bulla est etiam praetermissa, quia plene hic relata [1]

§ 12. Et deinde praedictus Paulus IV, praedecessor, divina favente clementia, ad summi apostolatus apicem assumptus, motu proprio, per eius cedulam, dictas in forma brevis praefati Iulii praedecessoris literas praeinsertas habentem, sub data videlicet VII idus octobris, pontificatus sui anno I, quaedam per cedulam ipsam declarata et capitula ac ipsas literas et omnia in eis contenta, necnon curam et administrationem congregationis de Somasca, eisdem congregationi Clericorum Regularium per praedictum Paulum III praedecessorem commissam, etiam ad hoc ut illorum et de Somasca congregationis huiusmodi, ac omnes illorum personae omnibus et singulis privilegiis et praerogativis, ac aliis quibus utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti et gaudere possent quomodolibet in futurum, ad invicem et alter alterius et e converso uti, potiri et gaudere licite possent et valerent, apostolica auctoritate approbans, confirmans et innovans, illisque perpetuae et validae firmitatis robur adiiciens, et illa omnia et singula observari, et eis

1 Scias hanc unionem non praestitisse, et de congregatione Somasca vide in Pauli III constit. XXIX, *Ex iniuncto*, tom. VI, pag. 285.

suffragari, eosque perpetuo illis frui et gaudere; et ita iudicandum fore, sublata quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ac irritum et inane eisdem quicquid secus attentari contigerit.

Facultatemque administr. sacramenta in omnibus ecclesiis concessit;

§ 13. Decernens congregationi Clericorum Regularium, ac tunc et pro tempore existentibus Clericis Regularibus praefatis, ut ipsi, qui idonei fuerint, Eucharistiae sacramentum, in omnibus et singulis, etiam ad eos non spectantibus, ecclesiis, quibuscumque utrinsque sexus christifidelibus debite, etiam non per eos sed alios confessis, et alias, ut moris est, administrare.

Privilegiaque Societatis Iesu dedit [1].

§ 14. Ipsisque, ut omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, praerogativis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et indultis dilectis filiis de Societate Iesu almae Urbis nostrae, tam in spiritualibus quam temporalibus, in specie vel in genere, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et dictam Sedem quomodolibet concessis et concedendis, et quibus Societas huiusmodi, tam in vita quam mortis articulo, etiam circa peccatorum remissionem et iniunctarum poenitentiarum relaxationes et ipsius Eucharistiae administrationem et alias quomodolibet utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterunt, similiter ipsi congregatio et Clerici Regulares uti, potiri et gaudere libere et licite possent et valerent, ac illorum omnium participes esse deberent, concessit et indulsit. Privilegia quoque, indulgentias, praerogativas et alia omnia eisdem Societati, ut praefertur, etiam communicative, concessa, ad congregationem et Clericos Regulares praefatos extendit et ampliavit; ipsisque, ut omnia et singula tam per eosdem Clementem VII, Paulum III, quam Iulium etiam III, praedecessores, eis concessa, et per eundem Paulum III, etiam praedecessorem, et alios ex tunc in posterum concedenda privilegia, gratiae, indulgentiae, praerogativae, exemptiones et indulta, toties reintegrata, confirmata et innovata, ac in pristinum statum restituta esse censerentur, quoties per eumdem Paulum IV praedecessorem et Sedem praedictam alia quaecumque privilegia aliis congregationibus et quorumvis Ordinum religiosis et monacis concessa et concedenda, reintegrari, confirmari vel innovari et in pristinum statum restitui contingeret, etiam concessit et indulsit, cum decreto et clausulis, ac alias certis modo et forma tunc expressis *etc.*

Hic modo Pontifex omnia praedicta confirmat;

§ 15. Cum autem, sicut accepimus *etc.*, motu proprio, *etc.*, praedicta omnia praesentium tenore confirmamus, approbamus et innovamus *etc.*

Praepositoque dat facultatem absolvendi venientes ad hanc Religionem a quibuscum. casibus non reservatis in bulla Coenae Domini;

§ 16. Et insuper eisdem congregationi Clericorum Regularium, tam Romae quam Venetiis et Neapoli ac alias ubique locorum degentium, ac illius nunc et pro tempore existentibus clericis praefatis, ut ipsi et eorum singuli, qui praepositi fuerint, quorumcumque, qui, congregationem huiusmodi ingressi, iuxta illorum ritum, professionem per eosdem Clericos Regulares emitti solitam solemniter emittere voluerint, in eorum et cuiuslibet ipsorum professionis emissionis seu alio anteriori die quocumque, eorum confessionibus per dictos praepositos aut eorum aliquem diligenter auditis, ipsos et eorum singulos ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis ac quacumque per eos eatenus quomodolibet contracta irregularitate et peccatis aliis, quantumcumque gravibus et enormibus, per ipsos et eorum singulos usque ad dictam diem quomodolibet perpetratis, commissis et incursis, etiam si talia forent, de quibus hic specialis et expressa mentio habenda et propterea di-

[1] Haec vide in Pauli III const. XXXIII, *Regimini*, tom. VI, pag. 305, cum ibi notatis.

cta Sedes merito consulenda esset; necnon privationis, excommunicationis, suspensionis et interdicti et quibusvis aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis in eos, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus profitendos ipsos tunc quomodolibet innodatos et ut tales declaratos et publicatos esse reperiri contigerit, sine tamen alicuius praeiudicio, in quibuscumque, etiam praedictae Sedi Apostolicae reservatis, casibus, praeterquam tamen contentis in bulla die Coenae Domini legi consueta, huiusmodi apostolica auctoritate praedicta alias in superius dicta forma plene absolvere et totaliter liberare, et eis pro commissis poenitentiam salutarem iniungere; ac cum ipsis et eorum quolibet super irregularitate per ipsos et eorum quemlibet, inde ac etiam quia sententiis, censuris et poenis praedictis ligati missas forsan ac alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, aut alias se in eis immiscuerint per pridem usque tunc, ac etiam ex quocumque eorum defectu et impedimento, non tamen ex omicidio voluntario, proveniente, ac alias quomodolibet contracta. Quodque, his praemissis et aliis non obstantibus, in suis, quos antea susceperunt, etiam presbyteratus, sacris ordinibus, et quando in illis aut aliquo vel aliquibus eorum adhuc non fuerint tunc promoti, ad illos omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines huiusmodi, alias tamen rite promoveri, et in eis promoti, etiam in altaris ministerio, in dictis et aliis quibusvis ecclesiis atque locis, ministrare libere et licite valeant, dispensare; et ab illis et eorum quolibet omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam ex praemissis circa eos quomodolibet insurgentem et per ipsos contractam penitus abolere; necnon eos et quemlibet ipsorum in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum, et alias iuxta supradictam formam restituere.

Clericisque auctoritat. impartitur administrandi sacramenta omnibus intra habitationes congreg. existentibus, et etiam ceteris in casu necessitatis;

§ 17. Et tam praepositi, quam ceteri omnes clerici, Romae, Venetiis, Neapoli ac alias ubique locorum degentes, congregationis huiusmodi nunc et pro tempore existentes, qui tamen presbyteri fuerint, Eucharistiae, etiam pro viatico, ac etiam constitutis in articulo mortis, ac Extremae Unctionis ceteris clericis et fratribus congregationis huiusmodi, ac etiam mercenariis, famulis, operariis et servis eorumdem congregationis, ac quibusvis hospitibus, etiam saecularibus et extraneis, quos in locis vel habitationibus congregationis huiusmodi tunc reperiri contigerit, etiam in mortis articulo et quoties de illo dubitari contigerit, etiam dioecesani locorum et sacerdotum curatorum quorumcumque, etiam in quorum civitatibus et dioecesibus ac ecclesiarum parochiis respective ecclesiae et loca ipsorum congregationis nunc et pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcumque licentia minime petita nec obtenta: et in casu quo non daretur spatium petendi talem licentiam propter repentinam necessitatem, etiam quibuscumque aliis personis, quae in huiusmodi necessitate intra ecclesias, collegia, domos et habitationes congregationis praedictorum reperiri contigerit; ac extra illa aliis quibusvis infirmis, etiam in mortis articulo constitutis, ubique in causa necessitatis supradictae, etiam nulla ad hoc per eos petita nec eis concessa licentia cuiusvis sacerdotis curati, Poenitentiae [1] sacramenta ecclesiastica ministrare possint.

Ad processiones non posse cogi decernit;

§ 18. Ac etiam eisdem et aliis Clericis Regularibus congregationis huiusmodi, Romae, Venetiis, Neapoli ac alias ubique locorum degentibus, cum ipsi fere totos dies in orationibus ac missis et aliis divinis officiis dicendis transigant, et frequenter ipsos ab audiendis poenitentium

1 Deest forsan *et alia* (R. T.).

confessionibus esse, et verbum Dei populo praedicare oporteat, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, ipsi, sicut alii qui in strictiori clausura perpetuo vivunt, ac cum ceteris Urbis nostrae et Neapolitanae praedictarum, ac aliarum civitatum, terrarum et locorum, in quibus dictae eorum ecclesiae, domus et loca sunt et erunt quomodolibet in futurum, personis ecclesiasticis, tam saecularibus, quam praefatorum et aliorum quorumcumque Ordinum regularibus, processionaliter, in eorum processionibus publicis vel privatis, etiam solemnibus, aut extra illas de per se incedendum minime teneantur, nec ad id, etiamsi certae personae huiusmodi, tam de iure vel statuto, quam usu et consuetudine, ac alias quomodolibet astrigantur, inviti, quavis, etiam apostolica, auctoritate cogi, moneri vel compelli, nec propterea aliquibus ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis innodari vel ligari possint.

Indulgentias eisdem elargitur;

§ 19. Ac etiam singulis ex ipsis, qui tam in eorum propriis ecclesiis et locis existentes, quam etiam quoties ac quamdiu, pro quibusvis rebus et causis, de suorum congregationis Regularium huiusmodi superiorum licentia, iussu, commissione vel mandato, propriis ecclesiis vel domibus abfuerint, et ad quaevis alia civitates, oppida, terras et loca declinare et eos illic esse, ac etiam permanere contigerit, quadragesimalibus et quibusvis aliis anni temporibus atque diebus, stationum basilicarum et ecclesiarum dictae Urbis et extra illius muros, atque dictis eorumdem congregationis et aliis quibuscumque ecclesiis et locis, illasque et illa visitantibus concessarum indulgentiarum, propriam ecclesiam sive oratorium aut unam aliam civitatum, oppidorum, terrarum et locorum, ad quae, ut praemittitur, declinaverint et ubi permanserint, aut in eis quinque vel quatuor, si tot extent, aut pauciora altaria devote visitando, et semel psal. *Miserere*, etc. et Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam et Symbolum Apostolorum, pro felici statu et conservatione militantis Ecclesiae et exaltatione fidei catholicae, nostra quoque et successorum nostrorum Romanorum Pontificum quorumcumque prosperitate recitando, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones visitantibus basilicas et alias praefatae Urbis et extra illius muros ad id deputatas, ac ipsorum congregationis et aliorum quorumcumque, tam in Urbe et Neapolitana quam aliis civitatibus, terris, oppidis et locis sitas, ecclesias visitantibus, concessas consequantur, quas consequerentur et consequi possent si singulis temporibus et diebus supradictis basilicas et alias Urbis praedictae ac extra illius muros, necnon in Neapolitana et aliis civitatibus, oppidis, villis et locis praefatis sitas ecclesias personaliter visitarent, ac omnia et singula, quae, pro huiusmodi indulgentiis consequendis, quomodolibet requiruntur, adimplerent, apostolica auctoritate praedicta, concedimus et indulgemus, ac etiam perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulas praeservativas huic bullae apponit.

§ 20. Decernentes praesentes nostras literas, quae ad plenam probationem praemissorum omnium et singulorum, ita ut nulla probatio in contrarium admittatur, sufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri debeat, ac eadem praemissa seu eorum aliqua de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari seu impugnari non posse, sed semper valida et efficacia existere; ac eisdem congregationi et illius Regularibus Clericis et aliis personis suffragari, et sub nullis, etiam totum earumdem praesentium tenorem in se continentibus, revocationibus, suspensionibus, derogationibus, aut aliis altera-

tionibus, similium vel dissimilium confirmationum, concessionum et gratiarum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu et scientia similibus, etiam consistorialiter, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ex quibusvis causis, etiam iustissimis, pro tempore quomodolibet factis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis excipi, ac quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restituta et plenarie reintegrata existere et censeri; et ita per quoscumque iudices et commissarios, ut praefertur, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, sententiari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat;

§ 21. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Neapolitano, Placentino ac Amerinensi episcopis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties super hoc pro parte congregationis et illius Clericorum Regularium, ac aliarum personarum praedictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque et cuilibet ipsorum in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, illosque et quemlibet eorum eis pacifice frui et gaudere, non permittentes illos vel eorum quempiam per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis omnibus derogat;

§ 22. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii VIII, etiam praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede Apostolica deputati, extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere quoquomodo praesumant; et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; necnon aut regulis nostris de unionibus, et illarum confirmationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac de indulgentiis ad instar non concedendis; necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, si opus sit, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon supradictis et omnibus aliis, quae singuli praedecessores praedicti, in dictis eorum cedulis, literis et supplicatione, voluerunt non obstare, et quae revocarunt, quibusque derogarunt, cum perpetui desuper silentii impositione et inhibitione, alias prorsus similibus modo et forma supradictis; quibus etiam omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro

sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, a praefata sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi iubet.

§ 23. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in Romana Curia quam extra eam, ubilibet adhibeatur, et illis stetur, etiam in iudicio et extra, quae eisdem literis adhiberetur, si in medium exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 24. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, avocationis, extinctionis, perpetui silentii impositionis, approbationis, confirmationis, innovationis, adiectionis, concessionis, indulti, statuti, ordinationis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, idibus februarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 februarii 1567, pontif. anno II.

XLVII.

Confirmatio concordiae et consuetudinis Maioricensium fratrum Ordinis Praedicatorum super modo sepeliendi sine interventu parochi [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ea, quae concordia inter quascumque, praesertim religiosas, personas facta fuisse dicuntur, ne in recidivae contentionis scrupulum relabantur, sed firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, approbamus et confirmamus, ac alias desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Diplomatis causa.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum S. Dominici et S. Francisci, tam Observantium quam Claustralium nuncupatorum, et Carmelitarum, ac S. Spiritus, Sanctissimae Trinitatis Ordinum, monasteriorum in civitate et insula Maioricensi respective existentium priorum ac fratrum petitio continebat quod cum ipsi et eorum singuli, ab immemorabili tempore citra, vel ab ipsorum monasteriorum primaeva fundatione, in pacifica et quieta possessione vel quasi existant deferendi cum cruce elevata processionaliter, ac sepeliendi per se ipsos tantum, absque interventu aliquorum clericorum saecularium, in eorum ecclesiis corpora defunctorum, qui inibi sepulturam eligerent, quod forsan ex eo provenit, quia in principio quod dicta civitas et insula huiusmodi, infidelibus expugnatis, per christianos occupata fuerat, ut ex antiquissimis scripturis apparet, fratres, et praesertim Ordinis Sancti Dominici, ante clericos saeculares christiana pietatis semina, sacramenta ministrando et mortuos sepeliendo, sparserunt.

Concordatum inter partes.

§ 2. Et licet ex concessione felicis recordationis Sixti PP. IV, praedecessoris nostri, dictis fratribus, praesertim S. Dominici, fuerit indultum ut corpora defunctorum possint processionaliter, cum cruce elevata, in eorum monasteriis sepelire, ubi hoc consuetum foret, prout hactenus fuit consuetum et observatum in dictis civitate et insula, extet tamen etiam de praemissis concordia inter rectores parochialium ecclesiarum et duos

1 Ex bull. Ord. fratrum Praedicatorum, tom. v, pag. 151.

tunc episcopos ipsius insulae inita, eademque concordia fuerit auctoritate apostolica confirmata, et similiter a tempore immemorabili usitata, per quam apparet dictum ius sepeliendi ipsis fratribus concedi, prout constat de dicta concordia, quoad fratres Sancti Dominici huiusmodi, per authentica instrumenta, licet, quoad fratres aliorum Ordinum, solummodo fragmenta quaedam dictorum instrumentorum dispersim reperiantur. Cumque, stante dicti iuris sepeliendi possessione immemorabili, et stabilita concordia, auctoritate apostolica confirmata, non debuissent priores et fratres dictorum Ordinum in sua antiquissima possessione praemissa perturbari, nihilominus in concilio provinciali, in civitate Valentina novissime celebrato, dictum ius sepeliendi dictorum Ordinum fratribus fuerit sublatum, in maximum ipsorum praeiudicium, et contra omnem iuris aequitatem, cum concilii provincialis non sit tanta vis ut ius commune vincat, et concordias, maxime laudabiles et ab immemorabili tempore observatas, tollat; et sicut eadem petitio subiungebat, si dictum ius sepeliendi a dictis fratribus tollatur, ipsi in tantam devenirent mendicitatem, ut cogerentur sua monasteria deserere, non sine maxima divini cultus diminutione, qui per dictos fratres in insula praefata decoratur, sequereturque scandalum incolarum, dum praecipue memores erunt beneficiorum tempore pestis praeteritae per eos a fratribus praedictis receptorum circa sepulturam et sacramentorum administrationem, deserentibus tunc clericis civitatem Maioricensem; et propterea priores et fratres praedicti et eorum singuli cupiant, eodem concilio provinciali, in civitate Valentina, ut praefertur, celebrato, non obstante, concordias et immemorabiles consuetudines circa ius praefatum sepeliendi, ipsis, ut dicitur, competens, a nobis confirmari.

Confirmatio concordiae.

§ 3. Quare, pro parte dictorum priorum et fratrum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut concordias et consuetudines circa ius sepeliendi huiusmodi apostolica auctoritate confirmare, atque in praemissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem et tranquillitatem inter quoscumque vigere et augeri, nostris potissimum temporibus, sinceris exoptamus desideriis, eosdem priores et fratres et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon concordiarum et consuetudinum praedictarum ac instrumentorum et documentorum aliarumque scripturarum desuper quomodolibet apparentium et inde secutorum quorumcumque veriores ac totos tenores praesentibus pro expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordias et consuetudines circa dictum ius sepeliendi huiusmodi, aliaque praemissa, priores et fratres praefatos quomodolibet concernentia, necnon inde sequuta et sequenda quaecumque, ipsis prioribus et fratribus et eorum successoribus et conventibus, quoad ea tantum quae decretis concilii Tridentini non repugnant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis plenariae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint, quomodolibet in eisdem supplemus, illasque et illa validas et efficaces, validaque et efficacia fuisse et esse et perpetuo fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, necnon ab omnibus inviolabili-

ter et ad unguem perpetuo observari debere; dictosque priores et fratres et eorum successores, super iure et possessione ac usu sepeliendi, aliisque praemissis omnibus et singulis, per quoscumque, quavis, etiam apostolica vel ordinaria, auctoritate, dicti concilii provincialis in civitate Valentina celebrati aut quovis alio prætextu, quomodolibet inquietari, molestari vel impediri nullatenus unquam posse neque debere, et sic ab omnibus censeri; ac ita per quoscumque, tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentes, iudices et personas, quavis auctoritate, ubique iudicari, cognosci ac decidi debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, decidendi et interpretandi facultate et auctoritate; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus ac declaramus.

Exequutorum deputatio.

§ 4. Quocirca dilectis filiis abbati Sancti Bernardi de la Real, Cisterciensis, ac priori de Vall de Mossa, Cartusiensis Ordinum monasteriorum, Maioricensis diœcesis, ac archidiacono ecclesiae Maioricensis et eorum cuilibet per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, prioribus et fratribus, conventibus et successoribus praefatis, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi, quando et quoties opus fuerit, plenum effectum sortiri ac ab omnibus inviolabiliter observari; ipsosque priores, fratres, conventus et successores ac omnes et singulos alios, quos eædem presentes literae quomodolibet concernunt, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos seu quemcumque alium, contra praesentium literarum earumdem tenorem, modo aliquo molestari, impediri aut inquietari. Contradictores *etc.* remedia, appellatione *etc.*; et, constito eis summarie de non tuto accessu, citationes quaslibet, etiam per edictum publicum, decernendo, ipsasque censuras et pœnas, quoties eis videbitur, etiam iteratis vicibus aggravando, et auxilium brachii *etc.*

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus concilio provinciali praefato, aliisque praemissis ac piæ memoriae Bonifatii PP. VIII, etiam prædecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis edita, et aliis apostolicis ac etiam in provincialibus et synodalibus et generalibus conciliis editis et edendis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, *etc.*; sive si aliquibus, communiter vel divisim, *etc.* non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV februarii MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 februarii 1567, pontif. anno II.

XLVIII.

Provincia Hiberniae fratrum Ordinis Praedicatorum variis ornatur privilegiis 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pro suscepti a nobis regiminis officio, ea quae Ordinibus et locis regularibus, eorumque personis, pro felici et tranquillo ipsorum statu, et Sede Apostolica provide concessa fuisse dicuntur, ut firmius subsistant, libenter, cum a nobis petitur, nostro praesidio communimus, et etiam, suadente rerum et temporum qualitate, illa eis indulgemus, quibus subnixi, possint in

1 Ex Bullar. Ord. fr. Praedicat., tom. V, p. 149.

suo regulari instituto, ad Dei laudem et religionis christianae incrementum, stabilius permanere.

Diplomatis causa.

§ 1. Sane, pro parte dilecti filii Guillelmi Macannechini, Ordinis fratrum Praedicatorum professoris, in regno Hiberniae oriundi, apud Sedem praedictam personaliter constituti, et dilectorum filiorum priorum et fratrum universarum domorum dicti Ordinis, in eodem regno consistentium, nominibus, nobis nuper exhibita petitio continebat quod inter alia privilegia et indulta, quibus diversi Romani Pontifices praedecessores nostri praedictum Ordinem, necnon illius priores, fratres, domos et loca in dicto regno consistentia, diversimode ornarunt, illud quoque eis specialiter concesserunt, quod dictarum domorum in eodem regno fundatores ac alii suas ibi sepulturas eligentes a solutione tertiae partis canonicae nuncupatae et administrationis episcopalis ratione funeris parochialium ecclesiarum, rectoribus illarum alias obvenientis, necnon oblationis candelarum et quorumcumque aliorum iurium, ratione huiusmodi funerum quomodolibet debitorum, liberi et exempti sint et esse censeantur; quodque fratres domorum huiusmodi, omnes et singulas decimas, ratione feudorum ipsis domibus per eosdem fundatores ac quoscumque alios christifideles relictorum, libere exigere et percipere possint, prout in literis apostolicis desuper confectis plenius continetur. Pro parte dicti Guillelmi, etiam dictis nominibus, asserentis quod rectores praefati, necnon locorum ordinarii, cathedralium ecclesiarum praelati et superiores ac diversi alii multa in dies gravamina prioribus, fratribus, domibus et locis praedictis, super huiusmodi privilegiis in eorum usu, inferunt et iacturas; quin etiam ab eo tempore, quo dictum regnum haereticorum nationis Angliae audacia et scholis infestari coeptum est, dicti rectores et superiores nonnulla sepulcra, lapides et alia monumenta fidelium defunctorum, quae in dictis domibus, ecclesiis et locis constructa erant, inde in suas quique ecclesias violenter asportarunt, eademque indebite usurpant et detinent, in non modicum Ordinis, domorum et fratrum Praedicatorum vilipendium, detrimentum et iacturam, nobis fuit humiliter supplicatum ut privilegiis et indultis praedictis, pro eorum subsistentia firmiori, etiam nostrae protectionis robur adiicere, et alias illorum statui, tranquillitati et indemnitati in hac parte plenius consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio privilegiorum.

§ 2. Nos igitur, qui cunctos Ordines et religiosa loca, ad fidei catholicae firmamentum in tutelam instituta, in suis iuribus et privilegiis, quantum in nobis est, iuvare et confovere, eisdemque omni quo possumus auxilio subvenire tenemur, praedictum Guillelmum aliosque fratres a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon privilegiorum et indultorum praedictorum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedicta necnon omnia et singula alia privilegia, gratias, immunitates, concessiones et indulta Ordini et domibus et fratribus praedictis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros huiusmodi quomodolibet concessa, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac prout ab ipsis praedecessoribus concessa sunt, innovamus et per-

petuae firmitatis vinculo communimus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem. Insuper priores, fratres, domos et loca praefata, universumque Ordinem in regno praedicto, ac omnia et singula ipsorum fratrum et Ordinis terras, villas et loca ab omni iurisdictione et superioritate quorumcumque ordinariorum, rectorum et vicariorum praedictorum, ac quorumvis aliorum; et etiam utriusque sexus homines, in terris, villis et locis Ordinis huiusmodi et illius fratrum degentes, ab omnibus decimis, oblationibus et aliis quibuscumque oneribus, ordinariis et extraordinariis, per ordinarios, rectores ac vicarios praedictos, aliosque clericos saeculares ac quorumvis Ordinum aliorum regulares, de facto impositis et imponendis, et per eos petitis, seu etiam quomodolibet praetensis, ac exigi solitis et insolitis, novis et antiquis, penitus et omnino in perpetuo eximimus et liberamus; districtius inhibentes praedictis omnibus singulis rectoribus, ordinariis, praelatis, superioribus, ceterisque, tam secularibus quam quorumvis Ordinum regularibus, necnon laicis, etiam utriusque sexus, in eodem regno existentibus, cuiuscumque dignitatis, status et conditionis fuerint, quibus praesentes literas vel eorum exempla authentica praesentabuntur, sub excommunicationis maioris ac suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, per quemlibet contrafacientem eo ipso incurrendis, ne praedicta impedire, aut priores et fratres praedictos in personis, rebus et bonis, pubblice vel occulte, molestare, nec etiam sepulturas in dictis ecclesiis et locis eligentium, primas oblationes, *ultimum vale* nuncupatas, in detrimentum dicti Ordinis, exigere audeant quoquomodo vel praesumant. Quin etiam ipsis universis et singulis, sub eisdem poenis, praecipimus ut omnia et quaecumque monumenta, ligna, lapides, res et bona mobilia, per eos seu eorum antecessores, quibuscumque domibus, ecclesiis, cappellis et ceteris regularibus locis Ordinis et regni huiusmodi, a quocumque tempore citra abstracta, ablata, usurpata et detenta, et ad domos, ecclesias et loca huiusmodi spectantia et pertinentia, Ordini, domibus, ecclesiis et fratribus praedictis statim restituere procurent.

§ 3. Decernentes praemissa omnia et singula suos effectus plenarie sortiri, nec priores, fratres, domos aut loca praedicta, nec sepulturam ibi eligentes, nec eorum personas deinceps, super eis aut eorum aliquo, per locorum ordinarios, rectores, superiores et praelatos, et alios praefatos vel quoscumque alios turbari vel impediri. Quinimmo ipsos rectores, ordinarios, superiores et praelatos ad observationem inviolabilem praemissorum teneri, et ad id etiam sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis et pecuniariis compelli; ac praesentes literas, nullo umquam tempore, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari vel impugnari posse, nec sub quibusvis, etiam illarum totum tenorem in se continentibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut derogationibus per nos aut successores nostros Romanos Pontifices vel Sedem praedictam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, ac etiam Cancellariae Apostolicae regulis et aliis constitutionibus editis et edendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas ac de novo concessas esse et censeri. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi

Praesentium observantia et firmitas.

facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Dati exequutores.

§ 4. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Rossanensi, ac dilecto filio Mauritio Macgirum, abbati monasterii Beatae Mariae de Majo, Cisterciensis Ordinis, Limiticensis dioecesis, ac thesaurario ecclesiae Carthaginensis, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quæcumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte priorum et fratrum praedictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque et eorum singulis in præmissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia et singula firmiter observari; ipsosque priores et fratres praesentibus literis, necnon privilegiis, exemptionibus, gratiis, immunitatibus aliisque omnibus et singulis supradictis perpetuo ac pacifice frui et gaudere: non permittentes eorum quempiam per rectores, ordinarios, superiores, praelatos et quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, eorum arbitrio moderandas, aliaque opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras ipsas et poenas praedictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato *etc.*

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, etiam illa qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis, ultra unam diaetam a fine suae dioecesis, ad iudicium evocetur; seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedant, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant; et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; necnon domorum et Ordinis praedictorum iuramento *etc.*, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis ac etiam praedictis rectoribus, ordinariis, superioribus, praelatis ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam vim et effectum impedientibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si rectoribus, ordinariis, praelatis et superioribus praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae.

§ 6. Nulli autem *etc.* nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, commutationis, suppletionis, exemptionis, liberationis, praecepti, decreti, mandati et inhibitionis infringere *etc.*

Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quarto decimo kalendas martii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 februarii 1567, pontif. anno II.

XLIX.

Erectio cathedralis Ecclesiae Boloniensis in Galliis cum gratiarum et praerogativarum elargitione [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Divinae Maiestatis arbitrio super universas orbis ecclesias constituti, ex tradita nobis apostolicae potestatis plenitudine, omnes in id mentis nostrae conatus intendimus, ut fides catholica, sine qua nemo salutis aeternae viam ingredi potest, etiam novorum, ubicumque usus poscit, praesulum institutione, usquequaque integra et illibata permaneat; sed ea demum sollicitudo nos impensius urget, cum veteres huiusmodi praesulum sedes hostilitate faciente [2] indigne iacere videntur, nec propriis in locis reparari possint, ut in aliis accommodatioribus aliae inde novae sicut populorum salus et catholicorum regum devotio postulat, salubriter ordinentur, ac in eis pastores idonei deputentur, quorum opera et vigiliis christiana religio in suo solido statu valeat feliciter conservari.

§ 1. Cum igitur postquam inter clarae memoriae Henricum secundum Francorum et charissimum in Christo filium nostrum Philippum catholicum Hispaniae reges conventum fuerat quod olim civitas Morinensis, prius expugnata et eversa, deinceps non restitueretur, sed illius ecclesia cathedralis atque dioecesis universa, necnon utriusque beneficia, proprietates, census, decimae, iurisdictiones et iura omnia in duas partes, cum beneplacito Sedis Apostolicae, dividerentur, ut scilicet earum altera Franciae, altera vero inferioris Germaniae futura esset, Pius Papa quartus, praedecessor noster, eius rei causa, suppressa et extincta dicta Morinensi ecclesia, prædictam partem inferiori Germaniae designatam, partim Iprensi, partim vero Audomarensi ecclesiis cathedralibus, earumque civitatibus et dioecesibus, iam in dicta olim dioecesi Morinensi et parte inferioris Germaniae prædictae, eadem auctoritate institutis, perpetuo assignaverit.

Post bellum inter Henr. II Galliae et Philippum II Hispaniae reges conventum est de supprimendo episcopatu Morinen., eiusque dividenda dioecesi.

Pius IV partem inferiori Germaniae unitam eccles. Ipren. et Audomaren. addixit.

§ 2. Nos etiam, charissimi in Christo filii nostri Caroli Francorum regis christianissimi precibus adducti, hoc insigne opus ad Dei laudem et Ecclesiae catholicae exaltationem absolvere intendentes, habita super his cum fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio, monasterium Beatae Mariae oppidi Boloniensis, Ordinis Sancti Augustini, olim praedictae Morinensis dioecesis, in quo septem vel octo dumtaxat canonici degunt, per obitum quondam Ioannis, dum viveret, ipsius monasterii abbatis, extra Romanam Curiam ante decennium defuncti, aut alias certo modo abbatis regimine destitutum, et in eo nomen et titulum abbatis, dignitatisque abbatialis, necnon omnia et singula prioratus, dignitates, officia, canonicales portiones et loca eiusdem, ac tam in eodem illiusque ecclesia, quam etiam ab illo dependentibus prioratibus ceterisque beneficiis ecclesiasticis, ordinem, statum et essentiam regulares, re-

Pius V, suppressa abbatia B. Mariae oppidi Boloniens.,

1 Ex Regest. in Archiv. Vat.

2 Ed. Luxemb. habet *praevalente* loco *faciente* (R. T.).

manentibus tamen in ipso monasterio dictis septem vel octo canonicis in suis habitu et Regula, cum canonicali portione, quoad vixerint, seu donec ad alia huiusmodi loca regularia sponte ac canonice transierint, auctoritate praedicta, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus.

In episcopatum erigit, et sub concordatis Francisci I comprehensam declarat;

§ 3. Ac praedictum oppidum, populosum quippe et celebre, agro et annona foecundum, commeatuque commodum, in civitatem; ecclesiam vero monasterii huiusmodi in cathedralem, deinceps Boloniensem nuncupandam, sub invocatione eiusdem Beatae Mariae, archiepiscopi Remensis pro tempore existentis suffraganeam futuram, et sub concordatis olim inter Sedem Apostolicam praedictam et clarae memoriae Franciscum primum, Francorum regem, super nominatione personarum, certis tunc expressis modo et forma qualificatarum, ad ecclesias cathedrales regni Franciae pro tempore vacantes, per regem Franciae pro tempore existentem Romano Pontifici facienda, initis comprehensam, quemadmodum olim ecclesia Morinensis praedicta erat; sedemque episcopalem pro uno episcopo per dictum regem Franciae eidem Pontifici seu Sedi Apostolicae, etiam hac prima vice et futuris deinceps temporibus, vigore seu praetextu dictorum concordatorum, nominando, qui illi praesit, et in perfectam cathedralis ecclesiae formam ordinet et redigat, abbates, praelatos et ceteros suae dioecesis ad synodum convocet, evellat, destruat, plantet, erigat, edificet, omniaque et singula officia et iura episcopalia habeat et exerceat, cum suis capitulo, mensa episcopali et capitulari, ceterisque omnibus cathedralibus et pontificalibus insignibus, necnon iuribus, iurisdictionibus, privilegiis, exemptionibus, praerogativis, honoribus, gratiis, favoribus et indultis realibus, personalibus et mixtis, quibus aliae illarum partium ecclesiae cathedrales, earumque praesules, capitula et personae quomodocumque utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate et tenore praedictis erigimus et instituimus.

Eidem assignat dioecesim;

§ 4. Ipsique ecclesiae sic erectae et illius praesuli praedicto Boloniensis [1], pro civitate; et partem illam universam olim dioecesis Morinensis, quae in divisione praedicta Franciae evenit, cum decanatibus, parochialibus et aliis ecclesiis, ac etiam monasteriis, prioratibus et locis, cum suis personis saecularibus et regularibus, pro dioecesi; necnon utriusque cives et incolas ecclesiasticos et laicos, pro clero et populo perpetuo assignamus.

Dignitates in ea instituit;

§ 5. Ceterum, ut ipsa ecclesia Boloniensis in reliquis omnibus suis partibus perfecta et absoluta sit, unum decanatum, duos archidiaconatus, unam cantoriam, unam thesaurariam et unam poenitentiariam dignitates, septemdecim canonicatus et septemdecim praebendas, necnon cappellanias ceteraque omnia beneficia et officia, quae in dicta olim Morinensi ecclesia erant, et in ipsa divisione parti Franciæ ac futuræ cathedrali ecclesiae obtigerunt, eorumque omnium personas, ad dictam ecclesiam Boloniensem transferimus; ac episcopali Duacensem et dimidiam Insulensem praebendas episcopales nuncupatas.

Dotem praefigit.

§ 6. Ac tam illi, quam etiam capitulari mensis praedictis, necnon fabricae dictae ecclesiae Boloniensis omnia et singula praedia, proprietates, dominia, census, feuda, emphytheutica, decimas et primitias ceteraque bona, fructus, redditus, iurisdictiones, actiones et iura, earum singulis per eamdem partitionem designata, ac etiam ad abbatialem et conventualem mensas suppressi monasterii huiusmodi pertinentia, videlic. quae abbatialis, ea episcopalis; quae vero conventualis mensae erant, ac etiam suppressorum beneficiorum portio-

1 *Boloniam*, l. s. c. (R. T.).

num et locorum huiusmodi bona, fructus, iura et actiones capitulari mensis praedictis, ita tamen ut, dictis canonicis regularibus defunctis vel inde translatis, ut praefertur, quatuor alii canonicatus et quatuor praebendae in dicta ecclesia Bolonienses ex ipsius mensae capitularis ponentibus [1], pro totidem canonicis ipsius ecclesiae omnino constituantur, determinatusque numerus unius et viginti canonicatuum et praebendarum esse debeat, uno tamen et una certis usibus, iuxta dictae divisionis formam, assignatis, in perpetuum applicamus et appropriamus.

Collationes dignitatum et beneficiorum a quo siut faciendae.

§ 7. Necnon collationes, provisiones, praesentationes et omnimodas alias dispositiones prioratuum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, parochialium et aliarum ecclesiarum, necnon cappellarum, cappellaniarum perpetuarum, hospitalium ceterorumque omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, necnon praesentationes et electiones ad illa, confirmationes et institutiones in eis, iusque universum conferendi, prout in praedicta divisione specificata, distributa et declarata sunt, et etiam quondam episcopi et capituli, aliarumque personarum olim ecclesiae Morinensis fuerunt: praeterea illa, quae quondam abbatis et conventus suppressi monasterii huiusmodi communiter vel divisim erant, episcopo et capitulo ac universis et singulis personis ecclesiae Boloniensis huiusmodi, videlicet quae olim abbatis, deinceps episcopi; quae vero conventus extiterunt [2], post hac capituli.

§ 8. Nulli ergo *etc.* hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, assignationis, translationis, applicationis, appropriationis et concessionis infringere *etc.*

Clausulae.

Datum Romae aqud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quinto nonas martii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 martii 1567, pont. an. II.

1 Ed. Lux. legit *conventualis proventibus* oco *capitularis ponentibus* (R. T.).

2 Eadem ed.: *extiterant, posthac capituli praedictorum esse debeant, etiam in perpetuum concedimus* (R T.).

L.

Forma expediendi literas apostolicas super gratiis resignationum beneficiorum ecclesiasticorum.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Cogit nos necessitas ut novam futuris aliquot huius Curiae negociis formam imponere curemus. Quo circa dilectis filiis S. R. E. vicecancellario, literarum apostolicarum abbreviatoribus, et in illarum expeditione dicto vicecancellario assistentibus, summatori ceterisque omnibus id expeditionis munus in Curia et Camera Apostolica et ubicumque gerentibus, tenore praesentium, auctoritate apostolica, mandamus.

Forma provisionis primae.

§ 1. Ut deinceps, super omnibus gratiis et concessionibus apostolicis de quibusvis beneficiis, cum cura et sine cura, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, etiam apud Sedem Apostolicam vacantibus, dispositioni apostolicae reservatis, in quibus addita fuerit clausula *et in forma dignum*, literas apostolicas expediant in eadem forma, qua aut ad episcopum dioecesanum aut ad vicarium generalem aut ad officiales eiusdem episcopi disiunctive, ad electionem impetrantis, diriguntur, cum limitationibus et clausulis infrascriptis, videlicet, de parochialibus ecclesiis, vel earum parochialibus ecclesiis dumtaxat; et per resignationem vacantibus, in dictis literis, post verbum *mandamus*, ut si tibi constiterit quod dictus N. resignans in sacris ordinibus constitutus existat, aliunde commode vivere possit, ac per diligentem examinationem, per te, adhibitis examinatoribus ad hoc a concilio Tridentino designatis,

si istic sint, ubi esse debent, in dioecesana synodo deputati, sin autem, absque illis faciendam, dictum I. resignatarium ad hoc idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ecclesiam praedictam, cuius, *etc.*; et inferius, post verba *cum omnibus iuribus et pertinentiis suis*, eidem Ioanni, quibuscumque aliis sese ad examen praedictum, etiam per mutuum concursum, admitti et sibi de dicta ecclesia provideri petentibus penitus exclusis, infra triginta dies postquam praesentes literae tibi praesentatae fuerint, auctoritate nostra conferas et assignes, *etc.*

Secundae, In ceteris vero literis de quibusvis aliis beneficiis, per eamdem resignationem vacantibus, similiter, post verbum *mandamus*, inseratur ut si tibi constiterit quod dictus N., quatenus in sacris ordinibus constitutus existat, aliunde commode vivere possit, ac per diligentem examinationem dictum I. idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, canonicatum et praebendam praedictam, quorum *etc.* Et inferius, post verbum *pertinentiis suis*, eidem I. intra xxx dies postquam praesentes literae tibi presentatae fuerint, auctoritate nostra conferas, *etc.*

Tertiae, Propterea in omnibus mandatis provisionum seu commendis de quibuscumque beneficiis et monasteriis per similem resignationem seu cessum vacantibus, ad finem, ante clausulam decreti irritantis, addatur haec clausula, videlicet, Ceterum ne, dum prodesse studemus, aliqua forte irrepat iniquitas in exitium animarum, tu attente his circumspicias an ex praedictæ [1] N. et I. praedictorum super dicta resignatione vel cessione, ut fieret, quam nos nullo hucusque vitio laborare deprehendimus, intercesserit simoniae labes aut alia illicita pactio, vel etiam corruptela, nos eum *etc.*

In reliquis autem provisionibus et commendis quorumcumque curatorum et simplicium beneficiorum, saecularium et regularium praedictorum, etiam reservatorum, aliter quam per resignationem quovis modo vacantibus, videlicet quoad parochiales ecclesias vel earum perpetuas vicarias dumtaxat, post verbum *mandamus*, ut si per diligentem examinationem, per te, adhibitis examinatoribus ad hoc, ut supra usque *oneramus*, ecclesiam praedictam, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, eidem Io., intra triginta dies *etc.*, conferas. Quartae,

Et similiter in omnibus aliis eadem forma servetur, omissa clausula *adhibitis examinatoribus*.

Quintae, Et deinde super omnibus huiusmodi literis, etiam aliae literae executoriae dari debeant, directe vel ad metropolitanum, vel uni ex propinquioribus episcopis, sive eorum vicario vel officiali, disiunctive, aut nomine dignitatis episcopi expresse, quando alii executores, super hoc a nobis dati, pro tempore adfuerint. Videlicet pro parochialibus ecclesiis per resignationem vacantibus in hunc modum, videlicet: Fratri archiepiscopo N. salutem *etc.* Hodie cum dilectus filius N., nuper parochialis ecclesiae rector N. et N. dioecesis, dictam ecclesiam, quam tunc obtinebat, per certum procuratorem suum, ad id ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte et libere resignasset, nosque resignationem huiusmodi duxissemus admittendam, venerabili fratri nostro episcopo N. per alias nostras literas dedimus in mandatis ut, si constaret quod N. in sacris ordinibus constitutus existeret, aliunde commode vivere posset, ac per diligentem examinationem, per eumdem episcopum, adhibitis examinatoribus ad id a concilio Tridentino designatis, si isthic sint, ut esse debent, in dioecesana synodo deputati; sin autem, sine illis faciendam, dilectum filium Io. clericum dictae dioecesis ad id

1 Legendum fortassis *ex parte* (R. T.).

idoneum esse reperiret, clausulam [1] praedictam, per resignationem eamdem tunc vacantem, et antea dispositioni apostolicae reservatam, etiamsi illa alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona vacaret, cum illis forsan annexis, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, praedicto Io., quibuscumque aliis sese ad examen praedictum et per mutuum concursum admitti, et sibi de dicta ecclesia provideri petentibus penitus exclusis, intra triginta dies postquam dictae literae praesentatae fuerint, auctoritate nostra conferret et assignaret, prout in dictis literis plenius continetur. Quocirca fraternitati tuae *etc.* mandamus ut, si dictus episcopus eamdem ecclesiam intra praedictos triginta dies ipsi Io. non contulerit et assignaverit, tu, illis elapsis, postquam tibi constiterit quod dictus N., si in sacris ordinibus constitutus extitit, aliunde commode vivere possit, ut praefertur, ac per solertem examinationem, a te, etiam adhibitis tribus vel pluribus aliis probis et peritis viris, quam primum faciendam, praedictum Io. idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, praedictam ecclesiam cum annexis ac iuribus et pertinentiis supradictis eidem Io., quibuscumque aliis huiusmodi concurrentibus prorsus exclusis, dicta auctoritate conferre et de illa etiam providere procures, inducens, per te vel alium seu alios, ipsum Io. vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem ecclesiae ac annexorum iurium et pertinentiarum praedictarum, et defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens illi de ecclesiae ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et de obventionibus universis integre responderi; contradictores *etc.* Non obstantibus omnibus quae in dictis literis voluimus non obstare; aut si pro tempore existenti episcopo N. vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Ceterum tu attente istic circumspicias an ex parte N. et I. praedictorum, supradictae resignationi [1], ut fieret, intercesserit simoniae labes aut alia illicita pactio vel alia corruptela. Dat. *etc.*

1 Leg. forte *ecclesiam* (R. T.).

In ceteris vero beneficiis praedictis per similem resignationem vacantibus, ut supra. Venerabili archiepiscopo N. salutem. Hodie cum dilectus filius F., nuper canonicus B., canonicatum et praebendam ecclesiae B., quos tunc obtinebat, per certum procuratorem suum *etc.*, ut supra, duxissemus admittendam, venerabili fratri nostro episcopo N. per alias nostras literas dedimus in mandatis ut, si ei constaret quod dictus F., si in sacris ordinibus constitutus esset, aliunde commode vivere posset, ac per diligentem examinationem dilectum filium Io. clericum N. dioecesis ad id idoneum esse reperiret, canonicatum et praebendam praefatos, per resignationem eamdem tunc vacantes, et antea apostolicae dispositioni reservatos, etiam si illi alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona vacarent, cum illis forsan annexis, et plenitudine iuris canonici, et omnibus iuribus et pertinentiis suis, praedicto Io., intra triginta dies postquam dictae literae deputatae forent, auctoritate nostra conferret et assignaret, prout in dictis literis plenius continetur. Quocirca fraternitati tuae *etc.* mandamus ut, si dictus episcopus eosdem canonicatum et praebendam intra praedictos triginta dies ipsi Io. non contulerit et assignaverit, tu, illis elapsis, postquam tibi constiterit quod dictus F., si in sacris ordinibus constitutus sit, aliunde commode vivere possit, ut praefertur, et per Sextae,

1 Forte *super dicta resignatione* (R. T.).

similem examinationem quamprimum faciendam, praefatum Io. idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, canonicatum et praebendam praedictos, cum omnibus annexis et plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis praedictis, eidem Io. conferre et de illis etiam providere dicta auctoritate procures, vel inducens, per te vel alium seu alios, ipsum Io. vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem canonicatus et praebendae ac annexorum, iuriumque et pertinentiarum praedictarum, et defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens illum vel pro eo procuratorem praedictum ad praebendam huiusmodi in dicta ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo in choro et loco in capitulo dictae ecclesiae, cum iuris canonici plenitudine, assignatis, sibique de canonicatus et praebendae ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi; contradictores *etc.* Non obstantibus omnibus, quae in dictis literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si pro tempore existenti episcopo et dilectis filiis capitulo B. vel quibusvis *etc.*, mentionem. Ceterum tu attente isthic circumspicias *etc.* Dat. *etc.*

Aliis autem provisionibus seu commendis huiusmodi beneficiorum alias vacantibus, alia forma executoria concipiatur, quae literae congruant principali. Septimae,

Similiter quando vicario vel officiali praedicto huiusmodi literas, tam pro principali quam pro executoria, dirigi contigerit, communi eis formula, servatis aliis omnibus supradictis, ordinetur. Octavae,

Ceterum omnibus mandatis de praebendis vel commenda monasteriorum, etiam reservata, tam virorum, quae extra consistorium expediuntur, quam etiam mulierum vetus forma commissaria, sicubi desuevit, restituatur, ac literae desuper expediantur cum clausula: quod delegatus de meritis et idoneitate promovendi se informet, et si eum ad regimen et administrationem monasterii repererit idoneum, conscientiam illius onerando, provideat vel commendet intra triginta dies, ut supra, et desuper forma executorialium etiam concipiatur, quae suis provisionibus correspondeat. Nonae,

Denique in ipsis commendis, post verbum *idoneum repereris*, interserantur verba *ad monasterium vel beneficium in commendam obtinendum.* Decimae.

§ 2. Volentes praesentes tam in dicto Cancellariae libro, quinterno nuncupato, quam etiam Camera praedicta registrari et ab omnibus inviolabiliter custodiri. Ac decernentes irritum *etc.* Iussio registrandi.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stilo Cancellariae et Camerae Apostolicae quantocumque temporum servato, ceterisque contrariis quibuscumque. Clausulae derogatoriae.

Placet, et ita motu proprio mandamus. M.

Lectus et publicatus fuit supradictus motus proprius Romae in Cancellaria Apostolica, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, die decimatertia martii, pontificatus SS. D. N. Pii divina providentia Papae V anno secundo.

Publ. die 13 martii 1567, pontif. anno II.

LI.

Damnatio cuiuscumque collationis ecclesiarum parochialium, non servata forma concilii Tridentini, hactenus factae vel de cetero faciendae.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

In conferendis beneficiis ecclesiasticis, et praesertim parochialibus ecclesiis per- Exordium.

sonis dignis et habilibus, quae in loco residere, et per se ipsos curam exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexandri III, Lateranensi, et Gregorii X, Lugdunensi generalibus conciliis, ac Innocentii similiter III et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum editae constitutiones testantur.

Concil. Trid., sess. VII, c. XIII; et sess. XXIV, c. XVIII, *De Refor.*, tradidit formam conferendi parochiales ecclesias, et interim eis de vicario providendi.

§ 1. Quod ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit etiam synodus Tridentina ut, occurrente vacatione parochialis ecclesiae, etiam generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti in favorem S. R. E. cardinalium aut alias quomodolibet reservatae vel affectae, debeat episcopus, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur. Et deinde episcopus et qui ius patronatus habet, intra decem dies aut aliud tempus ab episcopo praescribendum, aliquos clericos ad regendum ecclesiam idoneos, examinatoribus iuxta formam eiusdem synodi deputatis, nominet; et nonnisi ab eisdem examinatoribus per concursum aliorum examinatorum, etiam tamquam magis idoneo ab episcopo iudicato et electo, de ecclesia provideatur, alias provisiones seu institutiones omnes, praeter formam praedictam factae, surreptitiae censeantur.

Quidam vero episcopi do huiusmodi ecclesiis providerunt, non servata d. forma.

§ 2. Sed quoniam res humanae semper in deterius prolabuntur, nisi quis eas retineat, ac debitae executioni demandet, et verendum sit ne, propter constitutionum huiusmodi transgressionem, maximi abusus oriantur, nos, ad quorum notitiam non sine gravi nostra molestia pervenit nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis, occurrente vacatione parochialium ecclesiarum, eas, nullo aut minus rite servato examine, praesertim illo quod per concursum fieri debet ex concilio Tridentino, vel etiam examine rite servato, personis minus dignis, carnalitatis aut alium humanae passionis affectum, non rationis iudicium, sequentes, contulisse et de eis providisse, volentes, quantum cum Deo possumus, huiusmodi ac etiam futuris periculis occurrere.

Ideo hic Pontifex collationes factas ac faciendas contra formam dicti conc. annullat, et beneficia vacare decernit et Sedi Apost. reservat.

§ 3. Eorumdem praedecessorum nostrorum constitutiones praefatas etiam innovando, auctoritate apostolica, tenore praesentium, omnes et singulas collationes, provisiones, institutiones et quasvis dispositiones parochialium ecclesiarum ab eisdem episcopis et archiepiscopis ac quibusvis aliis collatoribus, tam ordinariis quam delegatis, etiam S. R. E. cardinalibus ac Sedis Apostolicae legatis vel nunciis, praeter et contra formam ab eodem concilio Tridentino, praesertim in examine per concursum faciendo, praescriptam, factas aut in futurum faciendas, nullas, irritas ac nullius roboris vel momenti fore et esse, nullumque provisis ius aut titulum, etiam coloratum, possidendi praebere, et parochiales ecclesias huiusmodi, ut prius ante collationes huiusmodi vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus et declaramus; easque omnes pro tempore sic vacantes nostrae et Sedis Apostolicae seu eorum quibus ius conferendi eas, praeterquam episcopis et archiepiscopis, qui curam dicti examinis, iuxta decretum concilii, habere debent, competet, dispositioni reservamus.

Immo collationes parochialium spectare ad Sedem Apost., si de eis, servata forma dicti conc., ordinarii non providerint in temp. et modo hic expressis.

§ 4. Insuper, ne parochiales ecclesiae diu in suspenso maneant, in maximum animarum periculum, quarumcumque parochialium ecclesiarum, quarum dum pro tempore vacant, ad episcopos, archiepiscopos, primates et patriarchas et quosvis alios ordinarios collatores, in mensibus ordinariis collatoribus etiam per nostras regulas assignatis, provisio et collatio spec-

tat et pertinet, de quibus iidem episcopi et ordinarii praedicti, intra sex mensium spatium a die vacationis earumdem, perfecto examine iuxta formam concilii Tridentini praefati, non providerint, ac illarum etiam quarum collationes nobis et dictae Sedi generaliter vel specialiter et ex quavis causa reservatae seu affectae existunt, aut aliis ex indulto Sedis Apostolicae competunt, ad quas, occurrente illarum vacatione, episcopi et archiepiscopi praefati personas per examen, concursu mutuo habito iuxta dicti concilii Tridentini formam, approbatas et magis idoneas non elegerint, aut electas nobis vel successoribus nostris aut iis, ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinenda, intra quatuor mensium spatium a die illius vacationis, non significaverint; necnon parochialium ecclesiarum similium, quae iurispatronatus ecclesiastici vel aliorum seu clericorum et laicorum simul fuerint, si praesentatus intra tempus eisdem patronis a iure praefixum, praevio examine, iuxta formam dicti concilii approbatus, petatur institui, institutioque ipsa per duos menses a die praesentationis dilata fuerit, collationem, provisionem, institutionem ac omnimodam dispositionem nobis et ipsi Sedi ac personis indulta huiusmodi conferendi, providendi seu instituendi obtinentibus respective reservamus, data tamen in parochialibus iurispatronatus optione ipsis patronis, ut si institutio ad ordinarios spectabit, ipsis ordinariis illam facere negligentibus, et ultra dictos duos menses differentibus, possint, pro huiusmodi institutione obtinenda, habere recursum ad metropolitanum vel viciniorem ordinarium aut ad Sedem Apostolicam.

Terminus concilii non prorogetur

§ 5. Prohibentes etiam eisdem ordinariis ne tempus decem dierum, eisdem ordinariis et patronis ab eodem concilio Tridentino ad nominandum idoneos clericos coram deputatis examinatoribus praefixum, ultra alios decem dies prorogare audeant vel praesumant.

Beneficia sic reservata ordinarii non conferant.

§ 6. Districtius inhibentes ne quis, praeter Romanos Pontifices aut alios indulta huiusmodi obtinentes, ut praefertur, quacunque sit super hoc auctoritate munitus, de huiusmodi beneficiis sic reservatis (ut praefertur) disponere, vel circa illa, etiam per viam permutationis vel alias, innovare quoquomodo praesumat.

Collatio praedictorum fiat idoneis, et gravati appellent.

§ 7. Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis repertis, iuxta eiusdem concilii decretum, parochiales ecclesiae conferantur, volumus et eadem auctoritate decernimus quod si episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, possint ii, qui reiecti fuerint, a mala electione huiusmodi ad metropolitanum, vel si ipse eligens metropolitanus aut exemptus fuerit, ad viciniorem ordinarium, uti nostrum et Sedis huiusmodi delegatum, aut alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare; ac praelectum ad novum examen, coram ipso appellationis iudice et eius examinatoribus, provocare, et constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, parochialis magis idoneo per eumdem iudicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad episcopum a quo appellatum fuit spectaret) conferatur, alias eidem magis idoneo per iudicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio vel institutio spectabit.

Appellatio autem non suspendit executionem electionis.

§ 8. Haec tamen appellatio interposita interim non impediat aut suspendat quominus electio per ordinarium primo loco facta interim debitae demandetur executioni, et prorsus ab eadem ecclesia, causa appellationis huiusmodi dependente, non amoveatur.

Et a iudice appellation. ad Sedem Apostol. appellabitur.

§ 9. Et si quis a sententia per iudicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam Apostolicam

appellabit. Si secus in praemissis omnibus et singulis actum aut attentatum fuerit, irritum decernimus et inane.

Transumptorum fides.

§ 10. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem porsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Forma et effectus publicationis.

§ 11. Quodque literae ipsae, Camerae et Cancellariae Apostolicae et Audientiae causarum Palatii Apostolici valvis, et in acie Campi Florae, dimissis inibi copiis, publicatae et affixae, omnes ita afficiant et arctent, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXVII, XV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 martii 1567, pontif. anno II.

LII.

Quod religiosi regulares, ob defectum presbyterorum, in partibus Novarum Indiarum officio parochorum fungi valeant 1.

Pius Papa V.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Philippus II, rex Hispan. huic Pont. exposuit quod in partibus Indiarum, ob defectum presbyterorum, religiosi parochorum officio functi sunt, in maximam christianae fidei propagationem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit tua maiestas regia quod, iuxta sacri oecumenici concilii Tridentini decreta, nulla matrimonia, nisi praesente parocho aut de illius licentia, contrahi, nullusque religiosus, absque episcopi licentia, verbum Dei praedicare, ac saecularium personarum confessiones audire; episcopi vero novas parochias in locis ab invicem longe distantibus constituere possint. Quia tamen in partibus Indiarum maris Oceani religiosi, propter presbyterorum defectum, hactenus officio parochi functi fuerunt, et id, quod ad conversionem Indorum attinet, exercuerunt et exercent, ex quo non modicos, sed maximos fructus, etiam verbum Dei eisdem Indis praedicando et explicando, ac confessiones audiendo, ad fidei catholicae propagationem fecerunt, dicta maiestas tua nobis humiliter supplicari fecit quatenus ipsis religiosis, ut illi ad uberiores fructus in dicta conversione Indorum reportandum incitentur, in locis eis assignatis, officium parochi, matrimonia celebrando et sacramenta ecclesiastica ministrando, prout hactenus consueverunt, exercendi, et, ab eorum superioribus in capitulis provincialibus obtenta licentia, verbum Dei praedicandi, et saecularium confessiones, de suorum superiorum licentia, audiendi facultatem concedere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Et ideo supplicat pro indulto in futurum, habita per religiosos licentia ab eorum superioribus in capitulis provincialibus.

Pontifex concedit dictum indultum religiosis idioma Indorum intelligentibus et cum dicta licentia superiorum, ac servata concilii Trid. forma in reliquis solemnitatibus;

§ 2. Nos igitur, qui singulorum, praesertim catholicorum regum, votis, ad divini cultus augumentum et animarum salutem tendentibus, libenter annuimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis religiosis quorumcumque, etiam Mendicantium, Ordinum in dictis Indiarum partibus, in eorumdem Ordinum monasteriis vel de illorum superiorum licentia extra illa commorantibus, ut in locis ipsarum partium, eis de simili licentia assignatis et assignandis, officium parochi, huiusmodi matrimonia celebrando, et ecclesiastica sacramenta ministrando, prout hactenus consueverunt (dummodo ipsi in reliquis solemnitatibus dicti concilii formam observent) exercere, et verbum Dei, ut praefertur, quatenus ipsi religiosi Indorum illarum partium idioma intelligant, de suorum superiorum licentia, ut praefertur, in eorum capitulis

1 Has Novas Indias Alexander VI donavit regi et Elisabeth reginae, ut in eius constit. IV, *Inter caetera*, tom V, pag. 361.

provincialibus obtenta, praedicare, ac confessiones audire, ordinariorum locorum et aliorum quorumcumque licentia minime requisita, libere et licite valeant, licentiam et facultatem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Episcopis inhibet ne illos molestent.

§ 3. Et insuper, ne in locis illarum partium, in quibus sunt monasteria religiosorum, qui animarum curam exercent, aliquid per praedictos episcopos innovetur, eadem auctoritate et tenore statuimus et ordinamus.

Clausula sublata, etc.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Deputatio executorum.

§ 5. Mandantes nihilominus dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori et B. Mariae de Mercede, ac Del Carmen, extra et intra muros Hispalensium monasteriorum, per priores gubernari solitorum, prioribus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, eisdem religiosis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eis et eorum cuilibet concessione, indulto, statuto et ordinatione ac aliis praemissis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos, per locorum ordinarios et alios quoscumque, contra praesentium tenorem, quomodolibet molestari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles, per censuras ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias poenas, eorum arbitrio moderandas et applicandas, appellatione postposita, compescendo, ac censuras ipsas etiam interatis vicibus aggravando, interdictum ponendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; ac monasteriorum et Ordinum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, monasteriis et Ordinibus praedictis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in eis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse deroganus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 7. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferre, etiam volumus et eadem auctoritate apostolica decernimus quod illarum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, in iudicio et extra, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum,

sub annulo Piscatoris, die XXIV martii, anno MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 martii 1567, pontif. anno II.

LIII.

Prohibitio alienandi et infeudandi civitates et loca S. R. E., vel de eorum alienationibus et infeudationibus tractandi quovis praetextu, etiam evidentis utilitatis [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Admonet nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiae, cui, auctore Domino, praesidemus, ut civitates, terrae, oppida et loca, nobis et Sedi Apostolicae in temporalibus mediate et immediate subiecta, perpetuo in iure, dominio et proprietate ac possessione dictae Sedis conserventur.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Sane, licet nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri, per eorum constitutiones, rerum ecclesiasticarum alienationes prohibuerint et iam factas revocaverint et annullaverint; nihilominus, cum retroactis temporibus nonnulli nimium ambitiosi et dominandi cupidi, sub variis praetextibus, coloribus et causis, saepe etiam falsis (quod non sine maximo animi nostri moerore referimus), aliquibus Romanis Pontificibus suggestionibus et insinuationibus suis conati sint ostendere et persuadere magis utile et expediens S. R. E. et Sedi praefatae fore, si aliquae civitates, terrae, oppida, castra, arces et loca, ad ius et proprietatem eiusdem Sedis pertinentia, in feudum, gubernium, vicariatum, ducatum aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut alias ad longum tempus concederentur; vel etiam ex eo quod alias in feudum data aut quovis alio titulo huiusmodi alienata fuerint, et propterea, tamquam ad Sedem praedictam devoluta vel devolvenda, posse et debere de iure iterum infeudari ed alienari, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes et concessiones a Sede Apostolica emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem non solum patrimonii, sed etiam æstimationis recepisse dignoscitur.

Declaratio quod civitates et loca S. R. E., tam alienata, infeudata et devoluta, quam alienanda et devolven. censeantur ipso iure Sedi Apost. incorporata.

§ 2. Hinc est quod nos, considerantes omnium civitatum et locorum praedictorum singularem fidem et promptam devotionem eidem Sedi exhibitam omni tempore valde utilem et salutarem fuisse et esse; ac volentes non solum alienationes huiusmodi (quas tempore nostro omnino exulare intendimus) de medio tollere, et quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus, quod non immemores fore speramus ante Domini nostri Iesu Christi, in examine diei magni adventus, tribunal, villicationis nostrae rationem reddituros nos esse, sed ut omnis alienationum huiusmodi fiendarum occasio penitus aboleatur, quantum cum Deo possumus, per amplius providere, constitutionibus praedecessorum nostrorum huiusmodi etiam inhaerendo, illasque innovando, motu proprio et ex certa nostra scientia, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, et de apostolicae potestatis plenitudine, habita etiam super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus in consistorio nostro secreto consultatione matura, de eorum consilio et unanimi assensu (qui etiam iuraverunt praesenti constitutioni non contravenire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem praesentium attentantibus consentire, et absolutiones a iuramento huiusmodi non petere nec acceptare), hac

1 Primus omnium alienationes interdixit Siciliae episcopis sanctus Leo I, const. IX, *Occasio*, tom. I, pag. 65.

nostra perpetuo valitura constitutione decernimus et declaramus civitates et loca praedicta, etiam hactenus in feudum aut quemvis alienationis titulum dari solita vel consueta, ad nos et Sedem praefatam quomodolibet devoluta et pro tempore devolvenda, absque alia ulteriori declaratione et illorum possessionis apprehensione, eo ipso Sedi et Camerae Apostolicae incorporata, ac ad ius et proprietatem et dominium pristinum ac possessionem rediisse censeri, perinde ac si, per quadraginta annos et ultra, civitates et loca praefata a nobis et Sede praefata immediate possessa, et numquam in feudum aut alium titulum concessa fuissent.

Prohibitio de cetero quavis de causa infeudandi et alienandi, vel de eis tractandi.

§ 3. Statuimusque et decernimus quod omnes et singulae, tam communitates et universitates, quam cives et incolae civitatum, terrarum et locorum praedictorum, aliaeque quaecumque personae, tum ecclesiasticae, tum saeculares, cuiusvis dignitatis et ordinis, etiam episcopalis vel maioris, existentes, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, tum publice in consiliis civitatum et locorum praefatorum, quam privatim alibi in quibusvis locis, etiamsi civitatum et terrarum earumdem gubernatores aut Sedis Apostolicae legati vel prolegati existant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus de civitatibus et locis praefatis immediate ad nos et Sedem praefatam spectantibus et pertinentibus, etiam devolutis, etiam in feudum communiter et pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis vel sub annuo censu aut canone aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis vel evidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis a nobis et Sede praefata quibusvis personis, cuiusvis dignitatis, status, gradus, etiam nobis et successoribus nostris secundum carnem coniunctis, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, aut quavis alia temporali vel ecclesiastica dignitate fungentibus, in duces, vicarios, gubernatores seu quemvis alium titulum, ad vitam vel in perpetuum vel longum tempus, aut etiam Sedis Apostolicae beneplacitum, civitatum et locorum praefatorum, ac propterea de eligendis oratoribus, ad nos et successores nostros super praemissis vel illorum occasione mittendis, proponentes, tam ipsi quam oratores munus huiusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se vel alium seu alios, insinuantes vel suadentes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant. Et insuper sanctae Romanae Ecclesiae et Sedis Apostolicae praefatae rebelles, etiam in primo capite laesae maiestatis, et proditores civitatum et locorum praefatorum, ac bona eorum fisco et Camerae nostrae Apostolicae ipso iure devoluta et incorporata sint et esse censeantur; omnibusque ecclesiis, monasteriis et aliis per eos quomodolibet obtentis beneficiis ecclesiasticis eo ipso privati existant, neque ad civitates et loca praefata ullo umquam tempore remitti possint. Et si aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames remaneant, illisque honorum et dignitatum portae perpetuo claudantur.

Revocatio privilegiorum de illis meliorandis et retinendis usque ad eorum refectionem.

§ 4. Et quoniam intelleximus aliquos etiam cardinales, civitates, terra, oppida, castra, arces et loca ad vitam seu tertiam vel aliam generationem, aut alias a dicta Sede, etiam ex causa onerosa, obtinere, habere et possidere, cum facultate faciendi in illis melioramenta, ita quod ab eis amoveri non possint, nisi restitutis sibi prius pecuniis in melioramenta huiusmodi expositis, omnes et singulas facultates fa-

ciendi melioramenta praefata quibusvis personis, etiam cardinalibus, per eosdem praedecessores nostros aut alios ad id facultatem habentes quomodolibet concessas harum serie revocamus et annullamus, et nemini deinceps suffragari posse, neque debere; ac cuicumque facultatem faciendi melioramenta huiusmodi habenti, illa etiam pro munitione et tuitione, nisi ex causa necessariae conservationis locorum eorumdem, facta fuerint, post publicationem praesentium facere omnino interdicimus ac prohibemus; et si secus a quoquam factum attentatumve fuerit, melioramenta quaecumque per eos contra tenorem praesentium facta locis ipsis cedere, et Cameram ad illorum satisfactionem minime teneri et obligatam esse volumus et declaramus.

Clausulæ praeservativæ.

§ 5. Decernentes praesentes literas, sub quibusvis revocationibus, cassationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas et de novo concessas esse et censeri debere.

Decretum irritans.

§ 6. Irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatum et locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Observantiae laus.

§ 8. Sic igitur devotionis et fidei constantia civitatum et locorum praefatorum erga nos et successores nostros et eamdem Romanam Ecclesiam perseveret, ut merito integritatis virtus maiora beneficia ab eadem Sede consequi mereatur.

Iuramentum a cardinalibus praestan. pro observantia huius constitutionis,

§ 9. Volumus autem quod, sicut omnes et singuli cardinales praesentes constitutionem huiusmodi, quantum in eis erit, observare, illique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, aut absolutionem a iuramento praestito non petere, nec oblatam aut concessam acceptare, in consistorio nostro secreto promiserunt et iurarunt, idem per absentes cardinales a consistorio, in habitatione eorum, et a Romana Curia, ut quandocumque ad eamdem Curiam se contulerint, ac per futuros pro tempore cardinales, in assumptione pilei, promitti et iurari debeat, ac promissionem et iuramentum huiusmodi in forma iuramenti per eosdem cardinales praestari soliti adiungi et inseri debere; ac contrafacientes poenam periurii et perpetuae infamiae iuris et facti eo ipso incurrere decernimus. Propterea quod ipsi cardinales, occurrente Apostolicae Sedis vacatione, in conclavi, quando de observandis literis Iulii Papae II, praedecessoris nostri, super electione Romani Pontificis et aliis constitutionibus iuramentum praestare solent, etiam de inviolabiliter observanda praesenti constitutione nostra, per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, et postmodum idem ad summi pontificatus fastigium assumptus, post eius assumptionem, hoc ipsum promittere ac iurare, et deinde post coronationem suam, promissionem et iuramentum huiusmodi per literas suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat. Quod si illud a Pontifice (quod credendum non est) recusabitur aut differetur, tunc dicti cardinales, in primo consistorio secreto, et praecipue eorum decanus et capita Ordinum apud eum omni cum instantia et instantissime pro praesentium observatione petere et rogare ac obtestari non cessent, idque ut omnino efficiat, diligentissime curare studeant, statuimus et ordinamus.

Et etiam a Pontifice electo.

Forma publicandi hanc constitutionem.

§ 10. Quodque praesentes literae in libellum redigantur, et post praedictas Iulii literas, quae in dicto conclavi legi solent, inter alias constitutiones nostras adiungantur, et etiam in quinterno Cancellariae Apostolicae cum aliis extravagantibus nostris describantur, ac ad valvas basilicae Beati Petri principis apostolorum, et in Cancellaria nostra Apostolica, ac acie Campi Florae publicentur. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, decernimus etiam et declaramus quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, et sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides ubique, in iudicio et extra, adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, revocationis, decreti, statuti et interdicti, prohibitionis, ordinationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quarto kalendas aprilis, pontificatus nostri anno II.

Papae et cardinalium subscriptiones.

† Ego Pius, catholicæ Ecclesiæ episcopus.
† Ego F. cardinalis Pisanus, episcopus Ostiensis.
† Ego Io. cardinalis Moronus, episcopus Portuensis.
† Ego Christoforus cardinalis Madrucius, episcopus Praenestinus.
† Ego A. cardinalis Farnesius, episcopus Tusculanus, vicecancellarius.
† Ego Io. Mi. cardinalis Saracenus.
† Ego Ful. cardinalis Perusinus.
† Ego Ioannes Baptista Cicada, cardinalis S. Clementis.
† Ego B. cardinalis Tranensis.
† Ego Scipio cardinalis Pisarum.
† Ego Io. cardinalis Capisuccus.
† Ego Clemens cardinalis Araecaeli.
† Ego Io. cardinalis Sabellus.
† Ego Io. Antonius cardinalis S. Gregorii.
† Ego Aloysius cardinalis Cornelius.
† Ego Bernardus cardinalis Salviatus.
† Ego Philippus cardinalis a Burdesia.
† Ego Ludovicus cardinalis Simoneta.
† Ego Antonius cardinalis Granuelanus.
† Ego F. cardinalis Paciecco.
† Ego Marcus Antonius cardinalis Amulius.
† Ego Hieronymus cardinalis de Corrigia.
† Ego Io. Franciscus cardinalis de Gambara.
† Ego N. cardinalis de Sermoneta.
† Ego Hippolitus cardinalis Ferrariensis.
† Ego Innicus Avalos cardinalis Aragonensis.
† Ego Marcus Ant. cardinalis Columna.
† Ego Io. Franciscus cardinalis Commendonus.
† Ego Marcus Antonius cardinalis Bobba.
† Ego Hugo Boncompagnus cardinalis Sancti Sixti.
† Ego Alexander cardinalis Sfortia.
† Ego Alexander cardinalis Cribellus.
† Ego Franciscus Abundius cardinalis Castilionus.
† Ego Benedictus cardinalis Lomellinus.
† Ego Gulielmus cardinalis Sirletus.
† Ego F. M. cardinalis Alexandrinus.
† Ego Hieronymus cardinalis Simoncellus.
† Ego Vitellotius Vitellius sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis.
† Ego Franciscus cardinalis Alciatus.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDLXVII, indictione X, die vero XXIII mensis maii, pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pii divina providentia Papae V anno eius II, retroscriptae literae affixae et publi-

catae fuerunt ad valvas Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae, per nos Ioannem Andream Rogerium, et Nicolaum de Matthæis sanctissimi domini nostri Papæ cursores.

Antonius Clerici, magister cursorum.

Dat. die 29 martii 1567, pontif. anno II.

LIV.

Quod festum sancti Thomae de Aquino, uti festum de praecepto sanctae Romanae Ecclesiae, in Regno Neapolis; alibi vero uti festum quatuor catholicae Ecclesiae doctorum de cetero celebretur 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Mirabilis Deus in sanctis suis, qui se daturum illos in laudem et gloriam et honorem, prophetae ore, promisit, ut quos, sicut sol in conspectu suo fulgentes, ob merita sanctitatis coronat de coelo, admirabiliter etiam honoraret in saeculo, et in eo, quod illis tribui iubet, laudis et venerationis officio, debitum quoque Maiestati suae honorem et gloriam agnosceret. Quorum non modo vitam, sed mortem, sepulcra, monumenta, reliquias et imagines, ad catholicae fidei confirmationem et ad confusionem haereticae pravitatis, ut felicius etiam, quam in praesenti vita, doceret vivere mortuos qui in Domino moriuntur, saepissime dignatus est decorare et illustrare miraculis.

Ioann. XXII canonizavit S. Thomam.

§ 1. Ex quo sanctorum laudabili numero, qui catholicam veritatem corde, opere et ore roborarunt, angelici doctoris sancti Thomae de Aquino, Ordinis fratrum Praedicatorum, in coelum assumptio, multis ante annis, orbi terrarum, et divinis et propriis est comprobata testimoniis. Nam et miraculorum signis, quibus servi sui Thomae perpetua verae pietatis opera nobilitare voluit inexhausta Dei benignitas, et certissima christianae regula doctrinae, qua sanctus doctor apostolicam Ecclesiam, infinitis confutatis haeresibus, illustravit, adductus, felicis recordationis Ioannes XXII, praedecessor noster, illo in sanctorum numero relato, eius diem festum nonis martii, quo die nunc etiam colitur, anniversario honore celebrare iussit.

Hic modo Pontifex, ex causis hic expressis,

§ 2. Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factum est ut angelici doctoris vi, et veritate doctrinae, ex eo tempore quo coelestibus civibus adscriptus fuit, multae quae deinceps exortae sunt haereses confusae et convictae dissiparentur, quod et antea saepe, et liquido nuper in sacris Tridentini concilii decretis apparuit, eiusdem memoriam, cuius meritis orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur, maiore etiam quam antea grati et pii animi affectu colendam statuimus. Quod officium nostrum, praeter beneficia ex illius salutari disciplina, in dies magis profecta, in sacrosanctae Ecclesiae filios, ad quorum pastoralem paternamque curam Dei benignitati humilitatem nostram placuit evocare, postulat etiam aliqua ex parte eiusdem Ordinis Praedicatorum communio et societas, unde, licet imparibus meritis, nos etiam tamquam ex fonte profluximus.

Eius festum celebrari iubet.

§ 3. Itaque primum, ut in civitate et regno Neapolitano, quod in eam provinciam, quae, ad salutarem omnium gentium institutionem, ex nobilissima familia Aquinate, clarissimum hoc edidit Ecclesiae Dei lumen, tantum inde laudis decorisque divina bonitas redundare voluerit, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio atque unanimi assensu, ipsa die nonarum martii,

1 Hunc sanctum canonizavit et eius festum instituit Ioannes XXII, ut in eius const. XXXIV, *Redemptionem*, tom. IV, pag. 302.

qua praestantissimus doctor migravit in coelum, posthac semper universi utrinsque sexus, ab omnibus vetitis ac servilibus operibus laboribusque abstinentes, festum divi Thomae solemniter, sub duplici maiori officio, sicut ceteras eius generis solemnes festivitates, quae de ipsius Ecclesiae praecepto servantur; in aliis autem orbis terrae partibus, quemadmodum sanctorum quatuor Ecclesiae doctorum festivitates, piae memoriae Bonifacii Papæ VIII, etiam prædecessoris nostri, præcepto, celebrantur, sic eumdem festum diem sancti Thomae in perpetuum posthac omnes item utriusque sexus christifideles celebrent et venerentur, apostolica auctoritate statuimus ac sancimus.

Indulgentias eius altaria visitantibus,

§ 4. Ut vero etiam memoriae sancti doctoris maiori studio ac pietate cultus et debita veneratio adhibeatur, de omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in ipso sancti Thomae festivitatis die sacellum vel altare in ecclesia Sancti Dominici Neapolitani situm, in quo scriptoris angelici doctrina, Salvatoris crucifixi ore (sicuti pia testatur historia), mirabiliter probata fuit, a primis eius diei vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, septem annos et totidem quadragenas.

Festumque celebrant. concedit.

§ 5. In ceteris autem orbis terrae partibus, iis qui eumdem festum diem, ut praefertur, solemniter celebraverint, et ad ecclesiam, quae apud eos fuerit vel sacellum aut altare sub eiusdem sancti Thomae invocatione, pie ac devote accesserint, quoties id fecerint, toties centum dies de iniuncta ipsis poenitentia per præsentes literas in perpetuum valituras, quas sub aliis cuiuscumque generis indulgentiarum concessionibus et illarum revocationibus nullo modo comprehendi volumus, misericorditer in Domino relaxamus.

Exemplis bullae credi iubet.

§ 6. Et quia difficile esset has ipsas literas ad singula orbis terrarum loca pervenire, volumus et auctoritate apostolica decernimus ut earum exemplis *etc.*

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, tertio idus aprilis, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 aprilis 1567, pontif. anno II.

LV.

Confirmatio literarum super reductione monasteriorum Conventualium nonnullorum Ordinum in regnis Hispaniarum ad suorum Ordinum observantiam, additis etiam ad id consequendum aliis ordinationibus et reformationibus [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Pius per alias litteras (cuius hic tenor inseritur) domos fratrum Conventualium in Hispania tollendas statuerat.

§ 1. Superioribus mensibus emanarunt a nobis literae in forma brevis, tenoris subsequentis: Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam. Maxime cuperemus eos, qui, religiosam vitam professi, divino se cultui dedicarunt, ita vivere ut eorum Religio immaculatum decorem suum obtineret, et ex illorum vitae ac morum honestate bonisque operibus coelestis glorificaretur Pater; sed quia multi a fundatorum Ordinis sui institutis nimis iampridem aberrant, ipsos auctores et Ordinem moribus suis non parum dedecorantes, cogit zelus domus Domini eorum irreligiosae vitae atque licentiae, quandoquidem ipsi modum eius nullum faciunt, finem imponere. Non sine magna animi sane molestia nobis innotuit fratres Ordinis Sancti Francisci Conventuales in diversis Hispaniae partibus et provinciis constitutos, professionis et salutis suae immemores, et privilegiis benignitate impetratis

Causa, qua motus Pontifex constitutionem decrevit, precibus etiam Philippi II Hispaniarum regis.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

abutentes, vitam ab institutis fundatoris et patris sui Seraphici admodum discrepantem ac remotam ducere, et pravis suis exemplis quamplurimos christifideles pusillos non mediocriter offendere. Cum igitur tam grave tamque inveteratum scandalum, divini honoris et salutis animarum causa, pro commisso nobis officio, tollere statuerimus, piis etiam adducti precibus charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, religiosissimi principis, timentis ne qui pro populo apud Deum intercessores esse debent, nimia sua vivendi licentia Illius iram acrius provocent, universis et singulis christifidelibus archiepiscopis et episcopis per Hispaniam constitutis, in virtute sanctae obedientiae, praesentium tenore committimus atque mandamus ut quisquis eorum in civitate vel dioecesi sua habet domum vel domos fratrum Minorum Conventualium, is, Dei tantum omnipotentis honorem ante oculos propositum habens, assumptis secum de Ordine fratrum Minorum de Observantia ministro provinciali eius provinciae, in qua illi fratres consistunt, et aliquo praeterea eiusdem Ordinis Observantium, quem ipse minister provincialis idoneum duxerit, accedat ad domum seu domos singulas, si plures sint, dictorum fratrum Conventualium, in eisque conventibus ex auctoritate Sedis Apostolicæ, cuius vices in hoc negotio ei tenore praesentium delegamus, aboleat penitus et in perpetuum tollat atque extinguat formam vivendi conventualem, eosque fratres ad eamdem vivendi formam eademque instituta redigat, quae fratres Minores de Observantia seu Familia vocati observant; et eorum ecclesias ac domos Ordini fratrum Minorum de Observantia assignet perpetuo habendas, atque in eas domos alios fratres de conventibus fratrum eiusdem Ordinis de Observantia, quos et quot sibi visum fuerit, de illorum dictorum fratrum sibi assistentium consilio, transferat, et ex ipsis guardianum atque alios officiales, ad eum conventum regendum et gubernandum idoneos, auctoritate nostra deputet atque constituat; ipsos vero fratres Conventuales, aliorum fratrum Minorum de Observantia consortio aggregatos atque unitos, ex domibus, in quibus antea vitam conventualem egerant, translatos, per conventus fratrum Minorum de Observantia distribuat, ut posthac eiusdem ipsi quoque Observantium Ordinis etiam appellentur et sint, sub eiusdem ministri generalis obedientia atque regimine. Quæ autem de fratribus Conventualibus Ordinis Sancti Francisci ad vitae regularis observantiam reducendis mandavimus, eadem, propter easdem causas, et ad eadem tollendum offendicula et scandala, de fratribus in Hispania consistentibus aliorum quoque Ordinum quorumcumque Conventualibus ad vitae regularis observantiam reducendis, eadem auctoritate iisdem venerabilibus fratribus mandamus, velut Canonicorum Regularium Sancti Benedicti, Cisterciensium, Prædicatorum, Eremitarum Sancti Augustini, Carmelitarum et aliorum quorumvis Ordinum, ex quibus tamen, praeter fratres Conventuales, sint quoque aliqui eiusdem Ordinis in Hispania vel extra Hispaniam Observantes; ad eam enim formam omnes eiusdem Ordinis, qui ad hoc tempus Conventuales fuerint, suscipiendam et obvervandam, iuxta sua cuiusque Ordinis regularia instituta, et sacri concilii Tridentini decreta, redigi, et ad alios conventus transferri, eodemque modo, ut de domibus et ecclesiis fratrum Minorum Conventualium diximus, ipsorum quoque domos et ecclesias fratrib., una cum bonis omnibus eiusdem Ordin., Observantibus assignari volumus. De fratribus vero illorum Ordinum, quorum nulli usquam conventus sunt, qui vitam regularem observent, sed omnes tantum Conventuales sunt, quem-

Domos fratrum Conventualium penitus tollere decernit, delegata Sedis Apostolicae auctoritate archiepisc. et episcopis provinciarum in quibus existerent;

Domos praefatas et eorum fratres Conventuales redigit sub forma vivendi fratrum Minorum de Observantia et obedientia ministri generalis;

Canonicos Regulares, Cistercienses, Praedicatores, Eremitas S. Augustini aliosque Conventuales eiusmodi, eorumque domos ad fratres Observantes eorum Ordinum similiter transferre decernit.

admodum ipsi quoque reformandi, et ad quam vivendi in communi formam sint reducendi aliis literis statuemus. Si qui autem de fratribus Conventualibus ad regularis vitae observantiam reduci se pertinaciter recusaverint, eos in carceribus, donec ad cor redeant, sub fida custodia retineri mandamus. Ne autem ipsorum fratrum Conventualium excessus et delicta remaneant impunita, in eos procedendi, et pro culparum atque excessuum magnitudine animadvertendi, et si quorum delicta adeo gravia forent ut, si laici essent, ultimo fuerint supplicio puniendi, ad triremes eos damnandi, si modo aetas et vires illi labori apti sint; sin minus, in perpetuum carcerem ad agendam poenitentiam relegandi; excessus vero minus graves, nec poenam capitis meritos, secundum canonicas sanctiones seu archiepiscopi episcopive, ad quem id spectabit, et provincialis atque illi adiuncti fratris arbitrio puniendi; bona praeterea quaecumque mobilia et immobilia, tam quae domus eorum in communi possident, quam fratrum Conventualium antea propria ex consuetudine, vel forsan ex aliquo obreptitio vel subreptitio privilegio, vel dispensatione apostolica eis obtinere concessa sive permissa, vel ea eorum industria acquisita, vel ex parentum successione, aut ab aliis relicta, legata donatave, ab eis, tam quod ad usum et possessionem, quam quod ad proprietatem attinet, in perpetuum abdicandi; de conventibus etiam fratrum regularis Observantiae, uno vel pluribus, alios in huiusmodi conventus, de ipsorum fratrum assistentium consilio, transferendi; omnia denique, quae vel ad abolendam vitam conventualem, et vitae regularis observantiam loco eius introducendam, vel ad inquirendam criminum veritatem fuerint necessaria quoquo modo aut opportuna agendi, faciendi et exequendi, ipsis venerabilibus fratribus, una cum dictis provinciali et eius socio, sicut dictum est, plenam et liberam auctoritate apostolica damus atque concedimus potestatem. Quod si qui vel ipsorum fratrum Conventualium vel aliorum Ordinum praedictorum ad alium Ordinem regularis Observantiae transferri maluerint, id eis permitti volumus, dummodo ad Regulam transeant arctiorem. De bonis autem ipsorum fratrum Conventualium mobilibus et immobilibus, et de omnibus huiusmodi conventuum redditibus, ipsos venerabiles fratres nostros, ad quos pertinebit, ita de consilio provincialis et socii eius sibi assistentium disponere volumus ut fratribus regularis Observantiae illuc introducendis de supellectili et aliis rebus victui eorum aut divino cultui, et reparationi ecclesiarum ac domuum necessariis per eos provideatur. Quae vero ultra huiusmodi sumptus superfuerint, ea singulis in locis apud idoneas personas deponi volumus et sequestari fideliter conservanda, ac postea Sedem Apostolicam consuli, in quos usus ea converti debeant; contradictores et omnes qui ipsis fratribus Conventualibus, ad impediendam reductionem huiusmodi, consilium, auxilium vel favorem praestare ausi fuerint, per censuras ecclesiasticas et alia iuris ac facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio. Non obstantibus quibuscumque apostolicis, et inter ceteras felicis recordationis Sixti IV et Leonis X, praedecessorum nostrorum, etiam *Mare Magnum* appellatis; ac in generalibus, provincialibus synodalibusque concilis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; statutisque et consuetudinibus ipsorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, dictis Ordinibus, necnon eorum superio-

Poena in eos, qui obedientiam praestare noluerint.

Apostolica conceditur auctoritas pro ceterorum effectu, quae necessaria essent ad praefatam abolitionem consequendam.

Permissio Conventualibus aliisque fratribus concessa se transferendi ad alium Ordinem Observantiae.

Bona praefatorum fratrum quomodo erogenda et de residuis quid imposterum agendum esset.

Poena in contradictores.

Clausulae amplissimae cum revocat. specialis mentionis faciendae.

ribus, quocumque nomine vocentur, conventibus et personis, sub quacumque verborum forma, et cum quibuscumque decretis et clausulis, quantumvis efficacibus et insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, ac saepius confirmatis. Quibus omnibus, etiamsi de eis eorumque totis tenoribus specialis, expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales eamdem vim habentes, esset mentio facienda, eorum tenores perinde ac si praesentibus inserti fuissent pro expressis habentes, auctoritate apostolica specialiter et expresse, pro hac vice dumtaxat, derogamus; omniaque, quæ supradictam reductionem fratrum Conventualium ad vitae regularis observantiam seu harum literarum executionem quovis modo impediri possint, concessa hactenus atque edita, revocamus et annullamus. Quia vero difficile foret praesentes literas ad omnium, quorum opus fuerit, pervenire notitiam, transumptis earum, manu alicuius notarii publici, subscriptis, vel impressis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem fidem ubique haberi volumus atque decernimus, ac si originales literæ exhibitae essent vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die secunda decembris MDLXVI, pontificatus nostri anno primo. Antonius Floribellus Lavellinus.

Mandavit etiam reformationem monasteriorum monialium.

§ 2. Ac postmodum per alias nostras in simili forma brevis literas, sub datum XII eiusdem decembris proxime praeteriti, sub certis modo et forma tunc expressis, reformationem etiam monasteriorum monialium Conventualium Hispaniae fieri mandavimus.

Causae constitutionis edendae super litteris praefatis aliisque, de quibus infra.

§ 3. Cum autem, sicut praedictus Philippus rex nobis nuper exponi fecit, in aliquibus partibus Hispaniae, provinciae sint admodum amplae et latae, in quibus sunt plures praelati et multa monasteria, ita tamen ut in singulis provinciis unus tantum sit provincialis, qui eodem tempore cum singulis episcopis adesse, et etiam in una dioecesi plura monasteria consistant, atque episcopi eodem similiter tempore accedere non poterunt, ex quo facile sequetur ut visitatio ipsa differatur, unde diversa damna et inconvenientia subsequi possent, quia fratres et moniales, intelligendo reformationem huiusmodi fieri in uno ex dictis monasteriis, ex aliis aufugere, et, quod peius esset, bona mobilia et libros et alias scripturas suorum monasteriorum, in quibus eorum redditus sunt annotati, occultare et abscondere poterunt. Quare idem Philippus rex nobis humiliter supplicari curavit ut, quo opus adeo laudabile dictae reformationis, dante Domino, facilius perfici queat, tam super praemissis quam aliis etiam infrascriptis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultas subdelegandi executores dictarum litterarum pro reformatione monialium archiepiscop. et episcopis concessa.

§ 4. Nos igitur, qui nihil magis exoptamus quam ut omnium christifidelium, et praesertim religiosarum personarum, reformatio nostris potissimum temporibus suum debitum et optatum consequatur effectum, huiusmodi supplicationibus inclinati, singulis archiepiscopis et episcopis praedictis, ut eorum vicarios in spiritualibus generales aut officiales; provincialibus vero huiusmodi in eorum respective provinciis, ut unum aut plures guardianos vel alios fratres probos et idoneos, qui una cum ipsis archiepiscopis, episcopis aut eorum vicariis vel officialibus ad executionem omnium in dictis nostris literis contentorum procedere valeant, subdelegare possint, plenam et liberam, auctoritate apostolica, tenore præsentium, facultatem concedimus et potestatem.

§ 5. Praeterea, quoniam aliqua mona-

Facultas eisdem concessa uniendi plures domos seu monasteria Conventualium pro congrua fratrum Observantium sustentatione.

steria fratrum et monialium Conventualium praedictorum sunt sita in locis, in quibus inconveniens erit, aut propter asperitatem locorum, vel quia solitaria aut adeo paucorum habitatorum sunt, ut in illis fratres ipsi Observantes habitent vel potius eos ibi minime habitare posse verendum sit ex defectu praecipue eleemosynarum, ex quibus vivere debent, seu quoniam prope illa sunt alia monasteria de Observantia, sicque eleemosynae pro tempore colligendae pro omnibus nequaquam sufficere. Propterea archiepiscopis, episcopis et provincialibus aliisque per eos subdelegandis praedictis, quod sibi super hoc iustum et honestum esse videbitur, faciendi et exequendi; et si expediens esse cognoverint, etiam monasteria sibi benevisa invicem alterum alteri uniendi; et ut fratres in illis monasteriis, in quibus eis visum fuerit residere habeant, ordinandi ac praecipiendi facultatem pariter impartimur.

§ 6. Insuper, quoniam in praeinsertis literis praedictis fit mentio quod de fratribus illorum Ordinum, quorum nulli usquam conventus sunt, qui vitam regularem observent, sed omnes tantum Conventuales sunt, quemadmodum ipsi quoque reformandi et ad quam vivendi in communi formam sint reducendi, aliis literis statuemus. Ideo, cum in dictis Hispaniarum regnis nonnulli Ordines et quamplurima monasteria similia existant, quae reformatione indigere noscuntur, prout sunt monasteria Tertii Ordinis Sancti Francisci, in quibus degunt fratres dissolute et perverse viventes, malumque exemplum et varia scandala praebentes, qui, si a suis non probatis institutis et solito vivendi modo non removerentur, difficilius postea reformari possent. Nos, pro horum fratrum reformatione, illos ad observantiam fratrum dicti Ordinis Sancti Francisci per supradictos, eisdem modo et forma quibus sunt reducendi fratres Conventuales, omnino reducendos esse decernimus et declaramus. Item, cum in dictis regnis Hispaniarum quaedam monasteria Ordinis Praemonstratensis sub Regula S. Augustini consistant, quorum fratres valde dissolute vivere et non parva tam in capite quam in membris super eodem vivendi modo reformatione indigere dicantur, in dictoque Ordine nullum monasterium de Observantia reperiatur, volumus et harum serie mandamus quod dicti fratres Praemonstratenses ad observantiam fratrum S. Hieronymi de Observantia Hispaniarum, pariter sub Regula S. Augustini militantium, per eosdem archiepiscopos et episcopos eorumque vicarios et officiales, adhibitis secum duobus probis et idoneis religiosis ipsius Ordinis S. Hieronymi de Observantia, cum effectu reducantur.

Monasteria Tertii Ord. Sancti Francisci reformanda decernit.

Fratres Praemonstraten. reformantur et subiiciuntur Regulae Observantium S. Hieronymi.

§ 7. Quodque septem vel octo monasteria Ordinis, etiam S. Hieronymi Eremitarum, in predictis regnis existentia, quorum fratres non religiose, sed male et non sine scandalo vivere intelleximus, fereque impossibile esse illos ad rectam et honestam vivendi normam revocare, nisi ad observantiam fratrum dicti Ordinis S. Hieronymi, et sub eorum generali in Hispania commorante reducantur, ubi multa et insignia sunt monasteria ipsorum fratrum S. Hieronymi, qui, sub regulari observantia et religiosa vita degentes, devotum Altissimo famulatum continuo exhibent, a quibus praedicti Eremitae, ut asseritur, processerunt ac originem habuerunt, similiter ab ipsis archiepiscopis et episcopis vicariisque et officialibus, una cum duobus religiosis praedicti Ordinis Sancti Hieronymi de Observantia, sub obedientia dictorum fratrum S. Hieronymi etiam de Observantia, eorumque generalis, sine aliqua excusatione, ponantur, subiiciantur et constituantur.

Similiter monasteria Eremitarum Sancti Hieronymi.

§ 8. Deinde in dictis regnis quamplurima monasteria Ordinum Carmelitarum, et Sanctissimae Trinitatis, ac Beatae Mariae de Mercede esse nobis pro parte dicti Philippi regis insinuatum fuit, qui a recto vivendi tramite Religionisque honestate assidue recedere non formidant, ex quo eos, tam circa modum eorum vitae quam clausurae observationem, maxime reformare necesse sit; cum praesertim in dictis Carmelitarum, et Sanctissimae Trinitatis, ac Beatae Mariae de Mercede monasteriis nulli fratres reformati reperiantur. Idcirco quibusvis archiepiscopis et episcopis, in quorum dioecesi monasteria huiusmodi consistunt, etiam mandamus per praesentes ut per se vel vicarios aut officiales suos, seu alios probos et idoneos ab eis deputandos, assumptis secum duobus fratribus senioribus Ordinis Sancti Dominici de Observantia peritis ac probatis, qui in his assistere habeant, monasteria quaecumque Carmelitarum, ac SS. Trinitatis, ac Beatae Mariae de Mercede huiusmodi ad veram suorum Ordinum respective observantiam omni cura et diligentia reducant, eisque eamdemmet facultatem, auctoritatem et potestatem in reformandis aliis monasteriis per praeinsertas nostras literas sibi concessam, etiam ad haec omnia facienda et exequenda earumdem tenore praesentium extendimus et ampliamus.

Fr. monasteriorum Ordinum Carmelitarum, SS. Trinitatis, et B. Mariae de Mercede ad observantiam suorum Ordinum reducend. esse iubet, opportuna, ut in praedictis, concessa facultate;

§ 9. Nos enim quodcumque supradictum est de monasteriis fratrum, etiam de monasteriis monialium dici et intelligi debere volumus atque censemus.

Praedicta omnia extendit etiam ad monasteria monialium.

§ 10. Postremo, cum intellexerimus consistere in regno Navarrae quinque monasteria Ordinis S. Francisci, quorum duo sunt fratrum de Observantia, reliqua vero tria fratrum Conventualium existunt, ipsumque regnum Navarrae regno Castellae coniunctum et unitum esse, magisque conveniens et expediens videri ut monasteria huiusmodi potius superioribus in regno Castellae quam in regno Aragonum existentibus subiecta sint; ideo dicta quinque monasteria a provincia Aragonum, sub qua hactenus fuerunt, harum serie apostolica auctoritate penitus abdicantes et totaliter separantes, illa, de cetero, cum omnibus eorum fratribus, personis, iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis, ceterisque ad ea quomodolibet spectantibus et pertinentibus, provinciae Burgensi eorumdem fratrum S. Francisci de Observantia, quae in praedicto regno Castellae esse dignoscitur, eiusque ministro provinciali nunc et pro tempore existenti eadem auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo supponimus ac subiicimus; necnon illa eidem provinciae Burgensi, ita ut sub illius ministri provincialis dominio, superioritate, obedientia, visitatione et correctione deinceps existant et permaneant, ab eisque visitentur, corrigantur et gubernentur, et illis cum effectu pareant et obediant, prout alia monasteria et fratres ipsius provinciae Burgensis, in omnibus et per omnia, perinde ac si dictae provinciae Burgensi, eiusque ministro provinciali, non autem provinciae Aragonum dudum subiectae fuissent, in perpetuum unimus, incorporamus et applicamus, illaque perpetuo supposita, subiecta, unita, incorporata et applicata fore et esse; sicque et non aliter ab omnibus iudicari, interpretari ac censeri debere decernimus.

Quinque monasteria Ord. Sancti Francisci in regno Navarrae a regno Aragonum disiungit et provinciae Burgen. eiusdem Ordinis de Observantia in regno Castellae subiecta esse decernit;

§ 11. Mandantes venerabilibus fratribus Seguntino et Conchensi episcopis, quatenus ipsi vel alter eorum, per se vel alium seu alios, faciant separationem et subiectionem dictorum quinque monasteriorum debitae executioni demandari, et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles, per poenas, etiam pecuniarias, ac demum per sententias et cen-

Dictae separationis executores, sancita poena in contradictores, etiam invocato auxilio brachii saecularis, deputat;

suras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, censurasque, et poenas ipsas, legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Professos Conventuales ad Observ. transeuntes professionem iterum emittere non debere declarat, quamquam, si id velint pro conscientiae securitate, permittit.

§ 12. Et licet ambiguum non sit fratres Conventuales transeuntes ad fratres de Observantia, qui semel professionem tacitam vel expressam emiserint, dum in conventualitate vivebant, postquam transiverint ad fratres Observantes, minime ad professionem iam emissam emittendam teneri, cum tam Conventuales quam Observantes sub eadem Regula Beati Francisci militent; verumtamen, si quisquam Conventualium, pro tranquillitate animi sui, voluerit denuo professionem emittere, concedimus ut eam, quando et quoties voluerit, etiam non expectato professionis, anno, emittere possit, provincialibusque praedictis per praesentes committimus ut professionem huiusmodi recipere possint et valeant.

Fratres Conventuales quo modo ab eis de Observantia haberi debeant et caritatis officia in eos exerceri.

§ 13. Volumus autem et hortamur ac praecipimus ipsis fratribus de Observantia, ut huiusmodi fratres Conventuales, quorum conventus reformandos de mandato nostro et Sedis Apostolicae receperint, in aliis tamen conventibus, sub Observantia aedificatis, mittant, et eos fraterne ac charitative pertractent, dummodo regulariter et observantialiter vivant, assignato sibi loco in choro et in processionibus secundum tempus professionis inter Conventuales emissae.

Clausulae.

§ 14. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam *Mari Magno* et *Bulla Aurea* aut *Unionis* seu alias quomodolibet nuncupatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis et expressa ac de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, necnon omnibus illis, quae in dictis literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis danda.

§ 15. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam super qualibet earum parte separatim conficiendis, manu alicuius notarii *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XVI apr. MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 aprilis 1567, pontif. anno II.

LVI.

Moderatio indultorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, super collatione beneficiorum.

Sanctissimus in Christo Pater et dominus noster dominus Pius divina providentia Papa V.

Exordium

Ex tam multis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super beneficiorum ecclesiasticorum dispositione indultis et multiplicatione aliarum super aliis facultatum, quae quotidie literis dictorum indultorum diffuse inseruntur, saepenumero impeditus, quo minus solitam antehac Sedis huius benignitatem erga pauperes et benemeritos liberaliter exercere possit.

Revocatio indultorum S. R. E. cardinalium circa beneficiorum collationem.

§ 1. Idcirco, rationem capere volens ut, tanta dehinc eiuscemodi indultorum et facultatum largitione praecisa, dictis personis commodius benefaciendi via sibi libera recludatur, omnia et quaecumque indulta, concessiones, facultates et alia privilegia conferendi quaecumque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, ad col-

lationem, provisionem, praesentationem, electionem et quamcumque aliam dispositionem dictorum cardinalium, ratione parochialium, metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum, necnon monasteriorum, prioratuum, dignitatum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quae quomodolibet obtinent et in posterum obtinebunt; ac etiam quorum collatio, provisio et quaevis alia dispositio illis, ex causa factae per eos cessionis, regiminis et administrationis seu commendae, aut resignationis ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum huiusmodi, apostolica auctoritate reservata existit, vel in posterum reservabitur; necnon quorumcumque inferiorum collatorum et collatricum, de iure, privilegio, consuetudine ac alias quomodolibet pertinentia; et etiam illa commendandi, ac alias de eis disponendi, omnibus et singulis cardinalibus praedictis, etiam de dictorum inferiorum collatorum consensu, per quoscumque Romanos Pontifices ac Sanctitatem Suam et dictam Sedem, etiam motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, et etiam ex pactis inter dictos Pontifices et cardinales diversis temporibus factis, firmatis et iuratis, ac quibusvis onerosis et aliis causis concessa et etiam iteratis vicibus innovata atque extensa, quibuscumque concepta formulis, ac etiam restitutivis, mentis attestativis, praeservativis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon vim contractus inducentibus et aliis decretis suffulta, quorum omnium tenores Sanctitas Sua haberi voluit pro expressis, specialiter et expresse revocavit, literasque apostolicas desuper confectas, et quoad ea in quibus illa nondum erant sortita effectum, et inde secuta quaecumque cassavit et annullavit, viresque et effectum de cetero non habere decrevit.

Declaratio et limitatio circa futuram litterarum concessionem.

§ 2. Praeterea voluit et ordinavit quod omnes deinceps literae apostolicae facultatum et indultorum huiusmodi pro singulis cardinalibus praedictis, praesentibus et futuris, ad unam tantum cathedralem vel maiorem ecclesiam, seu illius loco, unum vel duo monasterium seu monasteria, aut unum aliud vel duo alia, beneficium seu beneficia, in dictis literis exprimendam seu exprimendum vel exprimenda, quam seu quod vel quae ipsi cardinales, ultra illas sex episcopales ac presbyterales et diaconales cardinalium ecclesias, tunc temporis obtinebunt, seu cuius vel quorum collatio eis reservata fuerit, ut praefertur; ac etiam sublata omnino altera huiusmodi indultorum parte super consensum ipsorum cardinalium requirendo in provisione beneficiorum apud Sedem praedictam pro tempore vacantium, alias sub dictis indultis comprehensorum, de quibus omnibus Sanctitas Sua posthac libere disponere intendit, et etiam citra facultates commendandi monasteria aliaque beneficia ecclesiastica, saecularia et regularia; necnon disponendi de monasteriis, etiam cura et conventu carentibus, et dignitatibus conventualibus et in metropolitanis aliisque cathedralibus post pontificales maioribus, et in collegiatis ecclesiis principalibus; ac etiam disponendi de beneficiis referendariorum causarum Palatii Apostolici auditorum, protonotariorum et aliorum officialium dictae Sedis, necnon familiarium, ceterorumque omnium, qui constitutionibus declaratoriis felicis recordationis Pauli Papae III ad perpetuam rei memoriam editis continentur; denique cum moderatione facultatum disponendi de beneficiis familiarium ipsorum cardinalium, ac concessionum eis per regulas Cancellariae Apostolicae factarum, de consensu per ipsos in provisionibus apostolicis praestando, ad eos solos fami-

liares, continuos commensales eorumdem, qui, vera et actuali familiaritate, continua commensalitate huiusmodi durante, extra Romanam Curiam, vel cardinalibus ipsis in dicta Curia existentibus, apud dictam Sedem decesserint, et ad ea sola beneficia, quae ipsi familiares, continui commensales viventes, ad collationem dictorum cardinalium pertinentia, obtinebant, seu quae ex collatione sibi ab eisdem cardinalibus facta assecuti fuerant, expediantur. Aliter vero, etiam motu, scientia et potestate similibus, ac etiam cum praesentium speciali et expressa derogatione expeditae, nullius sint prorsus roboris vel momenti. Et nihilominus huiusmodi constitutiones et regulas super beneficiis familiarium cardinalium editas, etiam quoad cardinales indulta huiusmodi non habentes, ad familiares et beneficia praedicta dumtaxat restrinxit et moderatus fuit.

Decretum irritans.

§ 3. Decernens sic in iis ceterisque omnibus praemissis per quoscumque *etc.*, etiam causarum dicti Palatii auditores, ac etiam ipsos cardinales, sublata *etc.*; necnon irritum et inane quicquid secus per quoscumque, etiam praetextu indultorum, facultatum et concessionum huiusmodi, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Statuto, ordinatione, decreto, declaratione Sanctitatis in crastinum eius assumptionis ad summi apostolatus apicem editis, quod cardinales in constitutionibus et regulis per eam, post priorum suarum constitutionum et regularum editionem et publicationem, in posterum faciendis, non includantur, nisi illae eorumdem cardinalium favorem concernant, vel ipsae edendae constitutiones de illorum seu maioris partis eorum consilio editae fuerint, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet, publicetur et describatur. M.

Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae MDLXVII, die vero mercurii, ultima mensis aprilis, pontificatus praefati SS. D. N. Papae anno II.

A. Lomellinus, custos.

Publ. die 30 aprilis 1567, pontif. anno II.

LVII.

Confirmatio et nova concessio plurimorum indultorum pro Ordinibus fratrum et monialium Mendicantium; et declaratio atque extensio concilii Tridentini circa ea, et communicatio eorumdem indultorum cum aliis Ordinibus regularibus, necnon et iurisdictio conservatorum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Etsi Mendicantium Ordines qui sedulum in vinea Domini quotidie exhibere non cessant famulatum, summo semper studio, etiam dum in minoribus essemus, amplexi sumus; ad summi tamen apostolatus apicem, meritis licet imparibus, divina favente clementia, assumpti, dum id mente recolimus, facere non possumus quin eos propensiori caritate et paterno affectu amplectamur, ac exinde, pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum, ab Apostolica Sede, cuius continue pacem et dignitatem Ordines ipsi fortiter tutati sunt, tam spiritualia quam temporalia subsidia ornamentaque acceperint et accipiant, quibus et sancta sua officia ac vitam suam regularem facilius atque expeditius exequi et transigere possint, et ceterae religiosae personae Ordinesque alii, exemplo ipsorum promptiores alacrioresque ad sua officia persolvenda reddantur.

§ 1. Hinc est quod nos, attendentes ple-

Episcoporum molestiae erga Mendicantes hic referuntur.

rosque ex venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis qui eosdem Ordines praecipue, tamquam fructiferos in agro Domini palmites, et colere et adiuvare deberent, non solum id exequi negligere, verum etiam, concilii Tridentini decretis in pravum sensum retortis, eos et eorum quemlibet variis afficere incommodis et perturbationibus, eorumque privilegiis non modicum afferre gravamen conantur.

Prima molestia pro praedicatorum approbatione;

1. Quidam enim episcopi, ut accepimus, nolunt admittere quosdam regulares ad praedicationem, etiam in suis ecclesiis faciendam, quamvis de eorum habilitate ad huiusmodi opus exercendum habeant bonum testimonium a suis superioribus. Alii vero volunt ut nedum semel, sed etiam pluries in anno, coram ipsis vel eorum vicariis praedicatores praesententur, ac pro licentia praedicandi, quam nonnisi in scriptis dare volunt, aliquid quandoque exigunt. Alii etiam episcopi maximam regularibus iniuriam irrogare videntur, dum praeter ordinem et veterem consuetudinem, absque ulla ratione quosdam reiiciunt et quosdam, pro eorum libito, admittunt ad praedicationem huiusmodi habendam in locis suae dioecesis.

Secunda pro confessariis;

2. Quorumdam etiam locorum ordinarii, quosdam religiosos probos viros et idoneos, etiam a suis superioribus approbatos, ad confessiones audiendas admittere nullo modo volunt. Quidam ex eis volunt, non solum singulis annis, sed etiam pluries in anno in aliquibus partibus eosdem confessores sibi praesentari, in aliquibus vero oppidis, tam episcopi seu eorum vicarii quam presbyteri curati nolunt ut fratres Mendicantes vocati ad audiendas confessiones infirmorum, maxime si infirmitas est gravis, aut etiam sanorum, in privatis illorum domibus vel alibi, praeterquam in suis ecclesiis aut monasteriis, possint accedere.

Tertia monialium confessarios respicit;

3. Nonnulli etiam audent confessores monialium, qui pleno iure subsunt regularibus, examinare, cum tamen id minime per concilium decernatur, sicut et de fratribus, qui sunt audituri confessiones aliorum fratrum.

Quarta Eucharistiae administrationem;

4. Quidam etiam in aliquibus partibus nituntur asserere seu facere ne quisquam infra annum possit sacram Eucharistiam in ecclesiis Mendicantium recipere, neque etiam moniales Tertiarias nuncupatas suorum Ordinum, ut aliqui asserunt, in aliquibus partibus fieri, cum tamen solum in Paschate, quoad saeculares dumtaxat, iuxta privilegia Summorum Pontificum praedecessorum nostrorum eisdem Ordinibus concessa, id observari debeat.

Quinta ingressum in monialium domos;

5. Alii vero episcopi seu eorum vicarii audent ad eorum libitum dare licentiam quibuscumque quaecumque monasteria monialium, etiam Sanctae Clarae, ingrediendi etiam si regularium curae subdita sunt.

Sexta puellarum e monasteriis extractionem;

6. Quidam vero, sub praetextu exquirendi voluntates puellarum, ante professionem earum, volunt eas extrahere a monasteriis, et per longum tempus alibi detinere, ipsasque puellas seu novitias de plerisque rebus interrogant, neque necessariis, neque in decreto concilii Tridentini desuper contentis, ex quibus non modica potest oriri occasio scandali.

Septima ordinum collationem;

7. Alii vero plerique noluerunt quosdam regulares aliarum dioecesum sacris Ordinibus initiare, ac etiam a suis Ordinis praelatis approbatos admittere nolunt.

Octava missae celebrationem et sacrae Scripturae conciones etc.;

8. Aliqui vero singulis dominicis diebus in suos parochianos ad sonum campanae excommunicationem promulgant, ut non possint interesse missis, concionibus et divinis officiis nisi in propria parochia. Alii vero, in aliquibus partibus, in eorum ecclesiis, conciones sacrae Scripturae et sermones pro mortuis haberi nolunt; et si aliquid ipsis relictum fuerit ut ab ipsis

missae dicantur, vel alia officia pro mortuis celebrentur, ipsi sibi ea usurpant, dicentes quod ipsi ea exequi non possunt quia ipsi sunt pastores. Alii vero, sub excommunicationis latae sententiae et exilii per decennium a dioecesi poena, inhibuerunt ne missae in eorum ecclesiis celebrentur in diebus festivis, antequam rector parochialis ecclesiae celebraverit. Alii etiam nolunt ut, dum praedicatio in ecclesia cathedrali habetur, alibi praedicetur.

Nona controversias excitatas;

9. Ac insuper in quibusdam omnem ordinem et quietem perturbant, dum controversias iamdiu sopitas et extinctas super praecedentia excitarunt, et ubi nullae erant pepererunt, dum, pro arbitrio et voluntate eorum, hos illis praeferre noluerunt.

Decima animarum curam;

10. Quidam etiam episcopi volunt regulares a cura animarum excludi et illam solis presbyteris saecularibus committi.

Undecima quartam funeralium;

11. Quidam vero quartam funeralium extendere volunt etiam ad missas, legata et alia quaecumque, quae domibus regularium relinquuntur.

Duodecima praestationem super relictis;

12. Alii autem volunt quartam partem omnium eorum, quae etiam pro ornamento ecclesiae, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum et eorum etiam quae pro victu fratrum relinquuntur.

Decima tertia ius sepulturae;

13. Aliqui etiam in quibusdam partibus etiam volunt ut non solum ius sepulturae solvi consuetum, quod semper solvitur, neque denegatur, sed etiam omne illud, quod ecclesiis Ordinum ad eorum libitum partes dant quando sepeliuntur ibidem defunctorum corpora, id totum curatis etiam de novo solvatur, instanter conantur, impedientes ne aliter corpora defunctorum ad monasteria fratrum deferantur, unde in hoc maxime tam partes quam ipsos fratres gravari contingit.

Decima quarta decimas;

14. Aliqui vero, etiam ex locis Mendicantium, qui curam habent animarum, volunt pro seminario decimas exigere, ac in casu renitentiae etiam pignus exigunt. Alii autem praefatos fratres ac moniales sub eorum cura degentes subsidium regium persolvere cogunt, cum multae earumdem monialium vix habeant pro earum victu et vestitu necessaria vitae.

Decima quinta Mendicantes et decimas;

15. Alii etiam in quibusdam partibus pauperes Mendicantes eleemosynas petere prohibent pro eorum dumtaxat substentatione, et si invenerint eos panem vel aliquid aliud simili amore Dei sibi collatum portantes, quandoque ab eis auferre minantur, afficientes gravi iniuria et contumelia. Nonnulli vero episcopi vel capitula canonicorum pauperes Mendicantes, tam fratres quam moniales suorum Ordinum, tam de redditibus bonorum, si quae habent, quam de possessionibus, vineis, agris et aliis suis quibuscumque, non solum largitione fidelium sibi concessis, sed etiam alias iustis de causis ab eis acquisitis ac pecuniis emptis, sibi decimas, ac primitias aliis respective solvere cogunt.

Decima sexta inquisitiones et processus contra fratres etc.;

16. Alii autem ausi sunt inquirere et processus facere contra aliquos regulares intra claustra delinquentes vel de quorum delictis aliqua erat suspicio, non expectata suorum superiorum censura. Alii vero episcopi monialium monasteria ingredi et illa ingrediendi licentias aliis concedere et adversus illas processus formare, ipsorum Ordinum superioribus irrequisitis, praesumunt. Aliqui etiam dominium temporale super moniales habere praetendunt. Nonnulli vero frequentissime regulares citant, iurisdictioni suae subiicere tentant, ac eorum conventum occupant, ipsos expellendo, ac in ipsos iurisdictionem vel potestatem exercent. Aliqui vero ipsos carceribus, absque causae cognitione mancipant, ac manibus pedibusque laborant, ut regulares Mendicantes suae ditioni subiiciant, et usque adeo se intromiserunt in gubernatione conventuum et in correctionibus fratrum,

ut provincialibus et generalibus nullus amplius videatur relictus locus aut ulla iurisdictio.

Decima septima rationes atque computa;

17. Aliqui autem, conventuum priores et guardianos rationes et computa facere cum syndicis conventuum huiusmodi prohibent.

Decima octava fratres recurrentes ad extraneos;

18. Fratres quoque qui ad episcopos huiusmodi recursum habent, a prioribus et guardianis praefatis castigari et puniri interdicunt. Inhibent quoque superioribus Ordinum ne faciant processus contra fratres, ac in ipsos imperium et brachium saeculare exercent.

Decima nona extra claustra degentes;

19. Alii vero ipsos extra claustra degentes sub eorum protectione recipiunt, eosque sic permanere permittunt, eosque, etiam invitis suis superioribus, detinent.

Vigesima bona fratrum;

20. Aliqui vero bonorum ipsorum fratrum tamquam ad eos, si extra claustra defuncti fuerint, spectantium, possessionem occupare praesumunt, et ad habitum Religionis reversis sua bona consignare nolunt.

Vigesima prima uniones beneficiorum;

21. Ac etiam uniones a Sede praedicta aut alias rite factas de beneficiis ecclesiasticis impediunt, et sibi relaxare debere volunt, et contradictores excommunicationis gladio feriunt.

Vigesima secunda campanas et missas;

22. Alii vero regulares campanas diebus festivis pulsare, vel eodem tempore, quo ipsi celebrant, missas celebrare nolunt.

Vigesima tertia licentias domos aedificandi;

23. Aliqui etiam, pro licentia danda aedificandi quamdam domum regularem, triginta vel quadraginta ducatos exigere non erubuerunt.

Vigesima quarta mortuos;

24. Alii vero eos mortuorum corpora associare, alii autem illos cum parocho similia munera subire non permittunt, nisi maior canonicorum pars intervenerit.

Vigesima quinta officia pro mortuis.

25. Alii vero mortuorum officia in regularium ecclesiis peragi nolunt, nisi cum ipsorum praesentia, et ipsorum moniales vel alias personas, etiam si in earum funere parochus intervenire non deberet, sepelire prohibent, nisi ipsi parocho prius certum quid solutum fuerit; et si aliquem ipsi sciverint in regularium ecclesiis sepulturam eligisse, eum, ut dicitur, non ante ad illas deferre sinunt, quam ad parochi ecclesiam delatum, inibique officium peractum fuerit.

Vigesima sexta testamenta.

26. Postremo vero testamenta sine presbyterorum praesentia fieri prohibent, et si quid ipsis regularibus relictum fuerit, id asserentes contra concilii Tridentini canones esse, revocare omnino procurant.

Hic ideo Pontifex dictis molestiis hunc finem imponit.

§ 2. Ac propterea volentes praemissis ac aliis similibus excessibus et gravaminibus, ex nostri pastoralis officii debito providere, attendentes etiam illos qui onus diei et aestus, tam in praedicationibus quam in ceteris spiritualibus muneribus quotidie sustinent, nisi etiam aliquantisper subleventur, facile fore ut oppressi a suis officiis omnino desistant, ne in posterum eis aliquod inferatur gravamen, concilii Tridentini huiusmodi decreta, quorum falsa seu minus vera intelligentia praemissa irrepserunt, quorumque declaratio nonnisi ad nos spectat, modo et forma infrascripta declaranda censuimus.

Declaratio primae molestiae 1.

1. Nos igitur, motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed de mera deliberatione et ex certa scientia nostris ac de apostolicae potestatis plenitudine, declaramus, canonem sessionis XXIV, capite IV, per quem omnibus regularibus, etiam in suorum Ordinum ecclesiis, contradicente episcopo, praedicationis officium interdicitur, Mendicantium Ordinum fratres huiusmodi, quando a suis generalibus vel eorum ministris provincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere neque eos afficere posse, immo volumus quod in suis ecclesiis, quando eis placuerit, licite et absque ullo impedimento vel contradictione, etiam episcopi, nisi ipse praedicaverit, praedicare possint.

1 In hoc extat alia declaratio infra in alia bulla huic subsequenter annexa.

2. Quod vero in sessione XXIII, capite XV, circa confessiones a regularibus non audiendas statuitur, hoc etiam dictorum Ordinum fratres, a praefatis suis generalibus vel ministris provincialibus ad audiendas confessiones utriusque sexus christifidelium approbatos, ut praemittitur, minime comprehendat, ita ut a confessionibus audiendis, tam intra eorum ecclesias ac domos quam extra, minime prohibeantur, super hoc literas felicis recordationis Pauli Papae quarti, etiam praedecessoris nostri, concedentes eisdem fratribus Mendicantibus regularis Observantiae posse confessiones saecularium personarum, etiam infirmarum, etiam extra domos et monasteria sua et ubilibet, audire approbando et de novo concedendo. Statuimus etiam quod ille qui semel in una dioecesi admissus per episcopum fuerit, semper in eadem dioecesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari vel praesentari in dicta dioecesi debeat, tam quoad praedicationes faciendas, quam quoad confessiones audiendas, nec aliquid pro praedictis exigi vel recipi debeat.

Declaratio secundæ molestiæ

3. Confessores vero monialium quae degunt sub cura regularium ab ordinario examinari nolumus, quemadmodum neque etiam fratres si debeant audire confessiones aliorum fratrum examinari debent. Lectores insuper ex eisdem fratribus, et in theologia graduati, qui cum licentia suorum superiorum ad gradum admissi fuerint, cum de ipsorum doctrina ambigendum non sit, tam confessiones audituri, quam praedicationis munus subituri, ab episcopis minime examinentur.

Declaratio tertiae molestiae.

4. Ipsique christifideles sacramentum Eucharistiae (Resurrectionis dominicae festivitate dumtaxat excepta) sumere, eisque illud fratres huiusmodi administrari valeant; nec ad illud faciendum per locorum ordinarios, aut ecclesiarum rectores praefatos, seu alios quoscumque (illorum licentia minime requisita), etiam sub censuris ecclesiasticis et aliis poenis, cogi vel compelli possint seu debeant, etiam decernimus et declaramus. Et licet in sessione XXV, capite XII caveatur quod censurae et interdicta ecclesiastica, etiam a locorum ordinariis promulgata mandante episcopo, a regularibus in eorum ecclesiis publicari debeant; tamen si tempore celebrationis alicuius ex festis Sanctorum Ordinum eorumdem, ac aliis festivitatibus iuxta eorumdem Ordinum privilegia apostolica, interdictum huiusmodi emanaverit, illud in praefatis festivitatibus et earum octavis suspendimus.

Declaratio quartæ molestiæ

5. Cum inhonestum sit quemlibet in alienam messem falcem iniicere, cumque monialium monasteria nonnisi de episcopi vel superioris licentia, et in casibus necessariis, aliquis ingredi praesumat, in sessione XXV, capite V prohibetur, hoc tantum in illis monasteriis locum habere volumus quae ordinariis ipsis pleno iure subsunt, in quibus, in casibus necessariis, ipsi dare licentiam possint, et non in aliis monasteriis. Ita ut praefatis monasteriis, quae ordinariis ipsis pleno iure non subsunt, ipsi ordinarii illa ingredi non possint, prout in Regulis earum seu de iure statuitur; et eis aliquos processus adversus moniales ipsas, seu fratres huiusmodi propterea, seu alias ipsorum Ordinum superioribus requisitis, quoquomodo formare aut facere posse omnino prohibemus, ita ut aliquam iurisdictionem seu aliquod quodcumque dominium in moniales et fratres huiusmodi respective habere, exercere aut exequi nullatenus possint aut debeant immo illas et illos omnes ab eorum superioritate, dominio et iurisdictione et potestate eximimus et liberamus, prout eis concessum est per sua privilegia a Sede praefata obtenta; et ita praefatae moniales ac fratres sint exclusi a superioritate et iurisdictione ordinariorum respective huius-

Declaratio quintæ molestiæ

modi, ut etiam in illarum vel illorum syndicis aut procuratoribus deputandis, vel in disponendis illorum facultatibus, vel alia sibi non competentia facienda, ullatenus non se intromittant; nec etiam ordinarii ipsos regulares praefatos citare et iurisdictioni suae subiicere, ac eorum conventus occupare, ipsos ab eis expellendo, ac in ipsos iurisdictionem aliquam et potestatem exercere, ut praemittitur, aut ipsos carceribus mancipare et contra eos aliud facere possint, ut suae ditioni subiiciantur.

Declaratio sextæ molestiae.

6. Volumus etiam quod puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactae vel seductae fuerint, examen faciendum, nonnisi infra quindecim dies postquam, iuxta concilium Tridentinum, episcopi vel eorum vicarii requisiti fuerint, fieri possit; quibus elapsis, amplius in hoc illis se intromittere non liceat, cuius occasione, nec episcopus nec eius vicarius intra septa monasteriorum ingrediantur, sed stent ante cratem ferream, et interrogationes alias, quam eas quae praefatum concilium Tridentinum iubet eis fieri, omnino prohibemus; ac similiter volumus quod puellae seu novitiae ipsae ad alias interrogationes respondere minime teneantur.

Declaratio septimæ molestiæ.

7. Sessione vero XXIII, capite VIII neminem nisi a proprio episcopo ordinari posse statuens, in regularibus locum non habere omnino declaramus: ita quod fratres huiusmodi prefatos etiam sacros ordines a quolibet antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, ordinarii loci minime requisita licentia, in locis seu domibus fratrum huiusmodi aut alibi recipere possint.

Declaratio octavæ molestiae.

8. Et insuper sessione XXII decretum, per quod populum saepe ad suas ecclesias, saltem dominicis et maioribus festivis diebus, convenire debere monet, insequendo, volumus quod fratribus Mendicantibus huiusmodi non solum prohiberi non possit ne missas et alia divina officia faciant in eorum ecclesiis, verumetiam in quibuscumque aliis ubi celebrari missas solitum est, etiam ipsis non vocatis seu ad id requisitis, celebrare valeant; ac etiam quod conciones et lectiones sacrae Scripturae et sermones pro mortuis, etiam in ecclesiis, facere; ac eleemosynas pro celebrandis huiusmodi missis et aliis divinis officiis peragendis, si eis illas donari seu relinqui contingat, recipere; nec non missas et divina officia huiusmodi, etiam in diebus dominicis vel festivis, etiam antequam rector parochialis ecclesiae celebraverit, celebrare et facere, et quando eis videbitur, etiam si tunc in ecclesia cathedrali praedicetur, praedicare; ac etiam quicumque utriusque sexus christifideles, totius anni tempore, illas et illa in ecclesiis fratrum huiusmodi audire possint. Ipsi christifideles ullatenus desuper molestari aut impediri per locorum ordinarios seu rectores parochialium ecclesiarum aut alios quoscumque, ullo pacto, causa vel occasione, non valeant seu debeant; sed praefati christifideles, audiendo missas et alia divina officia in ecclesia fratrum huiusmodi diebus dominicis aut festivis, praecepto Ecclesiae de illis audiendis satisfecisse censeantur.

Declaratio nonæ molestiæ.

9. Controversias autem omnes de praecedentia, quae, eadem sessione XXV, capite vero XIII, per episcopum terminari mandantur, non nisi durantes per illum dirimi, finitas autem nullo pacto innovari posse statuimus.

Declaratio decimæ molestiae.

10. Cumque, licet caput XI sessionis XXV statuat quod in domibus virorum seu mulierum, quibus animarum personarum saecularium cura imminet, nulli, etiam ad nutum amovibiles, inibi deputentur, nisi de ordinarii consensu, ac praevio examine huiusmodi praecedente, ad cu-

ram huiusmodi admitti posse omnino volumus praefatos regulares.

Declaratio undecimae molestiae.

11. Quartam autem funeralium, de qua sessione XXV, capite XIII, nequaquam solvere teneantur monasteria, quae a quadraginta annis citra fundata existunt, postquam concilium ipsum loquitur tantum de monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quae ipsam quartam solvere consueverunt; et ubi solvi consuevit, id tantum cerae et aliorum, quae in aliquibus partibus deferri contigerit tempore quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de missis seu legatis vel aliis, fratribus ipsis seu monialibus huiusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis, solvi debet; sicque intelligi concilii decretum, quoad quartam huiusmodi solvendam, debere decernimus. Ubi vero non est consuetudo solvendi quartam huiusmodi, de nullo suprascriptorum solvi debere declaramus.

Declaratio duodecimae molestiae.

12. Nec ad quartam seu aliam partem omnium eorum, quae etiam pro ornamento ecclesiae, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum et aliorum quae dictis ecclesiis relinqui vel dari contigerit, etiam si pro victu fratrum aut alias relinquantur, aliquid contribuere teneantur.

Declaratio decimae tertiae molestiae.

13. Ac etiam ius sepulturae solvi tantum consuetum curatis, et non aliquid aliud eis solvi debeat, quamvis partes, ad earum libitum, ecclesiis Ordinum huiusmodi seu eorum fratribus alia quaecumque tribuant, seu eleemosynas elargiantur, quando sepeliuntur ibidem corpora mortuorum huiusmodi; nec propterea impediri debeant quin possint defunctorum corpora praefata ad eorum ecclesias tumulanda deferri facere.

Declaratio decimae quartae molestiae.

14. Inhonestum quoque esse censentes Mendicantium Ordines ad aliquorum onerum contributionem teneri, illos illorumque loca, etiam si curam animarum habeant, ac quaecumque beneficia illis unita, ad contributionem pro seminario, aut decimarum aliquarum solutionem, immo illos et eorum domos, monasteria, beneficia et loca quaecumque, et ab illis quomodolibet dependentia, eorumque possessiones, vineas, agros et prata ac alia bona quaecumque, tam ad ipsos quam ad moniales praefatas, etiam per largitionem fidelium seu alias iustis de causis ab eis acquisita ac pecuniis empta, vel alias quomodolibet pertinentia, minime teneri; illosque et illas a quibuscumque decimis, primitiis, quartis, mediis et aliis fructuum partibus, necnon subsidiis caritativis, etiam per nos concessis, ad quorumcumque, etiam regum, principum, et dominorum temporalium instantiam, quacumque etiam urgentissima et de necessitate exprimenda causa, ac etiam aliis quibuscumque oneribus, tam ordinariis quam extraordinariis, etiam ratione fructuum, olerum, virgultorum, lignorum, beneficiorum et aliarum quarumcumque rerum, tam pro victu quam vestitu, alias sibi necessariarum quomodolibet, etiam auctoritate apostolica nunc et pro tempore impositis, ita ut penitus et omnino ad alicuius rei contributionem minime teneantur, omnino eximimus et liberamus; illosque et illas ad illas et illa, etiam si saeculares et aliae personae quaecumque in eas exigendi possessione fuerint, minime teneri debere volumus; nec sub capite XII sessionis XXV comprehendi posse vel debere decernimus.

Declaratio decimae quintae molestiae.

15. Quod vero de usu quaestorum eleemosynarum auferendo loquitur sessione XXI, capite VIII, id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri posse vel debere etiam decernimus, quin potius, cum eleemosynis huiusmodi vivere cogantur, eis id facere liberum omnino esse declaramus.

16. Quoniam vero ex nimia episcopo-

Declaratio decimæ sextæ molestiae.

rum sibi irrogata auctoritate, ipsi personas regulares, suae iurisdictioni subiicere omnino student; ac decreto concilii praefati, sessionis XXV capite XIV edito, quo cavetur quod si regularis intra claustra existens, et extra ea ita notorie deliquerit ut populo scandalosus sit, termino ab episcopo praefigendo, a suo superiore omnino puniatur, sin minus, ab ordinario delinquens puniri possit, confisi, variis indebitisque gravaminibus regulares afficiunt, ordinarios praefatos aliquid contra regulares occasione vel causa innovare non posse, vel debere in claustris degentes huiusmodi, quovis praetextu, [1] nec aliquos processus contra ipsas personas regulares formare aut facere posse volumus, nisi propter manifestum scandalum, et suorum Ordinum superioribus prius consultis et negligentibus, alioquin omnia et singula contra praemissa facta et gesta ac facienda in futurum pro nullis et infectis habeantur.

Declaratio decimae septimae molestiae.

17. Neque etiam se intromittant ullo pacto aut aliqua ratione in gubernatione conventuum, tam fratrum quam monialium huiusmodi, et illorum correctionibus, sed omnia ista et alia necessaria ad correctionem et gubernationem fratrum aut monialium huiusmodi eorum generalibus ministris seu provincialibus vel aliis eorum aut earum respective superioribus, etiam ratione computa faciendi cum syndicis conventuum huiusmodi omnino relinquatur, nec ullo modo in praedictis, per se vel alios, se intromittant.

18. Fratres quoque, si contigerit eos ad huiusmodi ordinarios recursum habere, a praefatis generalibus ministris seu provincialibus, prioribus, guardianis et aliis superioribus castigari et puniri posse et debere, neque ipsos ordinarios praefatis superioribus Ordinum huiusmodi ullatenus inhibere. Quinimmo praefatos superiores processus contra fratres suos et moniales huiusmodi, quando opus fuerit, circa delictorum inquisitionem vel castigationem facere posse decernimus, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Declaratio decimae octavae molestiae

Declaratio decimae nonae molestiae.

19. Inhibemus etiam ipsis ordinariis, ne fratres extra claustra degentes sub eorum protectione recipiant, eosque, invitis suis superioribus, detineant.

Declaratio vigesimae molestiae.

20. Prohibemus quoque eisdem ordinariis, ne aliquo modo se intromittant in bonis dictorum fratrum extra claustra suorum monasteriorum pro tempore degentium sive decedentium, et, quamvis in habitu sive absque habitu moriantur, volumus quod eorum bona mobilia et immobilia ad Ordinem quem professi sunt pertineant, disponenda iuxta constitutiones seu ordinationes praefatorum Ordinum; neque illa ordinarii praefati occupare praesumant; immo huiusmodi, et ad habitum Religionis revertentium, bona omnia monasteriis ipsis, cum ea quae acquirit monacus de iure monasterio acquirantur, pertinere etiam decernimus.

Declaratio vigesimae primae molestiae.

21. Ac ipsis ordinariis, ne quascumque uniones, etiam perpetuas, a Sede praedicta vel alias, ut praefertur, hactenus factas et pro tempore faciendas, de beneficiis ecclesiasticis seu illorum fructibus, quin suum sortiantur effectum impediant, omnino etiam prohibemus, et censuras ecclesiasticas et alias poenas per eos in contradictores pro tempore latas, nullius esse roboris vel momenti, similiter decernimus et declaramus. Insuper, volumus quod praefati regulares, quibus cura animarum est, possint per se ipsos, iuxta suorum superiorum ordinationem, aut alios vicarios seu cappellanos saeculares, ipsorum regularium nutu amovibiles, ab eis deputatos et ab ordinario pro idoneis nominatos et approbatos, praefatam curam exercere: neque in eo-

1 Ita hunc locum legit p. Ripoll . . . . *regulares in claustris degentes huiusmodi, quovis praetextu, occasione vel causa, innovare non posse vel debere* (B T.).

rum deputatione vel amotione, neque alicuius partis fructuum consignatione pro praefatis cappellanis seu vicariis saecularibus, si per tales curam exerceri contigerit, episcopi ullo pacto se intromittant.

Declaratio vigesimae secundae molestiae.

22. Prohibemus insuper eisdem ordinariis ac aliis quibuscumque personis, ne impediant ipsos fratres, quando eis placuerit, tam in diebus dominicis seu festivis aut aliis totius anni temporibus, campanas pulsare et, etiam tempore quo ipsi celebraverint, missas celebrare, necnon mortuorum corpora associare, et illa per fratres ipsos, quando in ecclesiis suis praefatis delata fuerint, absque praesentia rectorum ecclesiarum huiusmodi sepeliri facere, ac officia mortuorum huiusmodi peragi posse; necessariamque praesentiam rectorum aut aliorum clericorum, quin infirmi libere sua possint condere testamenta, minime esse; ac ipsos regulares legata aut quaevis alia sibi in testamentis relicta exigere et obtinere posse, neque aliquod ius in contrarium esse decernimus et declaramus.

Declaratio vigesimae tertiae molestiae.

23. Licentias vero pro construendis domibus regularibus, quae in capite XXV sessionis, nisi de ordinarii licentia, construi prohibentur, gratis omnino dari, et nonnisi legitima subsistente causa, superioribus explicanda, illas recusari posse.

Declaratio vigesimae quartae molestiae.

24. Necnon fratres praefatos, etiam solos, mortuorum corpora associare, ac mandatum in die Coenae Domini fieri solitum in ecclesiis seu domibus fratrum cuiuslibet Ordinis praedictorum, solemniter facere, et praedicta die praedicare hora qua eis videbitur, nec per locorum ordinarios aut rectores ecclesiarum seu alios quoscumque prohiberi posse etiam decernimus et declaramus.

Declaratio vigesimae quintae molestiae.

25. Mandantes etiam universis locorum ordinariis, ne mortuorum officia agere rectores parochialium in ecclesiis ipsorum fratrum, contra illorum voluntatem, permittant. Ac moniales dictis fratribus subditas, vel personas sepulturam in eorum ecclesiis eligentes, nulla soluta parocho portione, sepelire; vel si fratres ad ad mortuorum corpora associanda vocati fuerint, illa, absque fratrum huiusmodi praesentia, sepeliri facere audeant vel praesumant.

Declaratio vigesimae sextae molestiae.

26. Cumque maxime deceat liberam esse cuiusvis testantis voluntatem, pravum illum usum, parvo adhuc tempore, ut praefertur, introductum, per quem testamenta absque presbyterorum praesentia fieri interdicuntur, omnino abrogamus.

Declaratio quoad accessum ad processiones.

§ 3. Postremo, quod capite XIII sessionis XXV cautum fuit quod omnes, scilicet tam clerici quam regulares quicumque, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, id, quoad fratres praefatos, de illis tantum processionibus intelligi volumus, ad quas secundum consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere, vel quae pro bono pacis Ecclesiae vel pro victoria contra infideles indicuntur, quod etiam de illis conventibus, qui collegia nuncupantur, minime intelligi volumus, in quibus fratres sub arctiori clausura degunt, ita ut nec in choro cantent, nec ad mortuos accedant, sed tantum studiis et lectionibus vacent.

Extinctio litium desuper pendentium

§ 4. Praeterea, si forte inter episcopos vel collegia aut capitula vel alias quasvis personas et praefatos fratres seu moniales aut eorum aliquos, super praemissis vel aliquo eorum, coram quocumque seu quibuscumque iudicibus, etiam causarum Palatii Apostolici auditoribus, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, tam in Romana Curia quam extra eam, ubilibet lis seu lites respective pendeant, nos litem seu lites et causam vel causas huiusmodi ad nos advocamus, ac illam et illas, quarum statum ac nomina et co-

gnomina iudicum et collitigantium præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, cassamus et extinguimus, ac partibus ipsis perpetuum silentium desuper imponimus.

Confirmatio omnium privilegiorum, quae, aliter quam supra concessum est, concilio Tridentino non adversantur.

§ 5. Ac insuper, ut facilius praemissa omnia illibata persistant, omnia et singula privilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, dispensationes, favores et gratias, quae decretis concilii Tridentini, alias quam ut superius est dictum, concessum et declaratum, non contrariantur expresse, eisdem fratribus necnon monialibus quibuscumque et sororibus Tertii Ordinis praedictorum Ordinum respective Ordinibus, ac illorum ecclesiis, domibus et personis, etiam vivae vocis oraculo, in genere vel in specie, tam per recolendae memoriae Eugenium IV, Sixtum IV, Leonem X, Paulum III ac dictum Paulum IV et Pium etiam IV quam alios quoscumque Romanos Pontifices, etiam prædecessores nostros, ac nos et Sedem eamdem quomodolibet concessa, confirmata et innovata, necnon nostras et praedecessorum nostrorum ac alias quascumque desuper confectas literas, quarum omnium tenores ac eorumdem prædecessorum nostrorum nomina et alia de necessitate exprimenda, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, etiam praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, eaque perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere; ac fratribus, superioribus et personis Ordinum huiusmodi necnon aliis quibuscumque, quos illa concernunt, suffragari debere seu posse volumus. Necnon privilegia, immunitates, facultates, libertates, indulta, dispensationes, exemptiones, favores et gratias, tam spirituales quam temporales, modo et forma quibus concessa sunt, etiam per viam communicationis et extensionis, active et passive, inter se et alios quoscumque Ordines respective, de novo concedimus; illaque omnia et singula ad domos et loca quaecumque dictorum Mendicantium Ordinum et monialium quarumcumque ac sororum de Tertio Ordine nuncupatarum, in congregatione viventium dictorum Ordinum, ut praefertur, hactenus recepta et in posterum recipienda, necnon eorum personas et bona, etiam si privilegiorum et aliarum gratiarum praefatorum authentica originalia, propter temporis antiquitatem vel varias Urbis ruinas, deperdita existant, dummodo de eis alias legitime constet, extendimus et ampliamus.

Decretum irritans.

§ 6. Et sic, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et personas, quavis auctoritate fungentes, etiam cardinales et auditores praefatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon quicquid secus, super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executorum deputatio et facultates.

§ 7. Quocirca dilectis filiis nostris, Praedicatorum cardinali protectori, et S. Hieronymi generali Ordinum, ac Curiae causarum Camerae Apostolicae etiam generali auditori, nunc et pro tempore existentibus, per apostolica scripta, motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem fratrum aut monialium vel alicuius eorum fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant au-

ctoritate nostra praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos literae ipsae concernunt, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos vel aliquem eorum desuper, contra praesentium tenorem, per quoscumque, etiam locorum ordinarios, quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, et interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis et aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac etiam, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, eisdem episcopis vel quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, necnon omnibus illis, quae in literis confirmationis et innovationis privilegiorum eorumdem, alias per eosdem Paulum IV et Pium etiam IV, praedecessores nostros praedictos, Ordini fratrum Minorum huiusmodi concessorum, concessum est non obstare, contrariis quibuscumque; aut si locorum ordinariis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret earumdem praesentium literarum notitiam ad quascumque personas pervenire, et ubique illas præsentare, etiam motu et scientia similibus volumus et decernimus quod transumptis earumdem praesentium literarum, etiam per impressionem factis, manu alicuius notarii publici subscriptis aut sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillatis, quemadmodum adhiberetur praesentibus literis originalibus si praesentarentur, ubique adhibeatur, tam in iudicio quam extra illud, plena et indubitata fides.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, prohibitionis, exemptionis, liberationis, inhibitionis, advocationis, cassationis, extinctionis, impositionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, concessionis, extensionis, ampliationis, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quin-

gentesimo sexagesimo septimo, XVII kalendas iunii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 maii 1567, pontif. anno II.

Sequitur extensio istorum privilegiorum Mendicantium ad alios Ordines.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex supernae dispositionis arbitrio gregi dominico praesidentes, inter curas multiplices, quas ex ministerio nostri pastoralis officii nobis incumbere censemus, illam per quam personarum quarumlibet, earum praesertim, quas sub suavi Religionis iugo sedulum in dies Altissimo famulatum exhibere conspicimus, statui et quieti rite consulitur, libenter amplectimur; ac ut personae ipsae, idem exoptantes a nobis, gratias et favores reportasse laetentur, grato intendimus animo, ac in his nostri pastoralis officii partes favorabiliter impartimur, prout, temporum qualitate pensata, id perspicimus in Domino salubriter expedire.

Constitutio huius Pontificis est praeinserta

§ 1. Nuper siquidem a nobis emanarunt literae tenoris subsequentis: *Etsi Mendicantium* etc. [1].

Causa extensionis privilegiorum.

§ 2. Et deinde, pro parte dilectorum filiorum canonicorum regularium Ordinis S. Augustini congregationum Lateranensis, et S. Salvatoris, ac S. Crucis Olimbriensis, et monachorum S. Benedicti congreg. et Ordinum Cassinensis, Montis Oliveti, Vallis Umbrosae, necnon etiam congregationum Cisterciensis, et Carthusiensis, necnon S. Hieronymi Hispaniarum, ac Camaldulensis, et fratrum militiae Iesu Christi Reformatorum nuncupatorum regni Portugalliae nobis nuper exhibita petitio continebat quod ipsi, etiam iuxta eorum cuiuslibet regularia instituta, tum vita eorum exemplari, tum doctrina ac verbi Dei praedicatione aliasque summis eorum laboribus et studiis animarum salutem ac sanctae Sedis Apostolicae dignitatis et auctoritatis augmentum hactenus semper procuraverunt, et in dies, circa hoc tam laudabile ministerium magis ac magis versari non cessantes, sibi favente superni Numinis auxilio, suavissimum cunctisque fidelibus gratissimum suae probitatis et diligentiae latius diffundunt odorem, pariterque in vinea Domini laborare non desinunt; ac proinde eos aliqua ratione indignos censeri non posse, quin ipsi quoque gratiarum, facultatum, privilegiorum et aliorum praefatis fratribus Mendicantibus concessorum participes fieri; necnon monasteria, etiam monialium, et alia loca quaecumque ad gratias, facultates, privilegia ac alia in eisdem praeinsertis literis contenta quaecumque extendi, ac illis gaudere debeant. Quare, pro eorumdem canonicorum, monachorum et fratrum parte nobis fuit humiliter supplicatum ut eorum statui et tranquillitati consulentes, eos et eorum singulos, necnon suorum Ordinum et congregationum monasteria, etiam monialium, ac domos et loca alia quaecumque, ad declarationes, statuta, exemptiones, voluntates, prohibitiones, approbationes, extensiones et decreta, ac alias gratias, facultates et privilegia quaeque, praedictis fratribus Mendicantibus concessa praedicta, ita ut illis omnibus et singulis, aeque et pariformiter, absque ulla penitus differentia, frui et gaudere possint et debeant, extendere et, quatenus opus sit, illa eis de novo concedere, aliasque sibi desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Extensio privilegiorum.

§ 3. Nos igitur qui, omni qua fieri potest ratione commodiori, personarum, quarumlibet, praesertim Deo dicatarum, animi quietem sinceris exoptamus affectibus, singulos canonicos, monachos et fratres praedictos a quibusvis censuris et

1 Omittitur tenor, quia est hic supra insertus.

poenis ecclesiasticis, quavis occasione latis, si quibus innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, canonicos, monachos et fratres praedictos, si professionem regularem, iuxta eorum statuta et laudabiles consuetudines ac privilegia et indulta eis concessa, emiserint respective, illorumque monasteria, etiam monialium, necnon domos et loca alia quaecumque, ad singula declarationes, statuta et immunitates (contributione ratione seminariorum pauperum clericorum iuxta ordinationem dicti concilii Tridentini erigendorum et instituendorum, necnon subsidiorum apostolica auctoritate pro tempore impositorum, ac quaestuatione eleemosynarum dumtaxat exceptis), exemptiones, voluntates, prohibitiones, approbationes, extensiones, decreta et alia quaecumque gratias, facultates et privilegia eisdem fratribus Mendicantibus, ut praefertur, concessa et facta, ac alia in praeinsertis literis contenta et inde secuta quaecumque, dicta auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo extendimus et ampliamus; illosque declarationibus, statutis, exemptionibus, voluntatibus, prohibitionibus, approbationibus, extensionibus, decretis et aliis gratiis, facultatibus et privilegiis huiusmodi pariformiter et absque ulla penitus differentia, prout dicti fratres Mendicantes utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt, libere et licite uti, potiri et gaudere posse atque debere; illaque omnia et singula sibi eorumque monasteriis, domibus et locis huiusmodi eorumque superioribus et personis quibuscumque, quas illa concernunt, et pro tempore concernent, suffragari, necnon modo et forma quibus praedictis fratribus Mendicantibus concessa et facta sunt, concessa factaque esse; necnon ad singula monasteria, domos et loca quaecumque dictorum canonicorum, monachorum et fratrum necnon monialium congregationum et Ordinum praedictorum in congregatione viventium extensa et ampliata censeri.

Decretum irritans.

§ 4. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et personas, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon quicquid secus, super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executorum deputatio et facultates

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus et dilectis filiis eiusdem sanctae Romanæ Ecclesiae cardinalibus, dictorum Ordinum et congregationum huiusmodi respective nunc et pro tempore protectoribus, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem canonicorum, monachorum et fratrum aut monialium huiusmodi vel alicuius eorum fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos literae ipsae concernunt, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos vel aliquem eorum desuper, tam contra praesentium literarum, quam praeinsertarum tenorem, per quoscumque, etiam locorum ordinarios, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, legiti-

misque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, et interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis et aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem episcopis aut quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si locorum ordinariis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a praedicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi, mentionem.

Fides exemplorum.

§ 7. Et quia difficile foret earumdem praesentium notitiam ad quascumque personas pervenire, et ubique illas praesentare, etiam dicta auctoritate nostra volumus et decernimus quod, transumptis illarum, etiam per impressionem factis, manu alicuius notarii publici subscriptis, sive sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillatis, prout eisdem praesentibus adhiberetur si praesentarentur, ubique adhibeatur, tam in iudicio quam extra illud, plena et indubitata fides.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, extensionis, ampliationis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, XVII kalendas septembris pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 augusti, pontif. anno II.

Sequitur declaratio praeinsertae constitutionis.

Pius Papa V universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis, ac eorumdem patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum officialibus, seu vicariis in spiritualibus generalibus, ubilibet constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ad hoc nos Deus praetulit in familiam domus suae, ut singulis opportuna provisionis auxilia fidelis servitutis iniuncta providentia pro tempore dispensantes, religiosorum quorumlibet, praesertim fratrum Ordinis Praedicatorum in humilitatis spiritu, sub Religionis iugo Deo servientium, necessitatibus intendamus, dispendiis et oppressionibus, divina cooperante clementia, salubriter occurramus.

Hic Pontifex et alii quamplures Ordini fratrum Sancti Dominici gratias concesserunt;

§ 1. Sane, licet nos et quamplures Romani Pontifices praedecessores nostri, propter uberes fructus, quos dictus Ordo fratrum Praedicatorum, multa praefulgens gloria meritorum et gratia sanctitatis in agro militantis Ecclesiae, in propagationem fidei orthodoxae, eatenus produxerat, ac in futurum producturum fore, firma spe sperabatur: et ut fratres ipsi quietius eorum sanctis officiis, vitaeque regulari ac verbi Dei praedicationibus libentius et alacrius, ad ipsius fidei christianae propagationem incumbere valerent et incumberent cum effectu, quamplura privilegia, indulta, gratias, exemptiones et immunitates eis concesserint.

Et signanter circa praedicationes, ut supra num. 21;

§ 2. Et inter caetera, per quasdam alias nostras litteras declaraverimus, canonem sess. XXIV, cap. IV, Tridentini concilii, per quem omnibus regularibus, etiam in suorum Ordinum ecclesiis, contradicente episcopo, praedicationis officium interdicitur, fratres huiusmodi, quando a suis generalibus vel eorum ministris provincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, neque eos afficere; immo voluerimus quod, in eorum ecclesiis, quando eis placeret, licite etiam absque ullo impedimento vel contradictione, etiam episcopi, nisi ipse praedicaret, licet in cathedrali ecclesia tunc praedicaretur, praedicare possent.

Et quartam funeralium et ius sepeliendi, ut supra n. 11, 12 et 13;

§ 3. Circa autem quartam funeralium, de qua in sess. XXV, cap. XIII, eiusdem concilii, nequaquam domos seu conventus et monasteria, quae a quadraginta annis citra tunc fundata existebant, postquam concilium ipsum loquitur tantum de monasteriis seu domibus ante quadraginta annos fundatis, et quae ipsam quartam solvere consueverunt, et tantum cerae et aliorum, quae tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de missis seu legatis vel aliis, fratribus ipsis seu monialibus relictis, aut alias quomodolibet donatis, solvi deberet, sicque decretum concilii huiusmodi, quoad dictam quartam funeralium solvendam intelligendum esse decreverimus; ubi vero non est consuetudo solvendi quartam funeralium huiusmodi, de nullo suprascriptorum solvi debere declaraverimus; nec ad quartam seu aliam partem eorum, quae etiam pro ornamento ecclesiae, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum et aliorum, quae dictis ecclesiis seu fratribus, etiam pro eorum victu aut alias, relinqui vel dari contingeret, aliquid contribuere tenerentur; ac curatis seu parochialium ecclesiarum rectoribus, ius tantum sepulturae eis solvi consuetum, nec aliquid aliud, quamvis partes ad earum libitum ecclesiis ipsorum fratrum, seu eisdemmet fratribus alia quaecumque tribuissent seu elargiti fuissent, quando in eorum ecclesiis corpora mortuorum sepeliuntur, eis solvere, seu ad aliquorum onerum contributionem eisdem curatis faciendam teneri, nec propterea impediri posse fratres ipsos, quin possent defunctorum corpora praefata ad eorum ecclesias tumulanda deferri facere.

Exemptionemque a solutione onerum et iurisdictione ordinariorum, ut supra n. 14.

§ 4. Neque dictos fratres illorumque loca, etiamsi curam animarum haberent, aut quaecumque beneficia eis unita, ad aliquam contributionem pro seminario, aut decimarum aliquarum solutionem pariter teneri nec cogi posse; immo illos et eorum domos, monasteria, beneficia et loca ab illis quomodolibet dependentia, eorumque bona quaecumque, tam ad eos quam ad moniales praefatas quomodolibet pertinentia, a quibuscumque decimis, primitiis, quartis, mediis et aliis fructuum partibus, necnon subsidiis caritativis, etiam per nos, ex quacumque causa concessis, ac aliis quibuscumque oneribus, tam ordinariis quam extraordinariis, necnon ab omni iurisdictione

et superioritate ordinariorum locorum, ita ut ordinarii ipsi aliquam iurisdictionem sive potestatem in eos exercere, sive eos eorum iurisdictioni subiicere, vel aliquid contra eos facere minime possent, exemerimus et liberaverimus.

Nonnulli tamen episcopi et alii molestabant fratres et moniales super praemissis ex causis hic enunciatis.

§ 5. Nihilominus, sicut accepimus, nonnulli episcopi sive alii locorum ordinarii, aliique ecclesiarum praelati, necnon canonici sive capitulares personae ac parochialium ecclesiarum rectores et aliae tam ecclesiasticae quam saeculares personae, qui non cessant dictos fratres et moniales, eorumque personas sive oeconomos et procuratores, super praemissis diversimode molestare, et ipsos in eorumdem quiete et spiritualibus muneribus turbare.

Alii enim praetendentes quod, cum canon concilii huiusmodi, super quo, ut praefertur, nostra emanavit declaratio, loquatur nisi de una quarta, cathedrali seu parochiali ecclesiae solvi consueta; nec dictum concilium, nec nos cogitaverimus de duabus quartis, scilicet ubi consuevit solvi et cathedrali ac parochiali ecclesiis, et ideo dictis in locis cessare dispositionem dictae declarationis nostrae et canonis concilii.

Alii vero, etiam praetendentes quod, dictis nostris declarationibus non obstantibus, fratres praedictos, quantumcumque ab eorumdem superioribus approbatos, in eorum ecclesiis et locis praedicare non posse, nisi primo se coram ordinariis ipsis sive eorum vicariis et licentiam suorum superiorum muneris dictae praedicationis praesentaverint, et ab eisdem ordinariis seu dictis eorum vicariis benedictionem obtinuerint.

Alii etiam locorum ordinarii necnon canonici et capitulares personae, tam metropolitanarum et cathedralium quam collegiatarum, necnon parochialium ecclesiarum rectores, sive aliae personae ecclesiasticae, etiam praetendentes dictos fratres alienas parochias, cum eorum cruce elevata ad levanda cadavera eorum qui in ecclesiis domorum et locorum eorumdem fratrum elegerint sepulturam, intrare, et dicta cadavera ad ipsorum fratrum ecclesias, pro eis inibi tumulandis, recusante ipso loci ordinario, sive capitulo vel rectore, deferre seu deferri facere non posse.

Alii autem, ex consuetudine praetendentes quod fratres ipsi cum eorum cruce non possint levare cadavera defunctorum ex eorumdem domibus, et eorum funus exequi, sed capitulis sive capitularibus personis, seu rectoribus ipsis id tantum licere, et primo ad ipsorum capitulorum sive presbyterorum ecclesias dicta corpora deferri debere, et in eisdem ecclesiis funus sive funeris officium peragi; postea vero, per ipsos presbyteros retentis funeralibus universis, sive solutis sibi certis pecuniis per haeredes defuncti pro funere et exequiis sive missis in eorumdem ecclesiis celebrandis, tunc, et non alias, licere fratribus corpus sive cadaver defuncti ad eorum ecclesiam deferre.

Alii etiam, praetextu diversarum consuetudinum et concordatorum, etiam cum dictis fratribus initorum, praetendentes a dictis fratribus et monialibus velle habere et sibi exigere licere quartam seu aliam portionem, etiam quorumcumque legatorum et seu aliarum piarum largitionum, ipsis fratribus et monialibus, sive eorumdem domibus, ecclesiis et locis, quoquomodo factarum.

Alii etiam praetendentes iurisdictionem et superioritatem in dictos fratres et moniales, eorumdemque domos, conventus, monasteria et loca exercere posse, propterea ipsos fratres et moniales ad solutionem diversorum onerum et impositionum dictorumque subsidii et decimarum cogunt et compellunt.

Aliique in erectione sive institutione et acquisitione novorum locorum, sive domorum, conventuum et ecclesiarum dicti Ordinis, et alias, praemissorum occasione, eosdem fratres et moniales molestant et perturbant, contra nostrarum et dictorum praedecessorum nostrorum literarum formam et tenorem.

Hic Pontifex ad tollendum has controversias, eas omnes ad se advocat;

§ 6. Nos, praemissis et aliis similibus gravaminibus, perturbationibus et molestiis fratribus et monialibus praefatis illatis, eorumdemque fratrum et monialium quieti et tranquillitati consulere, et ut fratres ipsi facilius et promptius eorumdem officia et vitam regularem, ac munus praedicationis eis iniunctum, ad summi Dei laudem et fidei catholicae propagationem, exequi et adimplere, illisque incumbere possint, et ad illa promptiores reddantur, opportune providere, ac omnem ambiguitatem, etiam nostrae amplioris declarationis ministerio, removere volentes; ipsosque fratres et moniales, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, et ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fare censentes; nec non literarum praefatarum, ac cuiusvis litis et causae, desuper inter quoscumque et in quavis instantia pendentium, status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, eorumque iura et titulos; ac sententiarum desuper forsan latarum, necnon transactionum sive conventionum inter eos initarum ac instrumentorum aliarumque scripturarum desuper quomodolibet confectorum et inde secutorum quorumcumque tenores, praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera deliberatione et ex certa scientia nostra, omnes lites, causas, controversias et quæstionum materias, super praemissis et eorum occasione, inter fratres et seu etiam moniales praefatos ex una, necnon episcopos et locorum ordinarios, ac canonicos sive capitulares personas, parochialium ecclesiarum rectores, et alias quascumque personas ecclesiasticas et saeculares praefatas, partibus ex altera, coram quocumque iudice seu quibusvis iudicibus ecclesiasticis et saecularibus, etiam Sedis Apostolicae de latere legatis ac vice-legatis, ac etiam ab eadem Sede delegatis et subdelegatis, ac aliis quibusvis, etiam S. R. E. cardinalibus, et sacri Palatii Apostolici causarum auditoribus, quomodolibet in prima seu alia quacumque, etiam forsan ulteriori, instantia introductas et adhuc forsan pendentes, etiam forsan si super illis, etiam contra dictos fratres et moniales, per unam vel plures sententias iudicatum, et inter ipsas partes concordatum sive transactum desuper fuerit, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ad nos avocamus, eaque omnia et singula cassamus et extinguimus, ac pro cassis et penitus extinctis haberi volumus et declaramus; eisdemque episcopis, locorum ordinariis, vicariis, canonicis, capitularibus personis necnon parochialium ecclesiarum rectoribus et cæteris personis ecclesiasticis et saecularibus desuper perpetuum silentium imponimus.

Confirmatque omnia privilegia eisdem fratribus et monialibus *etc.* concessa;

§ 7. Necnon omnia et singula privilegia, indulta, concessiones, suppressiones, extinctiones, uniones, incorporationes, applicationes, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, communicationes, indulgentias et alias quascumque gratias, dicto Ordini fratrum Praedicatorum et eiusdem pro tempore existentibus magistro generali, provincialibus, superioribus, fratribus et monialibus

praefatis, eorumdemque domibus, conventibus, monasteriis, ecclesiis et locis, ac membris, colonis, servitoribus, procuratoribus, oeconomis ac aliis personis quibuscumque dicti Ordinis Regulam profitentibus, etiam oblatis et Tertii Habitus monialibus nuncupatis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praefatam, ac dictae Sedis legatos, vicelegatos, episcopos, locorum ordinarios et quascumque alias personas, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque quibusvis, clausulis, statutis, etiam irritantibus decretis, hactenus quomodolibet concessa, approbata et innovata, literasque desuper, tam sub plumbo quam in forma brevis et alias quomodolibet confectas et expeditas, ac prout ea omnia et singula per eosdem praedecessores ac nos et Sedem praefatam aliosque praedictos concessa, approbata et innovata fuerunt, quorum omnium et singulorum tenores, formas et datas, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, eisdem auctoritate et tenore approbamus, confirmamus et innovamus; illaque omnia et singula efficacia existere, et perpetuam roboris firmitatem obtinere, ac suos plenarios et integros effectus sortiri. Necnon ab omnibus et singulis, quavis, etiam de latere legati, vice-legati, necnon cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali et quavis alia ecclesiastica sive saeculari et temporali praefulgeant dignitate et præeminentia, etiam sub sententiis, censuris et poenis in eisdem contentis, perpetuo inviolabiliter observari debere decernimus.

Declarat indultum circa prædication. de quibus in praeinserta bulla num. 1,

§ 8. Et insuper, quod fratres dicti Ordinis (ab eorum superioribus tamen approbati) in eorum ecclesiis, quando eis placuerit, etiam quod in cathedrali ecclesia (non tamen ab episcopomet) praedicetur, libere et licite, absque aliquo impedimento, sive etiam ipsius episcopi contradictione, et absque eo quod coram dicto episcopo se non praesentaverint, nec eidem licentiam muneris praedicationis huiusmodi exhibuerint, et ab eodem episcopo benedictionem, ut praefertur, non obtinuerint, praedicare, et munus praedicationis huiusmodi exequi.

Iusque sepulturae, de quo ibidem n. 13,

§ 9. Necnon fratres ipsi quaecumque corpora defunctorum, qui se in eorum ecclesiis sepeliri ordinaverint, vel si a defunctorum haeredibus sive curam funeris habentibus vocati fuerint, ipsorum fratrum cruce elevata, etiam sine dictorum canonicorum ac capitularium personarum, necnon curatorum vel aliorum presbyterorum interventu, ex ipsorum defunctorum domibus levare, eaque accipere et associare, ac ad ipsorum fratrum ecclesias directe deferri, et in eorum ecclesiis (non tamen tempore interdicti) sepeliri facere, salvo dumtaxat iure parochiali. Nec fratres ipsi ad alterius cuiusvis contrariae consuetudinis, usus sive moris observationem teneri, vel super praemissis a quoquam, quavis auctoritate, molestari seu perturbari possint vel debeant.

Et quartam funeralium de qua ibidem n. 11. et seqq.,

§ 10. Quartam autem funeralium, quoad domos sive conventus et monasteria ipsius Ordinis, tempore dicti concilii Tridentini ante quadraginta annos fundata et erecta, et ratione illorum ubi consuetudo illam solvendi tantum extitit, ac de ceris et aliis, quae deferuntur iuxta cadaver dum ad sepulturam defertur, non autem de aliis quibusvis eisdem fratribus seu monialibus, aut eorum domibus, conventibus, monasteriis, ecclesiis et locis, etiam pro funeris sive anniversarii aut missarum celebratione donatis, legatis, sive alias quomodolibet largitis, et ubi duae quartae forsan solvi consueverint, una scilicet parochiali ecclesiae, alia vero episcopo sive cathedrali aut collegiatae ecclesiae, sive canonicis et capitulo eiusdem, una tan-

tum, scilicet episcopo; ubi vero consuetudo illam solvendi non fuit, sive domus, conventus et monasteria dictorum fratrum et monialium post quadraginta annos erecta sive fundata fuerint, nequaquam nec ullo modo solvere seu tradere, omnem aliam praemissis contrariam consuetudinem sive morem harum serie cassantes et extinguentes, ac omnibus et singulis, quorum interest, desuper perpetuum silentium imponentes.

Decimasque et contributiones, de quibus ibidem num. 14,

§ 11. Minusque fratres et moniales ipsi, ad aliquorum onerum realium vel personalium, etiam ratione eorumdem domorum seu conventuum, monasteriorum, ecclesiarum et locorum, ac quorumcumque beneficiorum eisdem unitorum, etiamsi, ut praefertur, curam animarum habeant, contributionem sive solutionem, etiam pro seminario et decimarum quarumcumque, aut cuiuscumque subsidii, etiam caritativi et triennalis nuncupati, nunc et pro tempore per nos et quoscumque Romanos Pontifices aut Sedem praefatam impositorum et imponendorum ex quavis causa, quantumcumque urgentissima, teneantur, vel desuper aliter molestari possint seu debeant.

Et aedificationem monasteriorum, de qua sup. n. 23,

§ 12. Quodque fratres et moniales praefati, ubique locorum, novas domos sive conventus et monasteria ac ecclesias dicti Ordinis, cum claustris, cellulis, refectoriis, dormitoriis aliisque officinis necessariis, ordinarii loci sive cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, construere, aedificare, erigere et instituere, nec pariter super his molestari possint sive debeant, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo statuimus, ordinamus et declaramus; eisque fratribus et monialibus, super praemissis omnibus et singulis, licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

§ 13. Ac etiam ipsos fratres et moniales, eorumque domos, monasteria, beneficia, et ab illis quomodolibet dependentia loca ac bona quaecumque, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existant, dictorumque bonorum colonos, laboratores et conductores, ac oblatos et Tertii Habitus moniales aliasque personas praefatas, a quibusvis decimis, etiam praedialibus et primiitis, quartis, mediis et aliis partibus fructuum, ac subsidiis, etiam caritativis praefatis, ac ab omni iurisdictione et superioritate quorumcumque locorum ordinariorum, etiam de novo, quatenus opus sit, auctoritate et tenore similibus eximimus et liberamus, ac exemptos, liberos et immunes penitus esse volumus. Necnon, quatenus opus sit, illos eorumque singulos in ius et proprietatem B. Petri et Sedis Apostolicae, ac sub eorum speciali et immediata protectione suscipimus, ac eos solum et dumtaxat immediate Sedi praefatae et nobis ac pro tempore existenti Romano Pontifici subiacere decernimus et declaramus.

Exemptionemque a iurisdictione ordinariorum;

Facultatem etiam eiusdem fratribus et monialibus concedit eligendi quascum. personas in ecclesiastica dignitate constitutas in eorum conservatores et iudices, qui hoc munus recusare non possint;

§ 14. Et ut fratres et moniales, a praemissis molestiis et perturbationibus sublevati, quietius Altissimo famulari, et uberiores fructus quotidie in agro Domini, pro christianae religionis defensione et ampliatione, perferre possint, tam vos omnes et singulos supradictos, quam quascumque alias personas in dignitate ecclesiastica, ubilibet et in quibusvis mundi partibus, constitutas, et quoscumque locorum ordinarios, ac eorum vicarios et officiales, necnon canonicos metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum, per eosdem fratres et seu moniales, ac dicti Ordinis fratrum Praedicatorum superiores, et domorum priores, ac eorum singulos pro tempore eligendos, in eorum et dictorum eorumdem privilegiorum, indultorum, concessionum et gratiarum et singulorum aliorum praemissorum conservatores et iudices unicos, qui, quandiu dictum officium exercueritis et ipsi exercuerint,

a nemine, quominus illud exerceatis et exerceant, sub aliquo praetextu, ac sub excommunicationis sive suspensionis a divinis latae sententiae, quam eo ipso incurrere volumus et declaramus respective, poena, impediri vel molestari possitis et possint, dicta auctoritate deputamus. Ita quod vos seu alii quicumque sic electi, sub excommunicationis et seu suspensionis latae sententiae poena huiusmodi, quam statim quod munus sive officium conservatoris huiusmodi acceptare et debite ac plenarie exequi neglexeritis et neglexerint, absque alterius declarationis ministerio, incurrere volumus, nec ab aliquo quam a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice (praeterquam in mortis articulo) absolvi posse, eosdem priores, superiores et fratres ac moniales, etiam Tertii Habitus, oblatos et alios praefatos, ac eorum singulos, adversus inferentes eis aut eorum procuratoribus, agentibus, servitoribus et familiaribus, in praemissis et eorumdem aliquo, molestias sive perturbationes aliquas, seu iniurias, gravamina vel damna, in personis, rebus et bonis, seu exigendo ab eis vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas aut alia onera, defendere, praesentare, ac omnem eorum iurisdictionem exercere. Necnon sententias, censuras et poenas ecclesiasticas contra rebelles et inobedientes cum effectu promulgare; ac omnibus facultatibus, conservatoribus dicti Ordinis fratrum Praedicatorum illiusque fratribus et personis per quascumque literas apostolicas quomodolibet concessis, uti; ac privilegia superioribus, prioribus et fratribus ac monialibus praefatis pro tempore concessa, eis observari facere debeatis et debeant.

Declarat etiam eosdem fratres et alias personas eiusdem Ordinis alibi

§ 15. Neque superiores, priores, moniales, oblati et caeterae personae Ordinis huiusmodi et ab eis dependentes praefatae, coram aliis quam vobis et dictis conservatoribus, etiam vigore seu praetextu quarumcumque constitutionum et ordinationum aliquorum regnorum, etiam quod, non habentes superiorem in illis regnis, coram saecularibus iudicibus respondere debeant ac teneantur, ad iudicium vocari, vel alias molestari, quavis occasione vel causa, possint vel debeant. Quodque ipsi fratres et moniales, oblati et aliae personae praefatae, sive actores sive rei existant, coram aliquo alio iudice ordinario vel delegato, quam praedicto suo conservatore (coram quo primo unam sententiam definitivam, antequam ipsi ad aliud iudicium evocentur, seu causa committatur vel transferatur, obtinere debeant et teneantur), ut praefertur, etiam quavis occasione vel causa, molestari vel in iudicium trahi, sive ad iudicium evocari, vel agere minime possint sive debeant, eisdem auctoritate et tenore etiam statuimus, ordinamus et decernimus.

quam coram eorum conservatoribus convenire nec conveniri posse.

Conservatorum iurisdictio et facultates.

§ 16. Et insuper, adversus molestatores, inquietatores et alios iniuriatores huiusmodi, volentes eisdem Ordini, magistro generali, prioribus, superioribus, fratribus, monialibus, oblatis, servitoribus, oeconomis, procuratoribus et aliis eorum personis praefatis illo rimedio providere, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus et voluntas committendi similia praecludatur, discretioni vestrae per praesentes mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca in quibus estis deputati conservatores et iudices, Ordini fratrum Praedicatorum, ac illius pro tempore existentibus magistro generali, prioribus, fratribus, monialibus, oblatis, praesentibus et futuris quibusvis aliis personis praefatis, efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittatis eos, super iis ac eorum privilegiis, immunitatibus, gratiis, concessionibus, facultatibus, exemptionibus, indultis

ac aliis quibusvis eisdem concessis, per quoscumque patriarchas, archiepiscopos, episcopos aliosque ecclesiarum praelatos, necnon eorum vicarios, officiales, capitula, collegia et clericos ac ecclesiasticas personas, tam saeculares quam Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cisterciensis, Cluniacensis, Praemonstratensis et aliorum quorumcumque Ordinum et congregationum, ac hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, et Sancti Iacobi de Spatha, ac Iesu Christi, et quarumcumque aliarum militiarum religiosos et milites, exemptos et non exemptos, necnon duces, marchiones, comites, barones, milites et laicos, communitates civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, ac alias singulares personas civitatum et dioecesum, ac quarumcumque aliarum partium, super praemissis et eorum aliquo, quovis praetextu et quaesito colore, et contra praemissorum singulorum tenorem et formam indebite molestari, aut eis vel eorum alicui molestias, gravamina, damna seu iniurias et iacturas irrogari, facturi dictis prioribus, superioribus, fratribus, monialibus, oblatis aliisque personis praedictis, cum ab eis aut eorum aliquo fueritis requisiti, super dictorum privilegiorum, indultorum, exemptionum, libertatum, facultatum et aliarum gratiarum praefatarum observatione, necnon super quibusvis molestiis, damnis, iniuriis atque iacturis, sibi pro tempore illatis seu inferri comminatis, in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit, iustitiae complementum. Molestatores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis extiterint, quandocumque et quotiescumque expedierit, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; et nihilominus, legitimis super his per vos habendis servatis processibus, illos, quos censuras et poenas praefatas ac alias per vos pro tempore latas incurrisse vobis constiterit, eas incurrisse declaretis, ac censuris et poenis praedictis, quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus, aggravare curetis. Caeterum, si per summariam informationem, per vos super iis habendam, etiam vobis constiterit quod ad loca, in quibus molestatores et iniuriatores huiusmodi necnon caeteros, quos presentes literae concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus, requisitionibus et inhibitionibus ipsis ac citationibus de eis faciendis tutus non pateat accessus, nos vobis, monitiones ac inhibitiones quaslibet, tam contra in iudicio praesentes, quam alios quoscumque sua quomodolibet interesse putantes, et quacumque auctoritate sive dignitate praefulgentes, in decreto sive executione dictae citationis sive inhibitionis nominandos, etiam sub eisdem censuris ac aliis, arbitrio vestro imponendis et applicandis, poenis, etiam pecuniariis, etiam per edicta publica, locis affigenda publicis et partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura quod ad ipsorum monitorum, requisitorum et citatorum notitiam pervenire valeant, faciendi et decernendi, eosque citandi, ac eisdem molestatoribus, iniuriatoribus, contradictoribus et rebellibus, ac aliis quibus opus fuerit, etiam sub censuris ecclesiasticis ac aliis poenis, etiam pecuniariis, suo[1] arbitrio moderandis, inhibendi, easque incurrisse modo praemisso declarandi, aggravandi, et auxilium brachii saecularis invocandi. Necnon causas et controversias quascumque dictorum fratrum, monialium, et dicti Ordinis su-

1 Legendum forte *vestro* (R. T.).

periorum, oblatorum ac aliarum personarum praefatarum, super quibusvis rebus et negotiis, motas et movendas, active et passive, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus et emergentibus, annexis et connexis, modo praemisso, et tam coniunctim quam divisim, arbitrio vestro audiendi, cognoscendi, decidendi et in suis statu et terminis reassumendi, et fine debito finiendi et terminandi; et eorumdem, necnon sententias per vos ferendas, postquam transiverint in rem iudicatam, vel alias de iure executioni locus fuerit, debite exequendi et executioni demandandi plenam et liberam, earumdem tenore praesentium, concedimus facultatem et potestatem. Ac volumus et eadem apostolica auctoritate decernimus quod monitiones, requisitiones, citationes, inhibitiones sic factae huiusmodi, ipsos monitos, requisitos, citatos, inhibitos arctent, perinde ac si eis factae, insinuatae et intimatae personaliter extitissent.

Clausula sublata.

§ 17. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere. Ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 18. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, predecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis, ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur; seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant; et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis, vigore praesentium, ad iudicium non trahatur; seu quod de aliis quam manifestis iniuriis et violentiis ac aliis quae iudicialem non requirunt indaginem, poenis in eos, qui secus egerint, et in id procurantes adiectis, conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, tam de iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut alias editis, quae vestrae in hac parte possent iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare; quodque vos, filii, canonici, officiales et vicarii non sitis de personis, quae deputari possunt in conservatores; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, ac exemptionibus, facultatibus et aliis conservatoriis, per nos aut eosdem praedecessores nostros Romanos Pontifices, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et aliis piis locis, necnon Ordinibus, congregationibus, militiis, communitatibus et aliis collegiis ac Universitatibus, etiam Studiorum generalium, civitatibus, castris, terris et locis, ac personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, cuiuscumque dignitatis, etiam patriarchali, episcopali, archiepiscopali et alia maiori dignitate seu auctoritate fungentibus, ac capitulis, conventibus, ducibus et aliis dominis temporalibus, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu et scientia similibus, ac quibusvis aliis personis, cuiuscumque qualitatis, conditionis, gradus, praeeminentiae seu dignitatis, ac Universitatibus, etiam Studiorum generalium, seu collegiis, etiam exemptis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, etiam de

non trahendis, irritantibusque et aliis decretis, etiam *Mare Magnum* seu *Bulla Aurea* nuncupatis, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse pari motu derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis, locis, Ordinibus et nominibus propriis mentionem; et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali, cuiuscumque tenoris existat, per quam, praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Declaratio facultatum et iurisdiction. dictorum conservatorum.

§ 19. Caeterum, etiam volumus et dicta apostolica auctoritate decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus; quodque a data praesentium sit vobis et unicuique vestrum, in praemissis et eorum singulis, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, perpetuata potestas, et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis, in praemissis omnibus, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum, in praedictis omnibus et singulis, per citationem vel modum alium legitimum perpetuata extitisset, constitutione praedicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante.

Exemplorum fides.

§ 20. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda fuerit, loca deferre, etiam volumus, et eadem auctoritate apostolica decernimus quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius praelati vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae aut curiae ecclesiasticae munitis, in iudicio et alibi, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 23 septembris, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, pontificatus nostri anno sexto.

LVIII.

Reformatio motus proprii felicis recordationis Pii Papae IV super admissione appellationum causarum criminalium [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

§ 1. Cum, sicut accepimus a dilecto filio Alexandro Riario *etc.* [2].

1 Ex edit. typis Bladi. 2 Hic Pii V *motus proprius* ipsissimis verbis legitur superius pag. 503 huius voluminis. Illum igitur haud bis rescribimus, quemadmodum in Romana Mainardi editione factum videmus (R. T.).

Sequitur alius motus proprius super eadem re.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Cum, ob innumeras Romani Pontificis occupationes *etc.* 1.

LIX.

Moderatio dotium, munerum et ornamentorum quarumcumque mulierum, etiam tempore nuptiarum in Urbe.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Quoniam nos pluries, iustis causis moti, cohortati sumus dilectos filios nostros conservatores Camerae almae Urbis et Populi Romani, ut vellent in modum publici statuti moderari ac limitare quantitatem, usque ad quam in futurum ascendere possent dotes mulieribus in ipsa Urbe inter Romanos seu inter eos et exteros aliosque suprascriptos constituendae ac dandae; ipsique propterea in diversis eorum, etiam publicis, consiliis, negocio tractato, prius curam faciendi moderationem et limitationem praedictam, illamque cum poenis, capitulis et clausulis opportunis in scriptis redigendam, conservatoribus et aliis superius descriptis demandaverint, et praeinserta scriptura, sic ut supra exemplata est, in eodem publico consilio lecta, et mature discussa, fuerit per ipsum consilium approbata, et in modum publici statuti publicata.

Populus Romanus, ad cohortationem huius Pontificis, super moderatione dotis condidit statutum, cuius tenor mox sequitur.

§ 1. Nos, cupientes ut inviolabiliter observetur, motu simili statutum ipsum subscriptum, prout iacet, cum omnibus suprascriptis ordinationibus, in omnibus et per omnia, etiam apostolica nostra auctoritate, ex certa nostra scientia, perpetuo laudamus et approbamus et confirmamus; omnesque et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum, etiam verbalium, forsan omissarum defectus, si qui in praemissis intervenerint eadem auctoritate apostolica supplemus. Et pro abundantiori cautela, maiorique ipsiusque statuti omniumque suprascriptorum efficacia, etiam nos, per eadem verba statutum ipsum ac suprascriptas omnes ordinationes de novo facimus, atque inviolabiliter perpetuo observari, et ad executionem per illos, ad quos spectat, inconcusse demandari volumus et mandamus.

Confirmat Pontifex dictum statutum.

§ 2. Volentes quod huius nostrae cedulae sola signatura sufficiat et, clausula non obstante, in iudicio et extra fidem faciat.

Sola sufficiat signatura.

§ 3. Et quod praemissis ac praeinserto statuto et huic nostrae cedulae ac dispositioni per nos et successores nostros nunquam sufficienter derogatum esse censeatur, nisi in publica Signatura, proposita supplicatione cum huius nostrae cedulae insertione, derogatio fuerit concessa.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Decernentes irritum et inane, si quid in contrarium fieri contingat.

Decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque dictae Urbis statutis, reformationibus et consuetudinibus, etiam iuramento *etc.* roboratis, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Clausulae derogatoriae.

Placet, motu proprio. M.

Datum Romae apud S. Petrum, nono kalendas iulii, anno secundo.

Dat. die 23 iunii 1567, pontif. anno II.

Sequitur tenor istius Statuti.

CAP. I.

§ 1. Statuimo, et ordinamo, che nessuna persona Romana di qualunque stato, grado, o preeminenza si sia, eziamdio chierico, ardisca, nè presuma costituire, promettere, pagare, ricevere, tanto in denari contanti, quanto in argento, oro, gioie, proventioni, o altre cose, eziamdio mobili, e semoventi, ragioni, et azioni, dote, et acconcio, in una o più volte, che passi o ecceda, et computata eziamdio cassa bianca, bacile, e boccale, la somma

Statuti tenor in quo extat moderatio dotis ad scuta 4500 de carlenis.

1 Nescimus quid caussae fuerit cur in Mainardiano Bullario una eademque tabula in eodem volumine iteretur. Nos, cum nulla repetitionis ratio appareat, duplicationem omnem de medio tollimus; verum ne Mainardianae editionis vestigium omne auferatur, *motum* hunc *proprium* Pii PP. V linquimus, quem supra pag: 465 huiusce voluminis retulimus (R. T.).

e quantità di ducati quattromila e cinquecento di carlini, a ragione di dieci carlini per ducato. Ne sia lecito a questo contravenire per alcun patto o consentimento, *etiam* giurato, da farsi per li contrascritti, et altre terze persone, per causa o occasione di accrescere somma dotale, constituir pegno, o in qualunque modo far fraude a questo statuto, ad effetto ch' il marito, o la donna, o altri per essi vengano ad aver più della detta somma di ducati quattromila e cinquecento, in alcun modo o via, diretta, o indiretta, alla pena di mille ducati simili da incorrersi per ciascuno, che contrafarà, e da applicarsi per la quarta parte all'accusatore, qual sarà tenuto secreto, l'altra quarta all'esecutore, et per lo resto alla fabrica del palazzo delli magnifici signori conservatori della Camera di quest'alma città di Roma. E nientedimeno volemo, che pagata o non pagata la detta pena, tutto quello che oltra la detta somma si desse, ovvero ancora con intervento di terze persone sotto quale color si sia di donazione, parafreno, o altro titolo *etiam* in persona della donna, qual similmente prohibiamo sotto la pena predetta *ipso facto* sia applicato alla fabbrica del palazzo delli prefati magnifici signori conservatori. Et ancora volemo, che colui che constituisce, da, ovvero promette in alcun modo oltre la somma predetta, o suo herede, o successore, ovvero la donna, per la qual fosse data per verun tempo, venendo il caso della restitutione, possa rimandare il sopra più, et habbi perduta ogn'azione, che in ciò et sopra ciò li competesse, e detto sopra più s'applichi *ipso iure* alla fabrica predetta, come di sopra; ordinando che tutti simili contratti, o private scritture, quali sopra ciò si facessero, siano quanto alla detta quantità eccessa *ipso iure* nulli, et invalidi, e per vigore di essi nulla esecuzione se ne possa fare quanto alla quantità eccedente di ducati quattromila, e cinquecento.

Cap. II.

Notariorum contra hanc prohibition. instrumenta conficientium poenae.

§ 2. Ancora prohibemo a tutti simili notari, che non ardischino ne presumino rogarsi d'alcun istrumento, qual sia contra la prohibizione soprascritta, nè far scrittura che sia incerta, o che si riferisca a quella cedola privata, o qualunque altra scrittura, o arbitrio di vomo, sotto la pena del falso, e di scudi duecento per ciascheduno di loro, che contrafarà, e da applicarsi come di sopra, e detti contratti non validi *ipso iure, et nullius fidei*, ed essi notari si intendino nondimeno privati in perpetuo de' loro offici.

Cap. III.

Mediatorum et aliorum scripturis huic prohibitioni contrariis intervenientium poenae.

§ 3. E similmente prohibemo che nessuna persona possa in ciò come mezzano intravenire, o altrimenti presumere far cedula privata, ovvero esser testimonio in contratto, o cedula, che fosse contro la prohibizione predetta alla detta pena, da incorrersi, ed applicarsi come sopra.

Cap. IV.

Haec prohibitio quos comprehendat.

§ 4. Vogliamo ancora che nelle soprascritte proibizioni e pene siano compresi baroni, cortigiani, o forastieri, eziamdio chierici, che apparenteranno con Romani, tanto originari, come fatti cittadini, et incoli di Roma, e tanto dando, e promettendo, quanto ricevendo, e stipulando ovvero come mezzano, notaro, testimonio, fideiussore, o promissore, o in qualunque altro modo si intromettano, purchè uno delli consorti, cioè, o sposa, o marito, o sposo, o moglie, sia Romano originario, ovvero fatto cittadino, o pur' incola in Roma.

Cap. V.

Sponsa non potest ad pompam ostendere paraphernalia.

§ 5. Nè sia lecito alla sposa, poichè se ne sarà gita a marito, o prima, mostrare o far mostrare a pompa, o altrimenti, tanto in publico, come in privato, in presenza di persone, che non siano di casa, le robbe che saranno nelle casse, e sposalizio, quali vogliamo non possano ecce-

dere il numero di due, alla pena di ducati cinquecento, da incorrersi ed applicarsi come di sopra.

Cap. VI.

Moderatio munerum inter coniuges et affines.

§ 6. Non sia medesimamente lecito al sposo donare più di una veste alla sposa, la quale sia conforme alli habiti leciti per le ultime reformazioni sopra ciò fatte, alla pena predetta. E non sia lecito al padre o madre, o altra congionta persona della sposa, donar al sposo, o ad altri per lui, dirette, ovvero indirette, nel tempo della subharratione, o prima o poi, alcun vaso, bacile, boccale, coppa, nappo, catena, o altro dono, tanto di oro, come d'argento, denari, gioie, perle, drappi, o altre cose, eziamdio non simili, alla pena predetta di ducati cinquecento e perdita delle robbe, d'applicarsi come di sopra. Non sia lecito alli parenti dello sposo nell' atto della subharratione, donare alla sposa alcun dono, eccetto che padre, madre, fratelli, e sorelle carnali e consobrini dello sposo, alla detta pena. Non sia lecito alla sposa, e suoi, al tempo della subharratione, dar fazzoletti, o cosa simile ad altre persone, che a coloro, che li è permesso di donare, e che donaranno come di sopra, alla pena predetta.

Nomina deputatorum.

§ 7. Deputati super praemissis per populum Romanum in publico consilio illustrissimi domini conservatores Camerae almae Urbis D. Antonius Vellius I. U. D., advocatus consistorialis, D. Domitius Cavalerius, D. Vincentius Nobilius, magnificus D. Angelus prior dominorum capitum regionum, D. Marcus Antonius Burghesius advocatus consistorialis, D. Marius Gabriellius advocatus consistorialis, D. Pirrhus Tharus I. U. D., Vincentius Parentius I. U. D., Galeatius Poggius I. U. D., Antonius Massa I. U. D., Dom. Lucas Petus I. U. D., Dom. Marius Frangipanus, D. Cincius Frangipanus, D. Hector Mutinus, D. Horatius Narus, D. Petrus Paulus Fabius, D. Thomas Cavalerius, D. Hieronymus Picus.

LX.

Monasteria quorum fructus reperiuntur taxati in libris R. C. A. et quaecumque beneficia piis locis unita, de cetero non vacantia, quindennia et alia iura eidem Reverendae Camerae solvere tenentur; et capitula, congregationes et alia pia loca indicare debent beneficia quae possident, et titulum possessionis et annuos redditus.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Apostolicae Sedis poscit auctoritas, ut quae provide per Romanos Pontifices statuta fuerunt, debitae executioni demandentur.

Causa constitutionis.

§ 1. Cum autem, sicut accepimus, ut annatarum, communium et aliorum iurium semel tantum vel de xv in xv annos, ob perpetuas beneficiorum ecclesiasticorum uniones persolvendorum, quae alias felicis recordationis Iulius tertius et Paulus quartus Romani Pontifices praedecessores nostri per eorum literas in forma motus proprii desuper editas, ex praeterito dumtaxat Camerae Apostolicae applicaverunt, eo celerius, quo poterit, exactio et executio fiat, plurimum intersit et necessarium existat ut tam Iulii tertii et Pauli quarti praedecessorum literae praedictae, quam aliae quaecumque constitutiones, statuta, decreta et declarationes per recolendae memoriae Pium secundum, Paulum etiam secundum, Innocentium octavum, Iulium similiter secundum ac Iulium et Paulum praefatos, aliosque diversos R. P. praedecessores nostros contra pro tempore in Camera Apostolica aut alias, ratione annatarum, communium et aliorum iurium praedi-

ctorum, semel tantum aut de xv in xv annos solvendorum, obligatos aut alios quoscumque beneficia ecclesiastica, absque eo quod annatas, communia et quindennia praedicta solvissent, pro tempore possidentes, editae et factae per nos innoventur, approbentur et confirmentur.

Confirmat hic Pontifex const. prædecessorum et defectus supplet.

§ 2. Nos igitur singularum literarum et cuiuslibet motus proprii a praedictis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ut praefertur, quam etiam forsan a nobis hactenus emanati veriores tenores, ac si de verbo ad verbum hic inserti essent, pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volentes, illas et illos, necnon omnia et quaecumque per quoscumque iudices, executores et commissarios in illis deputatos, et ab eis subdelegatos, ac alios ministros, in praemissis et circa ea, quomodolibet gesta et executa reperiuntur, ac inde secuta quaecumque, ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, approbamus et confirmamus, ac rata et grata habemus, necnon illis perpetuae et irrefragabilis firmitatis robur adiicimus, illaque inconcusse observari debere decernimus et declaramus omnesque et singulos, tam iuris quam facti et solemnitatum forsan omissarum et alios quoscumque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, et qui necessario exprimi deberent, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus supplemus, illasque et illa, quatenus opus sit, innovamus.

Et ex causis hic expressis

§ 3. Et insuper quoniam, sicut etiam nobis innotuit, a nonnullis nimium scrupulosis et plusquam oporteat sapere contendentibus haesitatur an monasteria, quorum fructus, *etc.* in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur, necnon prioratus quorumvis Ordinum regularia et regulares, ceteraque beneficia ecclesiastica, quocumque titulo nuncupata, quorum fructus, redditus et proventus in distributiones quotidianas convertuntur, sub literis Pauli secundi et aliorum praedecessorum huiusmodi comprehendantur.

Declarat etiam quod monasteria quorum fructus in libris Camerae Apost. taxati reperiuntur et quaecumque beneficia perpetuo unita de cetero non vacantia, quindennia et alia iura solvere tenentur.

§ 4. Nos, considerantes quod annatarum, communium et aliorum iurium praedictorum exactio, in recognitionem universalis dominii introducta, est antiquissima, quindenniorumque usus et solutio ideo adinventi sunt, ne Camera praedicta, ex monasteriorum, prioratuum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum unionibus, quae amplius vacare non sperabantur, detrimentum aliquod pateretur. Volentes Camerae nostrae Apostolicae ac venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, necnon dilectorum filiorum Romanae Curiae officialium participantium iura praeservare, illorumque indemnitati consulere, ad omne dubium, omneque disputandi et excipiendi occasionem tollendum, motu simili *etc.*, omnia et singula monasteria, tam saecularia quam quorumvis Ordinum regularia, dummodo in libris eiusmodi Camerae taxata reperiantur; reliqua vero monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, tam saeculares, quam quorumvis Ordinum regulares, necnon dignitates, personatus, administrationes, officia et alia quaecumque beneficia ecclesiastica, etiam si manualia et de iure patronatus existant, quorum fructus, *etc.* summam vigintiquatuor ducatorum auri de Camera se. co. aest. valorem annum excedunt, a quocumque tempore citra, etiam ante felicis recordationis Martinum Papam quintum similiter praedecessorem nostrum, et per nos et successores nostros quibuscumque cathedralibus, etiam metropolitanis seu collegiatis, ecclesiis, aut capitularibus mensis, etiam pro quotidianis distributionibus, aut aliis usibus, necnon collegiis, universitatibus, congregationibus, quorumvis Ordinum monasteriis, domibus, hospitalibus, fabricis ac

utriusque sexus personarum piis locis, quantumvis privilegiatis et exemptis, sub quibuscumque tenoribus et formis apostolica auctoritate unita, seu alias quomodolibet et quovis titulo obtenta et possessa, sub literis Pauli secundi et aliorum praedecessorum huiusmodi comprehendi et includi.

Ideo habentes dicta beneficia unita debent se obligare ad solutionem quindenniorum et aliorum iurium.

§ 5. Et propterea omnia et singula cathedralium, etiam metropolitanarum, ecclesiarumque collegiatarum capitula, congregationes, universitates, collegia, hospitalia et pia loca et quivis alii, in quorum favorem uniones, annexiones, incorporationes, applicationes et submissiones huiusmodi factae reperiuntur, quantumcumque, ut praefertur, exempta et privilegiata existant, etiam si se superinde in Camera Apostolica non obligaverint, dummodo monasteria et beneficia ipsa possideant, ad solutionem communium, annatarum et aliorum iurium praedictorum eidem Camerae pro tempore praeterito (salvis collegii et officialium iuribus quoad futura remanentibus), ratione unionum, annexionum, incorporationum, applicationum et submissionum praedictorum, singulis xv annis a die qua illae suum sortitae fuerunt effectum, et alias iuxta tenorem literarum in forma motus proprii a Iulio tertio praedecessore praedicto, super applicatione quindenniorum praedictorum eidem Camerae facta desuper emanatarum, faciendam teneri et obligatos esse, et ad id, per sententias, censuras et poenas in singulis Pauli secundi et aliorum praedecessorum huiusmodi literis contentas, cogi et compelli posse.

Clausula sublata.

§ 6. Sicque et non aliter, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis apostolica auctoritate fungentes, etiam Palatii nostri Apostolici causarum auditores, necnon sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac venerabilem fratrem nostrum Hieronymum episcopum Maceratensem, praefatae Camerae clericum, cui omnes et singulas causas occasione praemissorum pendentes commisimus, in quavis instantia, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi facultate, iudicari et definiri debere; irritumque *etc.* decernimus et declaramus.

Executoris deputatio.

§ 7. Mandantes eidem Hieronymo episcopo ut omnes et singulas causas coram eo, inter dilectum filium eiusdem Camerae collectorem, ex una, et quascumque congregationes, capitula, collegia et quasvis alias personas, ex altera partibus, super solutionem annatarum, communium et aliorum iurium quindenniorum eorumdem vel eorum occasione, nunc et pro tempore pendentes, iuxta praesentium tenorem terminet et decidat. Et pro faciliori indagatione unionum praedictarum, omnia et singula cathedralium, etiam metropolitanarum et collegiatarum, ecclesiarum capitula, necnon tam virorum quam mulierum saeculares et quorumvis Ordinum regulares congregationes seu collegia et pia loca, eorumdemque praelatos et procuratores, ad indicandum et profitendum, medio iuramento, omnia et singula monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, parochiales ecclesias et alia quaecumque beneficia ecclesiastica, quae ipsa capitula, congregationes et alia pia loca praedicta possideant, et quo titulo illa possideant, illorumque annuos valores, sub privationis et aliis in literis in forma motus proprii Pauli quarti praedecessoris huiusmodi contentis sententiis, censuris et poenis, in Romana Curia et extra eam moneat et requirat.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, exemptionibus, indultis et literis apostolicis congregationibus, capitulis et

aliis piis locis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et aliis decretis, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet concessis, ac iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda esset, tenores *etc.* pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, necnon omnibus illis, quae praedecessores praedicti in singulis eorum literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 9. Volentes praesentis motus proprii solam signaturam sufficere, et ubique, in iudicio et extra, regula contraria non obstante, fidem facere.

Transumptorum fides.

§ 10. Et nihilominus illius transumpto, manu publici notarii Camerae Apostolicae subscripto, ubique locorum, tam in iudicio quam extra, fidem adhiberi, ac si praesentes exhibitae forent et ostensae.

Placet, motu proprio. M.

LXI.

Revocatio quorumcumque commissariorum ad quaecumque onera cameralia aut alia Sedem et Cameram Apostolicam concernentia exigenda destinatorum (ad ius reddendum tamen exceptis); formaque in posterum servanda in huiusmodi deputandis commissariis seu exactoribus [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

§ 1. Cum, sicut nobis innotuit, tam super subsidii triennalis, quatreni carnis, et spoliorum, ac confiscationum et aliorum Camerae Apostolicae iurium, necnon etiam gabellarum, vectigalium, datiorum et aliorum ab eadem Camera et sancta Sede Apostolica, seu illarum intuitu, pro tempore impositorum onerum exactionibus; quam etiam super viarum, pontium, transituum, passagiorum, aquaeductuum et murorum reparatione et manutentione, ac civitatum, oppidorum, castrorum, terrarum et locorum nostri Status Ecclesiastici fabrica et fortificatione; necnon super fraudibus annonae et usuraria pravitate, aliisque rebus et negotiis publicis, aut alias Cameram et Sedem Apostolicas praedictas, vel aliquod illarum interesse, saltem aliqua ex parte, tangentibus vel concernentibus, multi ac diversi commissarii a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, ipsiusque Sedis, etiam de latere, legatis, ac provinciarum civitatum, etiam almae Urbis, gubernatoribus, et etiam a nostro et sanctae Romanae Ecclesiae camerario, Camerae Apostolicae clericis, thesaurario, praesidentibus dictae Camerae, spoliorum et aliorum iurium ipsius Camerae collectore generali, depositario, praefecto annonae, redditnum dictae Camerae conductoribus et appaltatoribus, aliisque personis ad id forsan facultatem habentibus, partim ad vitam, partim ad beneplacitum, et partim ad aliud etiam forsan perpetuum tempus, ac alias diversimode in nostro Statu et dominio ecclesiastico ac alibi passim deputati existant et reperiantur.

Multi commissarii ad exigendum iura Camerae Apostolicae deputati reperiebantur

Hinc molestiae multae et damna inferebantur subditis

§ 2. Et ex huiusmodi commissariorum deputationibus, qui munera sibi iniuncta acerbius, quam par sit, exercendo, et etiam proprio commodo et peculiari lucro praeter et ultra modum inhiare dicuntur, multa et gravia variaque damna, iniuriae, vexationes, extorsiones et gravamina provincialibus et aliis subditis nostris

[1] Ex edit. typis Bladi.

aliisque personis quotidie inferri audiantur; eorumque provincialium et subditorum ac aliarum personarum huiusmodi, oneri atque labori succumbentium, ad nos uti pium patrem assidue dietim clamantium et recurrentium voces, querelæ nostris in dies auribus resonare non cessent.

Cui malo opportune consulere volens Pius,

§ 3. Nos, quorum intentionis ac mentis semper fuit et est, ut probi et sinceri quique et timoratae illibataeque conscientiae homines ad huiusmodi commissariatuum officia destinarentur et destinentur; ipsique commissarii subditos nostros et quoscumque alios cum ea, qua fieri potest, lenitate, clementia, benignitate et benevolentia tractent atque prosequantur, et nihil ab eis, praeter iuris et aequitatis debitum exigant vel extorqueant, et sanctae piaeque matris Ecclesiae iugum suave et onus leve sentiant, memores quoque quod improbos officiales princeps quantumlibet bonus et integer male audire consuevit; volentes probitate et integritate praeditos viros ad huiusmodi munera deinceps deputare et propterea in praemissis, pro nostri pastoralis officii debito, opportune provideri.

Quascumque commiss. huiusmodi deputationes de praeterito factas irritat et cassat.

§ 4. Motu simili, et ex certa scientia maturaque animi nostri deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, omnes et singulos ac quoscumque commissarios, quovis nomine nuncupatos, tam super subsidii triennalis, quatreni carnis, et spoliorum ac confiscationum et aliorum Camerae Apostolicae iurium, nenon etiam gabellarum, vectigalium, datiorum et aliorum quorumcumque ab eadem Camera et dicta Sede Apostolica, seu alias illarum intuitu nunc et pro tempore impositorum onerum exactionibus; quam etiam super viarum, pontium, portarum, transituum, passagiorum, aquaeductuum et murorum reparatione et manutentione; ac civitatum, terrarum, oppidorum, arcium, castrorum et quorumvis aliorum locorum nostri Status Ecclesiastici fabrica et fortificatione; necnon super fraudibus annonæ et usuraria pravitate, aliisque omnibus et singulis, ac quibuscumque rebus et negotiis publicis, aut alias Cameram et Sedem praedictas vel aliquod earum interesse quomodolibet tangentibus vel concernentibus (exceptis tamen commissariis ad reddendum ius et ad iustitiae cognitionem et executionem deputatis, qui tamen non possint nec debeant nisi unum scutum ad plus pro quolibet die recipere), tam a quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quam alias a Sede et Camera praedictis, ipsiusque Sedis, etiam de latere, legatis, gubernatoribus, camerario, Cameraeque Apostolicae praesidentibus et clericis, thesaurario, collectore spoliorum, et iurium eiusdem Camerae depositario, praefecto annonae, conductoribus et appaltatoribus praefatis ac quibuscumque aliis personis, quavis dignitate fulgentibus et fungentibus, nomine Sedis vel Camerae praedictarum et alias quomodolibet in universo nostro Statu Ecclesiastico praefato ac alibi ubilibet, tam ad vitam, quam ad beneplacitum, et quodvis aliud, etiam perpetuum, tempus, necnon tam per apostolicas, etiam in forma brevis aut sub plumbo expeditas, quam patentes et etiam camerales, ac sacri venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegii, et quascumque alias literas vel etiam per publica instrumenta, ac alias quomodocumque et qualitercumque hactenus deputatos, destinatos et etiam transmissos, ac illorum deputationes *etc.* huiusmodi, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, ac irritantibus et aliis, etiam vim stipulati et

iurati contractus inducentibus, ac etiam cum expressione quod revocari, *etc.* non possint, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter et de dictorum cardinalium consensu, ac alias quomodolibet factas, necnon literas et instrumenta desuper, ut praemittitur, ac alias quomodolibet confectas, motusque proprios et supplicationes desuper etiam dictorum nostrorum praedecessorum manibus signatos et signatas, ac in eis contenta quaecumque, illarum et illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, etiam si illae et illa, ex quavis causa legitima, etiam onerosa, emanaverint, apostolica auctoritate ex nunc perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, ac ex nunc revocatos *etc.* revocatasque, *etc.* ac revocata *etc.* fore et esse, nulliusque roboris vel momenti seu auctoritatis amplius existere decernimus et declaramus.

De cetero eos per brève pontificium, seu per litteras patentes Camerae eiusdem deputari iubet;

§ 5. Et nihilominus, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus nulli similes vel dissimiles commissarii, nisi per speciales et expressas nostras et eorumdem successorum in forma brevis expeditas, aut Camerae Apostolicae patentes literas, quae, si manu dilecti filii moderni vel pro tempore existentis praesidentis Camerae praedictae signata fuerint, nostris mandato et intentione emanasse intelligentur, deputari et destinari possint, ac aliter deputati et transmissi eo ipso a nobis revocati sint et esse censeantur, perpetuo statuimus et ordinamus.

Eos autem absque scientia Pontificis destinari vetat;

§ 6. Districtius inhibentes eisdem camerario, praesidentibus et clericis, necnon legatis, et aliis omnibus supranominatis, et quibusvis aliis personis, cuiuscumque dignitatis *etc.* existentibus et quacumque auctoritate fungentibus, ne ex nunc in posterum ullos huiusmodi commissarios, nisi de expressis ordine et mandato ac certa scientia nostris et dictorum successorum nostrorum, ac alias, ut præfertur, deputare, destinare vel transmittere audeant seu praesumant.

Electiones secus factas irritat;

§ 7. Decernentes quascumque commissariorum huiusmodi deputationes *etc.*, alias quam ut praefertur deinceps pro tempore factas, nullas et inanes existere ac fore, et pro infectis omnino haberi. Sicque in praemissis omnibus et singulis ab omnibus censeri, ac ita per praefatos et quoscumque alios iudices *etc.*, sublata *etc.*, iudicari *etc.* debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his *etc.* contigerit attentari.

Praesentem constitut. praecipit observari;

§ 8. Mandantes nihilominus camerario, praesidentibus, clericis, legatis *etc.* et aliis quibuscumque supradictis, ceterisque ad quos spectat et pertinet, ac spectabit et pertinebit, quatenus praesentem nostrum motum proprium perpetuo observent et observari faciant inviolabiliter et ad unguem, contradictores *etc.* compescendo, invocato etiam seu adhibito auxilio brachii saecularis.

Vectigales R. E. ad persolvenda onera camerali adhortatur;

§ 9. Et nihilominus omnes et singulas communitates et universitates, ac alios quoscumque civitatum, castrorum, terrarum, oppidorum, villarum et locorum nobis et sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum habitatores et incolas, necnon illorum rectores, praefectos, potestates, officiales et negotiorum gestores, aliosque illorum deputatos et deputandos, ceterosque ad quos spectat et spectabit, in Domino hortamur et paterne monemus, eisque sub indignationis nostrae, et pecuniariis aliisque nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici benevisis poenis, arbitrio nostro et illius declarandis et exigendis, praecipimus et mandamus ut omnia et singula onera, impositiones et alia quaecumque

iura cameralia, nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici ac Sedi Apostolicae quomodolibet pro tempore debita, absque ulla mora et contradictione, loco et tempore debitis, integre persolvant realiter et cum effectu, nec se praetextu praesentis nostrae constitutionis a facienda solutione huiusmodi excusent, aut difficile reddant, ne alias desuper opportuna remedia adhibere cogamur.

Obstantibus derogat

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, provincialibusque, synodalibus et municipalibus, necnon, etiam iuramento *etc.* roboratis, statutis *etc.*, etiam Camerae Apostolicae *etc.*; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis *etc.*, sub quibuscumque tenoribus *etc.*, etiam motu proprio *etc.*, ac consistorialiter *etc.*, et alias in contrarium quomodolibet concessis *etc.* ac concedendis *etc.* Quibus omnibus, etiam si de illis *etc.*, eorum tenores *etc.*, latissime hac vice derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Praesentium sola signatura sufficit.

§ 11. Volumus autem praesentis nostri motus proprii solam signaturam sufficere, et ubique fidem facere, in iudicio et extra, regula contraria non obstante. Et nihilominus literas desuper, etiam per breve nostrum, simul vel ad partem expediri posse, latissime extendentes.

Placet, motu proprio. M.

Die vigesima nona maii MDLXVII admissa et registrata fuit haec cedula motus proprii libro primo signaturarum sanctissimi domini nostri domini Papae apud me infrascriptum Camerae Apostolicae notarium, folio quinto, ex decreto illustrissimi et reverendissimi domini mei Vitellotii cardinalis camerarii.

Andreas Martini.

Adm. die 29 maii 1567, pontif. anno II.

LXII.

Extensio constitutionis Pii IV de condemnatis et bannitis non audiendis nisi in carceribus constitutis et defuncti haeredibus citatis, ut procedatur etiam contra condemnatos in contumaciam, et in quacumque instantia, pro quacumque poena corporis afflictiva.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Pius IV edidit constitutionem, de qua hic.

Licet alias felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, motu proprio et ex eius scientia, sua perpetuo valitura constitutione sanciverit, *etc.* [1].

Causa declarationis.

§ 1. Cum tamen a nonnullis in dubium revocetur an in literis Pii praedecessoris huiusmodi comprehendantur etiam illi, qui ex aliqua criminali causa, pro qua poena corporis afflictiva imponenda foret, in eorum contumaciam condemnati fuerint, ita ut ad purgandum contumaciam et condemnationem huiusmodi admitti vel audiri non debuerint nec debeant, nisi prius se in carceribus constituerint.

Declaratio et extensio.

§ 2. Nos, omnem circa praemissa ambiguitatem e medio tollere et penitus amputare volentes, necnon literarum huiusmodi tenores praesentibus pro expressis habentes, illisque nihil addentes vel minuentes, motu simili, ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, decernimus et declaramus eos omnes et singulos, qui ex huiusmodi causis, licet in eorum meram contumaciam hactenus condemnati fuerint, et in futurum condemnabuntur, sub eisdem literis omnino comprehensos fuisse et esse ac fore, ita ut non aliter ad purgandum dictas eorum contumaciam et condemnationem admitti debuerint vel debeant, nisi sese prius in carceribus constituerint vel constituant.

1 Haec bulla Pii IV est sup., const. LXIV, *Etsi cuncta*, pag. 186, idcirco hic omittitur.

Decernentes quod, in quacumque instantia, casu et causa se absolvi petant, licet forsan in aliqua se constituerint, nullo modo audiantur, nisi se prius in carceribus, servatis servandis, de novo constituerint, et novae constitutioni huiusmodi ad plenum satisfecerint.

Annullatio absolutionum aliter factarum.

§ 3. Ac omnes et singulas absolutiones, remissiones et quasvis alias gratias contra praesentium tenorem, quomodolibet pro tempore impetratas, et a quibuscumque iudicibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existant, quovis praetextu vel causa emanatas, nullatenus attendi debere, minusque cuiquam prodesse modo posse, sed tamquam nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti reiiciendas esse; licereque praefatis et aliis iudicibus quibuscumque, illis non obstantibus, processus huiusmodi reassumere et, prout iuris fuerit, terminare.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Praesentemque nostrum motum proprium, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari nullatenus posse, sed illum semper validum et efficacem existere, suosque plenarios effectus omnimode sortiri.

Decretum irritans.

§ 5. Sicque in praemissis omnibus, etiam per S. R. E. cardinales ac causarum Palatii auditores aliosque iudices *etc.*, sublata eis *etc.*, iudicari debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus, vel in futurum contigerit attentari, fuisse, esse et fore, et vitio nullitatis penitus subiacere decerninus.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae idem praedecessor in eisdem literis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus autem quod praesentis motus proprii sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula quacumque contraria non obstante, cum decreto quod, praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sola signatura sufficit.

Placet, motu proprio. M.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, indictione x, die vero XII mensis iulii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pii Papae quinti, anno eius II, retroscriptae literae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Cancellariae Apostolicae, et in acie Campi Florae, ut moris est, per nos Iulium Parinum et Alexandrum Astancollum, praefati sanctissimi domini nostri Papae cursores.

Camillus Cher., magister cursorum.

Pub. die 12 iulii 1567, pontif. anno II.

LXIII.

De parochialium ecclesiarum vacatione, vicariorum earumdem deputatione, examinatorum electione, promovendorum examine et idoneitate, necnon idoneorum institutione ab ordinariis facienda [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, admonet ut, in conferendis beneficiis ecclesiasticis, et praesertim parochialibus ecclesiis, personis dignis et habilibus, quae in loco residere, et per se ipsos curam exercere valeant, omnem diligentiam ac sollicitudinem nostram, quantum nobis desuper conceditur, adhibere studeamus, ut

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

illae, fideles suae curae creditos, sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi parochiales ecclesias huiusmodi velint et possint, auctore Domino, salubriter regere, ac feliciter gubernare. Quod provide ac diligenter considerasse Alexandrum tertium, Gregorium decimum ac Innocentium etiam tertium et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, eorum super hoc editae constitutiones testantur.

Vacante parochiali ecclesia, episcopus debet in ea vicarium constituere.

§ 1. Nos igitur, qui sacrosanctae Romanæ Ecclesiae, quae omnium fidelium mater est et magistra, divina disponente clementia, modo praesidemus; eorumdem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, volentesque super praemissis, pro nostro universalis pastoris officio, opportune providere, motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, sancimus, decernimus et ordinamus ut, occurrente vacatione alicuius parochialis ecclesiae, etiam generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti, in favorem S. R. E. cardinalium aut alias quomodolibet reservatae vel affectae, etiamsi illius, dum pro tempore vacat, collatio et provisio ad quosvis abbates vel capitula aut alios inferiores collatores saeculares vel regulares pertineat, debeat episcopus, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, congrua eius arbitrio portionis fructuum assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae substineat, donec ei de rectore provideatur.

A collatore nominandi clerici idonei ad examen.

§ 2. Et deinde, episcopus et alius quivis inferioris ordinis dictae parochialis sic vacantis collator, seu qui illius iuspatronatum ecclesiasticum vel mixtum habeat, intra decem dies vel aliud tempus ab episcopo praescribendum, idoneos aliquot clericos ad regendum ecclesiam, coram deputandis examinatoribus nominet; liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea, de cuiuslibet aetate, moribus et sufficientia fieri diligens inquisitio, et si episcopo aut synodo dioecesanae, pro regionis more, videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari.

Sic nominati ab episcopo examinentur.

§ 3. Transacto constituto tempore, omnes qui descripti fuerint examinentur ab episcopo, sive, eo impedito, ab eius vicario generali, atque ab aliis examinatoribus, non paucioribus quam tribus, quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit episcopus vel vicarius, quibus magis videbitur.

Sex examinatores in qualibet dioecesi deputandi.

§ 4. Examinatores autem, singulis annis, in dioecesana synodo, aut ab episcopo vel eius vicario et capitulo maioris ecclesiae ad minus sex proponantur, qui illis satisfaciant, et ab eis probentur, adveniente que vacatione cuiuslibet ecclesiae, tres ex illis eligat episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque, succedente alia vacatione, aut eosdem tres aut alios tres, quos ipse episcopus maluerit, ex præfatis illis sex eligat.

Qualitates in examinatoribus requirendae.

§ 5. Sint vero ii examinatores magistri seu doctores aut licentiati in theologia aut iure canonico, vel alii clerici seu regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei; iurentque omnes ad sancta Dei Evangelia se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros; caveantque ne quidquam prorsus, occasione huius examinis, nec ante nec post, accipiant: alioquin simoniae vitium, tam ipsi quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque, etiam antea, obtinebant; et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in synodo praedicta,

si opus erit, rationem reddere teneantur: a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter eiusdem episcopi arbitrio puniri possint.

Magis idoneo et approbato conferenda ecclesia.

§ 6. Peracto postea examine, renuncientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, ex hisque episcopus eum eligat, quem caeteris magis idoneum iudicaverit, atque illi et non alteri collatio ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.

Nominatus a patrono ab episcopo debet institui.

§ 7. Si vero iurispatronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad episcopum et non alium pertineat, is quem patronus dignioremem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, episcopo se praesentare teneatur, ut ab eo instituatur.

Diversi casus praesentationis et institutionis.

§ 8. Cum vero institutio ab alio quam ab episcopo erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat. Quod si iurispatronatus laicorum fuerit, debeat, qui a patrono praesentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti; in omnibusque supradictis casibus, non cuiquam alteri quam uni ex praedictis examinatis et ab examinatoribus approbatis, iuxta supradictum modum, de ecclesia provideatur.

Quid sit agendum in casu appellationis.

§ 9. Nec praedictorum examinatorum relationem, quominus exequutionem habeat, ulla devolutio aut appellatio, etiam ad nos et Sedem Apostolicam sive eius legatos aut vice-legatos aut nuncios seu episcopos vel metropolitanos aut primates vel patriarchas interposita, impediat aut suspendat; alioquin vicarius, quem ecclesiae vacanti ante episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsan postea deputabit, ab eius ecclesiae custodia et administratione non amoveatur, donec eidem aut alteri, qui probatus et electus fuerit, ut supra sit provisum.

Quibus in casibus ab huiusmodi praxi recedere permittatur.

§ 10. Si tamen adeo exigui redditus dictae parochialis fuerint, ut totius huius examinationis operam non ferant, aut nemo sit qui se examini quaerat subiicere, aut ob apertas factiones seu dissidia, quae in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixae ac tumultus possint excitari, poterit ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen, caeteris tamen ut supra servatis, adhibere.

Synodus alia potest addere.

§ 11. Licebit etiam synodo provinciali, si quae in supradictis circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit, providere.

Clausulae firmitatem et observantiam praesentis constitutionis inducentes.

§ 12. Et ut praesens nostra constitutio firmiter et inviolate ab omnibus observetur, easdem dictorum praedecessorum constitutiones innovando, auctoritate apostolica, tenore praesentium, omnes et singulas collationes, provisiones, institutiones et quasvis alias dispositiones parochialium ecclesiarum ab eisdem episcopis ac quibusvis aliis collatoribus, tam ordinariis quam delegatis, etiam dictae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ac Sedis Apostolicae legatis vel nuntiis, praeter et contra formam praesentis nostrae constitutionis, praesertim in examine per concursum faciendo, praescriptum post tempus infra expressum faciendas, nullas, irritas ac nullius roboris vel momenti fore et esse, nullumque provisis seu institutis ius aut titulum, et coloratum, possidendi praebere, et parochiales ecclesias, ut prius ante collationes huiusmodi vacabant, ex tunc vacare decernimus et declaramus; illaeque omnes sic pro tempore vacantes, si episcopus, qui curam dicti examinis habere debet, praemissa non fecerit, ad eius metropolitanum; si vero archiepiscopus idem facere praetermiserit, ad Sedis Apostolicae dispositionem specialiter devolvantur.

Collatoribus terminus praefigitur praesentandi, instituendi, etc.

§ 13. Insuper, ne parochiales ecclesiae diu in suspenso maneant, in maximum animarum periculum, quarumcumque parochialium ecclesiarum, quarum, dum pro tempore vacant, ad episcopos et archiepiscopos et quoscumque alios ordinarios collatores provisio et collatio spectat, de quibus iidem episcopi et ordinarii intra sex mensium spatium a die vacationis earumdem, perfecto examine, iuxta formam praesentis nostrae constitutionis non providerint, ac illarum etiam quarum collationes aliis ex indulto Sedis Apostolicae competunt, ad quas, occurrente illarum vacatione, episcopi et archiepiscopi praefatas personas, per examen, concursu, ut praefertur, habito, iuxta formam praescriptam approbatas, et magis idoneas non elegerint, aut electas iis, ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinenda, infra quatuor mensium spatium, a die illarum vacationis, non significaverint, nec non parochialium ecclesiarum similiumque iurispatronatus ecclesiastici vel laicorum, seu clericorum et laicorum simul fuerint, si praesentatus, intra tempus eisdem personis a iure praefixum, praevio examine praedicto, approbatus, petatur institui, institutioque ipsa per duos menses a die praesentationis dilata fuerit, collatio, provisio, institutio ad eosdem supranominatos, ut praemittitur, pariter devolvatur, data tamen in parochialibus iurispatronatus optione ipsius patronis, ut si institutio ad ordinarios spectabit, ipsis ordinariis illam facere negligentibus, et ultra dictos duos menses differentibus, possint, pro huiusmodi institutione obtinenda, habere recursum ad metropolitanum vel viciniorem ordinarium aut ad Sedem Apostolicam.

Terminum decem dierum ad nominand. praefixum nemini licet protrahere

§ 14. Prohibentes etiam eisdem ordinariis, ne tempus decem dierum dictis ordinariis et personis per hanc nostram constitutionem, ad nominandum idoneos clericos coram deputatis examinatoribus praefixum, ultra alios decem dies prorogare audeant vel praesumant.

Nec formam examinis, ceteraque hic statuta immutare

§ 15. Districtius inhibentes ne quis, quacumque sit super hoc auctoritate munitus, contra formam superius expressam, de huiusmodi parochialibus ecclesiis, ut praefertur, disponere, vel circa illas alias quidquam innovare quoquomodo praesumat.

Ad quem appellari possit, si minus idoneo conferatur ecclesia.

§ 16. Ut autem, non solum dignis, sed magis idoneis repertis, iuxta ordinationem nostram, huiusmodi parochiales ecclesiae conferantur, volumus et eadem auctoritate decernimus quod, si episcopus aut alius ordinarius minus habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, possint ii, qui reiecti fuerint, a mala electione huiusmodi ad metropolitanum; vel, si ipse eligens metropolitanus aut exemptus fuerit, ad viciniorem ordinarium, uti nostrum et Sedis Apostolicae delegatum, aut alias ad Sedem Apostolicam appellare, ac praelectum ad novum examen, coram ipso appellationis iudice et eius examinatoribus, provocare; et, constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, parochialis magis idoneo per eumdem iudicem appellationis auctoritate nostra, quatenus collatio ad episcopum, a quo appellatum fuit, spectaret, conferatur, alias eidem magis idoneo, per iudicem appellationis approbato, conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio vel institutio spectabit.

Huiusmodi tamen appellatio exequut. primae deputation non impedit

§ 17. Haec tamen appellatio interposita interim non impediat aut suspendat quominus electio per ordinarium primo loco facta, interim debitae demandetur executioni, et provisus ab eadem ecclesia, causa appellationis huiusmodi pendente, non amoveatur.

A iudice appellationis ad primatem, vel ad Sedem Apostolicam appellatur.

§ 18. Si quis a sententia per iudicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad primatem praedictum seu Sedem Apostolicam appellabit.

Si secus actum fuerit, irritum esto.

§ 19. Si secus in praemissis omnibus et singulis actum et attentatum fuerit, irritum decernimus et inane.

Derogatio contrariorum.

§ 20. Non obstantibus quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non exemptionibus, indultis, privilegiis, praeventionibus, affectionibus, novis provisionibus, quibuscumque etiam Universitatibus vel aliis quomodolibet, ad certam summam, per Sedem Apostolicam concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, specialis, specifica, expressa et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda esset, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis danda.

§ 21. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Praesentes publicatae omnes obligant.

§ 22. Quodque ipsae praesentes literae valvis Camerae et Cancellariae Apostolicarum, et Audientiae causarum Palatii Apostolici, et in acie Campi Florae, dimissis inibi copiis, publicatae et affixae, post ultra menses tres, intra post sex vero menses, omnes ita afficiant et arctent, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Clausulae

§ 23. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quartodecimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 augusti 1567, pontif. anno II.

LXIV.

Spoliorum nomine ad reverendam Cameram Apostolicam spectantium non veniunt ornamenta et paramenta ecclesiarum, nec supellectilia domestica, neque bona clericorum, qui beneficia aut pensiones non excedentes summam ducatorum triginta habuerunt, sed eorum ecclesiis dari debent.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea sollicitudinis suae partes potissimum convertit, per quae singulis ecclesiis debita obsequia et opportuna subventionis auxilia minime subtrahantur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli patriarchae, archiepiscopi, episcopi et abbates seu commendatarii, ac alii beneficia ecclesiastica obtinentes, proprii honoris et salutis immemores, etiam praetextu facultatum testandi eis per Sedem Apostolicam concessarum, in eorum ultimis voluntatibus res sacras ac vasa, ornamenta et paramenta ecclesiastica, aliaque cultui divino dicata, quandoque ex fructibus ecclesiasticis per eos acquisita, non ecclesiis et monasteriis ac beneficiis, quibus praefuerunt, seu a quibus proventus ecclesiasticos et stipendia acceperunt, prout rationi et honestati consentaneum foret, sed aliis locis, etiam aliquando non piis, ac interdum eorum consanguineis et affinibus relinquere; ac Camerae Apostolicæ collectores, praetextu quod illa sub appellatione spoliorum veniant, tamquam eiusdem Camerae spolia exigere et percipere non erubescant, in maximum religionis dedecus, ac ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum eorumdem detrimentum, ac relinquentium animarum periculum, scandalumque plurimorum.

Causae istius constitutionis

§ 1. Nos, abusibus scandalisque huiusmodi providere, ac singularum ecclesiarum et monasteriorum ac beneficiorum indemnitati, animarumque quorumlibet saluti consulere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, statuimus, ordinamus, decernimus et declaramus quod de caetero omnia et singula ornamenta et paramenta ac vasa, necnon missalia et gradualia, ac cantus firmi et musicae aliter quomodolibet nuncupati libri, et aliae res sacrae, etiam auri et argenti, ac quaecumque alia bona per quoscumque patriarchas, archiepiscopos, episcopos,

Ornamenta et paramenta ac res sacrae et alia bona ad usum et cultum divinum spectantia non veniunt sub nomine spoliorum pertinentium Camerae Apost. sed spectant ad ecclesias tempore obitus illas obtinentium.

abbates seu commendatarios, et alios quoscumque, quaecumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, in titulum vel commendam aut alias quomodolibet obtinentes, quocumque nomine vel titulo censeantur, etiamsi de illis et eorum qualitatibus specialis et expressa mentio habenda foret, ad usum et cultum divinum, etiam in eorum privatis aedibus et cappellis vel oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento vel ab intestato relicta, sub quibusvis facultatibus testandi et alias disponendi de bonis per eos ex altari vel alias quomodolibet acquisitis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros ac nos, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et alias quomodolibet concessis et concedendis, minime comprehendantur, nec sub appellatione spoliorum veniant, sed ad singulas ecclesias, monasteria, etiam conventu carentia, et beneficia huiusmodi, in quibus resederint, aut quibus praefuerint, seu quae alias obtinuerint, omnino spectent et pertineant, ac spectare et pertinere.

Successores in ecclesiis propria auctoritate illa apprehendere possunt.

§ 2. Illaque post eorum obitum eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis, etiam si in Romana Curia et procul ab illis decesserint, vel ad illa numquam accesserint, etiam si antea ecclesiarum et monasteriorum regimini cesserint, vel beneficia huiusmodi renunciaverint, eo ipso applicata et incorporata sint et esse censeantur. Ita quod liceat, illis defunctis, in eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis successoribus, ac ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi capitulis et conventibus respective, illa propria auctoritate libere apprehendere, ac eorum ecclesiis et sacristiis applicare et incorporare.

§ 3. Ac quaecumque donationes, ac relicta et legata, testamenta et codicilli et aliae ultimae voluntates, seu spolia desuper, contra praesentis constitutionis nostrae tenorem, quomodolibet pro tempore facta, quoad praemissa, nulla et invalida nulliusque roboris et momenti existant, et personis, etiam ecclesiasticis, seu locis, etiam piis aut ecclesiasticis, aliis quibuscumque, in quarum seu quorum favorem pro tempore facta fuerint, minime suffragentur, nec per ea eisdem personis seu locis vel aliis ecclesiis huiusmodi aliquod ius in rebus praedictis vel ad illas acquiri posse.

Et de illis etiam ad pias causas disponi prohibetur.

§ 4. Quinimmo res sacras ac alia bona praedicta, quocumque nomine vel titulo, pro tempore detinentes, ad illa ecclesiis et monasteriis ac beneficiis, per defunctos quomodolibet acquisitis, ut præfertur, iuxta praesentium tenorem, realiter et cum effectu restituendum et consignandum, quibusvis dispositionibus de illis in contrarium quomodolibet factis minime attentis, omnino teneantur, et ad id per censuras et poenas, etiam furti et sacrilegii, ac alia iuris et facti remedia opportuna, cogi et compelli possint et debeant.

Detentoresque illorum bonorum ad restitutionem compelli debent.

§ 5. Insuper, ne deinceps contingat, insolentia spoliorum Camerae Apostolicae collectorum vel subcollectorum, aliquas ecclesias nec hominum quemquam damno et iniuria affici, nec cuiquam de caetero vertatur in dubium quae res habendæ sint nomine spolii, simili modo statuimus, decernimus et declaramus quod quaecumque scamna, cathedrae, arcae et, etiam ligneæ vel lapideæ, etiam marmoreæ, mensae et tabulae, ac quaecumque dolia seu vasa vinaria vacua et alia similia supellectilia domestica, per quosvis presbyteros seu clericos, ab humanis pro tempore decedentes, tempore eorum obitus, in ecclesiis seu eorum domibus ecclesiarum earumdem vel alibi, ubivis locorum relicta, etiam si ex fructibus et proventi-

Supellectilia presbyterorum, et clericorum non veniunt sub nomine spoliorum.

bus beneficiorum, quae dum viverent, obtinebant, acquisita fuerint, sub spoliorum appellatione minime veniant, nec pro spoliis ullo modo reputari possint.

Spolium non potest praetendi per obitum obtinentis beneficia vel pensiones non excedentes XXX ducatos.

§ 6. Praeterea, quod nullum spolium Camerae praefatae fieri, nec quicquam a quibusvis spoliorum Camerae huiusmodi collectoribus vel subcollectoribus exigi possit per obitum illius, qui, dum viveret, unum vel plura beneficia ecclesiastica obtinuerit, cuius vel quorum simul fructus, redditus et proventus triginta ducatorum auri de Camera, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excesserint, aut qui pensiones annuas super quibusvis fructibus ecclesiasticis usque ad dictum valorem annuatim perceperit, dummodo tamen is se ab omni illicita negotiatione et a sacris canonibus prohibita abstinuerit. Ita quod, si quis dictorum collectorum aliquid ex bonis quorumvis defunctorum, qui similia beneficia obtinuerint, seu similes pensiones perceperint, praetextu spoliorum eiusdem Camerae percipere, aut alias contra praesentes nostras literas attentare praesumpserit, ad totalem bonorum per eum perceptorum restitutionem teneatur, ac ad viam iuris, etiam per similes censuras et poenas, cogi et compelli possit et debeat.

Inhibitio contra spoliorum collectores, ne desuper se intromittant.

§ 7. Districtius inhibentes quibusvis Camerae praefatae spoliorum collectoribus, nunc et pro tempore existentibus, sub indignationis nostrae, et privationis eorum officiorum poena, ne in ornamentis et paramentis, ac vasis et libris praefato cultui divino dicatis, ac alias in rebus sacris, necnon supellectilibus praefatis quomodolibet se intromittant, nec in eorum inventariis tanquam spolia redigant seu describant, sed ornamenta et paramenta, necnon vasa et libros, aliaque divino cultui dicata huiusmodi ecclesiis et monasteriis, cappellis et aliis beneficiis huiusmodi, eorumque rectoribus et aliis praefatis libere admittant et consignent, ac consignari faciant cum effectu, ac supellectilia praedicta, in locis, ubi constiterint, relinquant.

Decretum irritans.

§ 8. Ac decernentes sic, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quicquid secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio et facultates.

§ 9. Quocirca dilectis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, et singulis locorum ordinariis, ac maiorem dignitatem post pontificalem in universis ecclesiis cathedralibus et metropolitanis pro tempore obtinentibus, per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, quoties pro parte quorumcumque in praemissis interesse habentium, ut praefertur, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac singulos, quos literae ipsae concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Clausulae derogatoriae.

§ 10. Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi, iuramento, cofirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, facultatibus testandi, aliisque privilegiis, indultis et literis apostolicis, quibusvis concessis, approbatis

et innovatis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa mentio facienda esset, illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, illis in reliquis in suo robore permanentibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Divisio ornamentorum etc. quando beneficiatus obtinet plura beneficia.

§ 11. Volumus autem quod si aliquis ex patriarchis, episcopis, abbatibus seu commendatariis et aliis beneficiatis praefatis, pluribus ecclesiis seu monasteriis pro tempore, simul vel successive, praefuerit, seu plura beneficia obtinuerit, ornamenta et paramenta ac res et bona praedicta, ad illa omnia, habita ratione fructuum et temporis quo eadem beneficia possedit, omnino pertineant, et proportionaliter inter ea dividantur.

Forma publ. hanc const.

§ 12. Quodque praesentes literae in Cancellaria nostra Apostolica et acie Campi Florae de more publicentur, et inter constitutiones perpetuo valituras describantur.

Transumptorum fides.

§ 13. Et quia difficile foret *etc.*

Sanctio pœnalis

§ 14. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, III kalendas septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 augusti 1567, pontif. anno II.

LXV.

Iurisdictio consulum artis lanae in Urbe, cognoscendi causas ad artem ipsam spectantes.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Causa constitutionis

Ut ad artis lanae, quae tamquam nobilis Mediolani, Neapoli, Florentiae aliisque insignibus civitatibus, in illarum decus et ornamentum, ac civium et populi utilitatem et sustentationem, quam maxime quotidie exercitatur, exercitium etiam in hac alma Urbe nostra, temporum iniuria iam pene collapsum, restaurandum, et suo pristino splendori restituendum, dilecti filii collegium seu societas mercatorum artis lanae Urbis nostrae eo efficacius excitentur, illique alacrius intendant, quo uberiori Sedis Apostolicae munificentia noverint se confoveri, collegium seu societatem praedictam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes.

Confirmatio privilegior. et statutorum artis lanae Urbis.

§ 1. Omnia et singula ipsius collegii seu societatis capitula, ordinationes, statuta, privilegia, indulta, immunitates, exemptiones aliasque gratias a quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quomodolibet concessa, approbata et innovata, etiamsi illa in usu esse desierint, illorum omnium necnon literarum et instrumenti seu instrumentorum desuper confectorum tenores, pro expressis et insertis habentes, ac, prout illa concernunt, in dictis literis seu instrumentis contenta, et inde secuta quaecumque, licita et honesta ac sacris canonibus non contraria, apostolica auctoritate perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, quoad omnes et singulas personas dictam artem exercentes in perpetuum.

Iurisdictio et facultates consulum eiusdem artis cognoscendi causas artem ipsam concernen.

§ 2. Necnon quod moderni et pro tempore existentes ipsius collegii seu societatis consules, de omnibus et singulis causis, tam civilibus quam criminalibus seu mixtis, etiam ratione praeteritorum (quatenus instructae non sint), lanae artem concernentibus, iuxta praefata statuta et ordinationes in futurum cognoscere, easque decidere et terminare libere et licite valeant, ita quod causae praefatae per modernos et pro tempore existentes Urbis praefatae gubernatorem et senatorem et conservatores aliosque capitolinos iudices et caeteros, etiam maiores, magistratus, quovis

praetextu vel colore, reassumi non possint, ipsos consules in ordinarios iudices constituendo et deputando, perpetuo statuimus et ordinamus. Ac confirmationem, approbationem, adiectionem, suppletionem, exemptionem, liberationem, constitutionem, deputationem, statutum et ordinationem praefata suos plenarios et integros effectus sortiri, et inviolabiliter observari, ac eisdem exercentibus et collegio suffragari, et illos ad omnimodam suorum statutorum observationem teneri, et efficaciter obligatos fore.

Clausulæ præservativae

§ 3. Ac literas super praesentibus conficiendas in libris Camerae et Capitolii, si videbitur, registrari, et nullo umquam tempore, quovis quaesito colore vel ingenio, de subreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari vel impugnari, nec sub quibusvis revocationibus, suspensionibus vel derogationibus, limitationibus similium vel dissimilium gratiarum, a nobis vel dicta Sede pro tempore emanatarum, comprehendi, sed semper ab illis exemptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, et de novo, etiam sub data per eosdem collegium seu societatem eligenda, concessas ac validas et efficaces esse et censeri.

Decretum irritans.

§ 4. Et sic per quoscumque iudices *etc.*, etiam S. R. E. cardinales, sublata *etc.*, iudicari et definiri debere; irritum quoque *etc.* decernimus.

Inhibitio contra iudices Urbis, ne consules et alios desuper impediant

§ 5. Necnon modernis et pro tempore existentibus camerario, praesidentibus et clericis Camerae Apostolicae, ac senatori, conservatoribus, gubernatori aliisque Urbis praedictae magistratibus, dohaneriis, commissariis et aliis personis, ne collegium seu societatem, illiusque singulas personas praedictas super praemissis in aliquo molestare, perturbare vel impedire, quovis quaesito colore vel ingenio, audeant seu praesumant, in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae, ac mille ducatorum auri de Camera per contrafacientes eo ipso, toties quoties *etc.*, incurrenda, partim collegio seu societati huiusmodi, partim hospitali S. Iacobi Incurabilium de Urbe applicanda, poenis, districtius inhibemus; quinimmo, collegio illiusque personis praefatis, quoad praemissa eorumque executionem, quantum in eis fuerit, ac prout ad illos, communiter vel divisim, pertinebit, faveant et assistant, ac eadem praemissa integre observari faciant, praecipimus et mandamus.

Clausulae derogatoriae

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praescriptione, etiam longissimi temporis; necnon dictae Urbis, etiam iuramento, *etc.* roboratis, statutis, consuetudinibus, inhibitionibus, declarationibus et decretis, etiam per nos et quosvis Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam motu simili, *etc.* hactenus factis et in posterum faciendis; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam populo Romano, senatori, conservatoribus, gubernatori praedictis, ac clericis et gabellariis, dohaneriis, commissariis aliisque deputatis et personis, quocumque nomine nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientia similibus, concessis *etc.*, quibus omnibus in literis latissime extendendis, illorum tenores *etc.*, hac vice latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat, ut petitur. M.

Repetitio clausularum.

§ 7. Et cum absolutione a censuris, ad effectum *etc.*; et quod instrumenta, literarum, statutorum, privilegiorum, exemptionum aliorumque praedictorum tenores habeantur pro expressis, seu in toto vel parte exprimi, aut de verbo ad verbum inseri possint. Et cum confirmatione, approbatione, adiectione, suppletione, exem-

ptione, liberatione, statuto, ordinatione, decreto, inhibitione, praecepto, mandato et derogatione praefatis, quae hic pro singulariter repetitis habeantur, in forma gratiosa, ad perpetuam rei memoriam, latissime extendendis, et cum opportuna, si videbitur, executorum deputatione, qui assistant, etiam sub censuris *etc.* cum potestate aggravandi *etc.*, interdictum ecclesiasticum apponendi, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii sæcularis, cum derogatione constitutionum de una et duabus diaetis, non tamen ultra tres.

Sola signatura sufficit.

§ 8. Et quod sola praesentis motus proprii sufficiat signatura, et ubique, etiam in iudicio, fidem faciat, regula contraria non obstante, super qua literae, etiam per breve nostrum, cum maiori et veriori præmissorum expressione, expediri possint.

Datum Romæ apud S. Petrum, nonis septembris, anno II.

Fiat. M.

Dat. die 5 sept. 1567, pontif. anno II.

LXVI.

Declaratio quod Ordines tam S. Dominici, et S. Francisci, quam Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum, ac Servorum B. Mariæ sunt vere et proprie Ordines religiosi Mendicantes, etiam si in communi bona, quamvis immobilia, possideant, eorumque gratiis omnibus perfruuntur.

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, tam universalis christianae quam singularum eius Religionum praecipuus defensor, omnibus illarum incommodis, pro sui pastoralis officii debito, libenter occurrit, et eorum indemnitati, salubribus, iuxta temporum morumque exigentiam, declarationibus et aliis remediis consulere solet opportunis.

Causa huius declarationis.

§ 1. Sane, licet dilecti filii omnium Mendicantium Ordinum fratres a contributione seminarii clericorum, in qualibet civitate iuxta eiusdem concilii formam erigendi, per Tridentini concilii decreta eximantur, nosque, inter alia, eisdem Mendicantium Ordinum fratribus concessa privilegia, eos et eorum quemlibet, tam a seminarii huiusmodi contributione quam subsidio quomodolibet, necnon decimis quibuscumque et caeteris aliis oneribus, apostolica auctoritate similibus exemerimus et liberaverimus, eosque ad illorum omnium contributionem nullo umquam tempore cogi et compelli posse decreverimus; cum tamen non sine animi molestia nuper accepimus, nonnulli locorum ordinarii, et forsan in provincialibus conciliis, eo forsan sub praetextu quod Ordinum Mendicantium fratres huiusmodi bona stabilia ex indulto seu dispensatione apostolica retinere possunt, et propterea Mendicantes revera non sint, eos ad seminarii, subsidii, decimarum et aliorum onerum huiusmodi contributionem cogere forsan praesumpserunt, et in dies praesumunt, in grave ipsorum Ordinum gravamen et præiudicium non modicum.

Declaratio de qua in rubr.

§ 2. Nos, animo revolventes eos ex fructibus bonorum huiusmodi varias reipublicae christianae utilitates afferre, cum ex ipsis varios magistros et doctores manuteneant, ex quorum doctrina ipsorum fratres novitii, eruditi postmodum effecti, gregem dominicum praedicationibus suis, consiliis, confessionibus, orationibus aliisque innumeris pietatis operibus iuvent et pascant, eorumque domos, non minus quam ea, quae per ordinarios erecta sunt, seminaria vocari posse, et propterea Mendicantium nomen amittere nullo modo debere. Volentes idcirco omnem dubitandi materiam amputare, omnes et singulos Mendicantium Ordinum fratres huiusmodi, ac eorum singulos a quibusvis excommu-

nicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; necnon quarumcumque litium et causarum, coram quibusvis iudicibus et ubicumque quomodolibet pendentium, status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, necnon quorumcumque privilegiorum, indultorum, exemptionum et immunitatum eorumdem Ordinum Mendicantium fratribus hactenus quomodolibet concessorum tenores, praesentibus pro expressis habentes, lites quoque et causas praefatas, ut praefertur, pendentes, ad nos harum serie advocantes, illasque penitus extinguentes, et collitigantibus huiusmodi perpetuum super præmissis silentium imponentes, motu proprio, non ad ipsorum fratrum vel alicuius eorum nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos quatuor Mendicantium Ordinum, videlicet S. Dominici, et S. Francisci, ac Eremitarum S. Augustini, necnon Carmelitarum, et quos etiam recenseri volumus, Servorum B. Mariae nominibus comprehensos fratres, eorumque domus, monasteria et loca, etiamsi in communi propria bona, tam mobilia quam immobilia et stabilia ac alia quaecumque, possederint, Mendicantium vocabulo et omnibus et singulis Mendicantium privilegiis eis quomodolibet concessis uti posse et debere, nec super præmissis ullo umquam tempore molestari posse, auctoritate apostolica per praesentes statuimus et declaramus, ac tam concilii Tridentini, quam omnia et singula alia decreta, statuta, ordinationes, privilegia et iura de Mendicantibus loquentia, ad omnes et singulos Ordines praefatos eorumque domos et loca, etiam propria bona in communi tamen retinentes, extendimus et ampliamus, illaque de illis loqui etiam auctoritate praefata, per easdem praesentes, declaramus.

Inhibitio contra ordinarios et alios, ne desuper eos molestent, et si quid exactum est restituant.

§ 3. Ac insuper eisdem ordinariis et quibusvis aliis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quavis auctoritate fungentibus, in virtute sanctae obedientiae, et aliis arbitrio nostro moderandis poenis, similiter per praesentes mandamus ut, si quid per eos, tam nostro quam praedecessoris nostri temporibus, tam ratione seminarii, subsidii et decimarum, quam aliorum onerum huiusmodi, exactum fuit, id totum eisdem fratribus, omni mora et dilatione postpositis, restituant; districtius inhibentes eisdem locorum ordinariis cæterisque personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quavis auctoritate fungentibus, et cuiusvis dignitatis, gradus et conditionis existentibus, ne eosdem Mendicantium Ordinum fratres praefatos, bona huiusmodi retinentes, quovis praetextu, super seminarii, subsidii et decimarum contributione molestare, inquietare vel perturbare audeant vel praesumant.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Decernentes quoque praesentes literas nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari nullatenus posse; minusve sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, restrictionibus et aliis contrariis dispositionibus, tam per nos quam etiam successores nostros quomodolibet, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque decretis, pro tempore factis et faciendis, quorumcumque tenorum existant, includi; sed, illis non obstantibus, in suis robore et efficacia persistere, et quoties illae ema-

nabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, etiam sub data etiam per ipsos eligenda de novo concessas esse, et ita incommutabilis voluntatis et intentionis nostrae esse; et ad hoc, ut perpetua firmitate subsistant, vim validi et efficacis contractus inter Sedem Apostolicam et praefatorum Ordinum Mendicantium huiusmodi fratres habere debere. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio et facultates.

§ 5. Quocirca, dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, necnon quarumcumque, tam cathedralium quam collegiatarum, ecclesiarum decanis, praepositis, archipresbyteris, archidiaconis, thesaurariis et quibusvis aliis in eisdem ecclesiis dignitates obtinentibus, ubilibet et in quibuscumque regionibus, terris et locis existentibus, per praesentes motu simili mandamus quatenus ipsi et eorum quilibet, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum fratrum vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis omnibus *etc.*, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos vel eorum quempiam super illis quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo. Et nihilominus, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas quis, vigore praesentium, ad iudicium non trahatur, et aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, et ex certa scientia, ac apostolicae potestatis plenitudine, ac alias quomodolibet, etiam consistorialiter concessis, approbatis, confirmatis, et saepius innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret (tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris), hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

§ 8. Quodque eædem praesentes in val-

Forma et effectus publicationis

vis Cancellariae Apostolicae et basilicae Principis Apostolorum de Urbe necnon in acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris publicentur, et inter extravagantes constitutiones perpetuo valituras conscribantur, ac, postquam publicatae fuerint, plenam et indubiam fidem faciant, necnon omnes et singulos illas concernentes perinde ligent, ac si essent personaliter intimatae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 octob. 1567, pontif. anno II

LXVII.

Prohibitio transeundi ab Ordine fratrum Minorum Cappuccinorum S. Francisci de Assisio ad Ordinem Minimorum Sancti Francisci de Paula, et contra.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sedis Apostolicae solertia, dum ad salutare quorumdam remedium extructa in eorum detrimentum vergere conspicit, ne quod illis profuturum maturitate summa providisse comperitur, noxium incauto ministerio efficiatur, celeris provisionis opem afferre consuevit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Causae huius prohibitionis.

§ 1. Sane accepimus quod, cum aliquando contingat aliquos fratres religiosos, tam Ordinis S. Francisci Cappuccinorum quam eiusdem S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum, de uno loco ad alium, etiam forsan absque suorum superiorum licentia, transferri, exinde perturbationes et mala exempla inter eosdem fratres saepius oriri solent.

Prohibitio de qua in rubrica.

§ 2. Nos, cupientes perturbationibus et malis exemplis huiusmodi, quantum cum Deo possumus, obviare, motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa nostra scientia, quod de caetero, perpetuis futuris temporibus, nullus ex fratribus Cappuccinis ad dictum Ordinem S. Francisci de Paula, nec, e converso, quod nullus frater eiusdem S. Francisci de Paula ad Ordinem fratrum Cappuccinorum huiusmodi, ullo unquam tempore, et quacumque etiam et quantumcumque iustissima causa, etiam de licentia suorum superiorum, se transferre possit, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Poenae contravenientium.

§ 3. Decernentes statutum et ordinationem huiusmodi, per fratres praefatos, sub indignationis nostrae poena, inviolabiliter observari debere, ac ex nunc irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, tam ordinaria quam delegata, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Caeterum, quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca, in quibus de eis fides forsitan facienda foret, deferri, volumus ut ipsarum transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI octobris, MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 octobris 1567, pontif. anno II.

LXVIII.

Homicidae, blasphemi, sacrarum imaginum percussores, aliaque nonnulla patrantes delicta in principatu Cataloniae, regno Aragonum, comitatibus Rosilionis et Ceritaniae, et confugientes ad ecclesias, possunt per iudices saeculares, cum interventu iudicum ecclesiasticorum, ab eisdem ecclesiis extrahi [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Causa constitutionis edendae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Hispaniarum rex catholicus, quod in regno Aragonum, et principatu Cataloniae, ac comitatibus Rosilionis et Ceritaniae, plures facinorosi gravia et atrocia crimina committentes reperiuntur, quae oculos divinae Maiestatis offendunt, et perpetrato crimine, ad ecclesias, monasteria, hospitalia, oratoria et sacella ad se in eis tuendum, ne per regios et alios saeculares officiales iudices et ministros capiantur et de eorum delictis puniantur, confugiunt, regiam iurisdictionem illudentes, sequc in suis facinorosis criminibus et delictis confoventes.

Philippi regis preces.

§ 2. Quare praefatus Philippus rex, cui, pro suo debito, provincias sibi subiectas sceleratis hominibus expurgare incumbit, nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Illius vices in terris gerimus, qui maleficos vivere pati vetuit, nolentes praemissa tam pessimi exempli sub silentio pertransire, et quod ecclesiastica immunitas improbis et facinorosis delinquendi materiam subministret, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Philippo regi, quod omnes et singuli illius et suorum proregum et gubernatorum ac aliorum ministrorum iudices, officiales et ministri, saecularem iurisdictionem in dictis regno et principatu ac comitatibus ac singulis civitatibus, villis, oppidis et terris et locis in illis consistentibus et illis adiacentibus exercentes, omnes et singulos, cuiuscumque gradus, qualitatis, dignitatis et præeminentiæ fuerint, qui crimina infrascripta, videlicet læsæ maiestatis aut peccati notorii, propter quod ira Dei in filios diffidentiae venit, seu ex proposito deliberato assassinium seu incendium fecerint et commiserint, seu aliquam honestam mulierem virginem vel coniugatam aut viduam rapuerint, vel monetam aut publicas scripturas falsificaverint, seu publici fures, seu in stratis aut viis publicis fuerint, seu aliquem archibuseto seu sclopeto, alias sclopio prohibito ad rotam, occidere procuraverint, et ad actum proximum devenerint, quamvis eum non vulneraverint vel tetigerint, aut per triginta passus ante ipsas ecclesias, monasteria, oratoria, sacella homicidium commiserint, seu qui plura homicidia perpetraverint, seu si atrociores blasphematores, et qui imaginem Dei vel sanctorum percusserint vel deturpaverint, sive ex ira vel in contemptum combusserint, vel in terra proiecerint, seu qui nocturno tempore, per civitates, oppida et loca furta commiserint, ad quascumque, etiam metropolitanas et cathedrales, collegiatas et alias ecclesias, monasteria, oratoria, sacella saecularia et quorumvis Ordinum regularia confugientes, ab illis extrahere, capere, incarcerare et, prout iustitia et suorum demeritorum qualitas exegerit ac requisiverit, punire et castigare, absque conscientiae scrupulo, et censurarum et poenarum contrafacientibus praemissa inflictarum incursu, libere et licite possint et valeant, tenore praesentium, auctoritate apostolica et ex certa nostra scientia, licentiam et facultatem damus, concedimus et elargimur.

Ecclesiastica immunitas improbis delinquendi materiam praebere non sinit.

Delinquentes quos in constitutione designat, ex locis ecclesiasticae immunitatis evelli posse decernit a saecularibus potestatibus, quibus licentiam impartitur.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, etiam in favorem dictarum ecclesiarum et monasteriorum illorumque omnium superiorum, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos ac Sedem Apostolicam quomodolibet et sub quibuscumque verborum formis et tenoribus ac cum quibusvis clausulis et decretis concessis, confirmatis et approbatis, etiam *Mare Magnum* seu *Bulla Aurea* nuncupatis, ac ipsarum ecclesiarum immunitatibus eis a iure concessis, quibus omnibus, illorum tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insererentur, pro expressis et insertis ha-

bentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice latissime derogamus, ac sufficienter derogatum esse volumus et decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Licentiam praefatam non concedit, nisi intervenerit iudex ecclesiasticus loci; qui requisitus, si adesse noluerit, non officiet quin effectum licentia concessa obtineat.

§ 4. Volumus autem, et dicta auctoritate decernimus ac declaramus, pro-regem, gubernatorem et ministros regios, aut eorum iudices, officiales et ministros saecularem iurisdictionem exercentes, ab ecclesiis, monasteriis, oratoriis et sacellis huiusmodi aliquem delinquentem, sine interventu iudicis ecclesiastici loci illius, nec extrahere, nec illum capere et incarcerare posse, nisi et casu quo praefati iudices ecclesiastici requisiti una cum eisdem capturae et carcerationi intervenire et assistere recusaverint.

Delinquentes in carcerem ecclesiasticum mandatae esse custodiendos, donec iudex ecclesiasticus de delicto cognoverit.

§ 5. Quodque delinquentes praedicti, postquam a dictis ecclesiis, monasteriis, oratoriis et sacellis extracti, capti et incarcerati fuerint, ad carceres curiae ecclesiasticae reponi, et in illis, sub tuto, securo et firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per praefatos pro-regem, gubernatorem, iudices, officiales, et ministros saeculares detineri et conservari debeant, ac ab illis extrahi, et iudicibus saecularibus praedictis consignari et tradi non possint, nisi prius cognito per dictum iudicem ecclesiasticum loci, si ipsi carcerati aliquod ex criminibus et delictis praedictis commiserint et perpetraverint, factaque commissione huiusmodi, si repertum fuerit ipsos carceratos aliquod ex criminibus et delictis praedictis commisisse et perpetrasse, illos eisdem iudicibus saecularibus, per praefatos iudices ecclesiasticos, sine alicuius conscientiae scrupulo, et irregularitatis et aliarum pœnarum incursu, dari et consignari debere; et si per dictum iudicem ecclesiasticum iudicatum fuerit non esse aliquod ex supra dictis delictis, tunc per iudicem saecularem, si sibi videbitur, haberi recursum ad iudicem ecclesiasticum cancellariae regiae principatus et comitatuum huiusmodi volumus.

Clausulae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 7. Et quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 octobris 1567, pontif. anno II.

LXIX.

Literae Pauli IV et Pii IV, per quas statuitur clericos principatus Cataloniae et comitatus Rosilionis in habitu et tonsura incedere debere, alias privilegio clericali non gaudeant, valent et intelligi debent iuxta terminos capituli VI *sessionis* XXIII *Concilii Tridentini* [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio Pauli IV.

§ 1. Exposito alias felicis recordationis Paulo Papae IV, praedecessori [illegible] pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, quod, licet iuxta canonicas sanctiones, clerici habitum et tonsuram clericales honeste deferre, alias privilegio clericali minime gaudere deberent; verum in principatu Cataloniae, et Rosilionis et Ceritaniae comitatibus, eidem Philippo regi subiectis, dictorum clericorum sine abitu et tonsura huiusmodi incedentium tanta inoleverat delinquendi licentia, seu potius insolentia, ut nulla fere in principatu et comitatibus praedictis homicidia, rapinae, assassinia et alia atrocia crimina committebantur, quorum aliquis clericus auctor vel particeps non existeret; idque

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ex eo provenire credebatur, quia dicti clerici, cum per curiam saecularem coerceri, et a iudicibus ecclesiasticis poena sanguinis affici non possent, iuxta exigentiam delictorum non puniebantur, et propter eorum impunitatem crescebat in eis peccandi libido, et facilitas veniae innocentibus delinquendi occasionem praebebat, et alii impunitatis huiusmodi exemplo, ad similia facinora perpetranda invitabantur.

Impunita scelera peccandi augent licentiam.

§ 2. Dictus praedecessor, ipsius Philippi regis supplicationibus in ea parte inclinatus, venerabili fratri Salvatori, episcopo Clusinensi et suo Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum tunc nuncio, per eius in forma brevis literas commisit et mandavit quatenus omnes et singulos, tam coniugatos quam alios simpliciter tonsuratos, et minorum ordinum clericos non coniugatos, nullum beneficium ecclesiasticum obtinentes, in principatu et comitatibus praedictis pro tempore existentes, per edictum publicum in cathedralibus et metropolitanis ecclesiis principatus et comitatuum huiusmodi, dum inibi populi multitudo ad divina audienda conveniret, alta voce denunciandum, et in valvis dictarum ecclesiarum affigendum, moneret et requireret, ac moneri et requiri faceret ut infra terminum duorum mensium, quos eis pro peremptorio termino et trina monitione canonica assignaret, de caetero vestem prolixam et birretum rotundum ac coronam, more illarum partium presbyterorum saecularium honeste deferrent, et sine armis offensivis incederent; et si, dicto termino elapso, non deferrent et sic ut praefertur non incederent, eosdem foro saeculari subiectos fore, et tamquam laicos per curiam saecularem, etiam usque ad vindictam sanguinis ultimique supplicii poena puniri posse; et quod, elapso anno ab edicto huiusmodi, vestem et birretum ac coronam huiusmodi ad minus per sex menses ante perpetratum delictum detulissent, probandi onus eis incumberet, in dictis requisitione et monitione, eadem auctoritate decerneret.

Quare statuitur clericos tam coniugatos quam non coniugatos cum habitu et clericali tonsura debere incedere in principatu Cataloniae aliisque adiacentibus provinciis.

§ 3. Felicis recordationis Pius Papa quartus vero, ad ipsius Philippi regis supplicationem, mandatum, ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, literas praedictas per suas in forma brevis literas approbavit et innovavit, illasque perpetuae firmitatis robur obtinere, ac perpetuo inviolabiliter observari debere, et quatenus literae dicti Pauli praedecessoris, tunc publicatae et executioni demandatae non essent, per dictum Salvatorem episcopum aut alium pro tempore existentem partibus illis suum et dictae Sedis nuncium, illarum forma servata, iuxta illarum tenorem et formam publicari, et executioni demandari potuisse et debuisse decrevit, concessit et mandavit.

Constitutio Pii IV alteram Pauli IV supra confirmans.

§ 4. Et quia ab oecumenico concilio Tridentino, sessione XXIII, capitulo VI, statutum et ordinatum existit quod nullus primae tonsurae initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiae ex mandato episcopi inserviat, vel in seminario clericorum aut aliqua schola vel universitate, de licentia episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos, versetur; in clericis vero coniugatis servetur constitutio Bonifacii VIII, *Qui cum unici*, modo ii clerici alicuius ecclesiae servitio vel ministerio ab episcopo deputati, etiam ecclesiae serviant vel ministrent, et clericali habitu et tonsura utantur, nemini, quoad hoc, privilegio vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante.

Conditio requisita ut privilegio fori clericus gaudeat iuxta sanctionem concilii Tridentini.

§ 5. Praefatusque Pius praedecessor, per alias suas sub plumbo literas, quod omnes gratiae et concessiones, in omni-

Concessiones autem omnes contra tenorem dicti canonis irritavit Pius.

bus et singulis quibus illae statutis et decretis dicti concilii contrariantur, ipso iure revocatae, cassatae et annullatae, ac ad concilii huiusmodi terminos atque limites reductae essent et esse censerentur, et secundum decreta dicti concilii tantum observarentur, nec aliquid adversus dicta decreta et statuta apud aliquos permitterent, nec in aliquo suffragari possent, sed ea perinde haberi et reputari debere, ac si numquam emanassent, declaravit, statuit et ordinavit, prout in singulis praedecessorum literis et capituli concilii huiusmodi, quorum omnium tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habemus, plenius continetur.

Causa praesenti constitutionis edendae.

§ 6. Cum autem nuper praefatus Philippus rex nobis exponi fecerit quod a nonnullis dictas priores literas Pauli et Pii praedecessorum per concilium et posteriores literas dicti Pii praedecessoris huiusmodi revocatas, aut saltem moderatas, et ad decretum concilii praedicti reductas fuisse haesitetur, ad tollendam huiusmodi dubitationem, nobis humiliter supplicari fecit quatenus dubitationem et haesitationem huiusmodi de benignitate apostolica tollere dignaremur.

Concilii Tridentini sanctionem enunciatis constitutionib. non officere declarat et decernit;

§ 7. Nos igitur, considerantes priores literas dictorum praedecessorum, et in eis contenta, statuta et ordinata, iusta, honesta et rationabilia esse, cum clerici ab illicitis et inhonestis se abstinere debeant, ipsique clerici, qui clericali charactere illiusque privilegiis et immunitatibus uti, frui et gaudere desiderant, habitum et tonsuram clericorum, prout presbyteri principatus et comitatuum huiusmodi, deferre debeant, ipsius Philippi regis, asserentis in principatu et comitatibus huiusmodi presbyteros modo praedicto incedere consuevisse, supplicationibus hac parte inclinati, dictas priores literas, quarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum inserrentur praesentibus, haberi volumus pro expressis, a statutis et ordinatis in concilio huiusmodi, neque per posteriores literas dicti Pii praedecessoris revocatas esse, sed tantum ad terminos et dispositionem dicti capituli VI sessionis XXIII reductas esse et censeri debere in omnibus et per omnia, per praesentes, auctoritate apostolica et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, declaramus.

Praefatas constitutiones pro maiori valore confirmat et approbat;

§ 8. Et ut priores literae praedecessorum huiusmodi maiorem firmitatem et robur obtineant, illas confirmamus et approbamus, et inviolabiliter observari debere, iuxta terminos dumtaxat dicti capituli VI, mandamus; et si praefati clerici primae tonsurae non coniugati, beneficia ecclesiastica non obtinentes, et coniugati, contenta in dictis prioribus literis ipsorum praedecessorum, iuxta ordinata et statuta in dicto sexto capitulo concilii huiusmodi, non observabunt, et habitum et tonsuram dictos, prout clerici principatus et comitatuum huiusmodi deferre consueverunt et deferunt, ut praefertur, non detulerint, foro et immunitate clericorum gaudere et frui non possint, sed ut mere laici habeantur et reputentur, et ut tales laici per iudices saeculares, prout in dictis prioribus literis continetur, capi, carcerari, puniri et castigari possint et valeant.

Praefatas literas per nuncium apostolicum publicari praecipit;

§ 9. Et nihilominus venerabili fratri archiepiscopo Rossanensi apud praefatum Philippum regem, nostro et Sedis Apostolicae nuncio, quatenus priores literas praedecessorum huiusmodi, illarum forma servata, et iuxta illarum tenorem et formam, et iuxta terminos dumtaxat dicti capitis sexti, ac etiam praesentes, in ecclesiis praedictis publicare, et executioni demandare faciat.

Adversus eas contraven. non posse archiepiscopos et epi-

§ 10. Necnon venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis dicti principatus et comitatuum, easdem prae-

scopos declarat.

sentes et contenta in dictis prioribus ipsorum praedecessorum literis ac capitulo et praesentibus observare, illisque obedire, et contra illas venire et reclamare non posse.

Praesentes literae nullo vitio notandae.

§ 11. Nec non praesentes et in eis contenta quaecumque, de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis nostrae aut quocumque alio defectu, notari et impugnari non posse, sed validas et efficaces existere, suosque debitos effectus sortiri debere in omnibus et per omnia.

Iuxta eorum tenorem iudicari debere decernit.

§ 12. Et sic et non alias nec aliter, per quoscumque iudices et commissarios, et causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, iudicari et definiri debere, sublata eis et cuilibet illorum quavis aliter iudicandi et definiendi et interpretandi facultate, auctoritate et potestate; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus, concedimus, declaramus, statuimus, praecipimus et mandamus.

Clausulae.

§ 13. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis quae praefati praedecessores, in prioribus literis huiusmodi, non obstare voluerunt. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII octobris MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 octobris 1567, pontif. anno II.

LXX.

Quod spolia monachorum Ordinis Cistercensis spectent ad loca et monasteria in quibus professionem emiserunt; et commendatarii aut commissarii Reverendæ Camerae Apostolicae in illis se non intromittant [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem iustitiae supremum assertorem ad ea libenter intendere, per quae gratiae a Sede Apostolica in favorem quarumcumque, praesertim religiosarum, personarum pro tempore emanatae suum, ut par est, consequantur effectum; et ut id facilius subsequi possit, dubiis et difficultatibus, quae superinde pro tempore oriuntur, aliquando per declarationis quandoque vero per alia remedia providere.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Sane cum, sicut dilecto filio Hieronymo de la Souchiere, abbate generali, vel, pro eo, dilecto filio Dionysio Laceronis, procuratore et vicario, etiam generali, Cisterciensis Ordinis, referente, accepimus, in statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel alia firmitate roboratis, dicti Ordinis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eidem Ordini concessis, ac per felicis recordationis Pium Papam IV, praedecessorem nostrum, et Sedem Apostolicam confirmatis, inter alia, disponatur quod, in spoliis, rebus et bonis monachorum Ordinem ipsum professorum, in quibusvis locis et monasteriis pro tempore decedentium, eorum abbates et priores commendatarii, pro tempore existentes, se intromittere nequeant, sed illa monasterii seu prioratus aut loci, in quo dictum Ordinem expresse professi fuerint, et seu eos decedere contigerit, conventuali mensae applicari et incorporari debeant; defuncto tamen superioribus diebus in monasterio de Casamari eiusdem Ordinis, Verulanensis dioecesis, quod dilectus filius Fulvius Philonardus clericus in commendam ex concessione seu dispensatione apostolica obtinet, quondam Antonio Pollutio, ipsius monasterii priore, praefatus Fulvius et quidam Camerae Apostolicae procurator aut commissarius, ipsius Antonii bona, ut ipsa forsan in proprios usus convertere possint, apprehendere, et sibi appropriare contendant, in gravem ipsius monasterii conventualis mensae iacturam, praeiudicium et gravamen.

1 De institutione et toto statu huius Ordinis notavi plene in constitutione III Paschalis II, *Desiderium*, tom. II, pag. 210.

Quod spolia monachor. Ordinis Cisterciensis, non ad eorum commendat. aut cameram Apost. sed ad loca, in quibus professionem emiserunt, spectent.

§ 2. Nos, cupientes ut ea, quae per praedecessores nostros et Sedem praefatam roborata dicuntur, firmiter observentur, ac finem huiusmodi contentioni, futuris autem, quantum cum Deo possumus, obviare volentes, eosdemque Hieronymum abbatem et Dionysium ac singulos monachos Ordinis huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodólibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum, seu alicuius alterius pro eis, nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, quod de coetero tam praefatus Fulvius, quam quicumque alii commissarii [1] quorumcumque monasteriorum et prioratuum vel aliorum locorum dicti Ordinis, tam citra quam ultra montes et in quibuscumque mundi partibus consistentium, et quicumque nostri et Camerae praefatae commissarii et procuratores quomodocumque, in spoliis, bonis et rebus, quaecumque sint, tam praefati Antonii, quam aliorum quorumcumque monachorum dicti Ordinis, in ipsorum commendatariorum monasteriis, prioratibus, locis et iurisdictionibus pro tempore decedentium, se intromittere non possint; sed illa ad monachos monasteriorum seu prioratuum, vel locorum huiusmodi, et seu eorum conventualem mensam, coniunctim vel divisim, pleno iure spectare et pertinere, ac eorumdem monachorum seu mensae fore et esse, eorumque possessionem realem et actualem adipisci et continuare; ipsosque monachos desuper per quoscumque commendatarios, etiam praetextu cuiusvis indulti seu concessionis sibi desuper facti, aut consuetudinis antiquitus observatae, et seu praefatum commissarium, seu quosvis alios, quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari vel inquietari non posse neque debere, auctoritate apostolica, per praesentes decernimus, illasque, quatenus opus sit, eisdem monachis concedimus et assignamus.

Inhibitio contra commendatarios et officiales Camerae.

§ 3. Necnon, tam Fulvio, quam quibusvis aliis commendatariis et commissariis praefatis, ne in spoliis, rebus et bonis pro tempore decedentium monachorum huiusmodi, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, se de coetero intromittere audeant vel praesumant, sub excommunicationis maioris latae sententiae et aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, etiam pecuniariis, arbitrio infrascriptorum iudicum infligendis et moderandis, districtius inhibemus.

Deputatio executorum huius constitutionis.

§ 4. Ac tam venerabili fratri episcopo Soranensi, et dilecto filio Curiae causarum Camerae praefatae auditori generali, quam quibusvis aliis iudicibus, quavis auctoritate fungentibus, per quos, in praemissis, ut praefertur et non alias, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari debere volumus, per praesentes motu simili mandamus quatenus ipsi et eorum quilibet, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Hieronymi et pro tempore existentis eiusdem Ordinis abbatis, seu Dionysii et monachorum huiusmodi, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis, ac tam dicti Antonii defuncti, quam quorumcumque aliorum monachorum dicti Ordinis decedentium, spoliis et bonis, eorumque (cum monachi ipsi decesserint) possessione adipiscenda, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant abbatem et monachos ipsos statutis, privilegiis et indultis, quoad dicta spolia, res et bona, necnon decreto, declaratione, concessione et assignatione ac inhibitione praefatis, pacifice frui et gau-

1 Leg. forsan *commendatarii* (R. T.).

dere, non permittentes eos desuper per quoscumque, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas praefatas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo. Et nihilominus, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae

§ 5. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres quis, vigore praesentium, ad iudicium non trahatur, et aliis apostolicis, necnon provincialibus et synodalibus constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, tam Ordini et commendatariis praefatis, eorumque superioribus et personis, quam Camerae praefatae ac quibusvis illius commissariis et procuratoribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII octobris MDLXVII, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 23 octobris 1567, pontif. anno II.

LXXI.

Fratres Conventuales, necnon Tertii Ordinis sancti Francisci, sub Regula eiusdem Ordinis fratribus de Observantia submittit in regno Portugalliae, extincta omnino conventualitate 1.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

In eminenti dignitatis apostolicae specula, meritis licet imparibus, divina dispositione vocati, ad ea libenter intendimus, per quae singuli Religionum Ordines, abusibus, qui in eos tractu temporis diversimode irrepserunt, eliminatis, antiquo candori suo, quo, Domino auctore, diu claruerunt, restituantur, regulariaque eorum instituta, ad divinae Maiestatis laudem et gloriam imposterum stabiliantur; et ut id votive succedat, cum nos, ob negociorum, quibus assidue premimur, ingentem molem, ubique praesto esse nequeamus, nonnumquam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ac venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis demandamus, prout locorum et temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium. Similem reductionem iniunxit Pius fratrum Conventualium et Tertii Ordinis in provinciis Belgii, Flandriae aliisque regi catholico subiectis, data ad id fr. Angelo Aversano facultate, apostolicis literis datis die 2 novembris 1567, quas, cum similes omnino sint praesentibus, omittendas putavi.

Causa constitutionis edendae.

§ 1. Accepimus sane nuper, non sine animi nostri molestia, quod fratres Ordinis S. Francisci Conventuales nuncupati, in diversis Portugalliae ac Algarbiorum regnorum provinciis aliisque charissimi in Christo filii nostri Sebastiani Portugalliae et Algarbiorum regis illustris dominiis, terris et locis constituti, a nonnullis annis citra, suae professionis, salutis et Religionis immemores, privilegiisque sibi a Sede Apostolica gratiose concessis abutentes, Deique timore postposito, tam licentiosam inhonestamque vitam, et ab institutis fundatoris et patris sui seraphici discrepantem ac remotam ducere non verentur, ut, religiosorum nomine tantum retento, non modo Ordinem regulasque suas dedecorent, verum etiam plerisque ex christifidelibus talia cernentibus scandalum non modicum afferant. Nos, qui tam Ordini praedicto decus et integritatem, suique pristini candoris restitutionem sinceris zelamus affectibus, quam praedicti Sebastiani regis, qui id a nobis animo, qui vere religiosum et catholicum decet principem, iamdudum repetivit, voluntati satisfacere enixe cupimus, volentes praemissis pro nostri pastoralis officii debito providere.

Henrico card. et episcopis suarum dioecesum monasteria reformanda committit.

§ 2. Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostris, dilecto filio nostro Henrico, tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbytero cardinali, Infanti Portugalliae, nostro et Apostolicae Sedis legato de latere, necnon omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis per Portugalliae et Algarbiorum regna aliaque ipsius Sebastiani regis dominia constitutis, in virtute sanctae obedientiae, per praesentes committimus quatenus ipse vel ipsorum archiepiscoporum et episcoporum quilibet, quatenus in sua civitate vel dioecesi Ordinis praedicti, tam virorum quam mulierum Conventualium, etiam Tertii Ordinis nuncupati, si tamen tria substantialia vota emittere consueverunt, domos et monasteria habet, omni humano affectu seposito, Deumque solum prae oculis habens, Ordinis eiusdem de Observantia in regnis et dominiis praedictis commissario generali, seu provinciae, in qua domus et monasteria praedicta consistunt, ministro provinciali, et aliquo seu etiam pluribus eiusdem Ordinis de Observantia fratribus, per praedictum commissarium seu ministrum provincialem eligendis, secum assumptis, ad singula in ipsorum civitatibus et dioecesibus consistentia virorum et mulierum Conventualium, etiam Tertii Ordinis huiusmodi, domos et monasteria personaliter, si id commode fieri poterit, alioquin ipsorum archiepiscoporum vicarii in spiritualibus generales seu officiales, aut aliae personae ecclesiasticae, per dictum Henricum nominandae et deputandae, uno seu pluribus guardianis aut aliis fratribus a commissario vel provinciali prædictis deputandis secum adiunctis, accedant, ac in domibus et monasteriis praedictis formam conventualiter vivendi penitus et in perpetuum, auctoritate nostra, tollant et extinguant.

Sub Regula fratrum de Observantia omnino eos submittit.

§ 3. Ac personas in illis degentes ad eamdem vivendi formam eademque instituta, etiam quoad vestes et calceamenta redigant, quae utriusque sexus religiosi de Observantia vocati observant, ipsasque sorores et moniales Conventuales eorumdem fratrum de Observantia obedientiae, correctioni, visitationi, curae regiminique committant.

Conventualium et Tertii Ordinis monasteria fratrib. de Observantia nec non monialibus tradenda, translatis illorum personis

§ 4. Ac Conventualium huiusmodi seu Tertii Ordinis fratrum et sororum, tria substantialia vota professorum, ecclesias ac monasteria seu domos religiosis Ordinis de Observantia, per ipsos perpetuo habendas, assignent, ac in domos seu monasteria

religiosis ad monasteria de Observantia

huiusmodi alios fratres et moniales de domibus et conventibus ipsorum fratrum et monialium de Observantia, de sibi assistentium fratrum consilio, respective transferant, et ex ipsis domibus de Observantia guardianum et alios officiales, ad domos praedictas regendum et gubernandum idoneos, auctoritate praedicta, deputent atque constituant; ipsos vero fratres et sorores seu moniales Conventuales et Tertii Ordinis praedictos aliorum fratrum de Observantia consortio aggregent atque uniant; necnon ex domibus, quibus antea vitam conventualem egerant, transferant in religiosorum de Observantia domos, et per illas distribuant, ut posthac ipsi de Observantia similiter nuncupentur, et sub eiusdem ministri generalis de Observantia obedientia permaneant.

Facultas conceditur, ut plura monasteria in unum reduci possint in locis, ubi ex eleemosynis fratrum de Observantia victum habere non potuerint

§ 5. Si aliqua vero ipsorum Conventualium monasteria seu domus in locis in quibus, aut propter praemissorum asperitatem vel habitatorum paucitatem et eleemosynarum defectum, verendum sit ne fratres de Observantia inibi vivere possint consistant, ea invicem vel aliis uniant, vel ad alia commodiora loca transferant; aut si quid aliud sibi super praemissis magis necessarium et opportunum visum fuerit, ordinent et statuant.

Qui tria vota substantialia non emiserunt ad ea emittenda non sunt cogendi, sed tamen sub visitatione et correctione fratrum de Observantia esse debent

§ 6. Caeterum, si aliqui fuerint fratres aut moniales Ordinis praedicti, qui seu quae tria vota substantialia nunquam emiserunt, nec in regulari observantia degerunt, eos, prout hactenus vixerunt et permanserunt, ita tamen ut sub visitatione, correctione, superioritate et obedientia dictorum provincialium et generalis fratrum de Observantia huiusmodi degere, eisque in omnibus subiecti et suppositi esse debeant, etiam de caetero vivere et permanere posse decernimus et declaramus; necnon a Conventualibus huiusmodi ad Observantiam translati, si eorum aliquis, pro tranquillitate animi sui, de novo professionem emittere voluerit, etiam probationis anno non expectato, recipiant.

Poena in contradictores.

§ 7. Contradictores vero, si qui fuerint, qui se ad regularis vitae observantiam reduci pertinaciter recusaverint, eos in carceribus, donec ad cor redeant, sub fida custodia retineri faciant, ac iuxta suorum excessuum et delictorum qualitatem puniant; et si aliquorum delicta adeo gravia fuerint ut, si laici essent, ultimo supplicio puniendi forent, ad triremes eos damnent; si modo aetas et vires illi labori sint aptae, alioquin ad perpetuos carceres, in quibus suorum criminum poenas luant, religent; alia vero ipsorum minus gravia crimina, secundum canonicas sanctiones, seu ipsorum cardinalis vel archiepiscoporum aut episcoporum, ad quem spectabit, et commissarii seu provincialis arbitrio, de illi adiunctarum personarum huiusmodi consilio, puniant.

De bonis mobilibus et immobilibus, quid agendum sit praescribit.

§ 8. Bona praeterea quaecumque, mobilia et immobilia, tam quae domus fratrum videlicet dumtaxat Conventualium praedictorum in communi possident, quam fratrum Conventualium antea propria ex consuetudine, vel forsan ex aliquo obreptitio vel subreptitio privilegio et dispensatione apostolica eis obtinere concessa sive permissa, sive ex eorum industria acquisita, vel ex parentum successione, aut ab aliis relicta, legata donatave, ab eis, tam quoad usum et possessionem, quam quoad proprietatem pertinet, in perpetuum abdicent. De conventibus etiam fratrum regularis observantiae, uno vel pluribus, in conventus reformandos huiusmodi, de eodem consilio transferant.

Facultas concessa eis, quibus reformatio commissa est, quousque extenditur.

§ 9. Omnia denique, quae ad abolendam vitam conventualem et vitae regularis observantiam loco eius introducendam, vel ad inquirendam criminum veritatem fuerint quoquo modo necessaria et opportuna, agant, faciant et exequantur.

§ 10. Dummodo tamen ipsis fratribus et sororibus monachis et monialibus, qui ad alium Ordinem regularis observantiae transferri maluerint, dummodo ad Regulam transeant arctiorem, non interdicatur. Ipsorum vero bona praedicta, omnesque huiusmodi domuum et monasteriorum fratrum Conventualium redditus, de assistentium personarum praedictarum consilio, ita distribuant ut, postquam eisdem fratribus de Observantia, in dictos conventus introducendis, de supellectili et omnibus aliis ad eorum victum, divinum cultum, ecclesiarum et domuum reparationem necessariis providerint, reliqua, sub stricto sequestro, penes idoneas personas reponantur seu custodiantur, donec quid nos ipsi super illis decreverimus, seu statuendum duxerimus, per nostras literas intellexerint.

Licentia transeundi ad alium Ordinem, dummodo observantiam teneat.

De bonorum residuo nihil faciendum inconsulto Romano Pontifice.

§ 11. Nos enim sibi, tam praemissa omnia et singula ac alia circa ea necessaria et opportuna gerendi et exercendi, quam contradictores quoslibet et rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem praestantes, per sententias, censuras et poenas praedictas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, necnon interdictum ecclesiasticum imponendo, liberam, auctoritate apostolica, per praesentes facultatem concedimus et impartimur.

Poena in eos qui contra præmissa quidquam fecerint.

§ 12. Districtius inhibentes ipsius Ordinis Conventualium superioribus aliisque quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, et quacumque dignitate, tam ecclesiastica et episcopali, archiepiscopali et cardinalatus, quam mundana, etiam ducali et regia, fungentibus, ne eosdem Henricum cardinalem, archiepiscopos et episcopos vel ab eis subdelegandos, in praemissis, quovis modo et quovis quaesito colore vel ingenio molestare, inquietare vel perturbare audeant vel praesumant.

Pœnae contra Impedientes exequutionem praesentium literarum.

§ 13. Decernentes quoque praesentes literas, nullo unquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari nullatenus posse, minusve illas, etiam quod Ordinis huiusmodi superiores, ad id non vocati fuerint, vel quod ipsi a cardinalis, archiepiscoporum et episcoporum iurisdictione exempti sint, ac propterea ipsis parere nullatenus intendant, impugnari vel contra illas deveniri posse; sed, illis et quibuscumque reclamationibus, appellationibus et contradictionibus omnino cessantibus, in suis robore et efficacia persistere, suosque plenarios effectus sortiri, et ad illorum executionem omnino procedi debere; sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus, super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praesentium literarum firmitas.

§ 14. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; ac monasteriorum, domuum et Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eidem Ordini illiusque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam per viam generalis legis vel statuti

Clausulae speciales.

perpetui, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine et consistorialiter et de fratrum consilio ac alias quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis et saepius innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio seu aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fratribus de Observantia iniungit ut Conventuales aliosque christiana charitate suscipiant.

§ 15. Volumus autem et hortamur fratres de Observantia praedictos, eisque in virtute sanctae obedientiae praecipimus ut fratres Conventuales, quos de nostro et Sedis Apostolicae mandato reformaverint, ex eorum domibus ad suas recipiant, eosque fraterne et caritative, dummodo regulariter et observanter vivant, tractent; ipsisque locum in choro et processionibus, capitulo et quibusvis aliis actibus, tam publicis quam privatis, secundum professionis tempus inter Conventuales emissae, assignent.

Fidem transumptis addit.

§ 16. Quodque praesentium transumptis manu alicuius notarii publici sub scriptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxx octobris MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 octobris 1567, pontif. anno II.

LXXII.

Declaratio portionum assignandarum vicariis perpetuis ecclesiarum parochialium, monasteriis, beneficiis, ecclesiis vel locis piis perpetuo unitarum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad exequendum pastoralis officii debitum vigilantibus studiis intendentes, ad ea, per quae cathedralium aliarumve ecclesiarum, necnon monasteriorum, beneficiorum seu collegiorum ac aliorum piorum locorum prospero profectui, divinique cultus augmento, et opportunae congruaeque substentationi parochialium ecclesiarum eisdem unitarum statui feliciter dirigendo, et personarum in illis curam animarum exercentium utilitati recta ratione et provida moderatione consuli et salubriter provideri valeat, libenter interponimus nostrae sollicitudinis partes.

Ordinarii excedebant mentem concilii Tridentini in assignatione portionum vicariis perpetuis facienda.

§ 1. Hinc est quod nos, ad quorum aures (quod non sine animi nostri molestia referimus) pervenit nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis, in deputandis vicariis, ac in assignatione portionum vicariis perpetuis parochialium dictis ecclesiis, monasteriis, beneficiis, collegiis vel locis piis perpetuo unitarum, ex concilio Tridentino facienda, ita modum excessisse ut parum aut nihil ex fructibus, redditibus et proventibus parochialium ecclesiarum sic unitarum, ecclesiis, monasteriis, beneficiis, collegiis aliisve locis piis remanserit, ob idque multae ortae sint super hoc controversiae circa interpretationes decreti dicti concilii.

Declarat ideo Pontifex iste quantitatem ipsarum portionum.

§ 2. Nos, ad eas tollendas animum intendentes, considerantesque uniones ipsas ideo a praedecessoribus nostris factas esse, ut ex redditibus et emolumentis beneficiorum unitorum ecclesiis, monasteriis, collegiis, beneficiis et locis piis, quibus

illa uniuntur, facilius onera eisdem incumbentia supportentur, et promptius a ministris ecclesiasticis in eisdem divina officia celebrentur, hospitalitas servetur, aliaque caritatis opera exerceantur, ac etiam ut nihilominus cura animarum dictarum parochialium laudabiliter exerceretur, motu proprio et ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus et ordinamus ac declaramus, quemadmodum etiam de ipsius concilii mente fuisse colligimus, patriarchas, archiepiscopos et episcopos praefatos in assignatione portionis ipsis vicariis perpetuis, ex praedicto concilio ipsorum praelatorum arbitrio facienda, ita se continere et arbitrari debere, ut non maior centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis omnibus, etiam incertis emolumentis et aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omnino assignetur, nisi vicariis solitum fuisset plus assignari, sive in quantitate aut quota fructuum, pecuniaque numerata, fundo seu alia re stabili portio huiusmodi constituatur, cuiuscumque valoris parochialis ecclesia unita fuerit, et habita etiam ratione redditiuum et onerum loci, cui parochialis ipsa unita fuerit: ita quod portiones ultra vel infra dictas summas scutorum centum et scutorum quinquaginta hactenus assignatae, vel in posterum forsan assignandae, quoad excessum et defectum huiusmodi, nullius roboris et momenti existant, et ad summas praedictas reductae et auctae respective censeantur, nisi tamen valor annuus ipsius parochialis unitae, habita ratione ut praefertur, minor sit quinquaginta scutis; quo casu portio assignata vel assignanda vicario perpetuo, non debeat excedere summam annuam valoris dictae parochialis, sed sufficiat quod omnes fructus eius dumtaxat attribuantur ipsi vicario perpetuo.

Et ad quos spectet onus solvendi quindennia pro ipsis portionibus,

§ 3. Et quoniam iniquum esset eos, qui commodis privantur, eadem onera, quae prius sustinebant, debere sufferre, volumus et statuimus quod ecclesiae, monasteria, collegia, beneficia et pia loca huiusmodi, in quorum parochialibus ecclesiis unitis contingat vicarias praedictas erigi, pro quantitatibus fructuum ipsis vicariis perpetuis assignatorum, ad solutionem quindenniorum, quam nobis et Camerae Apostolicae solvunt, ulterius non teneantur, sed eis detractio fiat ad ratam certorum, quae de fructibus dictarum parochialium percipiuntur. Ita tamen quod vicarii perpetui, qui pro tempore deputabuntur, teneantur accipere a Sede Apostolica novam provisionem suae deputationis, et solvere annatam pro portione fructuum, redditiuum et proventuum certorum sibi assignata, et expedire literas apostolicas, nec alias ad possessionem dictarum vicariarum perpetuarum et servitutum earumdem parochialium admitti possint, nisi soluta annata et expeditis literis apostolicis novae provisionis, ut praefertur, alioquin integrum quindennium solvi debere, nec vicarii praedicti antea tuta conscientia fructus percipere possint.

Eligendique vicarios.

§ 4. Volumus insuper, et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum seu eorum vicariorum, praevio examine, approbatione, deputentur.

Facultas Mendicantium, quoad vicarias locis eorum unitas.

§ 5. Et si dictae parochiales unitae erunt monasteriis regularium Mendicantium, possint a superioribus dictorum monasteriorum nominari ex ipsis Mendicantibus. Quos, si ordinarii, praevio examine per se aut eorum vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, et ita pro idoneis approbaverint, teneantur in vicarios, ad nutum tamen superiorum suorum amovibiles,

deputare. Idemque etiam servetur in regularibus monachis tantum, dummodo in ea parochiali, in qua unus ex monachis fuerit, servata forma praedicta, vicarius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis monachis.

Decretum irritans.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi potestate, iudicari et interpretari debere; necnon irritum et inane decernimus quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, attentatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi.

§ 8. Volumus autem quod praesentes literae in Cancellaria nostra Apostolica, et ad valvas Principis Apostolorum de Urbe, de more publicentur, et inter constitutiones perpetuo valituras describantur.

Exemplorum fides.

§ 9. Et quia difficile foret eas ad singula quaeque loca deferri, quod earum transumptis *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, kalendis novembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 novemb. 1567, pontif. anno II.

LXXIII.

Prohibitio agitationis taurorum aliarumque ferarum bestiarum, cum annullatione votorum et iuramentorum desuper adhibitorum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

De salute gregis dominici nostrae curae divina dispensatione crediti, prout ex debito pastoralis officii adstringimur, sollicite cogitantes, fideles cunctos gregis eiusdem ab imminentibus corporum periculis, etiam animarum pernicie, perpetuo arcere studemus.

Causa prohibitionis.

§ 1. Sane, licet detestabilis duellorum usus, a diabolo introductus ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex decreto concilii Tridentini prohibitus fuerit, nihilominus adhuc in plerisque civitatibus et aliis locis quamplurimi, ad ostentationem virium suarum et audaciae, in publicis privatisque spectaculis, cum tauris et aliis feris bestiis congredi non cessant, unde etiam hominum mortes, membrorum mutilationes, animarumque pericula frequenter oriuntur.

Prohibitio agitationis taurorum et ferarum bestiarum.

§ 2. Nos igitur, considerantes haec spectacula, ubi tauri et ferae in circo vel foro agitantur, a pietate et caritate christiana aliena esse, ac volentes haec cruenta turpiaque daemonum et non hominum spectacula aboleri, et animarum saluti, quantum cum Deo possumus, providere, omnibus et singulis principibus christianis, quacumque, tam ecclesiastica quam mundana, etiam imperiali, regia vel quavis alia dignitate fulgentibus, quovis nomine nuncupentur, vel quibusvis communitatibus et rebuspublicis, hac perpetuo nostra constitutione valitura, sub excommunicationis et anathematis poenis ipso facto incurrendis, prohibemus et interdicimus ne, in suis provinciis, civitatibus, terris, oppidis et locis, huiusmodi spectacula, ubi taurorum aliarumque ferarum bestiarum agitationes exercentur, fieri permittant. Militibus quoque cæterisque aliis personis, ne cum tauris et aliis in præfatis spectaculis, ipsi tam pedestres quam equestres congredi audeant, interdicimus.

Moriens ibi, careat ecclesiastica sepultura.

§ 3. Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, ecclesiastica careat sepultura.

Clerici spectaculis non intersint.

§ 4. Clericis quoque, tam regularibus quam saecularibus, beneficia ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris ordinibus constitutis, sub excommunicationis poena, ne eisdem spectaculis intersint, similiter prohibemus.

Contractus omnes de eiusmodi agitationibus irritantur.

§ 5. Omnesque obligationes, iuramenta et vota, a quibusvis personis, universitate vel collegio, de huiusmodi taurorum agitatione, etiam, ut ipsi falso arbitrantur, in honorem sanctorum seu quarumvis ecclesiasticarum solemnitatum et festivitatum, quae divinis laudibus, spiritualibus gaudiis piisque operibus, non huiusmodi ludis celebrari et honorari debent, hactenus factas et facta, seu in futurum fienda, quae et quas omnino prohibemus, cassamus et annullamus, ac pro cassis, nullis et irritis haberi perpetuo decernimus atque declaramus.

Principes hanc sanctionem servari faciant.

§ 6. Mandamus autem omnibus principibus, comitibus et baronibus sanctae Romanae Ecclesiae feudatariis, sub poena privationis feudorum, quae ab ipsa Ecclesia Romana obtinent; reliquos vero principes christianos et terrarum dominos praedictos hortamur in Domino, et in virtute sanctae obedientiae mandamus ut, pro divini nominis reverentia et honore, praemissa omnia, in suis dominiis ac terris huiusmodi, exactissime servari faciant, uberrimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi.

Praelati, sub censuris ecclesiasticis, idem procurent.

§ 7. Ac universis venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum ordinariis, in virtute sanctae obedientiae, sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae, quatenus, in civitatibus et dioecesibus propriis, praesentes nostras literas sufficienter publicari faciant, et praemissa, etiam sub poenis et censuris ecclesiasticis, observari procurent.

Quibuscumque non obstantibus

§ 8. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac exemptionibus, privilegiis, indultis, facultatibus et literis apostolicis, quibusvis personis, cuiuscumque qualitatis et conditionis existentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 9. Volumus autem quod praesentes literae in Cancellaria nostra Apostolica et acie Campi Florae de more publicentur, et inter constitutiones perpetuo valituras describantur, et earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, kalendis novembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 nov. 1567, pontif. anno II.

LXXIV.

Correctiones, iuxta sententiam Sacrae Congregationis Concilii, faciendae in concilio Valentino [1].

Venerabili fratri Ferdinando Patriarchae Antioch. Archiepiscopo Valentino Pius Papa V. Venerabilis frater, etc.

In Congregatione Concilii

§ 1. Provinciale concilium Valentinum superioribus annis celebratum, quod cor-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

revisum examinatumq. concilium provinciale Valentinum.

rectioni nostrae subiiciens, misit ad nos bonae memoriae proximus praedecessor tuus, vidimus, et a venerabilibus fratribus nostris, quos ad interpretationem sacri Tridentini concilii assumpsimus in consilium, quoad eius in praesentia fieri potuit, emendandum curavimus.

Nonnulla emendata

§ 2. Quae autem in ea corrigenda, de ipsorum etiam venerabilium fratrum sententia, nunc visa sunt, ea hic infra scribi iussimus.

Mandatur episcopis ea animadvertere et servare.

§ 3. Porro fraternitatis tuae tuorumque episcoporum officium erit illa diligenter animadvertere, et ut ad ea ipsa concilium istud omnino accommodetur et conformetur, sedulo curare; in iis vero etiam, quae deinceps istic, Deo approbante, provincialia concilia habebuntur, earumdem infrascriptarum correctionum nostrarum semper meminisse, ita ut ab illarum ratione atque sententia nullo unquam tempore discessisse videamini.

Provincialis synodus num sancta nuncupari deceat.

§ 4. Sessione prima in proœmio. Ibi: *Haec sancta provincialis Valentina synodus*. Haec verba *sancta synodus* non conveniunt synodo provinciali, sed universali. In provinciali autem verba sic concipi debent: N. archiepiscopus *etc.*, de consilio et assensu RR. DD. coepiscoporum nostrorum, in provinciali synodo statuimus *etc.* Ideo verba illa *sancta synodus* tollantur et hic et in omnibus aliis locis huius concilii, ubi posita. Ibi: *profitetur, ac defert* etc. Debuerat haec professio fidei fieri iuxta formam praescriptam in literis Pii IV, quarum exemplum nunc mittitur, ut ea deinceps sic praecise praestetur.

Professio fidei emittenda in synodo provinciali a Pio IV praescripta.

§ 5. Sessione I, capite II, quod incipit: *Regulares extra sua monasteria*. Ibi: *aut ad simplex beneficium*. Dicatur: *aut ad aliquod beneficium*.

§ 6. Sessione II, capite III, quod incipit: *Baptismum sacramentorum*. Ibi: *ex pacto in eius collatione* etc. Displicuisse illa verba *ex pacto*, quod sponte datum seu oblatum permittant, et homines ad dandum invitent.

Poena iniungenda medicis qui aegrotos non monent ut parocum accersant.

§ 7. Sessione II, capite VIII, quod incipit: *Quoniam Machometanorum*. Ibi: *etiam aegrotis graviter laborantibus*. Videbatur iniungenda potius poena, et quidem maioris summae medicis, qui prima vice ab aegrotis vocati, eos non admonerent ut parocum ad se accersiri iubeant, vel postquam admonuissent secunda vice accedentes, et si aegrotos non paruisse viderint, ad eos nihilominus postea reverterentur.

§ 8. Sessione II, capite XVIII, quod incipit: *Presbyteris omnibus*. Ibi: *in excommunicationem latae sententiae*. Displicuere illa verba *latae sententiae*.

§ 9. Sessione II, capite XXII, quod incipit: *Non probat sancta synodus*. Ibi: *post hac aquam tantum*. Displicuit haec innovatio.

§ 10. Sessione II, capite XXV, quod incipit: *Quamvis matrimonia, quae, invitis parentibus*. Tollatur omnino hoc decretum.

§ 11. Sessione II, capite XXVIII, quod incipit: *Iubet sancta synodus ne parocus*. Licet optandum sit ut qui contrahunt matrimonia haec omnia scirent, non potest tamen propterea libertas matrimonii impediri: ideo deleatur totum hoc decretum, et curent ordinarii ut qui ignari sunt doceantur.

Matrimonium libertate contrahendum.

§ 12. Sessione III, capite IV, quod incipit: *Quoniam episcopi, qui titulares vocantur*. Ibi: *nisi notus fuerit* etc., addatur *vel missus a Sede Apostolica*. Ibidem: *in regnis Hispaniae aut insulis illi adiacentibus progenitus*, tollatur verbum *progenitus*.

§ 13. Sessione III, capite V, quod incipit: *Eorum vitae meritum*. Ibi: *qui non paruerit* etc. usque ad versum *presbyteros autem*. Tollatur tota haec clausula, quae poenam et mulctam irrogat, et permittatur haec res in terminis iuris canonici et concilii Tridentini.

§ 14. Sessione IV, capite II, quod incipit: *Quoties parochialis ecclesia.* Ibi: *ut per edictum publicum, qui ad eam parochialem* etc. Declaretur ut per haec verba non censeatur ablata his, quibus a concilio Tridentino, sessione XXIV, capite XVIII, data est, facultas nominandi examinatoribus alios, quos idoneos aptosque noverint, ita ut ordo et forma in dicto capite XVIII praescripta servetur ad unguem.

§ 15. Ibid. *Quindecim vel pauciorum dierum* etc. Visum est tempus nimis breve, et quod minime auferre possit facultatem nominandi, etiam post illud tempus, his quibus ex dicto capite XVIII competet.

§ 16. Ibid. *Quod poterit tunc ordinarius pro suo arbitrio ecclesiae, ut magis expedire viderit, providere.* Deleantur haec omnia verba, et dicatur: *Poterit tunc is, ad quem collatio pertinet, alicui, praevio privato examine, providere.*

§ 17. Sessione IV, capite III, quod incipit: *Cum ii, qui morum gravitate.* Ibi: *in aliqua Studiorum Universitate, quae nulla haeresis suspicione tunc laboraret, arduo praecedenti examine, iuxta Universitatis illius statuta.* Deleantur haec omnia verba, quia non sunt in decreto concilii Tridentini, sessione XXIV, capite XII.

§ 18. Ibid. *Capitulis vero non liceat aliter quam iuxta huius statuti formam, alicuius archidiaconatus possessionem admittere.* Deleantur haec omnia verba.

§ 19. Sessione IV, capite IV, quod incipit: *Hortatur sacrosancta Tridentina synodus.* Hoc totum decretum pro non facto editove habeatur, sed decretum concilii Tridentini in hac materia editum servetur, prout iacet.

§ 20. Sessione IV, capite VIII, quod incipit: *Quoniam templa, quae divino.* Ibi: *ultra dies novem*, et ibid. *intra quos*, etc. Servetur in hoc ius commune.

§ 21. Sessione IV, capite XII, quod incipit: *Statuit sancta synodus. Ne a monasteriis.* Ibi: *illud etiam prohibet, ne regulares extra monasteria ad sepeliendos defunctos crucem deferendo in processione progrediantur.* Tollatur tota haec clausula, et servetur consuetudo locorum.

§ 22. Sessione VI, capite XVI, quod incipit: *Cum aliquando accidet.* Totum hoc decretum tollatur.

§ 23. Sessione IV, capite XVIII, quod incipit: *Quemadmodum aequum est.* Totum hoc decretum reprehenditur, quia ab his factum, qui faciendi potestatem non habuerunt, et reservatarii satis iure cogi poterunt ad ea subeunda onera, ad quae literae reservationum eos obligant.

§ 24. Sessione IV, capite XX, quod incipit: *Quoniam experimento aliquando.* Ibi: *si quando constiterit iudices delegatos, cuiuscumque dignitatis seu praeeminentiae*, etc. Auctores huius decreti nimium sibi arrogarunt: ideo deleatur totum, cum satis etiam iure communi provisum sit.

§ 25. Sessione IV, capite XXII, quod incipit: *Antequam professionem.* Ibi: *dos eodem concilio*, etc. Et ibi: *dotem ipsam receperit*, etc. Deleantur dictiones *dos* et *dotem*, et dicatur *bona*.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV novembris MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 novembris 1567, pontif. anno II.

LXXV.

Declaratio quod Ordo fratrum Minimorum S. Francisci de Paula inter Ordines Mendicantes comprehenditur, eorumque gratiis et privilegiis perfruitur.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae Sedis benignitas, sicut ex debito pastoralis officii erga omnes fideles generaliter affectum caritatis ex- Exordium.

tendit, sic eos, quos, sub regularis observantiae iugo, divino cultui emancipatos esse cognoscit, speciali tenetur patrocinio confovere.

Ordo Minimorum S. Francisci de Paula habet omnia privilegia Mendicantium.

§ 1. Exponi sane nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, iamdudum apostolica auctoritate approbati, quod, licet inter alia eis concessa privilegia et indulta, omnia et singula quatuor Mendicantium Ordinum privilegia ad Ordinem Minimorum huiusmodi ac illius professores et domos eorumque ecclesias per Sedem Apostolicam extensa et ampliata fuerint, et propterea fratres Ordinis huiusmodi, etiam sub Mendicantium nomine comprehendi debeant, nec super praemissis a quoquam molestari possint; cum tamen (sicut eadem expositio subiungebat), ex eo quod nos nuper in quadam declaratione per nos, super Mendicantium fratrum Ordinibus, certis tunc expressis de causis facta, praeter S. Dominici, et Sancti Francisci, ac Eremitarum Sancti Augustini, necnon Carmelitarum Mendicantium Ordines, etiam in illis B. Mariae Servorum inseri voluerimus, ac propterea facile a quibusdam dubitari merito posset quod, si Ordinis Minimorum fratres huiusmodi sub illis comprehendi voluissemus, nos specialem etiam de illis mentionem omnino fecissemus. Quare, ne super praemissis umquam dubitari contingat, iidem fratres nobis humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic modo Pontifex idem decernit, et inter Ordines Mendicantes, istum comprehendi declarat;

§ 2. Nos attendentes eos (cum actu mendicent) nonnisi honesta de causa in Mendicantium Ordinem esse adscriptos, ac propterea sua privilegia illaesa conservare volentes, eosque et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon quarumcumque litium et causarum status ac merita, nomina et cognomina iudicum, coram quibus illae pendent, ac collitigantium aliorumque, necnon quorumcumque privilegiorum, indultorum, exemptionum et immunitatum eis concessorum tenores praesentibus, pro expressis habentes, causasque huiusmodi ad nos harum serie advocantes, illasque penitus et omnino extinguentes, ac litigantibus huiusmodi perpetuum super praemissis silentium imponentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, indulta et alias gratias, tam per nos nuper quam quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem eamdem quomodolibet Mendicantibus Ordinibus concessa, ad praefatum Minimorum Ordinem de novo extendimus et ampliamus, ipsosque vere Mendicantes esse, et sub Mendicantium Ordinibus esse et comprehendi debere, necnon omnia et singula concilii Tridentini decreta pro Mendicantibus Ordinibus declarata et modificata, etiam pro Ordine Minimorum huiusmodi declaramus et modificamus.

Eorumque privilegia observari praecipit;

§ 3. Districtius, in virtute sanctae obedientiae, ac aliis arbitrio nostro infligendis poenis inhibentes quibusvis locorum ordinariis ac aliis quibuscumque, ne eosdem fratres Ordinis Minimorum, contra eis sic concessa privilegia, molestare, inquietare vel perturbare audeant vel praesumant.

Clausulas praeservativas huic bullae apponit.

§ 4. Decernentes quoque praesentes literas ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu

notari, vel impugnari nullatenus posse, minusve sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus et aliis contrariis dispositionibus, tam per nos quam etiam successores nostros quomodolibet, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque decretis, pro tempore factis et faciendis, quorumcumque tenorum existant, includi, sed illis non obstantibus in suis robore et efficacia persistere, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, etiam sub data per ipsos fratres Ordinis Minimorum eligenda, de novo concessas esse, et ita incommutabilis voluntatis et intentionis nostrae esse, et ad hoc, ut perpetua firmitate subsistant, vim validi et efficacis contractus inter dictam Sedem et praefatorum Ordinum Mendicantium fratres huiusmodi, habere.

Clausula sublativa.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus, super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat;

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Theatino, et episcopo Amerino, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem fratrum Ordinis Minimorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, ipsos fratres Ordinis Minimorum huiusmodi voluntate, statuto, declaratione et aliis praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo. Et nihilominus, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrarils derogat.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas quis, vigore praesentium, ad iudicium non trahatur, et aliis; necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, et quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros praefatos ac nos et Sedem praefatam, etiam motu proprio et ex certa scientia, etiam consistorialiter et de fratrum nostrorum consilio, necnon apostolicae potestatis plenitudine concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de

verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX novem. MDLXVII, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 9 novembris 1567, pontif. anno II.

LXXVI.

Declaratio quod congregatio fratrum S. Hieronymi Iesuatorum nuncupata, vere comprehendatur inter Ordines Mendicantium, eorumque perfruatur gratiis et indultis [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex privilegia, religiosis Altissimo famulantibus a Sede Apostolica concessa, illis nedum conservare, sed aliis etiam religiosis concessa ad eos quandoque extendere et ampliare consuevit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Causa huius constitutionis

§ 1. Sane, sicut accepimus, licet, inter alia privilegia dilectis filiis congregationi fratrum S. Hieronymi Iesuatorum nuncupatorum, cuius fratres illam pro tempore ingredientes professionem per religiosos Ordinis S. Augustini emitti solitam expresse emittere, et in communi vivere soliti sunt, concessa, etiam omnia et singula privilegia, exemptiones, immunitates, gratiae et indulta Ordini Eremitarum eiusdem S. Augustini et illius professoribus ac forsan aliis Ordinibus Mendicantium concessa, ad ipsam congregationem et illius fratres eorumque domos et ecclesias, per Sedem Apostolicam extensa et ampliata fuissent; et propterea congregatio huiusmodi et illius fratres dictis privilegiis gaudere, et sub Mendicantium numero comprehendi debeant, nec super praemissis a quoquam molestari possint. Cumque nos, nuper in quadam declaratione per nos, super Mendicantium fratrum Ordinibus, certis tunc expressis de causis facta, ultra S. Dominici, et S. Francisci, ac Eremitarum S. Augustini, necnon Carmelitarum Mendicantium Ordines, solum in illis Ordinem B. Mariae Servorum inseri voluerimus; et propterea facile a quibusdam dubitari merito posset quod, si dictam congregationem et illius fratres sub illis comprehendi voluissemus, nos specialem etiam de illis omnino fecissemus mentionem.

Concessio indultorum Ordinibus Mendicantium elargitorum.

§ 2. Nos itaque attendentes eos, cum actu mendicent, non nisi honesta de causa in Mendicantium Ordinibus huiusmodi esse adscriptos, ac propterea sua privilegia huiusmodi illaesa conservare volentes, ac quaruncumque litium et causarum status et merita, ac nomina et cognomina iudicum, coram quibus illae pendent, et collitigantium aliorumque, necnon quorumcumque privilegiorum, indultorum, exemptionum et immunitatum ipsi congregationi concessorum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad ipsius congregationis vel illius fratrum aut alicuius ex eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate ac ex certa scientia et de eiusdem Sedis potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, indulta

[1] Ista congregatio specialiter gaudet omnibus gratiis et privilegiis concessis et concedendis Ordini fratrum Eremitarum S. Augustini, cuius Regulam profitetur, ut in Clementis VII constitutione XLIV, *Sacrae*, tom. VI, pag. 158. Vide Martini V constitut. XXII, *Piae*, tom. IV, pag. 730.

et alias gratias, tam per nos nuper, quam quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et Sedem eamdem quomodolibet Mendicantibus Ordinibus concessa, eorum omnium ac desuper, et tam sub plumbo quam in forma brevis, confectarum literarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, ad ipsam congregationem Iesuatorum illiusque fratres, domos, ecclesias et loca quaecumque, de novo, quoad ea, quae eorum Regulae et modo vivendi non repugnant, tantum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Connumeratio inter Ordines Mendicantium.

§ 3. Ipsosque vere Mendicantes et sub Mendicantium Ordinibus esse et comprehendi debere, necnon omnia et singula concilii Tridentini decreta, pro Mendicantibus huiusmodi declarata et modificata, etiam pro congregatione huiusmodi eiusque fratribus declaramus et modificamus. Districtius inhibentes quibusvis locorum ordinariis ne dictam congregationem illiusque fratres, contra eis sic concessa privilegia, molestare, inquietare vel perturbare audeant vel praesumant.

Clausulæ præservativæ.

§ 4. Decernentes quoque praesentes literas ullo umquam tempore de subreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari nullatenus posse, minusve sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus et aliis contrariis dispositionibus, tam per nos quam etiam successores nostros quomodolibet, ac etiam cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibus decretis pro tempore factis et faciendis, quorumcumque tenorum existant, includi; sed illis non obstantibus, in suis robore et efficacia persistere, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas et, sub data etiam per ipsos eligenda, de novo concessas esse, et ita incommutabilis voluntatis et intentionis nostrae esse. Et ad hoc, ut perpetua roboris firmitate subsistant, vim validi et efficacis contractus inter Sedem Apostolicam et praefatos Ordines Mendicantium et congregationem huiusmodi illiusque fratres habere debere. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. Romanæ Ecclesiæ cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari debere; irritum quoque et inane, si secus, super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Iudicum et executorum deputatio.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus Amerinensi et Maceratensi episcopis, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes, motu simili committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, dum et quando ac quoties opus fuerit, et pro parte congregationis vel illius fratrum huiusmodi aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque, in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, eos et eorum quemlibet dictis privilegiis, exemptionibus, facultatibus, gratiis et indultis, dictis Ordinibus Mendicantibus concessis, pacifice frui et gaudere, ac praesentes literas observari, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet molestari, perturbari aut inquietari, contradictores quoslibet et rebelles, per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, ipsasque censuras, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis, et felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur; ac quibusvis litis pendentiis, quas nos harum serie ad nos advocamus, illasque extinguimus, et litigantibus huiusmodi perpetuum silentium imponimus; ac apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis ac clausulis, etiam motu proprio, etiam consistorialiter, et de fratrum nostrorum consilio concessis, confirmatis et pluries innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII novembris MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 novem. 1567, pontif. anno II.

LXXVII.

Facultas Congregationibus imponendi census et alienandi bona ob solutionem subsidii triginta millium scutorum, pro subventione regi Galliarum, et bello contra Turcas [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Causam adducit impositionis triginta millium scutorum auri in auro.

§ 1. Cum nuper, postquam nos (tumultibus in regno Franciae, per nonnullos iniquitatis pariter et impietatis filios dicti regni proceres, et alios haereticos excitatis, et potissimum conspiratione etiam in charissimi in Christo filii nostri Caroli Francorum regis christianissimi eiusque familiae exitium facta, simul et numerosa classe, quam immanissimus Turcarum tyrannus contra christiani nominis principes eorumque regna et dominia in ver proximum moliri dicitur, ut eidem regi in tanto discrimine, quod illi imminere liquido constat, subsidium aliquod mittere, et adversus dictam classem, loca maritima Status nostri Ecclesiastici opportunis praesidiis firmare possemus) pecunias in eos sumptus necessarias diligenter conquiri mandaverimus, dilecti filii praesidentes, visitatores, abbates et praelati congregationum Cassinensis, Cartusiensis, Lateranensis, Montis Oliveti, Camaldulensis, S. Salvatoris, Vallis Umbrosae, S. Georgii in Alga, Coelestinorum, Cisterciensis in Longobardia, S. Hieronymi, Cruciferorum et Silvestrinorum, intra Italiam consistentium, ut uberem suae dictarumque congregationum erga Romanam Ecclesiam et Apostolicam Sedem ac nos devotionis affectum usque magis nobis clarum facerent, in partem sumptuum huiusmodi, nobis seu Camerae nostrae Apostolicae, aut cui vel quibus nos seu ipsa Camera mandaverimus, summam triginta millium scutorum

1 Ex Bullario Romano vet. et ex Bullario Cassinensi, tom. I, constit. CLXXXVIII, pag. 197.

auri in auro, donationis et largitionis nomine, se soluturos ultro obtulerint.

Permissio census imponendi.

§ 2. Nos, eam animorum praefatarum congregationum in nos promptitudinem grata accipientes mente, volentesque eis, qui, sicut accepimus, sic nobis oblatam pecuniam nunc in promptu, aut modum illam cogendi infrascripto minus damnosum aut minus difficilem non habent, quo illam citius, iuxta rei exigentiam, cogere possint, opportune providere, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, eisdem praesidentibus, visitatoribus, abbatibus et praelatis congregationum praefatarum et cuiuslibet earum, tenore praesentium, ut in et super quibusvis bonis immobilibus monasteriorum, prioratuum et locorum congregationum earumdem, pro solutione dictorum triginta millium scutorum, quosvis annuos census, quorum tamen pretia dictam triginta millium scutorum summam insimul non excedant, prout melius invenire poterunt, in perpetuum imponere, et sic impositos, quibusvis personis, etiam saecularibus, communitatibusque et collegiis vel aliis communibus locis vendere, et venditionis titulo constituere et assignare; ipsisque personis dictos census ementibus, ut census ipsos in sortem minime computandos, ab eisdem congregationibus in singulos annos percipere et exigere, in suosque vel alios sibi benevisos usus et utilitatem convertere, ac ex omnibus congregationibus praefatis Cassinensi, Cartusiensi, Lateranensi et Montis Oliveti earumque et cuiuslibet earum praesidentibus, visitatoribus, abbatibus et praelatis, quippe quibus ex praefatis triginta millibus scutis summas cæteris maiores solvendi onus incumbit, ut pro portionum ipsas quatuor congregationes et unamquamque ex eis, de dicta triginta millium scutorum summa, tangentium solutione, seu pro censuum, ut praefertur, venditorum redemptione, quævis stabilia monasteriorum, prioratuum et aliorum earumdem congregationum, locorum bona (quorum tamen singula pretia, singulas portiones unamquamque ex eisdem congregationibus, ut praefertur, tangentes non excedant), similiter quibusvis, etiam saecularibus personis et locis pariter in perpetuum vendere et alienare, indeque respective provenientia pretia et pecuniarum summas exigere et recipere, ac de actis et receptis in forma de iure valida quietare; emptoribus autem ipsis, ut dicta stabilia bona emere et acquirere libere, licite et impune et absque aliquo conscientiae onere seu scrupulo respective possint et valeant, gratiose concedimus et indulgemus.

Congregationib. hic expressis facultatem concedit bona stabilia alienandi.

Congregationes, ne dupliciter gravatae remaneant, a subsidii praestatione in novembris impositi absolvit, ita ut cum laicis, etiam communitatibus, aut clericis regularibus vel secularibus minime concurrere teneantur.

§ 3. Praeterea, iniquum rati easdem congregationes pro una eademque re dupliciter gravari, et propterea volentes earum indemnitati opportune providere, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, congregationes ipsas et quamlibet earum singulaque ipsarum monasteria et loca ab alterius tanti, quantum subsidii nomine quotannis eidem Camerae solvere consueverunt, per nos nuper eis, per nostras in forma brevis literas, die tertia mensis novembris proxime elapsi expeditas, impositi, et quorumvis aliorum subsidiorum seu onerum, ex hac praefatorum sumptuum causa per nos forsan impositorum seu imponendorum, praestatione seu solutione, ita quod ad illa aut ex eis aliqua solvendum, seu in illa cum locis, etiam communitatibus seu universitatibus, aut clericis regularibus seu saecularibus concurrendum seu contribuendum inviti cogi, aut eo praetextu molestari nullatenus possint, prorsus eximimus et liberamus, ac liberos et exemptos facimus, esse volumus et declaramus.

Praesentium literarum firmitas.

§ 4. Praesentesque nostras, de obreptionis vel subreptionis vitio, seu intentionis nostræ vel alio quovis defectu notari,

argui vel impugnari aut revocari, restringi, reduci vel limitari nullatenus posse; et si secus fiat, quoties id fiet, toties illas in pristinum statum restitutas, et plenarie reintegratas, validasque et efficaces, etiam perinde ac si consistorialiter et de venerabilium fratrum nostrorum dictae Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio et assensu emanassent, fore et esse ac censeri; vimque validi contractus inter nos et congregationes praefatas et quamlibet ex eis initi habere debere; ac, ad praemissa omnia et singula plene probandum, easdem præsentes omnino sufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri; sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales, et Palatii nostri causarum auditores, necnon clericos praefatae Camerae praesidentes, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus, super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Sublata facultate etc.

§ 5. Mandantes propterea dilectis filiis camerario ac thesaurario generali nostris, necnon dictis clericis praesidentibus, præsentibus et futuris, caeterisque ad quos spectat et in futurum spectabit, ut easdem praesentes in præfata Camera admittant, et in illius libris describi et registrari faciant, ac inviolabiliter observent et observari mandent; desuperque patentes literas, mandata et alias scripturas opportunas expediant et expediri curent.

Deputati exequutores.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Symmachi et Pauli II ac Pauli IV et aliorum praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, et quibusvis aliis apostolicis, ac in generalibus necnon provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon congregationum praedictarum et illarum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque et indultis ac literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, eisdem congregationibus vel alicui ex eis, eorumque monasteriis, prioratibus, membris, locis et personis quomodolibet concessis; quodque clausulis, cautelis et decretis huiusmodi, nullatenus aut nonnisi sub certis inibi expressis modo et forma derogari possit; necnon praedesignatis, in forma brevis, literis, a nobis super praefata eisdem congregationibus facta impositione emanatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus. Dictas vero praedesignatas, in forma brevis, literas, quoad praedictas congregationes expresse revocamus, cassamus et annullamus, ac pro infectis, cassis et nullis haberi volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, adhibeatur, quae eisdem originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Literis fides habenda.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1 decembris MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 decembris 1567, pontif. anno II.

LXXVIII.

Innovatio litterarum Iulii III super donationibus non faciendis a personis ecclesiasticis Hispaniarum, in fraudem Camerae Apostolicae, et commissio collectori earum partium super illarum executione [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Alias emanarunt a felicis recordationis Iulio Papa III, praedecessore nostro, litterae in forma brevis, tenoris subsequentis, videlicet: Iulius Papa III, ad futuram rei memoriam. Cupientes fraudibus, quae circa proventus Camerae nostrae Apostolicae in regnis Hispaniarum pro tempore fiunt, debitis remediis occurrere, motu proprio et certa scientia nostra, omnes et singulas donationes, quas de caetero per praelatos quarumvis cathedralium, etiam metropolitanarum, ecclesiarum regnorum huiusmodi fieri contigerit, si ipsi praelati in actu donationum earumdem in infirmitate, ex qua postmodum decedant, constituti fuerint, nisi pro servitiis eisdem impensis, de quibus alias, quarum ex eorum assertione constare debeat, et de quantitate, quae servitiorum huiusmodi aequivalentiam non excedat; vel, si sani extiterint, nisi realis rerum donatarum illarum donatariis subsequatur traditio, et illarum perpetua dimissio, servata tamen forma iuris, si quae servanda fuerit, nullas, irritas et inanes fore et esse, nullumque per eas ipsis donatariis, in rebus donatis huiusmodi, etiamsi in pecunia aut iocalibus vel supellectili domus consistant, seu ad illas ius acquiri, aut acquisitum censeri posse; sed donationibus huiusmodi non obstantibus, res ipsas, sic ut praefertur donatas, in spoliis ipsorum praelatorum, qui pro tempore decedunt, remanere, et in eis comprehendi, ac tamquam eorum spolia ad Cameram praedictam devolvi, et pro tempore existentem nostrum et Apostolicae Sedis in eisdem regnis fructuum et proventuum eidem Camerae debitorum collectorem generalem et subcollectores ab eo pro tempore deputatos exigi et colligi posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios ac quavis, tam ordinaria quam delegata, etiam apostolica, auctoritate fungentes personas, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere; ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Tenor litterarum Iulii III.

Prohibentur donationes in fraudem Camerae Apostolicae.

Donatio pro servitute, quam illa non excedat, tantum permittitur.

Clausula sublativa.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac singularum ecclesiarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XX martii MDLIV, pontif. nostri anno V. Io. Larinen.

Clausulae derogatoriae.

§ 2. Volentes autem easdem litteras Iulii praedecessoris huiusmodi, quas harum serie confirmamus et innovamus, sic ut par est, debitum effectum sortiri, firmiterque servari, motu proprio et ex certa nostra scientia, moderno et pro tempore existenti nostro ac Sedis et Camerae Apostolicae, in dictis Hispaniarum regnis, spoliorum ac proventuum eidem Camerae in regnis huiusmodi debitorum collectori generali eiusque subcollectoribus committimus et mandamus per praesentes, ut litteras praedictas, ubi, quando et quoties opus fuerit, solemniter publicantes, faciant eas et in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari, ac debitae executioni demandari.

Confirmatio litterarum praefatarum.

Praesenti constitutione executio collectori et subcollectoribus committitur praemissarum litterarum.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

Pœna in contradictores.

§ 3. Contradictores quoslibet et rebelles, aut parere recusantes, per poenas sibi visas, et etiam pecuniarias, arbitrio suo moderandas et applicandas, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, censurasque et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, reaggravando et interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae idem Iulius praedecessor, in suis litteris huiusmodi, voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XII decembris MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 decemb. 1567, pontif. anno II.

LXXIX.

Innovatio litterarum Iulii III, quibus concessit tunc collectori iurium Camerae Apostolicae in regnis Hispaniarum facultatem percipiendi fructus ecclesiarum cathedralium, a die vacationis usque ad diem provisionis colligendos [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Tenor litterarum Iulii III.

§ 1. Alias emanarunt a felicis recordationis Iulio PP. III, praedecessore nostro, litteræ in forma brevis, tenoris subsequentis, a tergo videlicet, Venerabili fratri Leonardo episcopo Laodicensi; intus vero, Iulius Papa III, Venerabilis frater, salutem *etc.* Cupientes Camerae nostrae Apostolicae indemnitati, quantum cum Deo possumus, consulere, tibi, qui etiam noster et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncius, ac fructuum et proventuum aliorumque iurium dictae Camerae in regnis huiusmodi debitorum collector generalis existis, quandiu officio collectoris huiusmodi fungeris, per te vel alium seu alios, quos ad hoc duxeris deputandos, omnia et singula fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta singularum cathedralium, etiam metropolitanarum, ecclesiarum dictorum regnorum, ad praesens et pro tempore quovis modo vacantium, ac quae ex illis et earum mensis, a die quo illae hactenus vacarunt et eas in posterum vacare contigerit usque ad diem quo earum singulis de episcopo aut archiepiscopo provisum fuerit, quomodolibet provenerunt et imposterum provenient, a quibuscumque illa pro tempore detinentibus percipiendi, exigendi et levandi; et ad hoc temporalia ipsarum ecclesiarum, durante tempore praedicto, administrandi, ac idoneos administratores deputandi; necnon dilectis filiis capitulis ecclesiarum earumdem, et quibuscumque aliis personis, ne de fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis praedictis, aut ipsarum ecclesiarum, quoad temporalia, administratione quomodolibet se intromittere, aut aliquos temporalium huiusmodi administratores deputare praesumant, sub excommunicationis et aliis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, etiam privationis omnium et singulorum beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum, per eorum singulos quomodolibet obtentorum, inhibendi; eisque, ut tibi liberam temporalium ecclesiarum huiusmodi administrationem dimittant, sub eisdem sententiis, censuris et poenis mandandi; necnon contradictores quoslibet et rebelles, ac tibi in praemissis non parentes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et praeminentiae existant, per easdem sententias,

Facultas percipiendi omnes ecclesiar. fructus a die obitus earum pastorum usque ad novam ipsarum provisionem.

Collector generalis facultatem habet administr. temporalia ecclesiarum quæ pastore careant.

Capitula in rebus dd. ecclesiarum se ingere non debent, sub pœna excommunicationis et aliarum canonicarum sanctionum.

Pœna in eos, qui contraire tentaverint.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

censuras et poenas, appellatione postposita, compescendi; ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas praedictas, etiam iteratis vicibus, aggravandi; et ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocandi, plenam et liberam, apostolica auctoritate, per praesentes concedimus facultatem et potestatem.

Clausulae speciales

§ 2. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diætas aliquis, auctoritate præsentium[1] non trahatur, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non singularum ecclesiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque.

§ 3. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX martii MDLIV, pontificatus nostri anno V. Io. Larinen.

Innovatio dictarum litterarum.

§ 4. Cupientes autem nos quoque Camerae nostrae Apostolicae indemnitati, prout nostro pastorali incumbit officio, opportune providere, easdem Iulii praedecessoris litteras harum serie innovantes, ciusque vestigiis inhærentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, dilecto filio Bartholomaeo Busotto thesaurario, ac in dictis Hispaniarum regnis spoliorum, proventuum et aliorum iurium dictae Camerae debitorum collectori generali nostro eiusque subcollectoribus nunc et pro tempore existentibus, apostolica auctoritate, tenore praesentium committimus et mandamus ut iuxta earumdem litterarum Iulii praedecessoris formam et

Earum executio committitur collectori generali.

tenores, in recuperandis et exigendis fructibus, redditibus et proventibus ad dictam Cameram pertinentibus, et in eisdem Iulii litteris expressis, in omnibus et per omnia procedant, et in eis contenta exequantur, perinde ac si illae a nobis emanassent, ac sibi directae fuissent. Nos enim collectori et subcollectoribus praedictis plenam et liberam ac eamdemmet prorsus, quae in dictis Iulii praedecessoris litteris continetur, super praemissis, facultatem et potestatem per praesentes concedimus pariter et impartimur.

Derogatio contrariorum

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae idem Iulius praedecessor in suis litteris huiusmodi voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII decembris, MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 decemb. 1567, pontif. anno II.

LXXX.

Confirmatio concordiae initae inter episcopos provinciae Toletanae et declarationum factarum a nuncio Hispaniarum super decretis synodi eiusdem provinciae Toletanae [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium

Ex solita Sedis Apostolicae clementia ad ea libenter intendimus, per quae inter praelatos ecclesiasticos et illorum ecclesiarum capitula ac alias personas ecclesiasticas paci et quieti opportune consulitur; ac iis, quae propterea facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, favorabiliter cum a nobis petitur, apostolici adiicimus muniminis firmitatem.

§ 1. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte venerabilium fratrum

1 Deest forte *ad iudicium* (B. T.)

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Causa qua motus praesentem constitutionem edidit.

episcopi Cordubensis, praesidentis, et aliorum episcoporum et dilectorum filiorum capitulorum ecclesiarum provinciae Toletanae petitio continebat, capitula ecclesiarum cathedralium provinciae Toletanae praetenderent gravari ex nonnullis decretis factis in concilio provinciali Toletano, ac super hoc contentio et discordia inter ipsa capitula et eorum praesidentem et eorum episcopos ortae essent, venerabilis frater archiepiscopus Rossanensis, noster et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncius, ad discordias huiusmodi sedandas, et ut inter praelatos ecclesiarum et capitula huiusmodi pax et unio vigeret, episcopos et capitulares personas super decretis concilii provincialis Toletani, iuxta formam et tenorem capitulorum infra scriptorum, sub nostro et dictae Sedis beneplacito, ad concordiam reduxit, quae inviolabiliter et absque aliquo discrimine facti per praelatos et capitula huiusmodi acceptata fuit.

Concordia inter praefata capitula, opera nuncii Hispaniarum inita.

§ 2. I. Videlicet, quod in quolibet decreto, in quo de punitione et poena contra aliquem ex capitularibus agitur, in ecclesiis in quibus capitula exemptionem habere sunt solita, intelligeretur iuxta dispositionem et modum concilii Tridentini, capite VI, sessione XXV.

Præfatæ concordiae momenta et qualitates.

II. Item quod in omnibus etiam decretis, in quibus imponitur poena sub iudicio peccati et restitutionis in foro conscientiae, dicta poena videatur valde periculosa, et quodam modo novum laqueum iniicere animabus, et propterea remittantur haec ad sanctissimum dominum nostrum, qui vel tollere vel suspendere dignabitur dictam poenam, quoad iudicium animae.

III. Item, tertia actione dicti concilii, capite I, *De archivio*, declaretur quod in iis ecclesiis, ubi plures claves haberi solent, vel alia consuetudo viget, quae securitati et custodiae scripturarum opportuna sit, prout dicitur esse in ecclesia Cordubensi, servetur dicta consuetudo.

IV. Item, in eodem, quia duo praesupponuntur archivia, alterum scripturarum episcopi, in aliquo monasterio situandum, alterum scripturarum capituli in ecclesia cathedrali existens, declaretur ut quando scriptura communis est, id est pertinens tam ad episcopum quam ad capitulum, habeatur in altero ex archiviis originale, in altero copia authentica, quae sit eiusdem fidei et auctoritatis.

V. Item decretum sextum, de communione, approbandum est ut optimum, poena autem et publica obiurgatio suspendenda est, usquequo per sanctissimum dominum nostrum maturius super hoc deliberabitur et disponetur.

VI. Item, septimo, quod poena sit amissionis illius horae in qua peccatur, ut infra in decimo; et ubi dicitur ut abstineant a mussitationibus, quia verbum illud videtur ambiguum et incertum, intelligatur de colloquiis et ratiocinationibus, prout infra in octavo.

VII. Item, in nono, quod suspendatur illud quod, qui non potest die sibi assignato celebrare, teneatur allegare causam, quae fortasse erit occulta et non publicanda, et tantominus illam probare, sed sufficiat in genere se excusare, et alium sui gradus et ordinis suo loco substituere; sed si quis in hoc nimis contumax existeret, ita ut multo tempore non celebraret, animadvertat episcopus.

VIII. Item, in decimo capite declarandum est quod colloquentes in choro amittant distributionem illius horae, in qua peccarunt, ut supra in septimo.

IX. Item, in duodecimo capitulo, ubi dicitur quod bis tantum in hebdomada fiat capitulum, non ita amare intelligatur, ut excludatur casus necessitatis vel utilitatis ecclesiae.

X. Item, in vigesimo tertio capitulo,

ubi datur modus concedendi licentiam iis qui studere debent, quamvis ibi loquatur solum de ordinario, intelligatur etiam de capitulo vel de quovis alio, ad quem de iure vel praescripta consuetudine forte spectat huiusmodi licentias concedere, ut omnes non aliter concedant, quam modo et forma hoc decreto praescripta, prout praemissa omnia in dicta concordia seu declarationibus dicitur plenius contineri.

Confirmatio praefatae concordiae.

§ 3. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praesidens, episcopi praedicti cupiant concordiam et declarationes huiusmodi, pro illorum subsistentia firmiori, nostro et dictae Sedis munimine roborari, supplicari nobis fecerunt humiliter quatenus declarationes huiusmodi, apostolica auctoritate confirmare et nonnulla alia declarare, aliasque eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur inter fideles quoslibet, praesertim personas ecclesiasticas, pacem et concordiam vigere sinceris affectibus exoptantes, episcopos et capitula huiusmodi ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam et declarationes praedictas, necnon omnia et singula in eis contenta quaecumque, apostolica auctoritate praedicta per praesentes confirmamus: declarantes tamen ut per illa decreta, in quibus imponitur poena sub iudicio peccati, non censeatur inducta nova obligatio peccati, poena tamen restitutionis in foro conscientiae firma maneat, eo tamen modo et in iis in quibus ante praefatum concilium dictae poenae locus erat. Rursus, in decreto sexto actionis tertiae, poena illa publicae obiurgationis deleatur.

Imposita poena peccati in enunciato decreto quomodo intelligenda.

Poena in eos, qui recedere a concordia tentaverint.

§ 4. Sicque dictis concordiae et declarationibus nostrae approbationis et perpetuae firmitatis robur adiicimus, easque validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri, ac per episcopos et capitula praedictos ac eorum singulos illorumque successores perpetuo, inviolabiliter et firmiter observari debere, illosque ullo unquam tempore ab illis resilire aut reclamari non posse, sed ad omnium et singulorum praemissorum veram observantiam teneri, et efficaciter obligatos existere, et ad id sententiis et censuris ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis poenis cogi et compelli posse.

Clausulae.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices et commissarios ac etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus apostolicis nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus; ac dictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem ecclesiis illarumque episcopis et capitulis ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis concessis et approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore perman-

suris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 7. Caeterum quia difficile foret easdem praesentes *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII decembris MDLXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 decemb. 1567, pontif. anno II.

LXXXI.

Prohibitio signandi et expediendi commissiones causarum et inhibitiones in causis spoliorum et illicitae negotiationis, non citato prius commissario Reverendae Camerae Apostolicae 1.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Causae huius prohibitionis.

Attendentes quam frequenter contingat quod, qui bona ad Cameram Apostolicam spectantia, et signanter spolia per clericos decedentes relicta, detinent, variis prætextibus et calumniis dilationes et subterfugia quaerentes, illorum consignationem facere, et debitam satisfactionem impendere recusant; et, ut se in huiusmodi iniusta detentione confoveant, modo frivolas appellationes confingunt, modo inhibitiones summa malitia extorquent, quibus causas ad iudices non informatos, et ubi non est qui causarum huiusmodi expeditioni vacet, trahunt, in grave animarum suarum praeiudicium, et Camerae praefatae laesionem.

1 De munere et auctoritate commissarii, vide plene in constitutione CIV Pii IV, *Cum inter*, pag. 310 huius tomi.

Prohibitio decernendi inhibitiones per quoscumque iudices, in causis spoliorum et illicitae negotiationis, non citato commissario Camerae.

§ 1. Et propterea, incommodis huiusmodi obviare volentes, dilectis filiis Vitellotio, Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali camerario, ac omnibus Romanae Curiae iudicibus, tam ordinariis quam delegatis, in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae poena, praecipimus et mandamus ne, in causis spoliorum vel illicitarum negotiationum per clericos factarum, inhibitiones aliquas, tam auctoritate sua ordinaria, quam etiam vigore rescripti, extra Romanam Curiam, ad quasvis mundi partes et contra quosvis collectores decernant et relaxent, nisi prius in ipsa Romana Curia ad illas decerni videndum dilectus filius Camerae Apostolicae commissarius generalis fuerit citatus, et de citatione huiusmodi in actis appareat, et de ea in inhibitione ipsa mentio fiat.

Prohibitio de qua in rubrica.

§ 2. Porro, Signaturae nostrae tam gratiae quam iustitiae referendarii, ac Cancellariae Apostolicae corrector, et auditor contradictarum, similiter commissiones, in causis huiusmodi, nullo modo, nisi praevia citatione eiusdem commissarii expediant.

Annullatio inhibitionum emanatarum vigore commissionum, ex quibus clare non dignoscitur an de praedictis causis agatur.

§ 3. Et si quandoque contingat ita sub verborum involucro vel alia narrativa commissiones concipi, ut discerni non possit, an de causis spoliorum vel illicitarum negotiationum agatur, tunc tam nuncii apostolici in provinciis residentes, de causis huiusmodi cognoscentes, quam a dilecto filio thesaurario nostro, generali spoliorum collectore, et eisdem nunciis deputati subcollectores, quibus inhibitiones huiusmodi praesentari contingat, illis minime parere teneantur, sed, absque aliquo scrupulo aut poenarum incursu, illis reiectis, ad ulteriora procedere possint et debeant, partibus alias iustitiam ministrando; et nihilominus irritum et inane decernimus quicquid contra praesentium tenorem fuerit decretum vel attentatum.

§ 4. Volumus autem quod praesentis motus proprii cedula, valvis Cancellariae et Camerae Apostolicae per unum ex cursoribus nostris, ut moris est, publicata, ita omnes Romanae Curiae officiales et iudices afficiat, ac si personaliter singulis intimata foret.

Forma et effectus publicationis.

§ 5. Et quod illius sola signatura, etiam absque data et registratura, sufficiat, et ubique fidem faciat, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Sola sufficit signatura.

Papae subscr.

Placet, motu proprio. M.

Die v ianuarii MDLXVIII retroscriptae litterae affixae et publicatae fuerunt in valvis Cancellariae Apostolicae per me Nicolaum de Mattaeis, cursorem.

Franciscus Sottocasa, magister curs.

Dat. die 5 ianuarii 1568, pontif. anno II.

LXXXII.

Quod fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia semper possint, extra tempus quadragesimae et adventus, in feria quinta, in qua non occurrit aliquod festum aut eius octava, recitare officium Sanctissimi Corporis Christi [1].

Pius Papa V dilectis filiis ministro generali et universis fratribus Ordinis Minorum de Observantia.

§ 1. Exponi nobis nuper fecistis quod, cum vos, mente recolentes Dominum nostrum Iesum Christum transiturum de hoc mundo ad Patrem, in ultima coena qua Pascha cum discipulis manducavit, admirabile Sacramentum pretiosissimi Corporis et Sanguinis sui instituisse ut universi christicolae illud tamquam suae caritatis, quam in cruce ostendit, memoriale recolerent, pro ipsius Dominici Corporis solemniori et specialiori veneratione desideratis qualibet quinta feria officium Christi Corporis, prout in Breviario Romano ipsius solemnitatis die habetur, recitare, si vobis ad id Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas. Quare nobis humiliter supplicare fecistis, ut vobis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Fratres Minores de Observantia supplicarunt Papae pro licentia celebrandi qualibet v feria officium Corporis Christi.

§ 2. Nos, pium hoc vestrum desiderium plurimum in Domino collaudantes, ac huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis et vestrum cuilibet ubilibet existentibus, ut qualibet quinta feria, quae tamen quadragesimae et adventus Domini non fuerit, aut in qua aliquod festum seu octava non inciderit, omisso occurrenti officio, illud de Corpore Christi, iuxta illud quod in praesenti Breviario Romano, in eius solemnitatis die recitandum proponitur, recitare libere et licite valeatis, ita tamen quod illud sic recitando, debito, ad quod adstricti estis, in omnibus et per omnia perinde satisfacere censeamini ac si officium pro tempore currens et vobis a Romana Ecclesia propositum recitaretis; nec propterea, illo recitato, ad occurrentis huiusmodi vel alicuius alterius officii recitationem teneamini, nec ad id a quoquam inviti cogi aut compelli possitis, minimusve aliquas sententias, censuras et poenas, quomodolibet latas, incurrentes, auctoritate apostolica, per praesentes indulgemus.

Hic ergo Pontifex dictam licentiam concedit praeterquam in quadragesima et adventu et in festo vel octava occurrenti in dicta v feria;

§ 3. Districtius inhibentes quibusvis locorum ordinariis et quibusvis aliis, quacumque auctoritate fulgentibus, vel cuiuscumque gradus existentibus, ne vos et vestrum quemlibet, quovis praetextu, super praemissis, quomodolibet molestare, perturbare aut inquietare, sub excommunicationis sententia, aliisque arbitrio nostro moderandis et infligendis poenis, audeant vel praesumant.

Ordinariis et aliis mandat ne fratres desuper molestent;

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac

[1] Alia de hoc Ordine vide in Leonis X constitutione XXVII, *Ite*, tom. V, pag. 692.

Contrariis derogat;

quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; atque Ordinis praefati et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Caeterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, in quibus expediens foret, deferre, volumus, et similiter apostolica auctoritate praedicta decernimus quod illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate apostolica constitutae munitis, eadem prorsus, in iudicio et extra, ac alias ubilibet fides indubia adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die octava ianuarii MDLXVIII, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 8 ianuarii 1568, pontif. anno III.

LXXXIII.

Declaratio super fructibus et censibus ac aliis rebus non exactis per ecclesiasticos regni Neapolitani tempore eorum obitus, ut habeantur inter spolia, et similiter relicta per quoscumque clericos, beneficia ecclesiastica ultra valorem triginta ducatorum obtinentes [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Romani Pontificis cura et diligentia circumspecta ad ea libenter intendit, per quae, suae declarationis adminiculo, dubia de medio tollantur, simulque Camerae Apostolicae indemnitati opportune provideatur.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, saepe contingat ut nonnulli archiepiscopi, episcopi, abbates, rectores et alii clerici regni Neapolitani, beneficia ecclesiastica obtinentes, fructus, census et grana, ab eis pro semine data et seminata, tempore eorum obitus relinquant, quae quidem, prout caetera spolia ad nos et Cameram praedictam spectare et devoluta esse dignoscuntur; nos, ne ab aliquibus hoc in dubium trahi possit, neve ipsa Camera super iurium suorum perceptione ullo pacto laedatur aut quavis de causa defraudetur, opportunum remedium mature adhibere volentes.

Causa constitutionis.

§ 2. Motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris, quod omnia et singula fructus, census et grana pro semine data ac seminata praedicta, per quoscumque archiepiscopos, episcopos, abbates, rectores et clericos praedictos, tempore ipsorum obitus quomodolibet relicta, quae ab illis viventibus exacta vel collecta aut in propria horrea conducta non fuerint, pro rata seminis huiusmodi dumtaxat; et pariter bona, res et alia quaecumque per obitum quorumvis clericorum eiusdem regni beneficia ecclesiastica huiusmodi, cuiusvis summae et quantitatis valoris existentia, ultra triginta ducatorum auri de Camera obtinentium dimissa, ad nos et dictam Cameram ut spolia spectare et devoluta fore et esse et inter ea comprehendi debere, ac tamquam reliqua spolia per eiusdem Camerae collectores a quibusvis eorum detentoribus et occupatoribus libere exigi, levari et recuperari.

Quæ inter spolia ad Cameram Apostolicam spectantia enumeranda sint.

Bona clericorum, qui beneficia ecclesiastica ultra triginta ducatos obtineant, ad Cameram Apostolicam pertinebunt.

§ 3. Ipsosque collectores a quopiam, quocumque praetextu aut quaesito colore, quo minus illa exigere valeant desuper impediri aut molestari minime posse.

Collectores super praemissis molestiam non possint ab ullo recipere.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet qua-

Clausulae.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

vis aliter iudicandi et interpretandi facultate, indicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate apostolica, tenore praesentium statuimus, decernimus et declaramus.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus ac litteris apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac forsan etiam per nos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, irritantibusque et aliis decretis quomodolibet in contrarium factis et editis. Quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII ianuarii MDLXVIII, pontificatus nostri anno II [1].

Dat. die 8 ianuarii 1568, pontif. anno II.

LXXXIV.

Ut nuncius regni Neapolitani inhibeat ordinariis dicti regni, ne se ingerant in beneficiis quovis modo reservatis Sedi Apostolicae pro tempore vacantibus [2].

Dilecto filio magistro Paulo notario et utriusque Signaturae nostrae referendario, in regno Neapolis nuncio nostro,

Pius Papa V.

Dilecte fili, salutem et ap. benedictionem.

Proœmium.

Nuper per alias nostras in forma brevis litteras tibi mandavimus ut possessionem quorumcumque beneficiorum, in isto regno Neapolitano pro tempore vacantium ac dispositioni nostrae apostolicae quomodolibet reservatorum seu affectorum, nostro et Camerae Apostolicae nomine, una cum illorum fructibus universis caperes et conservares, consignandam postea illis, qui litteras provisionis nostrae tibi exhiberent, expeditas prout in dictis litteris plenius continetur.

Inhibitio conferendi beneficia Apostolicae Sedi reservata.

§ 1. Volentes autem per amplius providere ne aliqua impedimenta super praemissis tibi afferri possint quominus libere possessionem eorumdem beneficiorum, ut praefertur, dispositioni apostolicae reservatorum vel affectorum assequi valeas, volumus ac tibi per praesentes mandamus ut quoscumque patriarchas, archiepiscopos, episcopos et alios quoslibet inferiores collatores ordinarios, quocumque nomine nuncupatos, in dicto regno consistentes, auctoritate nostra, sub poenis in regulis Cancellariae Apostolicae, desuper editis, contentis, et aliis, etiam pecuniariis, tibi benevisis et arbitrio tuo declarandis et applicandis, moneas, eisque districte mandes et inhibeas ut a conferendis beneficiis huiusmodi, tam ratione vacationis illorum in mensibus apostolicis, quam alias ex quavis causa, specialiter vel generaliter, quomodolibet reservatis vel affectis, nunc et pro tempore, in eorum respective civitatibus et dioecesibus, vacantibus, penitus et omnino abstineant, nec in illis tam circa eorum collationem quam alias, quovis praetextu aut quaesito colore se ullatenus ingerere aut intromittere audeant vel praesumant.

Pœna contra eos, qui inobedientes fuerint.

Quid agendum contra inobedientes.

§ 2. Quod si secus facere ausi fuerint, monitionibusque et mandatis tuis, immo verius nostris, parere temere neglexerint, statim ad executionem realem et actualem poenarum huiusmodi contra eosdem ordinarios et eorum quemlibet contra facientem, necnon ab eis provisos, per omnia

1 A die coronationis, qui fuit XVI kal. februarii, computando (R. T.). 2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

opportuna iuris et facti remedia procedere diligenter, omnemque operam et sollicitudinem adhibeas ut inobedientes et contumaces, per exemplarem a te contra eos faciendam animadversionem, a similibus abstinere discant. Quod ut facilius exequi valeas, brachii quoque saecularis auxilium, si opus fuerit, ad hoc invocare curabis, super quibus omnibus et singulis tibi plenam, liberam et omnimodam per easdem praesentes facultatem concedimus et potestatem.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis statutisque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, quomodolibet concessis, confirmatis et saepius innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 ianuarii 1568, pontif. anno II.

LXXXV.

Unio fratrum Amadeorum et Clarenorum Ordini fratrum Minorum S. Francisci de Observantia [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

S. Franciscus in humanis existens multos fratres sub unica Regula collegit.

Beatus Christi Salvatoris confessor Franciscus, dum adhuc mortalis huius vitae spatia decurreret, ardentissimo coelestium amore captus, nec sibi tantum illa, sed quamplurimis hominum fieri potest, quaesita cupiens, totusque in idipsum incumbens, quae Ordinis Minorum initia fuerunt, confluentes ad se veluti ad meliorem frugem undique fratres suos in unam familiam collegit, collectosque ipsorum omnium vitam et mores ad unam eamdemque Regulam dirigens, iis praeceptis instituit, ea disciplina formavit, quae ad coniunctionem atque adeo unionem inter illos conciliandam ac tuendam maxime pertinerent, humilitatem illis praecipue amplectandam proponens, qua humana haec omnia et fluxa, quod eiusdem Salvatoris consilium fuerat, aspernati, solidam ac permanentem a Deo felicitatem expectarent. Itaque, hac ipsa familia suas operas ad praescriptam rationem graviter conferente, Domini Dei nostri ager egregie cultus uberrimos et praestantissimos fructus continuo protulit, et subinde profert, atque, ut speramus, proferet in dies, suaviores et largiores.

Sed dicta Regula in plures congregationes segregata fuit.

§ 1. Verum, quoniam eadem familia, quae una ab uno constituta fuerat, in quasdam quasi partes paulatim ita concessit, ut iam non una, ne ipso quidem, quo a patre suo vocata est, nomine consistat, sed variis agnominibus, cum de illa vel illa parte agitur, sit distinguendum. Propterea nos ne animorum quidem aut mentis, inter eos quos exterius ita rebus seiunctos cernimus, interiorem coniunctionem sperare tuto valemus, quin etiam quando in eam, de qua supra diximus, spem erecti, ab eiusdem Ordinis fratribus optima quaeque et maxima, ad Dei gloriam et militantis Ecclesiae utilitatem, et optamus, et sane pro ea, quam, in hoc praecelsae dignitatis fastigio collocati, nostro muneri debemus, diligentia exigimus, non sinimus carere cura, ne forte, rebus ita neglectis, quod Deus optimus maximus avertat, magna inde sensim incommoda subeamus.

1 De Ordine Franciscano vide constit. LXVII Honorii III, *Solet*, tom. III, pag. 394.

§ 2. Id igitur, qua possumus ope, post petitum a Deo auxilium, cavere volentes, atque hic potissimum incipientes, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione nostra, apostolica auctoritate deque apostolicae potestatis plenitudine, Amadeorum et Clarenorum, etiam *della Becca* nuncupatorum, Sancti Petri in Monte Aureo, et Sancti Hieronymi, sive Sancti Bartholomaei in Insula de Urbe, aliarumque quarumlibet provinciarum respective fratrum Ordinis Sancti Francisci, eorumdem institutiones, congregationes, conventus, denominationes, nomina et vocabula quaecumque, necnon, quatenus regularibus institutis fratrum dicti Sancti Francisci Ordinis familiae, Minorum de Observantia vocatorum, discrepant, eorum Regula, instituta, constitutiones, statuta, consuetudines et ritus, modumque et normam vivendi interdicimus et prohibemus; illaque, necnon illorum promissiones, confirmationes apostolica auctoritate factas, et illorum causas, privilegia, indulta, gratias et litteras, etiam a Sede Apostolica, et forsan occasione concordiarum inter ipsos fratres initarum confirmatorias, ac motu, scientia potestatisque plenitudine similibus, vel etiam consideratione vel ad instantiam imperatoris, regum et aliorum principum concessa, et quibuscumque concepta formulis, ac suffulta decretis, quorum omnium tenores iis litteris haberi volumus pro expressis, extinguimus, supprimimus, revocamus, cassamus, et in perpetuum penitus et omnino omnia tollimus.

Ideo hic Pontifex interdicit omnes congregationes discrepantes ab institutis Regulae fratrum Minorum de Observantia;

§ 3. Eos autem omnes et singulos fratres, qui eiusmodi congregationum et denominationum erant, cum eorum omnibus domibus, ecclesiis, oratoriis, Minorum familiae de Observantia vocatis, eorumque congregationi aggregamus atque unimus. Et sic in posterum ex nunc perpetuo aggregatos et unitos esse, dictis de Observantia adhaerere, et eisdem, quibus illi utuntur, Regula, regularibus institutis, professione, moribus, habitu ac vivendi forma ac agnominibus et denominationibus uti, ac unam familiam tantum de caetero esse, eisdemque generalibus seu provincialibus ministris caeterisque superioribus aut officialibus, quibus illi subsunt aut pro tempore suberunt, subiectos esse, et in eadem immediate cum illis obedientia Deo servire, pure, ordinarie et uniformiter, nullaque prorsus re, nulloque discrimine seiunctos aut dissimiles haberi decernimus.

Omnesque illas congregationes unit sub Ordine dictorum Minorum de Observantia;

§ 4. Quinimmo, ut haec puriore conscientia ac tranquilliore animo praestare valeant debeantque, et non aliter, eosdem priorum institutorum rituumque et aliorum supradictorum, iis scilicet dumtaxat, quibus ab institutis et ritibus fratrum de Observantia differebant; necnon, si qui quavis ratione aut modo, iureve aut facto iis tenebantur, vel etiam tenentur, aut teneri se opinantur, promissione, professione, iuramento aut voto, quorum observatio scandalum aut perturbationem, iudicio superioris, caeteris allatura esset, absolvimus et liberamus, mandantes ipsorum universis et singulis, ut praemissa non impediant, neque eis ulla ex parte, ratione, ulloque modo resistant vel adversentur, ac nihil faciant vel experiantur aut tentent quo minus plene aut celeriter aut facile suos effectus consequantur; neque, ut ea vitent, saecularium habitu lateant, vel tamquam clerici saeculares ad aliquos ordines minores vel maiores promoveri praesumant; neque vero ad alias Religiones aliosve Ordines, etiam paris vel arctioris Regulae regularisque observantiae, transeant, sine licentia Sedis Apostolicae speciali; sed praefatis fratribus de Observantia eorumque congregationi et obedientiae adhaereant, et omnibus aliis supradictis quam primum pareant et obsequantur re ipsa.

Et iramenta, vota et promissiones quae eos impedire possunt, remittit;

§ 5. Quod si eorum quispiam secus fecerit, omnes illasmet sententias, censuras et poenas eo ipso incurrat et patiatur, quae mere apostatae ipsi, tam iuxta canonicas sanctiones quam dicti Ordinis regularia instituta incurrunt et patiuntur; ac perinde contra illum, sive ab ordinariis locorum, sive ab ipsis superioribus fratrum de Observantia, ad quos pertinet, procedatur et severe animadvertatur, atque contra vere apostatam procederetur et animadverteretur. Et si quando ad obedientiam reversus, in aliorum consortium receptus fuerit, vocis tam activae quam passivae, suorumque ordinum omnium perpetuo careat.

Fratribusque praemissa adimplere recusantibus poenas hic descriptas imponit;

§ 6. Caeterum, ut universa congregatio fratrum huiusmodi de Observantia hoc additamento quasi colonis aucta, placida simul perpetuaque pace fruatur et conquiescat, neque uno tantum nomine, sed una etiam mente consistat, nullaque ibi altercandi occasio subrepat, eisdem motu, scientia et potestatis plenitudine statuimus et ordinamus ut nullus ex veteribus fratribus de Observantia quemquam sic noviter aggregatorum, recordatione priorum nominum aut vitae vel alias quocumque modo, irritare, aut Amadeum vel Clarenum seu alia quam de Observantia nuncupatione appellare audeat. Qui contra ausus fuerit, a suo superiore graviter puniatur; ipsi quin etiam sic aggregati fratres, suos gradus et, quae ratione suorum graduum privatim habent, privilegia, facultates et auctoritates, institutis tamen regularibus de Observantia expresse non contraria, ut prius retineant.

Et fratres sic aggregatos alio, quam de Observantia nomine appellari prohibet, et eorum antiqua privilegia Regulae de observantia non contraria retinere posse decernit.

§ 7. Universis vero iisdem privilegiis, facultatibus, immunitatibus, praerogativis, indultis et gratiis indistincte fruantur et potiantur, quibus et ipsi veteres; ac quoties provincialia vel generalia capitula habebuntur, ita horum quisque pro ea, in qua ipse fuerit, provincia, si tamen alias vocem in capitulo habiturus fuisset, illis intersit, quemadmodum et veterum quilibet interesset vel interesse poterit; et pariter ut illi, tam in eisdem capitulis ipsorum capitulorum electione, quam extra capitula, superiorum, ad quos pro tempore pertinebit, dispositione, ad quoscumque gradus et quaecumque officia, in quibuslibet provinciarum, sub quibus deget, conventibus et domibus regularibus, tam antiquis quam noviter unitis, de Observantia promoveri et assumi valeat. Denique, ita utrique semper inter se agant, ut caeteris pares, sola antiquitate alteri alteris praeferantur: ita, scilicet, ut intergerentes pares gradus vel pares ordines, suscepti gradus vel ordinis, inter alios vero emissae professionis tempora inspiciantur, et prout quisque antecedit tempore, sive sit ex veteribus, sive ex noviter aggregatis, loco in choro et capitulo, processionibus ac quibuscumque aliis praerogativis antecedat, servata interim graduum et ordinum maioritate.

Universorum autem privilegia et praecedentiam declarat.

§ 8. Praeterea, nulla omnino domus, quamvis parva et exigua, nullusque locus regularis, ubi dicti fratres hactenus ante aggregationem de ipsis, ut supra, factam habitare soliti sunt, ad ipsos quacumque ratione pertinens, relinquatur, absque permissione nostra expressa, sed a tot fratribus unaquaeque continuo habitetur, quot ibi commode esse et ali poterunt: et, quae eisdem domibus, eleemosynae vel alio nomine, pia hominum largitione offeruntur, subsidia; pariter si quae ad restaurationes, fulcimenta vel alium usum fabricarum, necnon ad ecclesiarum lumina et ornatum, vasorumque ac caeterae supellectilis comparationem tradita, legata, relicta aut quocumque nomine donata sunt, etiam consideratione prioris institutionis, quae ibi tunc vigebat, ac contemplatione congregationum, quarum tunc temporis erant, illarumque nomine expresso, eadem omnia et alia insuper quaecumque, quavis

Loca regularia non deserantur absque permiss. Pontificis

aliter donantium huiusmodi dispositione absumenda, novis habitatoribus, in supradictos tantum, neque alios ullos convertenda usus, omni prorsus, quantum ad unionem praefatam pertinet, caducitate eiusve praetentione seclusa, integre debeantur.

Gubernatio monialium ad quos spectet.

§ 9. Gubernatio quoque et cura quorumcumque monasteriorum monialium, quae antea conventibus aut superioribus huiusmodi domorum et locorum demandata erat, ad illos pertineat, qui ibi erunt in posterum.

Ministri generalis facultas circa deputationem officialium et fratrum, usque ad capituli celebrationem

§ 10. Proinde possit generalis minister, in omnibus quarumcumque provinciarum domibus sicut supra unitis, donec generale, vel in ipsa provincia, in qua illae sitae fuerint, provinciale capitulum celebretur, officiales et fratres, sive ex veteribus, sive ex nunc aggregatis, sive etiam ex utrisque, quo et qui sibi visi fuerint, arbitrio suo libere deputare, et ad illarum regimen et directionem mittere. Interea vero temporis ipsi fratres sic noviter aggregati, si citramontani, in illius, in qua nati sunt; si vero ultramontani, in illius, cuius maluerint, provinciarum domibus regularibus sint et maneant, usquequo aliter constituatur, et ipsos ad aliam domum aliumve locum mitti, sive capituli, sive generalis ministri huiusmodi ordinatione, contingat. Porro, in capitulo provinciali mediolanensi fratrum de Observantia, quod Mediolani proxime celebrabitur, omnibus provinciae Mediolanensis regularibus domibus de Observantia, tam antiquis quam nunc unitis, ut praefertur, de guardianis aliisque officialibus et superioribus ac fratribus, qui illas regere, et in illis esse debeant, ex utrorumque fratrum, veterum scilicet et nunc aggregatorum, numero indifferenter, alias tamen ex more inter fratres de Observantia prius observato provideatur; idem deinceps in caeteris, quae per provincias subinde celebrabuntur, capitulis, quoad ipsarum provinciarum domos, observetur; ac in provinciarum numero terminisque et denominationibus ea ratio atque distinctio habeatur, quae inter fratres de Observantia ante has ipsas literas habebatur.

Loca aggregata sint eius provinciae intra cuius fines existunt.

§ 11. Nuper autem aggregatae domus in eam provinciam transeant, et in ea numerentur, intra cuius fines quaeque consistit; et cum pro tempore provinciale capitulum celebrandum erit, ii tantum ad illud conveniant, qui ex illa provincia fuerint, in qua tunc capitulum celebrabitur. In ipso vero Mediolanensi, quod primum omnium post has litteras prope diem celebrandum est, quicumque ex fratribus aggregatis, qui ante aggregationem a nobis, ut supra, factam ubicumque locorum degentes erant, et provincia Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe, et illa comprehendebantur, et idcirco vocem in capitulo habebant, quoniam litterarum ignari illuc forte omnes se conferent, possint quidem libere omnes hac vice celebrationi adesse, sed ii tantum ex eis iam nunc ibi vocem habeant et suffragia ferant, qui sunt ex illis domibus, quae, iuxta aggregationem praedictam intra antiquos limites et fines provinciae Mediolanensis fratrum de Observantia sunt sitae.

Clausulae praeservativae.

§ 12. Has porro litteras et his litteris contenta, decreta, statuta, ordinationes et omnia usque adeo firma et valida atque observanda esse volumus, ut numquam revocari aut infringi vel suspendi; nunquam de voluntatis aut mentis nostrae defectu oppugnari possint, numquam adversus restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris, aut aliud quodcumque gratiae vel iustitiae remedium quisque impetrare, vel etiam ab aliis impetrato aut motu simili concesso uti valeat, ex quavis causa quantumlibet rationabili, et ita de his omnibus et singulis; ac simul quod haec eadem aliquibus eiusmodi sta-

tutorum et ordinationum revocationibus, suspensionibus et aliis contrariis dispositionibus, generalibus vel specialibus, ab eadem Sede Apostolica pro tempore factis, non comprehendatur, sed ab illis semper excepta sint.

Decretum irritans.

§ 13. Sicque a quibuscumque iudicibus ordinariis et delegatis et causarum Palatii Apostolici auditoribus ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, etiam de latere legatis, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter interpretandi et iudicandi facultate et auctoritate, interpretari et iudicari debeat; necnon quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Deputatio et facultates executorum.

§ 14. Propterea, dilectis filiis Carolo, titulo Sanctae Praxedis presbytero cardinali Borrhomaeo nuncupato, dicti Ordinis protectori et correctori, necnon pro tempore existenti eiusdem Ordinis generali ministro, mandamus ut ambo vel ipsorum alter, has litteras et quidquid in proxime provinciali capitulo Mediolanensi, utroque vel altero ipsorum praesidente, pro suprascriptorum omnium executione et observatione ordinabitur, faciant, per se vel alium seu alios, ab omnibus et singulis fratribus praefatis exactissime observari. Contradictores quoslibet et non parentes ac rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam graduum, officiorum et vocis tam activae quam passivae privationem ac caetera, quae sibi videbuntur opportuna, iuris et facti remedia, quacumque prorsus appellatione postposita et etiam reiecta, compescendo; atque eosdem in sententias, censuras et poenas praedictas incidisse declarando, easque saepius aggravando, adhibita etiam, si opus fuerit, manu militari, et invocato auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Non obstantibus praemissis, ac nostra de non tollendo iure quaesito, ac piae memoriae Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Ordinis et congregationum huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica et quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque et indultis apostolicis, illis per quoscumque Romanos Pontifices ac Sedem Apostolicam et etiam nos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere et in specie concessis et quotiescumque confirmatis et innovatis, et *Mare Magnum* nuncupatis, ac quibuslibet aliis indulgentiis et litteris apostolicis, per quae, his litteris non expressa vel etiam non inserta, harum effectus, executio impediri valeret vel tardari, et de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda esset mentio specialis.

Transumptorum fides.

§ 16. Volumus etiam quod harum litterarum exempla, etiam impressa, dicti Caroli cardinalis et protectoris aut generalis seu alicuius provincialis ministri fratrum sigillo, et eiusdem Caroli cardinalis secretarii vel ipsiusmet generalis aut provincialis ministri manu obsignata, eamdem fidem, in iudicio et extra iudicium, ubique locorum faciant, quam hae litterae ipsae facerent, si ostenderentur vel exhiberentur.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXVIII, X kal. februarii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 ianuarii 1568, pontif. anno III.

LXXXVI.

Iurisdictio et facultates sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis protectoris ac iudicis causarum monasterii S. Catharinae de Rosa nuncupatae, et congregationis in Urbe institutae ad ibi recipiendas pieque educandas virgines miserabiles, in periculo amittendae pudicitiae commorantes.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Facultas protectoris et deputatorum puellas in periculo amittendae pudicitiæ existentes, invitis parentibus, capiendi, illosque et alios eas occultantes etc. coercendi.

Cupientes ut monasterium Beatae Catharinae *della Rosa* nuncupatae, de Urbe, iamdudum pro receptandis et educandis miserabilibus puellis, quae in periculo pudicitiae subvertendae in dicta Urbe reperiuntur, erectum, et confraternitas ibidem pro gubernio dicti monasterii canonice instituta, non solum manuteneantur, verum etiam in dies incrementum suscipiant; monasteriumque et confraternitatem huiusmodi specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, motu simili, ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, dilecto filio nostro Hippolyto, tituli S. Mariae Novae presbytero cardinali Ferrariensi nuncupato, nunc et pro tempore monasterii et confraternitatis huiusmodi existenti protectori, seu confraternitati praedictae illiusque administratoribus, gubernatoribus et deputatis, quod quascumque puellas in periculo pudicitiae existentes amittendae, et si bene visum fuerit, propria auctoritate, etiam invitis parentibus, capere et in dictum monasterium introducere, illasque tam dum in dicto monasterio manserint, quam etiam inde egressae, sive nuptae sive viduae fuerint, necnon occultantes et latitare facientes, carcerare, punire, corrigere et castigare, eorum arbitrio seu alias iuxta eorum statuta et providas ordinationes, possint et valeant, concedimus, statuimus, decernimus et mandamus.

Facultas protectoris et iudicis causas civiles et criminales monasterii S. Catharinae, confraternitatis eiusdem, monialium et puellarum, etiam e monasterio egressarum et nuptui traditarum, in quacumque instantia, summarie etc. cognoscendi;

§ 1. Necnon, pro ipsius monasterii confraternitatisque, monialium et puellarum minori dispendio, ne cogantur per diversa tribunalia litigare, omnes et singulas causas, lites, quaestiones et controversias civiles, criminales, profanas, spirituales, mieras et mixtas, inter confraternitatem seu eius administratores, gubernatores et deputatos huiusmodi, moniales seu puellas in dicto monasterio degentes, seu quae inde egressae et nuptui traditae sunt, ex una, et quascumque alias personas, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis et praeeminentie existentes, universitates, societates, congregationes et monasteria aut alia loca pia, ex altera partibus, etiam si coram sanctae Romanae Ecclesiae camerario, clericis et praesidentibus Camerae Apostolicae et eiusdem Camerae generali auditore, necnon vicario, gubernatore et senatore dictae urbis, illorum locatenentibus, collateralibus et iudicibus, ac dictae urbis causarum appellationum capitaneo et sacri Palatii Apostolici auditoribus, et eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus aliisque iudicibus ordinariis seu delegatis huiusmodi, motas et pendentes, et desuper statu et bonis tam monialium quam puellarum, necnon quibuscumque locationibus, venditionibus, legatis, fidei commissis, testamentis, haereditatibus atque illorum discussionibus, atque quorumcumque iurium et actionum cessionibus, aliisque inter vivos contractibus, etiam vigore obligationis in forma Camerae, executionibus, revocationibus, bonis, rebus, iuribus et actionibus ad confraternitatem praedictam eiusque gubernatores, administratores et deputatos, moniales et puellas praedictas, tam coniunctim quam divisim, ac tam active quam passive spectantibus et pertinentibus, in quacumque instantia (quarum omnium et singularum statum et merita, necnon

iudicum et collitigantium nomina et cognomina ac qualitates caeteraque de necessitate exprimenda, pro expressis habentes), in statu et terminis in quibus nunc reperiuntur, harum serie ad nos advocantes, illasque omnes et singulas, motas et pendentes, ac quam et quas confraternitas, gubernatores, administratores et deputati, necnon moniales et puellae ibi degentes, et illae quae exinde egressae et nuptui traditae sunt et pro tempore fuerint, habere volent contra easdem personas, universitates et collegia, congregationes, confraternitates, monasteria et alia huiusmodi pia loca, pro rebus, bonis, haereditatibus, iuribus et actionibus huiusmodi, nunc et pro tempore monasterii, confraternitatis praefatarum existenti protectori praefato, una cum illarum emergentibus, dependentibus, incidentibus, annexis et connexis, summarie, simpliciter et de plano, et sola facti veritate inspecta, ac sine strepitu et figura iudicii, per seipsum seu alios a se deputandos, in quacumque instantia usque in finem audiendas, cognoscendas et fine debito terminandas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, committimus et mandamus. Ipsumque protectorem, nunc et pro tempore existentem, in dictis causis motis, pendentibus et in futurum movendis, in iudicem ordinarium, cum facultate easdem causas, in quacumque instantia, usque ad finem, per se ipsum vel alium seu alios eius auditores, illas cognoscendi, decidendi et terminandi, et aliis facultatibus praedictis, facimus, constituimus et deputamus.

Inhibendique in curia et extra, et inobedientes coercendi; necnon singulis diebus et horis procedendi;

§ 2. Necnon cum potestate citandi et inhibendi quos, quibus et quoties, in Curia et extra eam, etiam per edictum publicum, constito etiam de non tuto accessu; eisdemque quam et quibusvis aliis, eiusdemque urbis iudicibus et personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quibus et quoties opus sit, et sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis et pecuniariis, quibus sibi seu ab eo pro tempore deputando auditori videbitur, inhibendi; et, in eventum non paritionis, contra inobedientes, contumaces et rebelles ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi, illarumque aggravationes et reaggravationes et alias iuxta morem et stylum curiarum Urbis in similibus servari solitum, et prout sibi videbitur, procedendi; sententiasque suas debitae executioni demandandi sive demandare faciendi; auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi; omniaque et singula alia, in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, faciendi, gerendi et exercendi; ac in omnibus et singulis eis praedictis, ad dictam societatem, moniales et puellas, ut praemittitur, spectantibus, singulis diebus et horis feriatis et non feriatis, praeterquam in honorem Dei, etiam tempore feriarum ob necessitatem hominum indictarum et indicendarum, procedendi.

Notarium deputandi

§ 3. Ac quemcumque notarium sibi bene visum, in causis huiusmodi, deputare possit et valeat.

Mandatarii omnes citent,

§ 4. Quodque citationes et inhibitiones, quae in eis fieri oportuerit, etiam per Curiae Capitolii et quoscumque alios mandatarios fieri possint.

Executoresque exequantur.

§ 5. Et quicumque executores Urbis possint et debeant effectualiter executioni demandare omnes et singulas sententias, decreta et mandata praedicti cardinalis protectoris sive ab eo deputatorum, quae, non obstante regula Cancellariae, sub eius parvo sigillo expediri possint.

Confraternitas, moniales, puellae etc. coram protectore dumtaxat conveniunt et conveniuntur.

§ 6. Ac insuper confraternitatem praedictam, eiusque administratores, gubernatores et deputatos, necnon moniales ac puellas ibidem degentes, et inde egressas, nuptas seu viduas huiusmodi, ex nunc

deinceps, occasione praemissorum, alibi quam coram praedicto protectore conveniri, aut ad alios conveniendum constringi non posse; ac processus, sententias et decreta, per alium seu alios, tam ordinarios quam delegatos, iudices, in omnibus praedictis quomodolibet pro tempore formatos, latas et facta, cum inde secutis quibuscumque, nulla, irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti fore.

Clausulæ præservativae.

§ 7. Praesentemque cedulam, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus seu renovationibus similium vel dissimilium concessionum et gratiarum, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices et Sedem praedictam vel eius legatos, etiam per regulas Cancellariae Apostolicae, pro tempore factas, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis penitus et omnino exceptas, et quoties illae emanabunt, praesentem cedulam in pristinum statum restitutam esse et censeri debere; nec eidem cedulae per quascumque litteras, etiam quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, irritantiaque et alia decreta, sub quacumque verborum expressione, continentes, derogari posse, etiam si ullo umquam tempore, ex aliqua etiam, quantumvis necessaria et urgenti causa derogari contingat, nisi tenor eiusdem cedulae de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et huiusmodi derogatio per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, administratoribus, gubernatoribus, deputatis et confratribus huiusmodi omnibus et singulis legitime insinuata et intimata fuerit, eorumque expressus ad id accesserit assensus, derogationem huiusmodi nemini suffragari, nullius esse roboris vel valoris; et sic per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam praedictae Ecclesiae cardinales, et causarum Palatii Apostolici auditores, sublata *etc.*; ac irritum *etc.* iudicari et definiri debere.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon basilicae Principis apostolorum de Urbe, ac hospitalium, ecclesiarum, monasteriorum et aliorum quorumcumque locorum et Ordinum, iuramento *etc.* roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis conservatoribus, exemptionibus et litteris apostolicis eisdem ac dilectis filiis populo Romano, necnon iudicibus, curiis et tribunalibus eorumque personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos ac dictam Sedem, etiam motu et scientia similibus, concessis, approbatis et innovatis, etiam disponentibus, quod causæ huiusmodi ad forum seu curiam Capitolii reassumi debeant, quibus omnibus et singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis contenta observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si praefatis aut quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici suspendi aut excommunicari, vel extra aut ultra certa loca, curias et tribunalia ad iudicium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis,

indultis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existentibus, per quæ, praesentibus non expressa, aut totaliter non inserta, iurisdictionis ipsius protectoris explicatio impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in praesentibus mentio specialis.

Sola signatura sufficit.

§ 9. Volumus autem praesentium solam signaturam sufficere, et ubique fidem facere, in iudicio et extra, regula contraria non obstante, et earumdem transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo protectoris seu confraternitatis huiusmodi munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae adhiberetur praesentibus manu nostra subscriptis.

Placet. M.

Romae apud Sanctum Petrum, quarto idus februarii, anno III.

Dat. die 10 februarii 1568, pontif. anno III.

LXXXVII.

Mandatur nuncio Venetiarum, ut in omnibus ecclesiis cathedralibus eiusdem dominii, in quibus adhuc nullum stipendium lectioni theologali deputatum est, praebendam primo vacaturam ad hunc usum applicet [1].

Venerabili fratri episcopo Neocastrensi, apud dominium Venetorum nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Pius Papa V.

Ven. frater, salutem et ap. benedictionem.

Mandatum erigendi et instituendi praebendam theologalem in cathedralibus.

§ 1. Cupientes pro nostri pastoralis officii cura, ut sacri concilii Tridentini decreta ab omnibus sic ut par est observentur, eaque debitae executioni demandentur, idcireo auctoritate apostolica, tenore praesentium tibi mandamus ut in omnibus ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus istius inclyti dominii, in quibus praebenda seu aliud, quovis nomine nuncupatum, stipendium pro lectoribus sacrae theologiae hactenus deputatum non reperitur, praebendam quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis in manibus nostris factæ, primo vacaturam, cui aliud onus incompatibile iniunctum non sit, ad ipsum lectionis sacrae theologiae usum, pro uno lectore perpetuo, auctoritate nostra applices, constituas ac deputes, applicatamque, constitutam et deputatam in perpetuum fore et esse decernas et declares; ita tamen quod, si post publicationem ipsius concilii aliqui ordinarii vel capitula praebendam in suis mensibus tunc vacantem, et ad eorum collationem vel aliam quamcumque dispositionem, communiter vel divisim, pertinentem, ad lectionis sacrae Scripturae usum huiusmodi hactenus non applicaverint vel destinaverint, sed aliis contulerint, primo vacatura praebenda ea esse censeatur et intelligatur, quae ad eorumdem ordinariorum vel capitulorum, ut praefertur, collationem spectare, non autem nostrae Apostolicae Sedis dispositioni reservatam esse contigerit: si vero ipsi ordinarii praebendam aliquam post dicti concilii publicationem cuiquam non contulerint, tunc praebendam primo vacaturam vel dispositioni nostrae reservatam vel ad collationem dictorum ordinariorum et capitulorum spectantem, ad ipsius lectionis sacrae theologiae usum, pro eodem lectore, per te, ut praefertur, applicari volumus et mandamus.

Pœna in eos qui obedire recusaverint.

§ 2. Et propterea tibi commisimus ut dictis ordinariis et capitulis et eorum cuilibet, etiam sub interdicti ingressus ecclesiae ac suspensionis a divinis aliisque etiam pecuniariis arbitrio tuo imponendis et declarandis poenis, ne se, quovis praetextu aut quaesito colore, in praebenda

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

primo vacatura praedicta ullatenus intromittere, aut de illa contra praesentium tenorem disponere quoquomodo audeant vel praesumant, eadem auctoritate nostra inhibeas atque interdicas.

Irritum esse decernit si quid contra factum fuerit.

§ 3. Nos enim irritum esse decernimus et inane quidquid secus super his a prædictis quam quocumque alio, quavis auctoritate fungente, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; tibique super omnibus et singulis praemissis plenam et liberam per easdem praesentes facultatem concedimus et potestatem.

Clausulae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis ecclesiarum statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v martii MDLXVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 martii 1568, pontif. anno III.

LXXXVIII.

Reservatio beneficiorum omnium vacantium, sede episcopali vacante.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Pius divina providentia Papa V.

Reservatio beneficiorum omnium vacantium, sede episcopali vacante.

§ 1. Cupiens pauperibus clericis et aliis benemeritis personis de beneficiis ecclesiasticis providere, omnia et singula beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata et ubilibet existentia, sede episcopali, archiepiscopali, patriarchali et primatiali quarumcumque ecclesiarum, cathedralium et metropolitanarum, patriarchalium ac primatialium pro tempore pastoribus destitutarum vacante, quomodolibet vacantia et vacatura, tam in praedictis quam aliis ecclesiis, necnon civitatibus et dioecesibus quibuscumque, ad eorumdem episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum et primatum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem quomodolibet pertinentia, dispositioni suae reservavit.

Decretum irritans.

§ 2. Sicque in praemissis per quoscumque *etc.*, sublata *etc.*, iudicari debere; irritum quoque *etc.* decrevit.

Placet, publicetur et describatur. M.

Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romæ, in Cancellaria Apostolica anno Incarnationis dominicae MDLXVIII, die vero IX mensis martii, pontificatus prælibati sanctissimi domini nostri Papae anno III.

Publ. die 9 martii 1568, pontif. anno III.

LXXXIX.

Facultas collegii fabricae S. Petri apostolorum principis de Urbe circa legata quae fiunt ecclesiae B. Mariae Lauretanae, si eius ministri in illis exigendis fuerint negligentes.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memriam.

Exordium.

Ad Romani Pontificis spectat officium opportunis providere remediis, ne ecclesiæ et alia pia loca, praesertim Romanae Ecclesiæ immediate subiecta, et in honorem gloriosissimae Dei Genitricis dedicata, suis tam spiritualibus quam temporalibus bonis, aliquorum malitia vel negligentia, fraudentur.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Sane nuper ad aures nostras, non sine dolore, pervenit complures christifideles personas diversarum civitatum et locorum, tam in Italia quam extra eam, multas variasque pecuniarum summas et res ac bona ecclesiae beatae Mariae Virginis de Laureto nuncupatae, illius dioecesis, devotionis causa reliquisse, donasse aut alias concessisse, de quibus certa notitia, propter incuriam et negligentiam notariorum, qui in dictis civitatibus et locis de relictis, donationibus et concessionibus huiusmodi rogati fuerunt, aut aliarum personarum, quae de illis scripturas confecerunt, hactenus haberi non potuit, nec potest in praesenti, unde dicta ecclesia non modicum sentit detrimentum.

Notarii, infra tempus hic expressum, notificent officialibus vel deputatis ecclesiae B. Mariae de Laureto, omnia ei relicta

§ 2. Nos igitur, ne ecclesia praefata pecuniis, rebus ac bonis huiusmodi defraudetur, atque immodicis sumptibus, per commissarios pro eorum exactione fieri solitis, exoneretur, ipsasque pecunias, res et bona eadem ecclesia facilius consequatur, de aliquo opportuno remedio providere, ipsiusque ecclesiae indemnitati, quantum cum Deo possumus, prout tenemur, consulere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis civitatum, terrarum, castrorum et aliorum locorum quorumcumque notariis aliisque personis, ex quorum tam publicis quam privatis scripturis constare quovis modo potest aut poterit in futurum de aliquibus pecuniarum summis, rebus ac bonis, cuiuscumque quantitatis, qualitatis, generis ac valoris extiterint, quae ecclesiae praefatae, pure vel conditionaliter aut alias quomodocumque, saltem a triginta annis citra, in aliqua ultima voluntate relicta, vel inter vivos donata, vel quomodolibet concessa aut promissa fuerint, aut in posterum relinquentur, donabuntur, concedentur aut promittentur, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipiendo, et sub privationis suorum officiorum, ac solutionis dupli pecuniarum, rerum ac bonorum praefatorum, pro una videlicet ipsi ecclesiae, et altera medietatibus solutionis dicti dupli accusatori et executori, aequaliter inter eos dividenda, applicandis poenis, praecipimus et mandamus, et insuper hac nostra in perpetuum valitura ordinatione et constitutione, sub eisdem poenis, statuimus et ordinamus ut de caetero perpetuis futuris temporibus notarii et personae praefatae, omnes et singulas dispositiones in favorem dictae ecclesiae, a quocumque et quomodocumque faciendas, de quibus, tam per suas proprias, quam per aliorum, etiam defunctorum, scripturas, penes ipsos existentes, quomodocumque constare potest, in Italia intra trium, extra vero eam infra octo mensium spatium, si eas per viam ultimae voluntatis fieri contigerit, a die mortis disponentium; si vero inter vivos, a die solutionis faciendae computan.: dispositiones autem iam factas, infra simile spatium, a die tamen intimationis praesentium, vel earum transumptorum, ut infra subscribendorum ac sigillandorum, affixionis ad valvas cathedralium ecclesiarum in civitatibus, et insigniorum ecclesiarum in terris, castris et locis praefatis faciendae, computandum, gubernatori pro tempore existenti ipsius ecclesiae, seu personis ab eo pro maiori commoditate eorumdem notariorum et aliarum personarum in certis praecipuis civitatibus seu locis, eius arbitrio ad hoc deputandis, revelare ac notificare.

Deputati praedicti notificationes istas describant, etc.

§ 3. Praefati vero deputandi, ipsum gubernatorem notificationum et denunciationum sibi per notarios factarum huiusmodi singulis quibuscumque mensibus certiorem facere, et easdem notificationes ac denunciationes in libris suis, etiam ad hoc specialiter confectis vel conficiendis, manu propria adnotare, eosdemque libros ad gubernatorem praefatum, quoties ab eo

super hoc requisiti fuerint, mittere aut deferre; necnon ut idem gubernator denunciationes et notificationes non solum notariorum et aliarum personarum, sed etiam deputandorum praedictorum adnotare, seu manu cancellarii ipsius ecclesiæ adnotari facere in libro ad hoc etiam specialiter confecto vel conficiendo; dictosque libros, in fine sui officii, suo in officio gubernatori immediato successori, coram notario ad hoc specialier vocato et rogato, consignare respective teneantur et debeant, et unusquisque eorum teneatur et debeat.

Fabrica S. Petri de Urbe non potest quintam partem dictorum relictorum prætendere, nisi probata negligentia ministrorum dictae ecclesiae.

§ 4. Quoniam vero commissarii fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe, vigore nonnullorum privilegiorum a diversis Romanis Pontificibus, eidem fabricae, super exactione certorum legatorum concessorum, quintam partem legatorum ipsi ecclesiae de Laureto relictorum, exigendi facultatem habere praetendunt, volumus, et eisdem fabricae praedictae commissariis nunc et pro tempore existentibus, motu et scientia ac potestate similibus, etiam districte praecipiendo, mandamus ne in posterum, vigore praefatorum aut quorumcumque aliorum privilegiorum, quintam partem praefatam, nisi postquam de ministrorum ipsius ecclesiae in exigendis dictis legatis negligentia constiterit, exigere possint audeantve aut praesumant. Quodque negligentiam praedicti ministri non aliter quam si infra annum in Italia, vel infra biennium extra eam, a die quo denunciationes et notificationes gubernatori vel deputandis praedictis factae fuerint; vel, si denunciationes et notificationes praedictae factae non fuerint, infra biennium in Italia, et quinquennium extra eam, a die mortis testatorum seu alias disponentium computandum, legata huiusmodi non exegerint, aut desuper litem contra haeredes seu alios eorumdem legatorum debitores non moverint, incurrisse censeantur.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac privilegiis dictae fabricae concessis, quorum omnium tenores haberi volumus pro sufficienter expressis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Et quia difficile esset earumdem praesentium notitiam ad singulos notarios aliasque personas civitatum, terrarum, castrorum et locorum huiusmodi pervenire, et ubique illas affigi vel intimari, etiam motu et scientia similibus, volumus et decernimus quod illarum transumptis, etiam per impressionem factis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dictae ecclesiae aut alicuius praelati vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillatis, ea prorsus fides indubia, in iudicio et extra, ac alias ubilibet, adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima martii, millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 10 martii 1568, pontif. anno III.

XC.

Mandatum nuncio Hispaniarum, ut Praemonstratenses secundum observantiam eorum Regulae reformandos esse declaret, non autem secundum Regulam fratrum Sancti Hieronymi, quos a directione et iurisdictione in illos penitus extraneos esse decernit [1].

Venerabili fratri Ioanni Baptistae archiepiscopo Rossanensi, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio.

Pius Papa V.

Ven. frater, salutem et ap. benedictionem.

Causa reformationis.

§ 1. Nuper cum accepissemus esse in regnis Hispaniarum quaedam monasteria Or-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dinis Praemonstratensis sub Regula Sancti Augustini, quorum fratres valde dissolute vivere, et non parva, tam in capite quam in membris, super eorum vivendi modo reformatione indigere dignoscebantur; quodque in dicto Ordine nullum monasterium de Observantia reperiebatur, voluimus ac mandavimus per alias nostras in forma brevis litteras, quod dicti fratres Praemonstratenses ad observantiam fratrum S. Hieronymi de Observantia, in eisdem Hispaniarum regnis consistentium, pariter sub dicta Regula sancti Augustini militantium, per venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos in quorum civitatibus et dioecesibus monasteria Ordinis Praemonstratensis huiusmodi esse contingeret, eorumque vicarios et officiales, adhibitis secum duobus probis et idoneis Religionis ipsius Ordinis S. Hieronymi de Observantia, reducerentur, prout in dictis litteris plenius continetur.

Declarat sensum praecedentium suarum litterarum, quas enunciat.

§. 2. Cum autem mentis et intentionis ac voluntatis nostrae semper fuerit et sit quod dicti fratres Praemonstratenses debite reformentur, et ad regularem sui Ordinis observantiam, non autem S. Hieronymi de Observantia huiusmodi, ut supra expressum est, per eosdem fratres S. Hieronymi reducantur, ad auresque nostras, non sine molestia nostra, pervenerit quod dicti fratres S. Hieronymi, sub praetextu reducendi eosdem fratres Præmonstratenses ad observantiam, se in monasteriis huiusmodi intrudere ausi fuerunt, et sibi ab eis obedientiam praestari facere, et illa cum eorum bonis suae Religioni incorporari intendant, illosque habitum S. Hieronymi suscipere volunt, quae propterea, quod a nonnullis fratribus Præmonstratensibus recusata fuerunt, licet ut ab eis reformentur contenti existant, eos in teterrimos carceres coniecerunt, et eorum bona occuparunt et usurparunt: quidam autem fratres Praemonstratenses, perterrefacti, iis quae ab ipsis fratribus S. Hieronymi mandata sunt acquiescere coacti fuerunt.

Reformatio Præmonstratensium iuxta regular. observantiam S. Augustini non autem iuxta observantiam fratrum Sancti Hieronymi.

§ 3. Quare nos volentes, iuxta mentem et intentionem et voluntatem nostram praedictam, in praemissis quamprimum opportune providere, tibi per praesentes, in virtute sanctae obedientiae, committimus et mandamus quatenus statim eisdem locorum ordinariis eorumque vicariis et officialibus ac fratribus S. Hieronymi ad hoc adhibitis, auctoritate nostra, mandes ac districte praecipias ut solummodo eosdem fratres Praemonstratenses eorumque monasteria, tam in capite quam in membris visitent, reforment, corrigant et emendent, ac ad regularem observantiam sui Ordinis Praemonstratensis, non autem S. Hieronymi praedicti realiter et cum effectu reducant atque reponant, delinquentes repertos iuxta canonicas sanctiones et regularia eorum instituta puniant; quos vero incorrigibiles esse repererint, sub fida custodia teneri curent, et de omnibus nos diligenter certiores faciant, ut quid desuper agendum fuerit eis significari possimus.

Quod fratres S. Hieronymi nullomodo in iis quae ad Praemonstratenses pertinent ingerere se debeant.

§ 4. In cæteris vero, quae ad monasteria et fratres Praemonstratenses huiusmodi pertinent, se nullatenus intromittere audeant, sed illos in suo Ordine et habitu Praemonstratensi suorumque superiorum obedientia sub regulari observantia vivere permittant, nec generalis et fratres dicti S. Hieronymi se in dictis monasteriis Praemonstratensibus, quovis prætextu aut quæsito colore, intrudere, neque eorum bona quoquomodo occupare aut sibi usurpare praesumant. pariterque carceratos praedictos statim relaxent; et si quid forsan, contra mentem, intentionem ac voluntatem nostram huiusmodi, a supradictis factum, attentatum et innovatum hactenus fuerit, id omne in pristinum et eum, in quo antea erat, statum, præterquam quoad ea quae reformationem ipsam, ut prae-

fertur, concernunt, realiter et cum effectu, sine ulla mora aut dilatione, restitui cures et facias, cæteraque geras et exequaris quae in praemissis necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna.

Pœna in contradictores.

§ 5. Nos enim hoc nostrae firmae et incommutabilis mentis et voluntatis fuisse, esse et fore harum serie decernimus et declaramus, tibique contradictores quoslibet et rebelles, ac in praemissis tibi parere recusantes seu differentes, si archiepiscopi et episcopi fuerint, sub interdicti ingressus ecclesiae ac suspensionis a divinis; inferiores vero per poenas tibi visas, et etiam sententias et censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione quacumque postposita et remota, compescendi; censurasque et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, interdictumque ecclesiasticum in locis in quibus tibi expedire videbitur apponendi; brachii quoque saecularis auxilium ad hoc, si opus fuerit, invocandi; aliaque ad praemissorum executionem spectantia faciendi, agendi, mandandi et exequendi, plenam, liberam et omnimodam facultatem, auctoritatem et potestatem per easdem praesentes concedimus et impartimur.

Clausulae.

§ 6. Non obstantibus praemissis litteris et inde secutis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis quae in eisdem litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Seu si archiepiscopis, episcopis vel fratribus S. Hieronymi praedictis aut quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDLXVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 martii 1568, pontif. anno III.

XCI.

Fructus beneficiorum, lite pendente deponendi, apud idoneam personam a iudice eligendam deponi debent, non obstantibus quibuscumque statutis disponentibus quod capitula et canonici eos recipiant [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cordi nobis est lites minuere, et a laboribus subditos, maxime personas ecclesiasticas divino cultui deditas, relevare.

Beneficiorum litigiosorum fructus lite pendente percipiebantur a capitulis et canonicis, vigore eorum statutorum, unde lites efficiebantur immortales.

§ 1. Sane cum, sicut accepimus, in plerisque cathedralibus et collegiatis ecclesiis, earum constitutionibus et statutis, etiam a Sede Apostolica approbatis et confirmatis, cautum sit quod, occurrentibus litibus et controversiis inter provisos de dignitatibus, officiis, canonicatibus et praebendis, portionibus et praestimoniis caeterisque beneficiis ecclesiasticis qualitercumque qualificatis, tam ordinaria quam apostolica auctoritate, tam super illorum provisione seu institutione aut possessione, quam illorum idoneitate et habilitate, aut ex quavis causa, et eorumdem ad dignitates, canonicatus et praebendas caeteraque beneficia ecclesiastica praedicta admissione et receptione, et capitulum et canonicos caeterasque capitulares personas, ad quos admissio et receptio, tam de iure quam ex consuetudine, spectat et pertinet, aut etiam alias personas ecclesiasticas asserentes beneficia praedicta ad se de iure spectare, ipsi sic provisi interim beneficiorum huiusmodi, fructus ac distributiones non percipiant, sed capitulum et canonici illas vel in suos usus et utilitatem convertendas, seu restituendas ei, cui de iure restituendae erunt, recipiant, prout in dictis constitu-

[1] De sequestris autem a iudicibus decernendis super fructibus beneficiorum lite pendente, vide Pii IV constitutionem XXII, *Sanctissimus*, huius tomi pag. 77.

tionibus et statutis seu consuetudinibus continetur, quo factum est ut lites huiusmodi immortales efficiantur, nec earum optatus finis videri possit.

Hic Pontifex modo decernit eos deponi debere penes idoneam personam a iudice eligendam.

§ 2. Hinc est quod nos hac nostra perpetuo valitura constitutione, auctoritate apostolica statuimus atque decernimus quod fructus, redditus et proventus ac distributiones caeteraque emolumenta, quae, vigore constitutionum, consuetudinum et statutorum praedictorum, a capitulo et canonicis recipienda, ut praemittitur, erant, amplius non ab eisdem capitulo et canonicis recipiantur, sed penes personam fide et facultatibus idoneam per iudicem, coram quo causae huiusmodi pendere repertae fuerint, eligendam et nominandam deponantur, restituenda ei, cui de iure postea restituenda fuerint.

Decretum irritans.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, in quavis instantia iudicari debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae

§ 4. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; et quarumvis ecclesiarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque capitulis et superioribus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac quavis, etiam imperiali vel regali, consideratione vel instantia, et alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, perinde ac si tenores huiusmodi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti, et forma in illis tradita observata foret, pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum

§ 5. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Forma publicandi.

§ 6. Quodque litterae ipsae in Camerae et Cancellariae Apostolicarum et Audientiae causarum Palatii Apostolici valvis, et in acie Campi Florae, dimissis inibi copiis, publicatae et affixae, omnes ita afficiant et arctent ac si illis personaliter intimatae fuissent. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, tertio kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 30 martii 1568, pontif. anno III.

XCII.

Quae beneficiorum ecclesiasticorum resignationes per episcopos et alios collatores admitti possint.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Quanta Ecclesiae Dei incommoda omni tempore attulerit, et nunc quotidie magis

afferat ministrorum in eam ingressio vitiosa, iam late perspiciant, et cum mœrore expendant praesules omnes et pastores; quando haec pernicies, cæterarum omnium maxima, tam multas orbis ecclesias impie violarit.

Pontifex iste alias suspendit facultates admittendi resignationes beneficiorum, et de illis sic vacantibus disponendi.

§ 1. Quia vero hoc malum cum in cæteris frequens, tum maxime in beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum dimissione admittitur, nemini molestum esse debet quod perinde de reprimendis quotidianis fraudibus, quae hac in re frequentiores internoscuntur, certam aliquam rationem tandem inituri, officii nostri partes in prohibenda omnibus interim resignationum huiusmodi acceptione paulo severius interposuerimus, omnesque beneficiorum interim resignandorum dispositiones, quae fierent, in irritum revocaverimus, ac etiam decreverimus nullum per eas in illis ius neque titulum, vel coloratum, tam in petitorio quam in possessorio, ipsis provisis tribuere, quin etiam eos ad illa deinceps obtinenda perpetuo inhabiles fore. Collatores vero alias in illorum dispositione, etiam tamquam devolutionis iure, sese interponere non posse, sed de eis, ut vere vacantibus, sive per Romanos Pontifices, sive alios collatorum eorumdem superiores, uti praeventum esset, libere provideri.

Idem modo Pontifex ex eausis hic enunciatis,

§ 2. Nunc autem intendentes institutum hoc nostrum, quo sanctuarium Domini cupimus illibatum, auctore Domino, persequi, ac simul, quantum in nobis est, cavere ne resignationes ipsae deinc, pro cuiusque arbitrio nullisque vel certe levibus causis, passim et temere admittantur, prohibitionem et alia praedicta ac cætera omnia nostris super his litteris contenta eatenus relaxamus, ut posthac.

Declarat quae resignationes de cætero admitti et recipi possint;

§ 3. Episcopi et alii facultatem habentes, eorum dumtaxat resignationes recipere et admittere possint qui, aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti vel vitiati, aut crimini obnoxii, censurisque ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt aut non debent ecclesiae vel beneficio inservire; seu qui unum illud vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri, Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur; denique, cum quis ex aliis casibus acciderit, qui constitutione felicis recordationis Innocentii Papæ III [1] de dimittendis cathedralibus ecclesiis edita continetur; qui etiam, ob capitales inimicitias, nequeunt vel non audent in loco beneficii residere securi. Sed nec horum ullus sacro ordini mancipatus, nisi Religionem ingressurus, valeat ullo modo beneficium vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari. Ad haec, beneficiorum et officiorum permutationes admittere, quae canonicis sanctionibus et apostolicis constitutionibus permittuntur.

Et praecipit episcopis, praesentatoribus et electoribus quae cavere debeant;

§ 4. Caveant autem episcopi et alii praedicti, itemque omnes electores, praesentatores et patroni, tam ecclesiastici quam laici quicumque sint, ne verbo quidem aut nutu vel signo, futuri in huiusmodi beneficiis et officiis successores ab ipsis resignantibus aut aliis, eorum significatione vel hortatu, designentur, aut de his assumendis promissio inter eos vel etiam intentio qualiscumque intercedat.

Prohibetque beneficia resignanda conferri consanguineis collatorum vel resignantium;

§ 5. Cæterum praecipimus atque interdicimus ne ipsi episcopi aut alii collatores de beneficiis et officiis resignandis praedictis, aut suis aut admittentium consanguineis, affinibus vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant providere; quod si secus, ac etiam quicquid praeter vel contra formam praedictorum fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires et effectum decernimus non habere.

1 Haec Innocentii III constitutio est in cap. x, *De Renunciat.*

Controvenientibus poenas infligit;

§ 6. Qui vero contrafecerint, ut in eo quo deliquerint puniantur, a beneficiorum et officiorum collatione, necnon electione, praesentatione, confirmatione et institutione, prout cuique competierit, tamdiu suspensi remancant, donec remissionem a Romano Pontifice meruerint obtinere; et qui talia beneficia seu officia receperint, eos praedictis poenis volumus subiacere. Et nihilominus in eos qui, sic suspensi, conferre, eligere, praesentare, confirmare vel instituere ausi fuerint, excommunicationis, quoad personas; quo vero ad capitula et conventus, a divinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus: quibus etiam nullus alius quam ipse Romanus Pontifex, sive absolutionis sive relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire. Prohibitione et litteris nostris praedictis nihilominus in caeteris omnibus perpetuo valituris.

Contrariis derogat;

§ 7. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus et specialibus, quibuscumque episcopis et aliis superioribus ac inferioribus ecclesiarum praelatis, necnon ecclesiis, monasteriis et capitulis, conventibus, collegiis et universitatibus, eorumque et aliis personis, etiam regia et imperiali maiestate praeditis, sub quacumque verborum forma et conceptione concessis, per quae effectus praesentium impediri posset quomodocumque vel differri, etiam si de eis ipsorumque totis tenoribus ad verbum, ac de propriis nominibus eorum, necnon ecclesiis, monasteriis, locis, ordinibus et dignitatibus, de quibus necnon causis, propter quas illa concessa sunt, specialem et expressam praesentibus fieri oporteret mentionem.

Publicari hanc constitutionem praecipit;

§ 8. Caeterum iubemus easdem praesentes ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae publicari et earum exempla affigi; volumusque eas sic publicatas, omnes et singulos perinde afficere et obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatae.

Exemplis credi iubet.

§ 9. Exemplis quoque praedictis, etiam impressis, manuque notarii publici et sigillo praelati ecclesiastici vel eius curiae obsignatis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octavo et sexagesimo, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 aprilis 1568, pont. anno III.

XCIII.

Reformatio fratrum Ordinis Cruciferorum, praecipue circa proprietatem, administrationem munusque officialium [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Regulares in observantia eorum disciplinae coadiuvandi sunt, et ab ea exorbitantes ad eamdem revocandi.

Nihil in Ecclesia Dei aut praeclarius aut utilius arbitramur, quam optimam disciplinam eorum, qui divini spiritus instinctui obsecuti, sese regularibus institutis devinxerunt. Ili namque, cum genere vitae tum doctrina, operibus et exemplis, certum directumque iter ad coelestem beatitudinem consequendam caeteris omnibus fidelibus in saeculo viventibus ostendunt. Quocirca magnam undique curam et diligentiam adhibere necesse est ut quicumque huic sacro sunt contubernio mancipati, in suae quisque Regulae observatione, pie sancteque nutriantur et confirmentur. Exorbitantes vero, salutaribus remediis ad proprium institutum revocentur.

§ 1. Quam quidem sollicitudinem nos,

1 De hoc Ordine vide in constitutione X Urbani III, *Cum antecessor*, tom. III, pag. 46.

Huiusmodi regularis disciplinae restitutioni iste Pontifex multum studuit;

ex quo fuimus ad regimen universalis Ecclesiae divina pietate vocati, perpetuam habuimus, pluribusque Ordinibus a vetusta disciplina declinantibus, nunc novarum constitutionum editione, nunc antiquarum restitutione vel correctione, ita profecimus, ut iam non mediocres ex labore nostro fructus late per orbem progrediantur.

Et modo istum Ordinem reformare intendit,

§ 2. Quare institutum hoc nostrum persequi, annuente Deo, intendentes, inter cæteras Religiones, quae reformatione indigere noscuntur, fratrum Cruciferorum Ordo nobis nunc occurrit, cuius pristinos mores, ex effusa sensim licentia, in multis corruptos, ad suam quantum potest integritatem referamus.

Cuius Ordinis Regula ab Alexandro III iuxta beati Cleti disciplinam instituta, dum in illius observantia stetit, multum profecit,

§ 3. Quondam enim haec Regula a felicis recordationis Alexandro Papa tertio, iuxta disciplinam B. Cleti instituta, quamdiu in veterum institutorum suorum observatione permansit, eius professores, cum integritate vitae tum salubri prioratuum, hospitalium et locorum suorum directione, bonorumque pia et fideli administratione, egregiis apud omnes laudibus merito floruerunt.

Ab observantia postea declinans, fere defecit.

§ 4. Ubi vero primum prioratuum, hospitalium et locorum praedictorum cura perpetua, certis quibusdam, id forte pro meritis, aut Religioni maxime utilibus, de benignitate seu providentia Sedis Apostolicae, demandata est, ea tunc demum cupido tam multorum animos incessit, ut illa fere omnia aut in titulum aut in commendam perpetuam, variis praetensis causis, sibi paulatim usurparint, et qui illa sic postea possederunt, minus morigeri atque obedientes suis superioribus effecti, fructus, qui prius ad publicam utilitatem commoditatemque Religionis et in alendis pauperibus dispensabantur, proprios sibi fecerunt, profanis etiam usibus applicantes.

§ 5. Unde, cum huius frugiferae disciplinae cultus iam perverti ac labascere conspiceretur, piae memoriae Innocentius Papa VIII, procurante priore generali et definitoribus dicti Ordinis, bene ac providenter statuit ut ipse generalis ac caeteri omnes priores necnon definitores, rectores et administratores dicti Ordinis, deinceps non ad vitam, sed ad triennium duntaxat, iuxta primaevam institutionem, assumerentur, et suum quisque prioratum vel aliam administrationem semper in proximo capitulo generali resignare deberet.

Innocentius VIII ideo perpetuitatem officiorum ad triennium reduxit, iuxta antiquum institutum;

Verumtamen perpetuatio officiorum denuo revixit.

§ 6. Quod quidem etiamsi regulari disciplinae reintegrandae spem optimam in ipso statim principio praeseferret, grassante tamen non multo post magis magisque huiusmodi cupiditate, rursus, ex perpetua prioratuum et hospitalium praedictorum in titulum et commendam concessione, eadem illa et forte deteriora incommoda ipsi Religioni successerunt.

Clemens VII propterea formam eligendi officiales edixit;

§ 7. Quamobrem, recolendae memoriae Clemens Papa VII, praedecessor noster, perpetuo statuit et decrevit ut, in proximo et futuris deinceps capitulis generalibus dicti Ordinis, tres ipsius Ordinis professores idonei, priores et rectores annales, in spiritualibus et temporalibus, ad singulos prioratus et singula hospitalia ita eligerentur, ut primo loco nominatus, primo anno, alter vero secundo, et tertius tertio regeret; ac secundus primo, tertius vero secundo, etiam pro reliquo illo anni tempore quo primus vel secundus aliqua causa regere nequiret, per seriem suae cuiusque nominationis usque ad sequens capitulum generale subrogaretur. Et si, celebrato capitulo generali, interim usque ad celebrationem sequentis, prioratus vel aliud beneficium eiusdem Ordinis, in titulum vel commendam perpetuam aut temporalem obtentum, etiam dispositioni apostolicae, ratione conventualitatis aut alias, specialiter vel generaliter reserva-

tum, quovis modo vacaret, nullus de illo, quam prior generalis seu eius vicarius, sed nec ille, nisi ad annum dumtaxat, et sic deinceps usque ad proximum generale capitulum, disponere valeret, quemadmodum fuerat iam ab ipso Innocentio Papa salubriter ordinatum.

Prioratus et hospitalia vacantia a priore et capitulo generali conferri iussit.

§ 8. Caeterum, huiusmodi prioratus et hospitalia, etiam a Sede Apostolica, impetrari non possent; nec de illis, cum vacarent, ex quo ulterius vacare non censerentur, aliter quam per priorem generalem et capitulum generale modo et forma praedictis disponi posset.

Clemens praedictus et Paulus III multa alia pro dicti Ordinis restitutione decreverunt, quae minime observata fuerunt.

§ 9. Multaque praeterea, tam ab ipso Clemente, quam etiam felicis recordationis Paulo Papa III, praedecessore nostro, pro conservatione dictae Religionis, edita et promulgata fuerunt, quibus antiquus ipse cultus regularis facile restitui in ea poterat, si dicti fratres illorum observationi vere et ex animo incubuissent; sed huiusmodi ambitio ex multorum cordibus nunquam satis excussa, in tantum praevaluit, ut plerique ex iis qui aut sese dimissuros prioratus assimulaverant, aut intentionem aliquam id faciendi praestiterant, non modo id postea neglexerint, sed et aliis exemplo fuerint eamdem viam fidentius insequendi. Hinc toti Ordini tanta quotidie parantur detrimenta, ut nisi efficax illi remedium tempestive quaeratur, verendum est ne illa sit in maiorem denique perniciem ruitura.

Hic Pontifex bullas Innocentii VIII, Clementis VII et Pauli III approbat, in his, quae huic constitutioni non adversantur;

§ 10. Nos haec mala ex ipsa perpetua rerum administrandarum facultate vel maxime provenire arbitrati, illis omni qua potest industria occurrere, ac simul dictam Religionem pristino suo candori, quantum in nobis est, restituere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra deque apostolicae potestatis plenitudine, singulas Innocentii, Clementis et Pauli, praedecessorum praedictorum, litteras super praemissis confectas ac quaecunque in eis contenta, praesentibus nostris non contraria, harum serie innovamus, approbamus et confirmamus, effectumque suum plenarium, in omnibus et per omnia, sortiri debere volumus.

Provisionesque et collationes beneficiorum et locorum Ordinis, vel eorum fructuum hactenus factas, revocat;

§ 11. Ut vero haec nostra voluntas institutique nostri ratio, impedimentis omnibus explicita, promptos et felices successus habeat, omnes et quascumque tam apostolicas quam ordinarias collationes, provisiones, commendas, in administratorem deputationes, de prioratibus, etiam conventualibus, hospitalibus et aliis beneficiis, cum cura et sine cura, dicti Ordinis, et etiam super illorum fructibus quarumcumque pensionum annuarum aut aliarum rerum vel etiam ipsorum fructuum seu partis eorum reservationes fratribus supradictis, ac etiam ipsum Ordinem professuris, perpetuo sive ad certum et qualecumque tempus, necnon omnia et quaecumque regressus, accessus et ingressus, ac regrediendi, accedendi et ingrediendi facultates et indulta, coadiutorum quoque deputationes ad illos et illa, ac etiam reservationes aedium et earum partium, camerarum, coenaculorum, aedificiorum, hortorum et quarumcumque aliarum rerum, tam praedictorum quam omnium aliorum prioratuum, hospitalium et locorum conventualium dicti Ordinis, quae vel illorum septis continentur, vel ut propinqua illorum conventibus vel ad hospitalitatem exercendam usui sunt, etiam de consensu, ac ex resignationis seu cessionis iuris ac etiam litis causa, aut concordiae apostolica auctoritate confirmatae aliave causa, quantumcumque onerosa et considerabili, tam eisdem fratribus quam quibuscumque aliis, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus,

necnon consideratione, intuitu, contemplatione vel ad instantiam imperatoris, regum, ducum aliorumque principum, facta et concessa, quibuscumque concepta formulis ac, etiam restitutivis, praeservativis, derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis, clausulis, necnon vim contractus inducentibus et aliis decretis suffulta, quorum omnium tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, dicta auctoritate apostolica, tenore praesentium specialiter et expresse revocamus; et apostolicas ac quascumque alias litteras necnon processus habitos per easdem et inde secuta quaecumque cassamus et annullamus, ac volumus illa omnia vires et effectum de caetero non habere.

Provisos possessione privatos, ac inde amotos declarat;

§ 12. Et nihilominus omnes et singulos priores et caeteros fratres, illos et illa obtinentes praedictos, ac eos qui profiteri volentes, ut praefertur, receperunt, etiam quantumcumque longissimo tempore possessores, eisdem omnibus ex nunc privamus et ab illorum possessione amovemus, amotosque denunciamus.

Non dimittentibus poenas imponit;

§ 13. Iubemus quoque generales ac alios priores, commendatarios, administratores et rectores praedictos in universum et singulatim, ut quamprimum praesentes illis intimatae fuerint, non expectata alia a nobis iussione aut mentis declaratione, ab omnimoda administratione abstineant, ac possessionem huiusmodi vacuam, liberam et expeditam realiter dimittant, deque omnibus et singulis bonis mobilibus, necnon fructibus et rebus ab eis perceptis, etiam in pecuniis consistentibus, priori generali ac visitatoribus rationem reddant, reliqua vero locis suis omnino dimittere debeant. Quod si horum quisquam secus quoquomodo contenderint, illum talem excommunicationis sententia innodamus, ac dignitatibus, administrationibus et officiis dicti Ordinis perpetuo indignum decernimus eo ipso.

Dimittentibus autem, titulum nomen et insigoia retinere, electionisque tam activae quam passivae votum permittit;

§ 14. Ipsi tamen sic dimittentes, titulum, nomen et signa omnia prioris ita retineant, ut quoad vixerint et in unitate fidei atque obedientia et observatione praesentium persiiterint, nec quicquam, quod eos merito reddat indignos, admiserint, vocem et suffragium active et passive, etiam quoad electionem dicti prioris generalis habeant; et tam in proximo quam in caeteris deinceps capitulis generalibus, ad curam et regimen aliorum prioratuum et hospitalium commutentur, sed annales dumtaxat, uti praescriptum est, eligi possint.

Prioris generalis officium triennio finiri et in capitulo generali eum eligi iubet;

§ 15. Caeterum, ex iis quae pro salubri dictae Religionis statu et felici directione alioqui instituta hucusque reperiuntur, quaeque nec praesentibus contraria sunt, nec illorum effectum impedire possunt, nihil omnino detrahere, sed illa omnino immota custodiri; rursus, ea quae ad ipsius Regulae conservationem atque aedificationem vel deesse vel obesse possunt, praesenti pagina supplere vel emendare intendentes, ac etiam inhaerentes prædictis Innocentii, Clementis et Pauli praedecessorum litteris, quarum singularum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus statuimus et ordinamus quod, futuris temporibus in perpetuum, prior generalis dicti Ordinis triennalis dumtaxat, ac tertio quoque anno in capitulo generali singulis trienniis celebrando, per suffragia secreta, iuxta concilii Tridentini dispositionem, et alias secundum litteras Innocentii praedecessoris huiusmodi, et regularia dicti Ordinis instituta laudabilesque consuetudines eligatur, ita quod, excurso praedicti triennii spatio, ipsum officium nequeat illi deinceps prorogari.

§ 16. Ut vero uniformis in dicto Ordine

Aliorum priorum eligendi formam et tempus designat;

ratio habeatur, dehinc tres professores idonei priores annales ad unumquemque caeterorum omnium prioratuum praedictorum, in dicto capitulo generali dumtaxat, ita per seriem eligantur et instituantur, ut primus solum primo anno, secundus secundo, ac tertius tertio, regimen et administrationem eius prioratus, ad quem sic electus fuerit, in spiritualibus et temporalibus habeat; et si horum trium quemvis cedere vel decedere vel inde ex aliqua causa amoveri contingat, ille qui, finito eo anno, ei immediate successurus erit, etiam pro toto illo tempore, quod cedenti vel decedenti aut amoto reliquum esset, succedat. Rursus, si duo ex eisdem, qualescumque in Ordine electi, vel primo anno cesserint vel decesserint aut amoveantur, superstes, in reliquum omne tempus, modo praedicto, usque ad proximum generale capitulum administret; omnibus vero tribus eodem intervallo quandocumque deficientibus, ei prioratui ac etiam aliis, in titulum vel commendam perpetuam vel temporalem obtentis praedictis, cum vacabunt, etiam si uti praefertur aut alias reservata fuerint, alium vel alios fratres idoneos annales dumtaxat, usque ad proximum generale capitulum subrogabit, quocumque privilegio apostolico, generali vel speciali, quibusdam prioratibus et conventibus dicti Ordinis concesso, et etiam multiplicatis vicibus approbato, aut statuto quacumque firmitate munito, seu consuetudine quantocumque tempore observata, quod ipsi non a capitulo generali electos recipiunt, sed suos sibi priores alias iuxta formam litterarum Clementis huiusmodi eligunt, penitus abrogatis et annullatis. Priores autem omnes suo rite defuncti officio annali, rursus poterunt in ipso futuro capitulo generali, itidem ut antea, priores in aliis prioratibus et domibus dicti Ordinis, si rursus idonei iudicati fuerint, ad alium annum, et sic deinceps deputari. Ad eumdem vero prioratum, unde priores exierint, nequeant ante exactum omnino triennium remeare.

Administratoribus cuiusque prioratus munus praefinit.

§ 17. Ad haec, nullus omnino priorum curam aut administrationem bonorum et aliarum rerum temporalium, dispensationemque redditnum sui prioratus seu domus, etiam nomine sui conventus, habere sive exercere vel sese in iis interponere possit; sed universum id onus tribus religiosis in unoquoque capitulo generali ita demandetur, ut primus rerum et bonorum mensae, tam prioris quam prioratus, inferendorumque in eum redditnum curam habeat; alter, tamquam depositarius, pecunias et caetera ab illo importata fideliter asservet; reliquus, de pecuniis et rebus a depositario captis, priori, fratribus et domui universae de necessariis, veluti dispensator, cum prioris auctoritate provideat, officiorum huiusmodi invicem confusione penitus interdicta. Sed et ii tres, tam accepti quam impensi, singulis mensibus, priori suo, adhibitis etiam duobus vel tribus fratribus eiusdem prioratus probatioribus rerumque usu peritis; deinde ipsimet rursus, praesentibus ipsis priore et peritis, priori generali vel visitatoribus, quotiescumque visitationis officium fecerint; denique prior generalis, tam de illis omnibus quam etiam suae mensae proventibus et rebus, semper in proxime sequenti capitulo generali et coram tribus iudicibus ab ipso capitulo deputatis, suae administrationis rationem reddere tenetur.

Prioribus vitam communem et alia praecipit;

§ 18. Omnes vero priores vitam cum suis fratribus communem ducant, nec proprium quidquam habeant; omnibus divinis officiis diurnis et nocturnis, in ecclesia et choro semper adesse debeant. In refectorio semper comedant, ubi silentium perpetuum agatur, et lectura sacra ab initio ad finem, de more aliorum

religiosorum regularem disciplinam observantium, habeatur. Ædes separatas neque in claustro neque alibi usquam habeant, sed unica cella, aut si necessitas postulaverit, duabus dumtaxat, eisdemque cum cæteris aliorum fratrum coniunctis, contenti esse debeant.

Proprietatem omnibus interdicit;

§ 19. Pari quoque ratione cæteri fratres, nil sibi proprii vindicantes, necessarium victum et vestitum a suo quisque conventu sive domo ac per eius ministros, prout cuique opus erit, capiant, pecuniae usu, veluti olim ad libitum abutebantur, deinceps omnibus penitus interdicto; eam tamen diligentiam prior adhibere debebit, ut singulorum, maxime infirmorum et senum necessitatibus, iuxta cuiusque exigentiam, consulatur. Quicquid vero fuerit cuique privatim et intuitu personae undecumque donatum, illud omne superiori, horarum vigintiquatuor intervallo, exhibeatur, ut deposito statim committat, et inde ex eo tantum exhibitori ministrare iubeat, quantum praesens rei convenientis usus et necessitas videbitur postulare. Quod si quisquam donatum huiusmodi non exhibuerit ut praefertur, in censuras et poenas, etiam per constitutiones nostras promulgatas, se noverit incidisse.

Vestitum uniformem et honestum praefinit;

§ 20. Vestitus autem omnis omnino conformis, nulla exquisita arte elaboratus, sed purus et honestus in universum habeatur.

Hospitalitatem et Studium in locis commodis restitui iubet;

§ 21. In omnibus vero locis vetus hospitalitas, quoad fieri poterit, restituatur, et in prioratibus civitatum insignium caeterisque locis commodis optimarum litterarum Studium atque exercitium omni tempore habeatur.

Mulierum admissionem prohibet;

§ 22. Nullus insuper sive prior, sive simplex religiosus, intra septa domus suae, neque omnino alibi, mulieres, quantumcumque provectas seu matres seu sorores, seu alias propinquas, etiam infirmitatis tempore admittat.

Numerum fratrum, in quolibet conventu, minorem septem prohibet;

§ 23. Postremo, ut in prioratibus praedictis iustus ministrorum numerus perpetuo constet, nunquam pauciores quam septem fratres in singulis educentur. Illi vero in quibus tot commode ali nequiverint, aliis prioratibus eiusdem Ordinis per dictum capitulum generale, seu, si id commode tunc fieri nequiverit, cura protectoris dicti Ordinis, adhibitis etiam priore generali et definitoribus praedictis, perpetuo uniantur; seu de opulentiorum prioratuum et locorum redditibus, caeteris angustioris proventus prioratibus et locis, commodis rationibus prospiciatur.

Dispositiones de prioratibus et beneficiis Ordinis, sic et non aliter fieri iubet;

§ 24. Districtius inhibentes, in virtute sanctae obedientiae, generali caeterisque omnibus et singulis prioribus et conventibus supradictis eorumque personis, ne de prioratibus, hospitalibus ac aliis beneficiis dicti Ordinis sub ipsa revocatione nostra comprehensis praedictis, aliter quam in dicto capitulo generali, et ut illis praescriptum est, disponere quoquo modo praesumant.

Aliterque factas annullat;

§ 25. Ac decernentes ex nunc quascumque praesentationes, electiones, collationes, provisiones, commendas et alias dispositiones, etiam a Sede praedicta, motuque, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac cum praesentium speciali et expressa derogatione pro tempore factas, tamquam in laesionem et detrimentum reformatae Religionis subreptas et extortas, nullius prorsus momenti fore, nec per eas ius aliquod cuiquam acquiri.

Omnem recursum *etc.* removet;

§ 26. Nec ullum ex iis, quorum collationes, provisiones et commendae prioratuum, hospitalium et beneficiorum praedictorum, ac pensionum caeterarumque reservationes, necnon regressus, accessus et ingressus, et coadiutorum de-

putationes ad illa revocata sunt, ut praefertur, ad quemquam alium, quocumque tempore, quavisque causa quantumlibet rationabili, restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris, aut quodvis aliud gratiae vel iustitiae remedium impetrare, vel etiam ab alio vel aliis impetrato, aut motu simili concesso, uti.

Harum litterarum impugnationem interdicit;

§ 27. Nec praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari nec impugnari, nec sub ullis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus similium vel dissimilium ordinationum ab ipsa Sede, quandocumque vel quomodocumque emanandis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validum statum restitutas et plenarie reintegratas esse et censeri.

Et secundum eas iudicari praecipit;

§ 28. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter interpretandi et iudicandi facultate et auctoritate, ubique interpretari, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Observantiam earumdem toto Ordini iniungit;

§ 29. Porro generali et aliis prioribus ac conventibus, fratribus et personis, tam coniunctim quam divisim, districtius praecipimus ut praesentes nostras litteras humiliter recipiant, et quaecumque in eis expressa, ac per eas decreta, statuta et mandata sunt, alia desuper a nobis non expectata iussione aut mentis nostrae declaratione, firmiter custodiant et in omnibus studiose obedire procurent.

§ 30. Quin etiam, dilecto filio nostro Aloysio, tituli S. Marci presbytero cardinali Cornelio nuncupato, moderno dicti Ordinis protectori, motu simili mandamus ut ipse easdem praesentes ac quicquid, pro earum executione et observatione, in dicto capitulo generali vel etiam extra illud ab ipso, adhibitis, si ei videbitur, generali et aliquot ex aliis prioribus vel definitoribus praedictis, quos duxerit eligendos, statuetur, ordinabitur et decernetur, in omnibus prioratibus, hospitalibus et beneficiis, ac ab omnibus et singulis prioribus, fratribus et personis praedictis inviolate faciat, per se vel alium seu alios, observari; contradictores quoslibet et rebelles, ac etiam protestantes et reclamantes, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio praestantes, tam ecclesiasticos quam laicos, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam prioratuum, dignitatum et administrationum privatorias, cæteraque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo; quin etiam contendentes praedictos in censuras et poenas supradictas incidisse declarando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Executionemque cardinali Ordinis protectori demandat;

Obstantibus derogat.

§ 31. Non obstantibus nostris de non tollendo iure quaesito et de annali ac triennali possessore, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Ordinis praedicti, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, exemptionibus et indultis apostolicis, illis eiusque superioribus et personis ac eorum singulis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam per modum statuti perpetui ac initi et stipulati contractus ac alias sub quibuscumque tenoribus et formis

ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere et in specie concessis, confirmatis; ac etiam aliis reformationibus, quotiescumque et quocumque tempore factis et promulgatis; ac quibuslibet aliis indulgentiis et litteris apostolicis, specialibus et generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum seu dictorum ordinariorum iurisdictio seu executio impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia, contra earumdem praesentium tenorem, nolumus cuiquam in aliquo suffragari.

Transumptis credi iubet.

§ 32. Denique etiam volumus quod ipsarum praesentium exempla, etiam impressa, dictique Aloysii cardinalis et pro tempore existentis protectoris aut capituli vel prioris generalis sigillo et secretarii cuiusvis eorum vel notarii publici manu obsignata, eamdem illam fidem ubique locorum, in iudicio et extra illud, faciant, quam ipsae praesentes, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXVIII, IX kalendas maii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 aprilis 1568, pont. an. III.

XCIV.

Revocatio omnium privilegiorum a Sede Apostolica officialibus et aliis quibuscumque concessorum, creandi doctores, licentiatos et magistros; et declaratio quoad beneficia et dignitates [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quamvis a Sede Apostolica, ad quam negotiorum multitudo undique confluit, curis omnino plena innumeris, nonnulla interdum ex iustis causis concedantur, quae successivis temporibus in publicum detrimentum et alieni iuris praeiudicium tendere noscuntur; non debet reprehensibile videri, si Romanus Pontifex, ad cuius providentiam, pro debito pastoralis officii, spectat super iis debite providere, illa, rationabilibus et iuridicis supervenientibus causis deinde cognitis, quandoque revocat et annullat, ac in statum redigit rationis.

Causa revocationis.

§ 1. Sane, cum fide digna plurimorum relatione, non sine animi nostri molestia, intellexerimus nonnullos comites palatinos et diversos alios, praetextu facultatum sibi a Romanis Pontificibus et Sede Apostolica concessarum, quamplurimos tam laicos quam clericos, tam iure civili quam canonico et theologia, nullo aut non debito examine praevio, indoctos et inhabiles, doctores, licentiatos et magistros creasse et promovisse, uti ad dignitates caeteraque beneficia ecclesiastica facilius assumerentur et de eis providerentur, in animarum suarum iacturam et quamplurimorum scandalum.

Revocatio indultorum creandi doctores.

§ 2. Nos huiusmodi scandalis, quantum in nobis est, obviare, et alias ne de cetero inhabiles ad huiusmodi gradus admittantur providere volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et ex certa scientia nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, omnia et singula facultates et indulta eisdem comitibus ac etiam quibusvis officialium Romanae Curiae collegiis singulisque aliis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et praeeminentiae existentibus, ad

1 De huiusmodi praerogativa habes etiam in concilii Tridentini sessione XXII, cap. II; et sess. XXIV, cap. XII, *De Reform.* Professionem fidei, quam promoti et provisi emittere debent, vide in Pii IV constitutione CV, *In sacrosancta*, pag. 323 huius tomi, et in constit. CVI, pag. 327, ibid.

doctoratus, licentiaturae et magisterii gradum promovendi, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam ac etiam nos, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, quomodolibet concessa, confirmata et innovata, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium perpetuo revocamus, cassamus et annullamus.

Sic creati nulla praerogativa gaudent.

§ 3. Ac decretis concilii Tridentini inhaerentes, decernimus et declaramus eos qui a comitibus et aliis praefatis promoti fuerunt, quoad dignitates caeteraque beneficia ecclesiastica, nulla gradus praerogativa frui et gaudere posse vel debere.

Clausula sublativa.

§ 4. Et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, interpretari, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac praefatis, et quibusvis aliis facultatibus, privilegiis et indultis et litteris apostolicis, eisdem comitibus et collegiis, necnon quibusvis aliis, etiam ex quavis causa, etiam urgentissima, aut in vim contractus inter eos et Sedem praedictam initi, vel ex causa onerosa, etiam motu proprio ac consistorialiter et alias quomodolibet concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, quoad hunc effectum, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi.

§ 6. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam deducantur, volumus quod in Cancellaria nostra Apostolica et in acie Campi Florae de more publicentur, et inter constitutiones perpetuo valituras describantur.

Exemplorum fides.

§ 7. Et quia difficile foret eas ad singula quaeque loca deferri, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, ac sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXVIII, kalendis iunii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 iunii 1568, pontif. anno III.

XCV.

Translatio curae monialium a fratribus Ordinis Minorum Conventualium ad ordinarios locorum [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Monasteria quæ prius a fratribus Conventualibus regebantur, ab huiusmodi regimine absolvuntur;

§ 1. Cum, sicut accepimus, diversa monialium monasteria, curae et regimini dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci subiecta esse reperiantur, nos volentes, pro nostri pastoralis officii sollicitudine, eosdem fratres, ut commodius et liberius sacrarum litterarum studiis incumbere valeant, ab onere et impedimento gubernii monialium huiusmodi liberos esse, motu proprio, ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, fratres Conventuales praedictos ubicumque existentes, ab omni cura, gubernio, regimine et administratione quorumcumque monasteriorum monialium seu bighinarum aut bizochetarum vel alias quomodolibet commissorum, et per eos hactenus regi et gubernari solitorum, ex nunc in perpetuum, auctoritate apostolica,

1 Ex edit. typis Bladi.

tenore praesentium, penitus absolvimus ac totaliter liberamus; eosque ab huiusmodi onere absolutos, liberos et immunes fore et esse, nec deinceps in illis, quovis praetextu aut quaesito colore, se ullatenus intromittere posse neque debere, decernimus; ac ipsorum monasteriorum monialium curam et gubernium eisdem fratribus de caetero omnino interdicimus.

Regimini ordinariorum subiiciuntur.

§ 2. Ne autem ipsa monialium monasteria propterea in spiritualibus aut temporalibus detrimentum aliquod patiantur, nostrae providentiae diligentia opportune prospicere cupientes, eadem monialium monasteria omnia et singula locorum ordinariis, in quorum civitatibus aut diocesibus respective consistunt, per eos feliciter regenda et prospere dirigenda, auctoritate et tenore praedictis, motu simili subiicimus atque supponimus, eaque ab ipsis ordinariis regi et gubernari debere volumus ac mandamus.

Hoc eisdem ordinariis in virtute sanctae obedientiae praecipitur,

§ 3. Et ut id prompte libenterque suscipiant et exequantur, eis in virtute sanctae obedientiae iubemus, curamque monasteriorum huiusmodi bene ac diligenter gerere et exercere, donec aliter per nos seu successores nostros Romanos Pontifices desuper fuerit ordinatum, districte praecipimus.

Data eis facultate inobedientes poenis spiritualibus coercendi.

§ 4. Mandantes eisdem ordinariis, ut contradictores quoslibet et rebelles, praesentibus nostris litteris parere recusantes seu differentes, etiamsi dicti fratres fuerint, per poenas sibi benevisas, etiam pecuniarias, ac demum per excommunicationis et alias sententias et censuras ecclesiasticas caeteraque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione postposita ac prorsus remota, auctoritate nostra comprimant et compescant, eosque ad parendum et cum effectu statim obediendum praesentibus litteris cogant et compellant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, super quibus dictis ordinariis plenam et liberam harum serie facultatem concedimus et potestatem.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasteriorum et Ordinum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *Mari Magno* et *Bulla Aurea* seu *Concordia* aut alias nuncupatis, et cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, quomodolibet concessis, confirmatis et saepius innovatis, quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si fratribus vel monialibus praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus insuper quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Praesentium publicatio

§ 7. Quodque eaedem praesentes, per aliquem notarium publicum, vel unum ex cursoribus nostris, in generali dictorum

fratrum capitulo, quod nunc in alma Urbe nostra celebratur, lectae, omnes et singulos arctent, perinde ac si omnibus et singulis, quos concernunt, personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertia iunii, millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 iunii 1568, pontif. anno III.

XCVI.

Monasteria monialium fratribus Conventualibus subiectarum, perpetuo eximuntur ab eorum fratrum superioritate, et subiiciuntur ordinariis locorum.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut accepimus, *etc.* [1].

XCVII.

Reformatio fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Fratres Conventuales nihil proprium habere posse decernit.

§ 1. Ad extirpandos cupitae proprietatis abusus, summum bonum in frugifera Religione fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum pervertentes, simulque frangendam pessimam corruptelam, quae, de administrationibus et officiis huius Ordinis per gratiam et sordes consequendis, perperam inolevit; de nobis attributae potestatis plenitudine, omnes et singulos fratres praedictos, etiam si magistri generales, provinciales, custodes et alii quicumque sint, privato rerum bonorumque omnium immobilium, mobilium et semoventium dominio, usu, usufructu, possessione et proprietate, quocumque per eos modo acquisitis et ad ipsos obventis, perpetuo privamus, a dictaque possessione amovemus et amotos nunciamus, illaque omnia et singula in communes suarum cuiuscumque domorum et praedictae Religionis usus convertenda concedimus.

Et dispensationes quascumque desuper concessas revocat et annullat;

§ 2. Ac omnia et quaecumque privilegia, dispensationes, licentias, permissiones et indulta, eis et ipsorum singulis, super his ac domibus, cellis, hortis, pecuniis aliisque rebus, etiam causa senii, infirmitatis, parentum subventionis, congerendae soroibus dotis et cuiuscumque alterius pii officii intuitu habendis, retinendis et fruendis, etiam per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et ex certa scientia, concessa, confirmata et innovata, quibuscumque concepta formulis, ac clausulis et decretis suffulta (quorum omnium tenores praesentibus habemus pro expressis), specialiter et expresse revocamus, volumusque illa omnia et singula vires et effectum de coetero non habere.

Et bona quaecumque in communes omnium usus converti mandat;

§ 3. Et nihilominus mandamus magistris et superioribus omnibus, in virtute sanctae obedientiae, ut rerum et bonorum omnium praedictorum possessionem no-

[1] Constitutionem praetermittimus, quum eadem omnino sit cum praecedenti. Cl. Cocquelines bis eam refert in Romana editione, primo quidem loco ex ea, quam typis suis Bladius evulgavit, collectione excerptam; secundo vero ex Regesto in Tabulario Brevium asservato transcriptam. Quam sane repetendi cum caussa nulla suppetat, lectorem hic volumus admonitum ne forte inconsulto nos egisse, aut ista neglectui nobis esse, non iusta nos querela succenseat (R. T.).

mine domorum et locorum suorum capiant, ut illa illorumque fructus in communes omnium usus convertantur. Statuentes ut deinceps nullus omnino fratrum dicti Ordinis, sive custos, sive provincialis, sive generalis magistri officio fungens, etiam praetextu huiusmodi privilegiorum, dispensationum, permissionum et indultorum, seu inveteratae consuetudinis voto repugnantis aut quacumque alia causa, proprium quicquam aut privatum habeat, sed omnia ubique communia et indivisa omnibus religiosis esse.

Officiales comedere iubet cum aliis fratribus in tinello;

§ 4. Quin etiam magistri, custodes, guardiani vitam cum fratribus suis communem ducere debeant; in refectorio semper comedant; nullas aedes separatas sive in claustro sive alibi habeant, sed unica cella, eademque cum caeteris aliorum fratrum coniuncta, contenti esse debeant. Pari quoque ratione caeteri fratres, nil sibi proprii vendicantes, necessarium victum et vestitum a sua quisque domo et per eius ministros capiant.

Donata superioribus consignari,

§ 5. Pecuniae vero et quaecumque aliae res, quae cuique privatim, etiam intuitu personae undecumque donatae et relictae fuerint, superiori horarum vigintiquatuor intervallo exhibeantur, qui illas statim deposito committat, et inde tantum exhibitori ministrari iubeat, quantum praesens rei convenientis necessitas videbitur postulare.

Infirmosque curari iubet;

§ 6. Eam propterea diligentiam superior adhibere debebit, ut singulorum, maxime infirmorum, necessitatibus, iuxta cuiusque exigentiam, debite consulatur.

Bonorum administrationis ac dispensationis et rationis reddendae formam ponit;

§ 7. Ad haec, nullus omnino magistrorum, custodum et guardianorum, administrationem praedictorum bonorum et aliarum rerum temporalium, dispensationemque pecuniarum et redditnum suae custodiae vel domus, etiam nomine conventus, habere sive exercere, vel sese in eis interponere possit, sed universum id onus tribus religiosis a magistro generali ita demandetur, ut primus rerum et bonorum custodiae sive domus inferendorumque in eam redditnum curam habeat; alter, tamquam depositarius pecunias, et caetera ab illo importata fideliter asservet; reliquus, de pecuniis et rebus a depositario captis, custodi, guardiano et fratribus ac domui universae de necessariis, veluti dispensator, cum ipsius custodis seu guardiani auctoritate provideat, officiorum huiusmodi invicem confusione penitus interdicta; sed et ii tres, tam accepti quam impensi, singulis mensibus, suo custodi vel guardiano, adhibitis etiam duobus vel tribus fratribus eiusdem domus probatioribus rerumque usu peritis; deinde ipsimet rursus, praesentibus custode, guardiano et peritis, magistro generali vel visitatoribus, quotiescumque visitationis officium fecerint; denique ipse magister generalis, in proxime sequenti capitulo deputatis, illorum omnium et etiam universae administrationis suae publicae et privatae rationem reddere teneatur.

Officiorumque ambitus prohibet.

§ 8. Ceterum, praecipimus atque interdicimus omnibus et singulis, ne pro magistratibus et officiis praedictis, quaecumque sint, ulli ambitus fiant, aut pecuniae, etiam pro confirmationibus, sigillo vel causa, solvantur, aliaeve pactiones seu promissiones intercedant, seu munera aut xenia quocumque modo mittantur, neve quisquam, etiam in officio existens, pecunias aut aliud quicquam, de domo vel custodia sibi commissa vel aliunde, ge-

nerali seu alii cuicumque conferat vel remittat.

Contraventientium poenae.

§ 9. Quicumque secus fecerint, in poenam privationis magistratuum et officiorum suorum incidant, et ad futura inhabiles et infames reputentur, et pro culpis etiam tamquam fures puniantur, prout nos illos privatos, inhabiles et infames declaramus eo ipso.

Decretum irritans.

§ 10. Decernentes irritum et inane quicquid secus in praemissis, per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Procurationibus tamen, generali ex universo Ordine, ac provincialibus magistris ex sua cuique provincia, et visitatoribus ex domibus et locis visitandis, debitis et necessariis nequaquam per praesentes sublatis.

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus praedictis, et nostra de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; necnon *Bulla Aurea* et *Mare Magnum* noncupatis, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus et specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia, contra praedicta, nolumus cuiquam in aliquo suffragari.

Fides transumptorum.

§ 12. Ceterum, quia difficile valde esset easdem praesentes ad singula loca, ubi illis opus erit, transferre, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manuque notarii publici et sigillo praelati ecclesiastici vel eius curiae obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, VI idus iunii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 8 iunii 1568, pontif. anno III.

XCVIII.

Declaratio Concilii Tridentini, sessione vigesima quarta, capite tertio, super impedimento publicae honestatis, circa sponsalia vel matrimonia [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad Romanum spectat Pontificem sua sollicitudine diligenter providere ut sacrorum conciliorum decreta ita suae declarationis adminiculo dilucidentur, quod nulla desuper dubitandi occasio cuiquam relinquatur.

Dubium.

§ 1. Sane ad aures nostras pervenit multos esse qui dubitent an decretum oecumenici concilii Tridentini, sessione XXIV, *De Reformatione matrimonii*, capite III, quo cavetur impedimentum publicae honestatis, ubi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli; ubi vero valida fuerint, non excedere primum gradum, cum in ulterioribus gradibus non possit huiusmodi prohibitio servari, de sponsalibus per verba (ut aiunt) *de futuro* tantum conceptis intelligatur, vel etiam matrimonia per verba *de praesenti* contracta, non

1 Ad materiam dispensationum matrimonialium circa exprimenda in supplicationibus, idem Pontifex in constitutione XXIII, *Sanctissimus*, huius tomi pag. 476: et constit. XXXII, *Cum sicut*, ibidem, pag. 498.

tamen consummata, quae interdum sponsalia appellantur, comprehendat, ita ut etiam eo casu impedimentum inde proveniens sublatum fuerit.

Declaratio dicti dubii.

§ 2. Nos itaque, ut omnis difficultas dubitatioque tollatur, attendentes quod sponsaliorum appellatione, qua dictum concilium utitur, nonnisi improprie matrimonium verbis *de praesenti* conceptis contractum continetur; quodque agitur de correctione iuris veteris, quo casu, secundum proprietatem verborum dumtaxat procedendum est, praesertim cum longe maiorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba *de praesenti* contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere a nemine dubitetur; idcirco motu proprio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus et definimus decretum concilii huiusmodi omnino intelligendum esse et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic ut praefertur contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus, de iure veteri, ante praedictum decretum concilii introductum erat. Et ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis aliisque contrariis quibuscumque.

Forma publicationis.

§ 4. Volumus autem quod praesentes litterae in Cancellaria nostra et in acie Campi Florae de more publicentur, et inter constitutiones perpetuo valituras describantur. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, ac sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides ubicumque adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXVIII, kalendis iulii, pontificatus nostri anno III.

Dat. 1 iulii 1568, pontif. anno III.

XCIX.

Reformatio fratrum et sororum Tertii Ordinis de Poenitentia S. Francisci, in communione et sub trium substantialium votorum professione viventium [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Ea est officii nostri ratio, ut cum de ceteris Ecclesiae nobis commissae Ordinibus, vel in sua integritate continendis vel ad institutum revocandis, curam perpetuam capiamus, maiore tamen sollicitudine eadem illa in religiosorum sodalitatibus requirimus, quos ideo Altissimus in suum sibi sanctuarium segregavit, ut ceteros fideles viam doceant, qua et ipsi aeternae salutis beatitudinem consequantur.

Causa huius reformationis.

§ 1. Itaque, inter ceteras Religiones, fratrum quoque Tertii Ordinis S. Francisci, de Poenitentia nuncupati, in congregatione viventium ac tribus votis substantialibus adstrictorum status nos commovet, ut ad illum reformandum studia nostra conferamus, quando vel ex tam multis, quae bonae memoriae Rodulphus, episcopus Ostiensis, cardinalis Carpensis nuncupatus, dicti Ordinis protector, Sedis Apostolicae auctoritate fretus, in reparanda horum disciplina praeclare et salubriter edidit, Religionem hanc parum admodum profecisse agnovimus.

§ 2. Proinde nos hac praecipua morbi

1 Institutionem huius Tertii Ordinis vide in constitutione XLVII Leonis X, *Inter cetera*, tom. V, pag. 764.

Extinctio officii visitatoris, ministri et vicarii generalis.

causa ex propria praesidentium et aliorum ministrorum negligentia vel inscitia comperta, in communem dicti Ordinis salutem alia ratione intenti, de nobis attributae potestatis plenitudine, officia ministratus et visitatoris generalis dicti Ordinis perpetuo extinguimus et abolemus; ac ministrum, visitatorem et vicarium generalem eiusdem Ordinis officio, usu et exercitio omnimodo interdicimus, edictoque prohibemus ne ullus posthac minister, vicarius ac visitator generalis de dicto Ordine habeatur.

Subiectio eiusdem Ordinis generali et provincialibus ministris fratrum Minorum de Observantia.

§ 3. Ceterum, ut deinceps Ordo ipse utiliorum rectorum consilio et opera dirigatur, nos diversorum, etiam praedecessorum nostrorum, ordinationes sequentes, universos et singulos fratres, sorores, professos et conversos, necnon domos, monasteria et loca virorum et mulierum, ac custodias, gregemque ipsum universum Tertii Ordinis utriusque sexus generali et provincialibus ministris Ordinis fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum, prout in eorum provinciis consistunt, ita perpetuo supponimus, ut minister generalis in universo Ordine, provinciales vero Ordinis Minorum de Observantia in suis quisque provinciis plenum ius liberamque auctoritatem, ac in spiritualibus et temporalibus iurisdictionem omnimodam habeant, domos omnes ac monasteria et loca quaecumque, necnon personas utriusque sexus, tam in capite quam in membris visitandi et corrigendi; vagantes et quoscumque alios puniendi, carcerandi, mutandi, transferendi; ordinibus, officiis et administrationibus deponendi, excommunicandi, suspendendi, interdicendi et restituendi; ac super iis et ceteris omnibus Ordinem ipsum illiusque domos et personas utriusque sexus quomodolibet concernentibus, eorum tamen Regulae praedictae et sacris canonibus ac praesentibus litteris non contrariis, statuendi, mutandi, innovandi et exequendi, quemadmodum illis est in suo proprio Ordine attributum.

Fratres et sorores Tertii Ordinis recipiant in superiores fratres de Observantia.

§ 4. Praecipimus igitur, in virtute sanctae obedientiae, universis et singulis fratribus ac sororibus Tertii Ordinis praedicti, ubilibet constitutis, ut generalem et provinciales ministros Ordinis fratrum Minorum de Observantia, tamquam patres et superiores suos, eorumque monita et mandata humiliter et devote recipiant, et re ipsa adimplere procurent, alioquin contradictores quoslibet et rebelles sententiae, censurae et poenae, quas quisque ipsorum rite tulerint in eosdem, ipso facto volumus subiacere.

Protectorem eumdem habeant.

§ 5. Pari quoque ratione eis cardinalem protectorem fratrum de Observantia in protectorem tribuimus, qui eam in eosdem omnes curam et auctoritatem obtineat, quam alius quisque plenissime hucusque comperitur habuisse.

In eorum capitulis interveniant superiores de Observantia.

§ 6. Statuentes praeterea quod, futuris omnibus capitulis provincialibus fratrum Tertii Ordinis huiusmodi, pro visitatorum provincialium et aliorum officiorum electione, fratrum divisione et salubri cuiusque provinciae directione, annis singulis celebrandis, aut generalis aut eius commissarius aut, in cuius provincia capitulum illorum habebitur, provincialis minister Ordinis Minorum de Observantia huiusmodi semper praesideat; aliter vero celebrata, ac omnia in eis decreta pro irritis habeantur.

Electio provincialium fiat per vota secreta.

§ 7. In ipsis autem capitulis provincialibus visitatorum provincialium electio de idoneis fratribus Tertii Ordinis huiusmodi per secreta suffragia, et alias eo modo, quo de fratrum Minorum de Observantia provincialibus celebretur, celebrata, per ministrum generalem praedictum ante omnia confirmetur.

Eorum officia quantum durent.

§ 8. Haec vero officia annalia dumtaxat esse, et in singulis capitulis provinciali-

bus praedictis resignari debeant, ita ut, lapso primo anno, illa vacare censeantur. Poterunt tamen ipsimet visitatores provinciales rursus in sequentem annum, et eo finito, etiam in tertium, si idonei reperientur, eodem modo eligi et confirmari; sed omnes, suis huiusmodi officiis quandocumque perfuncti, denuo ad illa, nisi transacto sexennio, nequeant revocari.

Provincialium visitatorum facultates.

§ 9. Ceterum, omnes et singuli fratres et sorores Tertii Ordinis huiusmodi in sua quisque provincia visitatori suo, tamquam superiori, in omnibus quae suis regularibus institutis non adversantur, obediant. Omnes vero visitatores provinciales huiusmodi sic electi, tamquam vices gerentes ministrorum provincialium Ordinis fratrum Minorum de Observantia, et illis subditi, praedicandi et docendi munus in singulis utriusque sexus domibus, conventibus et locis suae cuiusque provinciae obire, eamque in sibi subditos fratres et sorores iurisdictionem, quam ipsimet ministri provinciales Ordinis Minorum de Observantia obtinent, in omnibus et per omnia exercere; ac, quandocumque opus erit, confessiones omnium et singulorum fratrum et sororum Tertii Ordinis huiusmodi, per se vel alios suae Regulae sacerdotes idoneos, audire; illosque ab omnibus et singulis sententiis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon peccatis, criminibus et delictis, dummodo talia non sint, propter quae Sedes Apostolica merito consulenda foret, in foro conscientiae dumtaxat, absolvere; et pro commissis poenitentiam salutarem iniungere, ac cum clericis et presbyteris eius Ordinis super irregularitate, siqui sententiis et censuris huiusmodi illaqueati, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, vel alias sese illis immiscendo contraxerint, dispensare libere et licite valeant.

Fratres et sorores huius Tertii Ordinis professi, nihil privatim habere possint.

§ 10. Ad haec, nulli omnino fratrum et sororum Tertii Ordinis huiusmodi, qui praedicta tria vota substantialia fecerint, etiam prætextu quorumcumque privilegiorum, dispensationum, indultorum, permissionum apostolicarum, aut etiam inveteratae consuetudinis voto repugnantis, seu quacumque alia causa proprium quicquam aut privatum liceat obtinere; sed omnia, etiam privatim ac intuitu cuiuscumque personae, donata, oblata et concessa, ubique communia et indivisa omnibus religiosis esse debeant. Quicumque vero pecuniam aut aliam rem qualemcumque, sibi quacumque causa concessam, praelato suo celaverit, furti reus censeatur, et tamquam fur puniatur. Eam tamen diligentiam superior cuiusque domus adhibeat, ut communi ipsius domus singulis iuxta exigentiam consulatur.

Sorores eiusdem Ordinis in communi et sub clausura vivere debeant.

§ 11. Praeterea, sorores dicti Tertii Ordinis, in communi in domibus, monasteriis vel hospitalibus aut alia congregatione viventes, et dicta vota substantialia Religionis emittentes, sub perpetua clausura maneant; nullusque frater aut confessor earum, vel quicumque praelatus ad domos, monasteria vel alia loca sororum huiusmodi, in communi aut collegialiter viventium, nisi quibus ex officio incumbit, et in casibus necessariis a iure permissis, et tunc cum uno vel duobus sociis provectis et honestis, ingredi audeat; qui secus fecerit, carceribus mancipetur, omnibusque administrationibus et officiis deponatur.

Confessores et concionatores approbentur.

§ 12. Ipsarum vero sororum et omnes alii confessores et sacri concionatores, per generalem vel provincialem ministrum approbentur.

Decreta Rodulphi cardinalis protectoris observentur.

§ 13. In ceteris autem omnibus, quae ad religiosam vitam pertinent, illa praedicti fratres et sorores Tertii Ordinis observare teneantur, quae a praedicto Rodulpho episcopo et protectore, vigesima

octava aprilis, anno Dom. MDXLIX, fuerunt ordinata, substantiam totius huiusmodi Regulae maxime continentia, quam felicis recordationis Nicolaus Papa IV, praedecessor noster, ad incrementum fidei catholicae approbavit, ita tamen ut praesentibus nullatenus adversentur.

Dubia desuper oritura, a generali et provinciali declarentur.

§ 14. Quaecumque vero dubia in eis contigerit exoriri, illa omnia generalis et provincialis ministri Ordinis Minorum huiusmodi debeant declarare, quorum declarationi et determinationi, eorum Regulae et praesentibus non contrariae, stari debeat.

Clausulae praservativae huius reformationis.

§ 15. Ac decernentes praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu, nullo unquam tempore notari seu impugnari posse aut debere; nec adversus eas et in eis contenta quaecumque restitutionem in integrum, aut reductionem ad terminos iuris vel aliud quodcumque gratiae seu iustitiae remedium quisquam impetrare, vel etiam ab aliis impetrato, aut motu proprio concesso uti valeat ex quavis causa, quantumlibet rationabili; ac omnia et singula praemissa aliquibus eiusmodi Ordinis statutorum ac quibusvis aliis revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus, generalibus vel specialibus, per quoscumque Romanos Pontifices successores nostros pro tempore factis, non comprehendantur, sed semper ab illis excepta sint. Sicque per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debeat; necnon irritum et inane quidquid secus super iis per quoscumque, quavis auctoritate, etiam praetextu privilegiorum, facultatum, dispensationum et indultorum apostolicorum, quae, quoad hoc, penitus abolemus, aut quovis alio quaesito colore, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

Privilegia Minorum de Observantia conceduntur huic Tertio Ordini.

§ 16. Insuper, universis et singulis fratribus et sororibus Tertii Ordinis huiusmodi, eorumque domibus, monasteriis et locis, omnia et singula privilegia, indulgentias, dispensationes et indulta apostolica, fratribus et sororibus dicti Ordinis Minorum de Observantia, etiam quoad sacramentorum ecclesiasticorum administrationem et receptionem, quomodolibet concessa et concedenda, quaecumque sint et fuerint (praesentibus tamen non repugnantia), ita ut illis omnibus et singulis pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, concedimus et indulgemus.

Observantia huius reformationis indicitur.

§ 17. Ceterum, omnibus et singulis fratribus et sororibus Tertii Ordinis huiusmodi districtius iniunginus ut praesentes nostras litteras humiliter recipiant; et quaecumque in eis expressa, ac per eas statuta, decreta et mandata sint, alia desuper a nobis non expectata iussione aut mentis nostrae declaratione, firmiter custodiant, et in omnibus studiose obedire procurent.

Executorum deputatio et facultates.

§ 18. Quin etiam dilectis filiis nostris Carolo, tituli S. Praxedis presbytero card. Borrhomaeo nuncupato, dicti Ordinis protectori, et illius ministro generali per apostolica scripta mandamus ut ipsi vel eorum alter easdem praesentes, ac quidquid pro earum executione et observatione in dictis futuris capitulis provincialibus, vel etiam extra illa, a generali et provincialibus ministris Ordinis fratrum Minorum de Observantia huiusmodi statuetur, ordinabitur et decernetur, in omnibus domibus, monasteriis et locis virorum et mulierum, ac ab omnibus et singulis fratribus et sororibus Tertii Ordinis huiusmodi inviolate faciant, per se vel alium seu alios, observari. Contradictores quoslibet et rebelles ac etiam protestantes et reclamantes, eisque

auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, praestantes, tam ecclesiasticos quam laicos, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, ceteraque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas praedictas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 19. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quaesito, et piae memoriæ Bonifacii Papæ VIII, etiam prædecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diætis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Tertii Ordinis illiusque domorum et etiam mulierum monasteriorum praedictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis ac eorum singulis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, ac alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere et in specie concessis, confirmatis; ac etiam aliis reformationibus quotiescumque ac quocumque tempore factis et promulgatis, etiam *Mare Magnum* et *Bulla Aurea* nuncupatis; ac quibuslibet aliis indulgentiis et exemptionibus apostolicis, specialibus et generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio. Quæ omnia contra earumdem praesentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo suffragari.

Declaratio quod non intelligatur praeiudicatum reformationi Tertii Ordinis in regnis Hispaniarum

§ 20. Per praedicta tamen non intendimus reformationi fratrum et sororum Tertii Ordinis, in Hispaniarum regnis constituti, in aliquo praeiudicare quominus litterae nostrae desuper editae, et quaecumque illarum vigore, pro rerum, locorum et personarum qualitate et exigentia, facta sunt, praesentibus non conformia, possint quoquomodo impediri vel retractari.

Exemplorum fides.

§ 21. Denique volumus quod ipsarum praesentium exempla, etiam impressa, dictique pro tempore existentis protectoris aut ministri generalis vel provincialis sigillo, et secretarii cuiusvis eorum, vel notarii publici manu obsignata, eamdem illam fidem ubique locorum, in iudicio et extra illud, faciant, quam ipsæ præsentes, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXVIII, V nonas iulii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 iulii 1568, pontif. anno III.

C.

De residentia rectorum ecclesiarum parochialium, quibuscumque indultis, etiam apostolicis, non obstantibus [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Cupientes, pro nostri pastoralis officii munere, christifidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere, et parochialibus ecclesiis ab earum parochis, prout tenentur, in divinis debite et laudabiliter deserviri, inhae-

1 Ad haec, vide etiam Concil. Trid., sess. XXIII, cap. I; et sess. XXIV, cap. XII, *De Reformat.*: et Pii IV constit. XII, *De Salute*, pag. 55 huius tomi; constit. CVIII, *In suprema*, pag. 332, ibidem.

rendo etiam decretis sacri concilii Tridentini.

Rectores parochiales compellantur ad residendum per ordinarios, ut hic.

§ 1. Motu proprio et ex mera deliberatione certaque scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, omnes et singulos rectores parochialium ecclesiarum, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis et præeminentiae fuerint, in quibuscumque regnis, provinciis, civitatibus, dioecesibus ac aliis christiani orbis partibus consistentes, qui parochialem ecclesiam ac canonicatum aut dignitatem, etiam post pontificalem maiorem seu principalem, in quibusvis patriarchalibus aut metropolitanis vel cathedralibus seu collegiatis ecclesiis, seu aliud quodcumque beneficium ecclesiasticum, etiam quarumcumque dispensationum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris seu etiam a nobis hactenus quomodolibet impetratarum, ac litterarum apostolicarum desuper expeditarum titulo, quas omnes hac praesenti constitutione abolemus et revocamus, seu quocumque alio praetextu obtinent, cum prima et præcipua debeat esse cura animarum, eos ad residendum in ecclesia parochiali et ibi in divinis deserviendum, et debito eorum officio fungendum, omnino teneri et obligatos esse, ac ad id per episcopos et aliorum locorum ordinarios, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatos, sub sententiis et censuris ecclesiasticis ac pecuniariis, arbitrio eorum declarandis, ac etiam privationis dictarum parochialium et aliorum quorumcumque beneficiorum poenis, quacumque appellatione remota, cogi et compelli posse et debere, auctoritate apostolica, tenore praesentium statuimus, praecipimus et ordinamus. Eos tamen sic residentes in ecclesiis parochialibus, omnes et singulos fructus, redditus et proventus, etiam canonicatus sui vel dignitatis, seu alterius cuiuscumque beneficii, exceptis dumtaxat quotidianis distributionibus et aliis, quae ex iusta causa absentes percipere non solent, lucrari volumus.

Decretum irritans.

§ 2. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, interpretari, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis dispensationibus et exemptionibus litterisque apostolicis desuper confectis; necnon apostolicis, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; et, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, in genere vel in specie et alias quomodolibet, concessis et approbatis, in posterumque concedendis et approbandis, quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ac hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod harum litterarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam

extra, adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae abolitionis, revocationis, statuti, praecepti, ordinationis, decreti, declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, octavo idus iulii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 8 iulii 1568, pontif. anno III.

CI.

Breviarii Romani ad psallendum horas canonicas, ex decreto Sacri et Œcumenici Concilii Tridentini restituti, approbatio, cum prohibitione usus aliorum Breviariorum, praeterquam a primaeva institutione Ordinis a Sede Apostolica vel a consuetudine supra annos ducentum approbatorum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Divini officii forma a Gelasio I et Gregorio I instituta et Gregorio VII reformata; sed postea multis modis immutata fuit.

Quod a nobis postulat ratio pastoralis officii, in curam incumbimus ut omnes, quantum, Deo adiutore, fieri poterit, sacri Tridentini concilii decreta exequantur, ac multo id etiam impensius faciendum intelligimus, cum ea, quae in mores inducenda sunt, maxime Dei gloriam ac debitum ecclesiasticarum personarum officium complectuntur. Quo in genere existimamus in primis numerandas esse sacras preces, laudes et gratias Deo persolvendas, quae Romano Breviario continentur. Quæ divini officii formula, pie olim ac sapienter a Summis Pontificibus, praesertim Gelasio ac Gregorio primis, constituta, a Gregorio autem septimo reformata, cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset, necessaria visa res est, quae ad pristinam orandi regulam conformata revocaretur. Alii enim praeclaram veteris Breviarii constitutionem multis locis mutilatam, alibi incertis et advenis quibusdam commutatam deformarunt. Plurimi, specie officii commodioris allecti, ad brevitatem novi Breviarii a Francisco Quignonio tituli S. Crucis in Hierusalem presbytero cardinali compositi, confugerunt. Quin etiam in provincias paulatim irrepserat prava illa consuetudo, ut episcopi in ecclesiis, quae ab initio communiter cum ceteris, veteri Romano more, horas canonicas dicere ac psallere consuevissent, privatum sibi quisque Breviarium conficerent; et illam communionem uni Deo una et eadem formula preces et laudes adhibendi, dissimillimo inter se ac pene cuiusque episcopatus proprio officio, discerperent. Hinc illa tam multis in locis divini cultus perturbatio, hinc summa in clero ignoratio caeremoniarum ac rituum ecclesiasticorum, uti innumerabiles ecclesiarum ministri in suo munere indecore, non sine magna piorum offensione, versarentur.

Ideo Paulus IV id emendare tentavit, sed morte praeventus non perfecit.

§ 1. Hanc nimirum orandi varietatem gravissime ferens felicis recordationis Paulus Papa IV, emendare constituerat, itaque, provisione adhibita ne ulla in posterum novi Breviarii licentia permitteretur, totam hanc rationem dicendi ac psallendi horas canonicas ad pristinum morem et institutum redigendam suscepit.

Pius IV perfectionem huius operis commisit patribus concilii Tridentini.

§ 2. Sed eo postea, nondum iis, quae egregie inchoaverat, perfectis, de vita decedente, cum a piae memoriae Pio Papa IV Tridentinum concilium, antea varie intermissum, revocatum esset, patres, in illa salutari reformatione eodem concilio constituta, Breviarium ex ipsius Pauli Papæ ratione restituere cogitarunt. Itaque quicquid ab eo in sacro opere collectum elaboratumque fuerat Concilii patribus Tridentini a praedicto Pio Papa missum est.

Sed concilium id remisit Pontifici: at ipse non perfecit morte praeventus.

§ 3. Ubi, cum doctis quibusdam et piis viris a concilio datum esset negotium, ut ad reliquam cogitationem, Breviarii quoque curam adiungerent, instante iam conclusione concilii, tota res ad auctoritatem iudiciumque Romani Pontificis ex decreto eiusdem concilii relata est, qui, illis ipsis patribus ad id munus delectis Romam vocatis, nonnullisque in Urbe idoneis viris ad eum numerum adiunctis, rem perficiendam curavit. Verum eo etiam in viam universae carnis ingresso:

Hic vero Pontifex perfecit Breviarium, et approbavit;

§ 4. Nos, ita divina disponente clementia, licet immerito, ad apostolatus apicem assumpti, cum sacrum opus, adhibitis etiam ad illud aliis peritis viris, maxime urgemus, magna in nos Dei benignitate (sic enim accepimus), Romanum hoc Breviarium vidimus absolutum. Cuius ratione dispositionis ab illis ipsis, qui negocio præpositi fuerant, non semel cognita, cum intelligeremus eos in rei confectione ab antiquis Breviariis nobilium Urbis ecclesiarum ac nostrae Vaticanae bibliothecæ non decessisse, gravesque praeterea aliquot eo in genere scriptores secutos esse; ac denique, remotis iis quae aliena et incerta essent, de propria summa veteris divini officii nihil omisisse, opus probavimus et Romae imprimi, impressumque divulgari iussimus. Itaque, ut divini huius operis effectus re ipsa consequatur, auctoritate praesentium, tollimus in primis et abolemus Breviarium novum a Francisco cardinali praedicto editum et in quacumque ecclesia, monasterio, conventu, Ordine, militia et loco virorum et mulierum, etiam exempto, tam a primaeva institutione quam aliter ab hac Sede permissum.

Et modo prohibet aliud Breviarium alias editum a Francisco cardinali

Omniaque alia Breviaria non approbata in primaeva institutione vel consuetudine excedente annos cc;

§ 5. Ac etiam abolemus quaecumque alia Breviaria, vel antiquiora vel quovis privilegio munita vel ab episcopis in suis dioecesibus promulgata, omnemque illorum usum de omnibus orbis ecclesiis, monasteriis, conventibus, militiis, Ordinibus et locis virorum ac mulierum, etiam exemptis, in quibus alias officium divinum Romanae Ecclesiae ritu dici consuevit aut debet; illis tamen exceptis, quae ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, vel quae ipsa institutio ducentos annos antecedat, aliis certis Breviariis usa fuisse constiterit, quibus, ut inveteratum illud ius dicendi et psallendi suum officium non adimimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum quod modo promulgatum est, magis placet, dummodo episcopus et universum capitulum in eo consentiant, id in choro dicere et psallere possint, permittimus.

Revocat etiam quaecum. statuta et facultates orandi iuxta formam antiquorum Breviariorum;

§ 6. Omnes vero et quascumque apostolicas et alias permissiones ac consuetudines et statuta, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel alia firmate munita; necnon privilegia, licentias et indulta precandi et psallendi, tam in choro quam extra illum, more et ritu Breviariorum sic suppressorum, praedictis ecclesiis, monasteriis, conventibus, militiis, Ordinibus et locis, necnon S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum praelatis, ceterisque omnibus et singulis personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus utriusque sexus, quacumque causa concessa, approbata et innovata, quibuscumque concepta formulis, ac decretis et clausulis roborata, omnino revocamus, volumusque illa omnia vim et effectum de cetero non habere.

Breviariumque istud novum recipi, et iuxta eius formam orari praecipit;

§ 7. Omni itaque alio usu quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc nostrum Breviarium ac precandi psallendique formulam in omnibus universi orbis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et locis, etiam exemptis, in quibus officium ex more et ritu dictae Romanae ecclesiae dici debet aut consuevit, salva praedicta institutione vel consuetudine praedictos ducentos annos superante, praecipimus observari.

Statuentes Breviarium ipsum nullo umquam tempore, vel in totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum vel omnino detrahendum esse; ac quoscumque, qui horas cononicas, ex more et ritu ipsius Romanae Ecclesiae, iure vel consuetudine, dicere vel psallere debent, propositis poenis per canonicas sanctiones constitutis in eos, qui divinum officium quotidie non dixerint, ad dicendum et psallendum posthac in perpetuum horas ipsas diurnas et nocturnas ex huius Romani Breviarii praescripto et ratione omnino teneri, neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse.

Monet quoque ecclesiarum praelatos ut hoc Breviarium introducant;

§ 8. Iubemus igitur omnes et singulos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates et ceteros ecclesiarum praelatos ut, omissis, quae sic suppressimus et abolevimus, ceteris omnibus, etiam privatim per eos constitutis, Breviarium ipsum in suis quisque ecclesiis, monasteriis, conventibus, Ordinibus, militiis, dioecesibus et locis praedictis introducant, et tam ipsi quam ceteri omnes presbyteri et clerici, saeculares et regulares utriusque sexus, necnon milites et exempti, quibus officium dicendi et psallendi quomodocumque, sicut praedicitur, iniunctum est, ut ex huius nostri Breviarii formula, tam in choro quam extra illum, dicere et psallere procurent.

Indulgentias dat dicentibus Psalmos Poenitentiales vel Graduales vel officium B. Mariæ et Defunctorum diebus in rubricis præscriptis.

§ 9. Quod vero in rubricis nostri huius officii praescribitur, quibus diebus officium B. Mariae semper Virginis et Defunctorum, item Septem Psalmos Poenitentiales et Graduales dici ac psalli oporteat, nos, propter varia huius vitae negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea praescriptione removendum duximus, verum debito providentiae pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur, ut remissionem nostram, quantum fieri poterit, sua devotione ac diligentia praecurrentes, illis etiam precibus, suffragiis et laudibus, suae et aliorum saluti consulere studeant. Atque, ut fidelium voluntas ac studium magis etiam ad salutarem hanc consuetudinem incitetur, de Omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, qui, illis ipsis diebus in rubricis praefinitis, Beatae Mariae vel Defunctorum officium dixerint, toties centum dies; qui vero Septem Psalmos vel Graduales, quinquaginta de iniuncta ipsis poenitentia relaxamus.

Forma publicationis.

§ 10. Ceterum, ut praesentes litterae omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae publicari, earumque exempla de more affigi. Volumusque et apostolica auctoritate decernimus quod, post huiusmodi publicationem, qui in Romana Curia sunt praesentes, statim lapso mense; reliqui vero qui intra montes, tribus; et qui ultra ubique locorum degunt, sex mensibus excursis, vel cum primum venalium huius Breviarii voluminum facultatem habuerint, ad precandum et psallendum iuxta illius ritum tam in choro quam extra illum maneant obligati. Ipsarum autem litterarum exempla manu notarii publici et sigillo praelati ecclesiastici aut illius curiae obsignata, vel etiam ipsius voluminibus, absque praedicto vel alio quopiam adminiculo, Romae impressa, eamdem illam ubique locorum fidem faciant, quam ipsae praesentes, si essent exhibitae vel ostensae.

Breviarium Romae tantum et non alibi sine licentia Pontificis imprimi potest.

§ 11. Sed, ut Breviarium ipsum ubique inviolatum et incorruptum habeatur, prohibemus ne alibi usquam, in toto orbe, sine nostra vel specialis ad id commissarii apostolici in singulis christiani orbis regnis et provinciis deputandi expressa li-

centia, imprimatur, proponatur vel recipiatur. Quoscumque vero, qui illud secus impresserint, proposuerint vel receperint, excommunicationis sententia eo ipso innodamus.

Sancio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae oblationis, permissionis, revocationis, iussionis, praecepti, statuti, indulti, mandati, decreti, relaxationis, cohortationis, prohibitionis, innodationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, septimo idus iulii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 9 iulii 1568, pontif. anno III.

CII.

Iurisdictio et facultates visitatorum carcerum almae Urbis, in causis tam civilibus quam criminalibus carceratorum [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Facultates visitatorum

Reverendi DD. visitatores carcerum possint relaxare debitores a carceribus ex causis infrascriptis.

Concedendi dilationes ad solvendum;

§ 1. Et primo concedendo dilationem, data cautione de solvendo infra tempus assignatum, et hoc praesertim quando visitatores considerant retentionem debitoris cedere non solum in ipsius praeiudicium, verum etiam creditoris, cum debitor in carceribus existens efficiatur deterioris conditionis, et in dies minus solvendo, ubi extra carceres facilius, infra tempus assignatum, modum satisfaciendi reperturus sit, et hoc dummodo creditores sint ditiores et aere alieno non onusti. Secundo, relaxare possint debitorem, qui, licet non habeat pecunias in promptu, habet tamen tot bona, ex quorum venditione potest creditoribus satisfieri, et ex tunc ipse consentit eorumdem bonorum subhastationi. Et visitatores hoc faciant, data cautione de se repraesentando in eisdem statu et terminis, in quibus carceratus reperitur, ne contingat creditorem decipi ex aliquo impedimento præstito venditioni bonorum. Et si bona non sufficiant, nec bonis cedere velint, nec biretum viride deferre, nonnisi de omnium creditorum consensu, quemquam relaxare possint. Idemque servetur, etiamsi sit clarum debitores nullum prorsus habere modum satisfaciendi creditoribus suis, nisi ex sudore vultus sui. Tertio, relaxare possunt quando creditor executionem habet realem, et est in bonis captis per executionem sibi bene cautum.

Infirmosque relaxandi,

§ 2. Quarto, in casu infirmitatis, creditores, eorum sumptibus, debitoribus alimenta et medicamenta ministrent in carceribus, quibus creditoribus recusantibus, relaxentur, habita fide a medicis deputatis, et recepta cautione, si illam habent, sin autem, recepta iuratoria cautione.

Pauperesque non habentes alimenta a creditoribus,

§ 3. Quinto, relaxentur debitores quando, cognita eorum paupertate ac pertinacia creditoris, ei mandatum fuit ut carcerato debitori subministret alimenta, et ipse hoc facere recusat.

Mulieresque honestas,

§ 4. Sexto, relaxentur a carceribus mulieres pro debito civili retentae, quando sunt honestae, etiam si captae sint pro debito publico.

Indebite carcerates,

§ 5. Septimo, relaxare possint debitores, qui ex natura debiti non tenentur de iure ultra id, quod facere possunt, quia tunc nec carcerari poterant, et propterea contra bona est dirigenda executio.

1 Statuta ab eisdem visitatoribus observanda praescripsit Paulus III in constitutione LXII, *Ad omnis*, tom. VI, pag. 384. Dilationes carceribus detentis concessas, eorum fideiussoribus non suffragari decrevit Iulius III in constitutione XV, *Cum nuper*, tom. VI, pag. 442.

§ 6. Octavo, relaxentur debitores capti ut suspecti de fuga, data cautione de se repraesentando sub poena debiti.

Suspectos de fuga,

§ 7. Nono, relaxentur debitores, facta cessione bonorum prout de iure et servata forma motus proprii.

Cedentes bonis,

§ 8. Decimo, relaxentur debitores nulliter et indebite capti, de qua nullitate manifeste constat. In quibus omnibus relaxationibus sint praesentes iudices qui mandata relaxarunt, et uti edocti et instructi de meritis causae rationem reddant.

Nulliter carceratos.

§ 9. Et in praemissis habeatur ratio paupertatis creditoris, et an debitor calumniose litem diu sustinuerit, fatigando creditorem expensis et laboribus, et an aliam dilationem habuerit et creditori non satisfecerit, non constito de legitimo impedimento. Et in his omnibus DD. visitatores arbitrio utantur, qui, pensatis qualitatibus tam creditoris quam debitoris, ac facultatibus et natura debiti, decernant ea, quae iuri et aequitati et utilitati etiam creditorum conveniant.

Arbitrium visitatorum in praedictis.

Ita est. M.

Sequitur
iurisdictio in causis criminalibus.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Cum, sicut accepimus, visitatores carcerum almae Urbis nostrae, homicidii aliorumque capitalium criminum reos carceratos, ad illorum absolutionem et liberationem nimia humanitate proni atque proclives, saepe a carceribus liberari faciunt, sub cautione de se praesentando, aut alias sub aliis obligationibus et conditionibus eis bene visis, et ita processus debilitantur, et causarum expeditiones differuntur, vel (quod molestius ferimus) eos quandoque liberant, aut leviori poena, quam iustitia exposcit, afficiunt, ac propterea delicta impunita remanent contra ius et utilitatem publicam.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Nos, considerantes impunitatem scelerum esse incentivum malorum, nolentesque in futurum reos homicidii ac aliorum delictorum capitalium, nisi in casibus a iure expressis e carceribus liberari et extra carceres audiri, aut levius puniri, tenore praesentium eisdem visitatoribus, sub poena indignationis nostræ, inhibemus atque interdicimus ne posthac reos carceratos, ut praemittitur, arbitrio suo relaxent et liberent. In levioribus autem delictis reos confessos aut convictos non relaxent, neque liberent, nisi prius sententiae aut condemnationi, quam eis infligendam et ponendam duxerint, paruerint, et illius executio facta fuerit. Volumus autem, quotiescumque viderint aequitatem iuris rigori, attenta facti qualitate, praeferendam esse, cum ad solum Principem ius decernendi inter ius et aequitatem non scriptam spectet et pertineat, tunc facti qualitas diligenter in visita consideretur, et si quid ab eis de iure relaxandum videbitur, id nobis unus ex visitatoribus una cum iudice causae referat, praesenti procuratore fiscali vel advocato fiscali eiusdem camerae et fisci ac etiam pauperum advocato, ut a nobis quid statuendum et deliberandum sit, intelligant.

Declaratio facultatum visitatorum circa relaxation. carceratorum ex causa criminali.

§ 2. Mandantes propterea iudicibus, coram quibus causae criminum huiusmodi pendent, aut in futurum pendere contigerit, sub simili pœna indignationis nostrae, ne, vigore ordinationis visitatorum praedictorum, contra aut praeter ordinationem et mandatum nostrum, quosvis carceratos relaxare, aut mandatum de relaxando decernere vel subscribere audeant vel praesumant.

Praeceptum quod iudices non obediant visitatoribus aliter se gerentibus.

§ 3. Non obstantibus praemissis, indultis et privilegiis eisdem visitatoribus quomodolibet concessis et innovatis latissime

Quibuscumque non obstantibus.

extendendis, quibus omnibus illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Placet. Motu proprio, M.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini nostri millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, indictione XI, die vero XIX mensis iulii, pontificatus sanctissimi domini nostri Pii Papae V anno III, retroscriptae litteræ apostolicæ affixæ et publicatae fuerunt ad valvas Cancellariae Apostolicae, et in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Philibertum Cappium.

Ioannes Guerardi, cursor.

Publ. die 19 iulii 1568, pontif. anno III.

CIII.

Revocatio facultatum camerarii, clericorum et aliorum officialium reverendae Camerae Apostolicae concedendi commissiones in forma Si in evidentem *super alienationibus bonorum ecclesiasticorum aut locorum piorum cuiuscumque valoris* [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Causa constitutionis.

Volentes indemnitati ecclesiarum aliorumque piorum locorum, quantum cum Deo possumus, consulere, ac providere ne illorum bona, sine nostra aut successoris nostri scientia et licentia, alienentur, aut perpetuo vel ad longum tempus, aut unius vel plurium illa conducere volentium vitam locentur, aut de his alio titulo disponatur.

Revocatio facultatis, de qua in rubr.

§ 1. Omnes et singulas facultates et licentias concedendi commissiones alienationum vel permutationum aut affrancationum aut illarum confirmationum quorumvis bonorum ecclesiasticorum aut locorum piorum cuiuscumque valoris existentium, etiam summam annuam viginti quatuor ducatorum auri de Camera non excedentium, aut alterius minoris valoris in forma quae dicitur *Si in evidentem*, dilecto filio Vitellotio, S. Mariae in Via-Lata diacono cardinali Vitellio nuncupato, S. R. E. camerario, eiusque antecessoribus et clericorum Camerae Apostolicae collegio, tam per felicis recordationis Gregorium IX, Bonifacium IX, Urbanum VI, Martinum V, Nicolaum V, Innocentium VIII, Iulium II, Leonem X, Sixtum IV, Paulum III et Iulium similiter III ac alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam motu proprio, ex certa scientia et ex quavis causa, etiam urgentissima, cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac quibusvis decretis, etiam irritantibus, et in vim contractus concessas, confirmatas et innovatas, quorum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, perpetuo revocamus, cassamus et annullamus. Interdicentes et expresse prohibentes eidem camerario et clericis ac aliis eiusdem Cameræ Apostolicæ officialibus, sub pœna indignationis nostrae, ne in futurum licentias et facultates ac commissiones alienationum huiusmodi sub quovis praetextu concedant. Ac commissiones et concessiones commissionum huiusmodi contra voluntatem, ordinationem et decretum nostrum nullas, invalidas et irritas esse decernimus et declaramus.

Decretum Irritans.

§ 2. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes *etc.*, sublata *etc.*, iudicari *etc.* debere; necnon irritum et inane quidquid secus super his a dictis camerario, clericis et aliis officialibus et iudicibus praefatis vel quibusvis aliis, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Iudices autem huiusmodi causarum, quid agere debeant, vide in Pauli II constitutione II, *Cum in omnibus*, tom. V, pag. 185.

§ 3. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis praedictis et aliis quibusvis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus, illorum tenores, *etc.* pro sufficienter expressis habentes, derogamus, illaque, quoad praemissa, cassamus, revocamus et annullamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

§ 4. Volumus autem quod praesentis nostri motus proprii, etiam absque illius data et registratura, sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, tam in iudicio quam extra, quacumque regula, seu constitutione apostolica contraria non obstante. Signatura sola sufficit.

§ 5. Volumus autem quod praesens noster motus proprius in Cancellaria nostra Apostolica et in acie Campi Florae de more publicetur, et inter constitutiones perpetuas describatur. Iussio publicandi.

§ 6. Et quia difficile foret praesens ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus quod eius transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesenti motui proprio adhiberetur, si foret exhibitus vel ostensus. Fides exemplorum.

Placet. Motu proprio, M.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, decima septima kalendas augusti, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 iulii 1568, pontif. anno III.

CIV.

Approbatio reformationis fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci, in capitulo eiusdem Ordinis per eos praefinitae [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Illa nos cura inter cetera sollicitat, ut optimae disciplinae cultus in omnibus religiosorum sodalitatibus nutriatur et confirmetur. Quod quidem nos pridem in amplissimo Ordine fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum magnopere expetentes, rerum omnium proprietatem illis ademimus, multaque praeterea de ratione vivendi et officiis eorumdem edidimus, litterasque nostras super iis confectas in eorum capitulo generali, apud basilicam Duodecim Apostolorum de Urbe proxime celebrato, palam omnibus iussimus promulgari. Hic Pontifex edidit reformationem, de qua in nota ad rubricam.

§ 1. Qui, illis ea qua decuit obedientia receptis, ad tollenda et corrigenda alia praeterea intenti, quae ad huius Religionis statum in sua integritate continendum maxime obesse intelligebamus, nonulla inter sese statuere cogitarunt. Verum, instante iam ipsius capituli conclusione, cum temporis angustia id minus pateretur, negotium universum ad arbitrium et auctoritatem generalis et provincialium magistrorum, necnon definitorum dicti Ordinis ex voluntate nostra demandatum est, qui diversas alias praesentibus subiectas constitutiones, ab ipso magistro generali subscriptas ordinarunt. Fratres in capitulo aliam ediderunt.

§ 2. Quas omnes (salvis alias litteris nostris praedictis) praesentium auctoritate approbamus et confirmamus. Supplentes omnes et quoscumque sive solemnitatum omissarum, sive alios iuris et facti defectus, qui intervenerint in eisdem. Quin etiam illas omnes, prout conscriptae sunt, sancimus et ordinamus, iubemusque ipsas aeque atque nostras in omnibus provinciis, custodiis, domibus et locis, necnon ab omnibus et singulis fratribus dicti Ordinis firmiter observari; ac quoscumque, qui illis non paruerint, censuris et poenis omnibus, quae litteris praedictis continentur, eo ipso volumus subiacere. Quam hic idem Pontifex observari praecipit;

§ 3. Et nihilominus dilecto filio nostro Carolo, tituli S. Praxedis presbytero car- Executores que deputat;

[1] Aliam reformationem vide supra in constitutione XCVII, *Ad extirpandos*, pag. 676.

dinali Borrhomaeo nuncupato, moderno et pro tempore existenti protectori, ac etiam magistro generali dicti Ordinis per apostolica scripta mandamus ut ipsi vel eorum alter, per se vel alium seu alios, ubi et quando opus fuerit, tam supradictas quam praesentes litteras et eisdem insertas constitutiones omnes, in omnibus et singulis provinciis, custodiis, domibus et locis praedictis, ac ab omnibus et singulis magistris, guardianis, fratribus et personis in eis expressis, iuxta singularum litterarum et constitutionum huiusmodi tenorem, inviolate observari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas aliis nostris litteris contentas praedictas, ceteraque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, censurasque et pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, et felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, aliisque apostolicis constitutionibus; ac etiam dicti Ordinis statutis et consuetudinibus, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque. Aut si magistris, guardianis et fratribus praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, necnon *Mare Magnum* et *Bulla Aurea* nuncupatis; ac quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus et specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia, contra ipsarum praesentium et constitutionum huiusmodi tenorem et effectum, nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Quin etiam ex nunc irritum decernimus et inane quicquid secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Ita igitur constitutiones praedictae scriptae sunt.

Reformationis tenor.

Novitiorum recipiendorum aetas

§ 5. Novitii, etiam oblati, ante decimum octavum aetatis suae annum completum nec recipiantur, neque ante decimum nonum item completum ad professionem admittantur.

Et etiam oblatorum

§ 6. Qui hactenus recepti, etiam oblati, quintum decimum annum non expleverint, detracto habitu Religionis, domum ad parentes vel necessarios, etiam inviti, remittantur, vel alias omnino emittantur, nec postea in aedibus unde exierint aut in aliis eiusdem Ordinis domibus versari ullo modo possint.

Laicorum aetas.

§ 7. Laici, qui vigesimum quintum annum non attigerunt, ad serviendum ne recipiantur, et qui recepti etiam nunc ea aetate minores sunt, eiiciantur.

Novitiorum recipiendorum loca.

§ 8. Novitii ne recipiantur aut educentur, nisi in conventibus insignioribus, in quibus dormitorium et capitulum habeant seorsim ab aliis fratribus.

Provinciales eligendi ex aliena provincia.

§ 9. Nullus deinceps provinciae praeficiatur, qui eiusdem provinciae sit, sed provinciales ex aliena provincia semper assumantur, qui tamen idonei sint ad id officium et cultores regularis observantiae.

Guardianatus officium quantum duret

§ 10. Guardianatus insigniores et privilegiati, ut Romani assistentes et huiusmodi, triennio; privilegiati, biennio diuturniores ne sint, in quo tamen habenda est ratio provinciarum externarum. In illis

enim locis haec officia iusta de causa in longius tempus, arbitrio superioris, protrahi poterunt.

Paternitatis titulo qui donantur.

§ 11. In paternitatibus hactenus concessis et posthac concedendis ea moderatio adhibeatur, ut nemo paternitatis titulo vel privilegio fruatur, nisi qui provincialatus officium obtineat vel obtinuerit, vel quadragesimum annum agat, et alias etiam eo titulo et privilegio dignus existat.

Fratres stent per biennium tantum in uno conventu.

§ 12. Nulli in eodem conventu plus biennio manere liceat, exceptis sexagenario maioribus, quibus aliquid ex causa, superioris arbitrio condonari poterit.

Fratrum numerus in quolibet conventu.

§ 13. In conventu vel domo pauciores ne sint duodecim fratribus. Si qua autem domus hunc familiae numerum alere non possit, vel tota provincia victum, et quae praeterea necessaria sunt, suppeditet, vel fratres cum bonis ex ea domo in aliam transferantur, provisione tamen adhibita, ne ecclesiae destruantur, sed ad eius populi commoditatem conserventur. Permittimus tamen ut in conventibus, qui fratribus iter facientibus commodi sint, saltem quatuor fratres, non minores quinquaginta annis, constanti et probata vita, maneant, si plures ea domus alere non possit.

Regentes Studiorum quot lectiones interpretari debeant.

§ 14. In maioribus Studiis regentes duas lectiones theologicas interpretentur, alteram practicam, veluti *De sacramentis*, vel *De vita recte sancteque instituenda*, ex Magistro sententiarum, ac S. Bonaventura; alteram speculativam ex Scoto; in minoribus vero Studiis, una lectione ex theologia practica contenti sint.

Fratrum exercitium quotidianum.

§ 15. Curent autem superiores ut in singulis conventibus fratres, maxime in conscientiae casibus et reliquis quae ad audiendas confessiones pertinent, ob rei gravitatem et necessitatem, summo studio ac diligentia exerceantur.

Proprium nihil habeant.

§ 16. Fratres, etiam si superiores sint, nihil proprium habere possint, sed omnia in commune conferantur, distribuenda singulis ut unicuique opus fuerit: ita ut ex communibus cuiusque conventus facultatibus et eleemosynis, pro viribus domus, unicuique fratri quae sunt necessaria praebeantur.

In communi vivant.

§ 17. Fratres omnes et superiores et quomodocumque privilegiati, ægrotis tantum exceptis, in refectorio cibum capiant, et communi mensa utentes communibus epulis vescantur.

Infirmi et senes curentur.

§ 18. In primis autem aegrotorum et senum cura habeatur. Quod si propriae facultates domui non suppetant ad subveniendum necessitati aegrotantium, vicini conventus ditiores suppleant aut etiam tota provincia contribuat.

Bonorum custodia.

§ 19. In omnibus conventibus vel domibus, locus communis thesauri vel capsa sit tribus clavibus clausa, quarum unam habeat guardianus, alteram procurator, tertiam depositarius: quo in loco vel capsa, aurea, argentea, iocalia et quæque pretiosa, pecunia item conventus, cum inventario earumdem rerum, condita custodiantur: servata tamen distinctione sacrarum et profanarum rerum.

Quisque unica cella, lectoque et humili mensa sit contentus.

§ 20. Nullus ex fratribus, quamvis magistri et superioris titulo fungatur, privatas aedes aut in claustro aut alibi usquam habeat, sed singuli unica cella, in communi dormitorio, nullo ornatu, nudis omnino parietibus, ac lectulo et mensa humillimis contenti sint, quemadmodum pauperes religiosos decet.

Dormitoria communia efficiantur.

§ 21. Camerae sive aediculae, quae extra dormitorium separatim sunt, ad officinas vel alios usus toto conventui communes redigantur, vel si cellae communis dormitorii pro fratrum numero non sufficiant, et illae camerae vel aediculae, quas diximus, ad formam communis dormitorii redigi possint, in dormitorium commune redigantur, sin minus, destruantur, ac materia et caementa ad reparandam

fabricam conventus, si opus fuerit, convertantur vel vendantur, et pretium ad communem usum conventus conferatur.

Horti sint communes, exceptis hortis novitiorum et infirmorum.

§ 22. Nullus ex fratribus privatum hortum habeat, sed horti sint totius conventus communes; verum tamen novitii et infirmaria hortum seu viridarium a communi viridario seiunctum, habere poterunt, quo ceteris ingredi nullo modo liceat.

Bona fratrum decedentium quibus monasteriis danda.

§ 23. Vestes, libri et reliqua, a superioribus cuiquam fratri ad usum et necessitatem concessa, quaecumque apud eos, mortis tempore, reperta fuerint, nulli fratri privatim assignentur, sed ita distribuantur, ut dimidia pars sit nativi conventus, altera eius ubi mortuus fuerit.

Pro officialium deputatione vel confirmatione nihil recipiatur.

§ 24. Generalis a provincialibus, custodibus et aliis Religionis ministris, quovis illi nomine appellentur; provinciales item a guardianis aliisque officialibus, ob eorum deputationem vel confirmationem, nihil omnino, neque magnum neque parvum, exigant, ac ne sponte quidem oblatum accipiant, neque cancellario aut scribae, pro sigillo sive scriptura, quicquam detur, sed omnia gratis fiant ac dentur. Neque generalis, neque provincialis minister, neque custos, neque guardianus, a quovis fratre sui Ordinis, aliquid etiam sponte oblatum sive dono datum acceptet vel recipiat.

Subventiones praelatis dentur.

§ 25. Pro communibus autem impensis, quas necessario ad commodum totius Ordinis, vel alicuius privatae domus fieri contigerit, generali, provinciali et aliis eo modo consulatur, quo in litteris sanctissimi D. N. Pii V proxime editis cautum esse constat.

Alexandrinae constitutiones serventur.

§ 26. Quo vero ad promotiones et gradus attinet, id omnino servetur quod Alexandrinis constitutionibus sancitum est, ut nihil a promovendo exigatur, aut quovis modo sponte oblatum accipiatur. Quod si, promotione facta, conventus promotorum aliquid Religioni donare voluerit, quicquid id sit, procuratori detur, ut ad levationem onerum et communium sumptuum Religionis conferatur, ac procurator omnium acceptorum et expensorum rationem reddat.

Habitu et vestibus ut hic utantur.

§ 27. Fratres omnes, quocumque gradu et honore sint, camisiis laneis et reliquo vestitu honesto ac religioso, omnique supellectile et instrumento paupere atque humili, quemadmodum aliis etiam constitutionibus cautum est, utantur.

Constitutiones ad Ordinis reformationem editae serventur.

§ 28. Reliquum est ut constitutiones omnes, ad disciplinam regularem restituendam, conservandam et augendam (quae tamen iis contrariae non sint), praecipue vero eae quae a sanctissimo domino nostro Pio Papa V ad reformationem huius Ordinis proxime sunt editae, ab omnibus sancte inviolateque serventur.

Iussio publicandi hanc constitutionem.

§ 29. Ceterum, ut praesentes litterae omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae publicari, et earum exempla de more affigi.

Fides transumptorum.

§ 30. Volumus et apostolica auctoritate decernimus quod huiusmodi exempla, etiam impressa, manuque notarii publici, et sigillo dicti magistri generalis vel praelati ecclesiastici aut illius curiae obsignata, eamdem illam ubique locorum fidem faciant, quam ipsae praesentes, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 31. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, suppletionis, ordinationis, iussionis, mandati, decreti, praecepti, voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXVIII, x ka-

lendas augusti, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 iulii 1568, pontif. anno III.

CV.

Exemptio omnium monialium a regimine et cura fratrum Humiliatorum in perpetuum; et subiiciuntur ordinariis locorum [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Causa constitutionis edendae.

§ 1. Cum, sicut accepimus, diversa monialium monasteria, curae et regimini dilectorum filiorum fratrum Ordinis Humiliatorum subiecta esse reperiantur; nos volentes, pro nostri pastoralis officii sollicitudine, eosdem fratres, ut commodius et liberius divinis officiis sacrarumque litterarum studiis incumbere valeant, ab onere et impedimento gubernii monialium huiusmodi liberos esse, motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, fratres Ordinis Humiliatorum huiusmodi, ubicumque existentes, ab omni cura, gubernio, regimine et administratione quorumcumque monasteriorum monialium, cuiuscumque Ordinis existentium, claustraliter viventium, eis quomodolibet commissorum, et per eos hactenus regi et gubernari solitorum, ex nunc in perpetuum, auctoritate apostolica tenore praesentium penitus absolvimus ac totaliter liberamus, eosque ab huiusmodi onere absolutos, liberos et immunes fore et esse, nec deinceps in illis, quovis praetextu aut quaesito colore se ullatenus intromittere posse neque debere decernimus, ac ipsorum monasteriorum monialium curam et gubernium eisdem fratribus de cœtero omnino interdicimus.

Moniales a cura et gubernio fratrum Humiliatorum secernit;

§ 2. Ne autem ipsa monialium monasteria propterea in spiritualibus aut temporalibus detrimentum aliquod patiantur, nostrae providentiae diligentia opportune prospicere cupientes, eadem monialium monasteria omnia et singula locorum ordinariis, in quorum civitatibus aut dioecesibus respective consistunt, per eos feliciter regenda, auctoritate et tenore praedictis, motu simili subiicimus atque supponimus, eaque ab ipsis ordinariis in perpetuum regi et gubernari, illisque de idoneis confessoribus provideri debere volumus ac mandamus. Et ut id prompte libenter suscipiant et exequantur, eis in virtute sanctae obedientiae iubemus, curamque monasteriorum huiusmodi bene ac diligenter gerere et exercere districte praecipimus.

Easdem ordinariis locorum submittit.

§ 3. Mandantes eisdem ordinariis, ut contradictores quoslibet et rebelles, præsentibusque nostris litteris parere recusantes seu differentes, etiamsi dicti fratres fuerint, per poenas sibi benevisas, etiam pecuniarias, ac demum per excommunicationis et alias sententias et censuras ecclesiasticas ceteraque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione postposita ac prorsus remota, auctoritate nostra comprimant et compellant, eosque ad parendum et cum effectu statim obediendum praesentibus litteris cogant et compellant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Poena in contrafacientes.

§ 4. Super quibus dictis ordinariis plenam et liberam, harum serie facultatem concedimus et potestatem.

Facultas ad praemissa ordinariis locorum concessa.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon monasteriorum et Ordinum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam cum quibusvis clausulis

Clausulae.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis quomodolibet concessis, confirmatis et saepius innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si fratribus vel monialibus praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fidem transumptis addit.

§ 6. Volumus insuper quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXIII iulii, millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 iulii 1568, pontif. anno III.

CVI.

Contra notarios et alios, responsiones reorum depositionesque testium quomodolibet propalantes, vel eis aut testibus in secretis carceribus Urbis detentis, aut aliis pro eis, nuncium deferentes.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Approbatio constitutionum contra propalantes *etc.*

Licet contra notarios qui in causis, tam criminalibus quam civilibus, dicta testium aut reorum responsiones, absque iudicis decreto, partibus patefaciunt, multae constitutiones editae sint, eosque tamquam falsi reos et infames ac periuros puniri debere statutum sit; nihilominus, quia magis timetur quod saepius cavetur, et ut in futurum timore poenae, si non Dei timore, arceantur, omnes et singulas censuras et poenas contra eos, qui talia deliquerint, latas, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus, confirmamus et innovamus, nec de earum rigore, propter illarum forsan inobservantiam, aut praedecessorum nostrorum et etiam nostram ac officialium et ministrorum eorumdem et nostrorum tolerantiam, quicquam relaxatum aut remissum esse, ac easdem in suo pristino robore et vigore permanere decernimus et declaramus.

Impositio aliarum poenarum contra eosdem, vel nuncium eis in secretis detentis vel aliis pro eis deferentes.

§ 1. Et ut poenarum certitudo omnibus hic in alma Urbe nostra innotescat, statuimus, decernimus et declaramus omnes et singulos notarios, tam principales quam substitutos, executores quoque ac carcerum custodes, ceterosque, quibus, tam vigore sui officii, quam alias quomodocumque, reos, dum in carceribus secretis detinentur, facultas alloquendi conceditur, qui reorum responsiones ac testium in dictis causis depositiones propalare, in toto vel in parte, dicto aut facto, quibusvis personis, cuiuscumque conditionis, praerogativae et dignitatis, tam mundanae quam ecclesiasticae, existant, absque iudicis, coram quo causa vertitur, et procuratoris fiscalis licentia, ausi fuerint; aut eisdem reis et testibus, donec in secretis retinentur, etiam quarumvis personarum, ut supra quomodolibet qualificatarum, vel nomine eorumdem reorum et testium; vel aliis, etiam extra carceres existentibus, nomine eorumdem carceratorum, nuncium, epistolam, litteras vel (ut vulgo dicitur) ambasciatas ferre, absque eiusdem iudicis et procuratoris fiscalis licentia, ultra poenas eis a iure

vel statuto inflictas, poenam relegationis in perpetuum, vel ad tempus ad triremes; et si qualitas facti id exegerit, et iudici videbitur, etiam ultimi supplicii incurrere et puniri debere praecipimus et mandamus. Sicque per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, puniri et condemnari, et non aliter, declaramus. Irritum quoque et inane, *etc.* decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo et consuetudine ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicationis.

§ 3. Volumus quod praesentis statuti, decreti et constitutionis cedula in acie Campi Florae et in Cancellaria nostra Apostolica de more publicetur, et ita omnes, quos tangit, afficiat; quodque illis nostra signatura sufficiat et ubique fidem faciat, regula contraria non obstante, *etc.*

Placet. Motu proprio, M.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, indictione undecima, die vero vigesima tertia mensis iulii, pontificatus sanctiss. D. N. D. Pii divina providentia Papae V anno III, supradictae litterae publicatae fuerunt locis supradictis, per me Ioannem Andream Rogerium, praelibati SS. D. N. Papae cursorem.

Camillus Cherubinus, mag. curs.

Pub. die 23 iulii, pontif. anno III.

CVII.

Contra non revelantes et non restituentes scripturas ad reverendam Cameram Apostolicam quomodolibet spectantes.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Causae huius constitutionis.

Cum de litteris, auctoritatibus et instrumentis omnibus, sive custodiendis et memoriae demandandis, sive abversis requirendis, sedulam pro se quemque curam capere oporteat, hoc impensius multo pro S. R. E. ceterarum omnium matre et magistra expedit procurare ut ipsa non modo suis, ut par est, iuribus protegatur, sed et propriis monumentis subnixa, etiam nefarios insurgentium quotidie in eam impiorum conatus comprimere, eademque opera reliquo omni ordini ecclesiastico, quandocumque venerit usus, auxilio atque praesidio promptior esse possit.

Iussio annotandi omnes scripturas ad reverendam Cameram Apostolicam spectantes,

§ 1. Itaque, ut de scripturis, litteris, instrumentis, regestris et monumentis omnibus, ad ipsam Romanam Ecclesiam et hanc sanctam Sedem Cameramque Apostolicam pertinentibus, certior deinceps ratio habeatur, et quae neglecta iacent, in integrum restituantur, ac transportata vel ablata aut interversa revocentur, eorum omnium, quae in palatio et vestiario nostro, bibliotheca item Vaticana et arce S. Angeli asservantur, quaeque in archiviis charthophilaciis, armariis, ecclesiis, monasteriis conventibus et locis publicis et privatis Urbis Romae, Avenionis ceterarumque omnium civitatum, provinciarum et locorum, nobis et dictae R. E. immediate mediateve subiectorum reconduntur et habentur, breviarium sive compendium cum indice idoneo conficiendum.

Subtractas autem et delatas recuperandi.

§ 2. Dispersa vero vel suppressa ac celata, subtracta et evolata, ad praefatam Sedem et Cameram revocanda et repetenda, pari quoque ratione dicto breviario adscribenda esse statuimus.

Executorum deputatio ad praedicta 1.

§ 3. Eamque curam ven. fratri nostro Carolo, episcopo Montis Flasconensis, unum ex officiis clericatus praefatae Camerae ex indulto apostolico obtinenti, et dilecto filio Onuphrio Camaiano, clerico Aretino, ipsius Cameræ praesidenti, quorum fidem, rerum usum, diligentiam et animi integritatem iampridem perspectam et exploratam habemus, auctoritate praesentium, ducimus delegandam; qua in re,

(1) Hodie hoc spectat ad commissarium Camerae.

ut instituti nostri effectus et executio ocius subsequatur,

Monitio ad revelandum et restituend. dictas scripturas.

§ 4. Monemus, in primis, omnia et quaecumquae communia provinciarum civitatumque et locorum praefatorum, necnon ecclesiarum praelatos, capitula, conventus et collegia, omnes item alios et singulos eiusdem S. R. E. cardinales aut comites, duces et quovis alio potiori titulo illustres sint, tam dictae Urbis, quam etiam provinciarum, civitatum et locorum immediate et mediate subiectorum, publice et privatim, ut infra terminum per supradictum Carolum episcopum et Onuphrium arbitros, postquam praesentium litterarum promulgatio in Urbe et quaque alia civitate, provincia, terra et loco, ubi consistunt, facta fuerit, omnia et quaecumque exemplaria, libros, protocolla, scripturas, exempla, instrumenta et monumenta rerum et iurium quorumcumque R. E. ac Sedis et Camerae praedictarum penes se existentia, sive ad ipsas legitime pertineant, sive commodato vel deposito aut alio quocumque iure et titulo illa obtineant, vel etiam subrepta et extorta detineant, praefatis Carolo episcopo et Onuphrio praesidenti, seu eorum in dictis civitatibus, provinciis et locis commissariis, omnino revelare procurent, ut scilicet eorum omnium et singulorum inventarium conficiatur. Deinde, adnotatis communitatibus, civitatibus, ecclesiis, capitulis, conventibus, archiviis, locis et personis ubi constant, ipsa quoque praefato breviario seu compendio asdcribantur, exemplaribus sive exemplis, regestris et instrumentis, penes eos ad quos illa iure pertinent, tamquam ipsorum fidei commissis remanentibus, ita ut nunquam, sine Sedis Apostolicae speciali et expressa licentia, inde amoveri, transferri aut alias immutari possint; subrepta vero et extorta vel incerta ad praefatam Cameram referantur et in dictum compendium atque indicem conferantur.

Poenae in contravenientes.

§ 5. Quod si forte aliqui, lapso tempore praedicto, non paruerint, eos et ipsorum singulos, libris, iuribus et scripturis omnibus praefatis, eorumque omnium usu et commodo privamus. Praeterea ecclesias, capitula et monasteria, conventus et collegia ecclesiastica, necnon civitates provincias et loca quaecumquae ecclesiastico interdicto subiicimus; singulares vero personas eorumdem, ceterosque praefatos excommunicationis sententia innodamus eo ipso, qua illaqueatos nullus alius quam Romanus Pontifex, excepto mortis articulo, valeat liberare.

Iurisdictio dd. iudicum in praedictis exequendis.

§ 6. Ceterum, ut praefata promptius exequantur, praefatis Carolo episcopo et Onuphrio praesidenti, motu proprio et ex certa nostra scientia, mandamus ut ipsi ad arcem, palatium, bibliothecam, vestiarium, Capitolium, ecclesias, capitula, monasteria, conventus, archivia, domos et loca praefata, tam publica quam privata, itemque particularium personarum, etiam S. R. E. cardinalium, necnon ducum et aliorum quorumcumque aedes, in dicta Urbe et eius districtu positas, et ubicumque illa esse intellexerint vel coniecerint, adhibita etiam ad ipsos privatos armata familia, etiam ante promulgationem praesentium ac quamprimum se conferant, et omni cunctatione respondendi vel consulendi praecisa, vel appellatione remota, ad praefata omnia e vestigio, adhibita etiam manu regia, ac per censuras et poenas praefatas ac etiam pecuniarias aliasque graviores arbitrio suo irrogandas, moderandas et applicandas, ceteraque iuris et facti remedia opportuna, appellatione posposita, compellant; exhibita, producta et inventa recognoscant, ac de eis inventarium ac breviarium et indicem praefatum conficiant; quaeque ibi relinquenda, vel deinde ad Cameram præ-

fatam referenda erunt, statuant et decernant, eademque illa omnia, per se vel alium seu alios probos et peritos, cum simili aut limitata potestate substituendos, extra dictam Urbem in provinciis, civitatibus et locis praefatis efficere; praeterea notarios descriptores, et antigraphariosquotquot ad praefata negocia fuerint, cum salariis seu mercede cuicumque convenientibus, de Camera praefata redditibus constituendis, et de mandato ipsorum Caroli episcopi et Onuphrii praesidentis, utriusque manu subscripto, arbitrio vestro persolvendis, ubique locorum præfatorum constituere et ordinare procurent. Nos enim ipsis omnia et quaecumque alia, in praedictis et circa ea necessaria et opportuna, etiam si talia forent, quae mandatum et facultatem exigerent magis specialem, tam coniunctim quam divisim, per se vel alium seu alios, faciendi et exequendi plenam et liberam ipsarum tenore praesentium concedimus facultatem. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus statutis et consuetudinibus Urbis ac civitatum, provinciarum et locorum praefatorum, necnon ecclesiarum, monasteriorum et Ordinum quorumcumque, iuramento *etc.* roboratis, ac quantocumque tempore observatis; praescriptionibus quoque et privilegiis, exemptionibus, indultis et litteris apostolicis, illis et eorum singulis necnon populo Romano et cardinalibus ac quibuscumque aliis, nullis prorsus exceptis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, concessis et confirmatis *etc.* Quae omnia, quatenus praedictis in aliquo obstare, aut effectum praesentium quoquomodo impedire possent, illorum omnium tenores *etc.* pro expressis habentes, motu et scientia similibus revocamus, tollimus et abrogamus; litterasque omnes et scripturas desuper confectas, cum inde secutis omnibus, cassamus, annullamus, viribusque et effectu carere volumus eo ipso; quodque aliquibus, communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum quod interdici, *etc.* non possint per litteras apostolicas non facientes *etc.* mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicationis.

§ 8. Ceterum, ut praesentes, quarum solam signaturam sufficere et ubique, tam in iudicio quam extra illud, fidem facere volumus, omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe et Camerae praefatae necnon Cancellariae Apostolicae, et in acie Campi Florae publicari, eorumque exempla de more affigi: ac etiam volumus et apostolica auctoritate decernimus quod huiusmodi exempla, etiam impressa, manuque notarii publici ac sigillo Caroli episcopi, seu Onuphrii praesidentis praedictorum obsignata, eamdem illam ubique locorum fidem faciant, quam ipsaemet praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae; et nihilominus mandamus litteras apostolicas, sive sub plumbo, sive in forma brevis, tam coniunctim quam divisim, quandocumque videbitur, expediri.

Placet. Motu proprio, M.

Datum Romae apud S. Petrum, XIV kalendas septembris, anno tertio.

Dat. die 19 augusti 1568, pontif. anno III.

CVIII.

Declaratio quod fratres Praedicatores Ordinis S. Dominici ubique praecedant ceteris fratribus cuiuscumque Ordinis religiosorum Mendicantium [1].

Pius Papa V, ad faturam rei memoriam.

Exordium.

Divina disponente clementia, omnium mortalium iudices in terris constituti,

1 De Ordine S. Dominici vide in Honorii III constitutionem II, *Religiosam*, tom. III, pag. 309.

nos id potissimum curare decet, ut unicuique, quod suum est, sublatis quibusvis iurgiis et litium dispendiis, tribuatur; veritas, iustitia et pax invicem se amplexentur, honorque et ordo debitus inter omnes, praesertim religiosos, nobiscum sub uno et eodem vexillo Deo militantes, servetur.

Ordo S. Dominici, ante alios Mendicantium Ordines a Sede Apostolica approbatus, debet praecedentiam habere, et tamen diversae lites desuper exortae sunt.

§ 1. Cum itaque nuper acceperimus quod sacer Ordo fratrum Praedicatorum prae ceteris aliis fratrum Mendicantium Ordinibus a Sede Apostolica primo et approbatus et confirmatus fuerit, illiusque professores in processionibus et aliis actibus ac ministeriis publicis et privatis, tam coram Romano Pontifice in eius cappella, generaliumque conciliorum sessionibus et congregationibus, quam plerisque aliis christifidelium partibus, primum locum inter alios fratres Mendicantes obtineant; tamen, si ad Religionis propagationem in civitatibus et aliis locis, in quibus aliorum Ordinum Mendicantium religiosi conventus et domos prius habebant, domos aliave religiosa loca pro eorum habitatione aedificarunt seu construi fecerunt, aut iam aedificata receperunt, saepe contingit quod aliorum Ordinum fratrum Mendicantes, antiquitatis ecclesiarum vel suorum conventuum et domorum, quas in eisdem locis prius habuerint, seu aliis praetextibus, dictos Ordinis Praedicatorum fratres in processionibus et aliis actibus ac ministeriis praedictis contingentibus, praecedere satagunt, praeeminentiamque et locum debitum eisdem denegant et impediunt, quo fit, ut non solum inter eos intestina odia et dissensiones, in eorum animarum perniciem, ac ceterorum christifidelium scandalum non modicum, sed etiam forsan lites et controversiae iudiciales quandoque subortae sint et indecisae pendeant.

§ 2. Nos, qui de antiquitate et praeeminentia cuiuslibet Ordinis fratrum Mendicantium plenam et individuam notitiam habuimus et habemus, eorum honoris et iurium conservationem ac pacem et quietem inter eos confovere, necnon scandala inde quomodolibet orta, quaeve oriri possent, removere paterno affectu zelantes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac mera deliberatione nostris, apostolica auctoritate, tenore praesentium litem et causam quamcumque, seu quaestionis et controversiae materiam, si quae desuper ubilibet, in Romana Curia vel extra eam, etiam in nostro causarum Palatii Apostolici auditorio, in quacumque instantia, inter quoscumque quomodolibet pendeant, illarum statum et merita, et non [1] aliqua sententia, etiam in contradictorio iudicio, a quovis iudice ordinario vel delegato, quae in rem transivit iudicatam, contra ipsos fratres Praedicatores super hoc prolata fuerit, ac alia etiam necessario magis exprimenda, praesentibus pro expressis habentes, ad nos advocamus et penitus extinguimus, ac fratribus aliorum quorumcumque Ordinum Mendicantium super his perpetuum silentium imponimus.

Hic ideo Pontifex lites extinguit;

Ipsisque fratribus dictam concedit praecedentiam;

§ 3. Et nihilominus fratres ipsos Ordinis Praedicatorum, primum, digniorem et honorabiliorem locum inter ceterorum quorumcumque aliorum Ordinum Mendicantium religiosos, etiam si tales essent, qui non generali sermone comprehenderentur, sed nota et expressione speciali indigerent, tam in sessionibus et congregationibus quorumcumque generalium, provincialium et synodalium conciliorum, quam processionibus, ministeriis et aliis actibus publicis vel privatis, in quibuscumque civitatibus, oppidis, terris, castris et aliis locis obtinere, et speciali praeeminentia omnino gaudere

(1) *Etiam si* loco *et non* legit Ripoll (n. T.).

perpetuo debere, etiam si illic ecclesias, domos aut conventus non habuerint seu habeant, aut aliorum Ordinum Mendicantium fratres et religiosi in eisdem civitatibus et locis antiquiores pro tempore, eorumque ecclesiae, cappellae, domus et loca regularia ibi primo instituta et fundata fuerint, eosdemve fratres Praedicatores adhuc, etiam per centum annorum aut diuturnius vel alias quantumvis longe magis immemorabile tempus, praecedere consueverint, declaramus, statuimus et etiam definimus.

Et desuper non molestari iubet;

§ 4. Districte, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis maioris, eo ipso incurrenda, poena, omnibus et singulis quorumcumque aliorum Mendicantium Ordinum pro tempore religiosis inhibentes, ne de cetero, praemissorum occasione, Ordinem fratrum Praedicatorum huiusmodi illorumque pro tempore religiosos quoscumque molestare, inquietare, perturbare aut quoquomodo impedire audeant vel praesumant, supplentes in hoc citationum omnesque alios tam iuris quam facti et quarumcumque aliarum solemnitatum, etiam substantialium, et processuum defectus.

Clausulas praeservativas apponit;

§ 5. Ac decernentes praesentes nostras litteras de subreptionis vel obreptionis intentionisve nostrae aut alio quovis vitio seu defectu, nullo unquam tempore, impugnari posse; ac constitutionem nostram de non tollendo cuiquam per quamcumque gratiam seu concessionem aut declarationem ius quaesitum, adversus eas locum sibi vendicare non posse nec debere.

Decretum irritans addit;

§ 6. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et causarum dicti Palatii Apostolici auditores, in quavis causa et instantia, etiam per appellationem pendente, iudicari et definiri debere, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter interpretandi facultate; ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat;

§ 7. Ceterum, ut declaratio, statutum, definitio, inhibitio aliaque omnia et singula praemissa inviolabiliter observentur, universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, episcopis et dilectis filiis abbatibus ac aliis ecclesiarum praelatis et personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon metropolitanis et aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis, eorumdem archiepiscoporum officialibus seu vicariis in spiritualibus generalibus, ubilibet constitutis, per apostolica scripta, in virtute sanctae obedientiae, committimus et mandamus ut has litteras nostras et in eis contenta quaecumque inviolabiliter observent, ipsique duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, ubi, quando et quoties opus fuerit, et pro parte dictorum fratrum Praedicatorum vel aliquorum ex eis fuerint requisiti, eis efficaci præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, eos huiusmodi litteris nostris et in eis contentis quibuscumque pacifice frui et gaudere, non permittentes a religiosis quorumcumque aliorum Ordinum Mendicantium vel quibuslibet aliis, quacumque auctoritate fungentibus, super præeminentia et aliis antedictis, contra earumdem nostrarum tenorem, quomodolibet molestari, inquietari, perturbari aut impediri; contradictores et rebelles quoscumque, status, gradus, ordinis, conditionis et dignitatis cuiusvis existentes, per censuras et pœnas, etiam pecuniarias, arbitrio eorum moderandas et applicandas, quacumque appellatione postposita, compescendo. Et nihilominus eos, qui sententiam excommunicationis antedictam, censuras

et alias poenas per eos aut aliquem eorum pro tempore latas incurrerint, legitimis super his habendis servatis processibus, in illas incidisse declarent, nec non aggravare, etiam iteratis vicibus, curent, invocato ad id, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantia tollit;

§ 8. Non obstantibus praemissis, et tam huiusmodi nostra de non tollendo cuiquam ius quaesitum, et aliis apostolicis, quam in quibusvis generalibus, provincialibus vel synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; domorumque, Ordinum et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, fundationibus, statutis, usibus, naturis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, fratribus Mendicantibus aliorum Ordinum quorumvis, eorumque ecclesiis, cappellis, domibus et locis et superioribus, in ispecie vel in genere, tam per felicis recordationis Sixtum Papam IV, quam alios quoscumque Rom. Pontifices praedecessores nostros, etiam Bulla Aurea, *Mare Magnum* nuncupata, contentis, ac per nos, motu proprio, consistorialiter, etiam per modum legis et statuti perpetui, iteratis vicibus, cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, clausulis ac irritantibus et aliis decretis, concessa pro tempore in contrarium forsan revocantibus, etiam si eis expresse caveretur quod nisi per trinas distinctas litteras, cum temporis intervallo competenti, ternis distinctis vicibus, illis quos concernunt intimandas, derogatum esse non censeatur, aut alia forma in id servanda sit, concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa et individua mentio habenda esset, illorum omnium et singulorum tenores, vim et effectum, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, formaque in eis tradita observata, insererentur, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse latissime derogamus, et ceteris contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ac eorum personis, locis, Ordinibus et nominibus mentionem.

Transumptis credi iubet.

§ 9. Et quoniam difficile esset praesentes litteras ad singula quaecumque loca deferri, volumus et eadem apostolica auctoritate etiam decernimus quod illarum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, sigilloque alicuius praelati vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu Curiae ecclesiasticae munitis, in iudicio et extra, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus originalibus, si exhiberentur vel ostenderentur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII augusti, millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 augusti 1568, pontif. anno III.

CIX.

Contra quoscumque clericos, tam saeculares quam regulares, nefandi criminis reos [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Horrendum illud scelus, quo pollutae foedataeque civitates a tremendo Dei iu-

[1] Ad hoc habes aliam huius Pontificis constitutionem IX, *Cum primum*, pag. 454 huius tomi.

dicio conflagrarunt, acerbissimum nobis dolorem inurit, graviterque animum nostrum commovet, ut ad illud, quantum potest, comprimendum studia nostra conferamus.

Concilii Lateranensis dispositio.

§ 1. Sane Lateranensi concilio dignoscitur constitutum ut quicumque clerici illa incontinentia, quae contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiae, deprehensi fuerint laborare, a clero deiiciantur, vel ad agendam in monasteriis poenitentiam detrudantur.

Causa huius novae dispositionis.

§ 2. Verum, ne tanti flagitii contagium, impunitatis spe, quae maxima peccandi illecebra est, fidentius invalescat, clericos huius nefarii criminis reos gravius ulciscendos deliberavimus, ut qui animae interitum non horrescunt, hos certe deterreat civilium legum vindex gladius saecularis.

Impositio poenae capitalis.

§ 3. Itaque, quod nos iam in ipso pontificatus nostri principio hac de re decrevimus, plenius nunc fortiusque persequi intendentes, omnes et quoscumque presbyteros et alios clericos saeculares et regulares, cuiuscumque gradus et dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni privilegio clericali omnique officio, dignitate et beneficio ecclesiastico, praesentis canonis auctoritate, privamus. Ita quod per iudicem ecclesiasticum degradati, potestati statim saeculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos hoc in exitio devolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXVIII, III kalendas septembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 30 augusti 1568, pontif. anno III.

CX.

Sex Ordinis Praedicatorum Romanae provinciae fratres constituuntur poenitentiarii basilicae S. Mariae Maioris 1.

Pius episcopus servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Pro nostri muneris officio curae nobis esse debet, ut de ministris idoneis ad conferendum fidelibus Poenitentiae sacramentum apud ecclesiam S. Mariae Maioris de Urbe utilior deinceps ratio habeatur.

Numerum poenitentiariorum reformavit Pius IV.

§ 1. Postquam enim felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, antiquum numerum poenitentiariorum ex diversis nationibus atque Ordinibus in dicta ecclesia constitutorum ad numerum duodecim, qui alias iuxta veterem ipsorum institutionem, a Romanis Pontificibus traditam, ibi perpetuo consisterent, motu proprio per suas litteras reformavit, re ipsa compertum est, nec hoc quidem ad praedictum officium admodum profuisse, ac numerum ipsum duodecim poenitentiariorum ad id munus in dicta ecclesia subeundum nimis multum. Praeterea illam Ordinum et linguarum universitatem non perinde ibi necessariam esse.

Iterum reformat Pius V; omnes basilicae poenitentiarios suspendit, dempta poenitentiarii maiori facultate eos constituendi;

§ 2. Nos utilius multum fore rati, si numerus praedictus rursus minuatur, simulque omnes poenitentiarii praedicti ex uno Ordine eodemque linguae idiomate constituantur, motu proprio et ex certa scientia nostra deque apostolicae potestatis plenitudine, reformationem et reductionem Pii praedecessoris huiusmodi, ac etiam omnes et quascumque constitutiones de numero, Ordinibus, nationibus et aliis qualitatibus ipsorum poenitentiariorum, tam per eumdem Pium

1 Ex Bull. Ord. Praed., tom. v, pag. 196.

quam quoscumque alios praedecessores nostros quomodolibet ex quibusvis causis factas, necnon facultates constituendi praedictos poenitentiarios a maiori poenitentiario nostro et quibuslibet aliis, etiam per litteras Pii praedecessoris huiusmodi attributas, tenore praesentium revocamus et abolemus, ac praefatas et quascumque alias litteras desuper confectas, quarum singularum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, cassamus et annullamus, volumusque illas omnes vires et effectum de caetero non habere; quin etiam omnes illos poenitentiarios, qui huc usque in dicta ecclesia quomodolibet constituti sunt, officio, usu et exercitio poenitentiarii apud illam privamus et amovemus, districtius inhibentes maiori poenitentiario praefato et quibuslibet aliis, ne deinceps in officiorum collatione aut poenitentiariorum huiusmodi ordinatione, amotione vel alia quacumque dispositione sese audeant immiscere.

Sex tantum esse decernit ex Ordine Praedicatorum prov. Romanae;

§ 3. Et nihilominus in dicta ecclesia Sanctae Mariae Maioris sex dumtaxat poenitentiarios minores, qui omnes Ordinis fratrum Praedicatorum Romanae provinciae iuxta morem eiusdem Ordinis, non autem alterius, posthac in perpetuum esse, ac per priorem provincialem dictae provinciae, seu priorem B. Mariae super Minervam de Urbe tamquam eius vicarium constitui debeant.

Omnia privilegia ceterorum poenitentiariorum eis tribuit sub regimine prioris conventus Romani;

§ 4. Quique omnibus et singulis facultatibus, privilegiis, praerogativis, exemptionibus et indultis, quibus poenitentiarii minores ecclesiae Sancti Ioannis Lateranensis et basilicae Principis apostolorum de Urbe quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter uti, potiri et gaudere valeant, perpetuo instituimus, eosque curae, iurisdictioni, potestati, visitationi et correctioni praedicti prioris provincialis vel, tamquam vicarii, prioris sanctae Mariae super Minervam, salva semper maioris poenitentiarii praefati in concernentibus curam officii huiusmodi superioritate et debita obedientia, demandamus.

Qui eos eligendi, et removendi facultatem habet,

§ 5. Qui quidem prior seu vicarius, pro sua in Deum pietate et officii debito, eos ibi poenitentiarios constituat, quos, morum, doctrinae et aetatis ratione habita, ad id munus obeundum idoneos cognoverit, eosdem etiam, cum bene sibi visum fuerit removeat, et illorum loco alios eiusdem Ordinis et provinciae, ad praefinitum dumtaxat numerum sex poenitentiariorum substituat; quibus duos fratres conversos vel tertiarios, pro communibus servitiis et aliis necessitatibus eorum, ducimus subiungendos.

Et super eorum moribus inquirit.

§ 6. Ceterum, ipse prior provincialis seu, tamquam vicarius, prior S. Mariae super Minervam, in eorum omnium vitam et mores inquirat, animadvertat, visitet, moneat, corrigat et emendet quemadmodum aliis superioribus in fratres dicti Ordinis iuxta regularia illius instituta dignoscitur ordinatum.

Ædes eis concessae.

§ 7. Ut autem ipsis sex poenitentiariis et duobus conversis de communi et, quantum fieri possit, propinqua habitatione consulatur, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, aedes, quae intrantibus ad dexteram partem ecclesiae S. Potentianae constant et ad septentrionem spectant, quas nuper in eorum usum aptandas curavimus, cum vestibulo et viridario ad valvas dictae ecclesiae ac omnibus iuribus et pertinentiis eius, a reliqua proprietate et rebus mensae capitularis praefatae ecclesiae, ac singulorum illius beneficiorum et praebendarum pro perpetuo usu et habitatione praefatorum sex poenitentiariorum, et sine consensu dilectorum filiorum archipres-

byteri et capituli eiusdem ecclesiae, et ipsis omnino contradicentibus, perpetuo dismembramus et separamus; illasque, cum vestibulo, viridario, iuribus et pertinentiis, praefatis sex poenitentiariis et duobus conversis aut tertiariis, pro huiusmodi habitatione et usu, perpetuo concedimus, ita quod liceat ipsis sex poenitentiariis aedium et aliorum praefatorum corporalem possessionem per se vel per alium seu alios, propria auctoritate et absque vitio spolii seu attentatorum, libere apprehendere et perpetuo retinere; cum eo tamen ut alias ipsi ecclesiae sanctae Potentianæ, quoad titulum presbyteri cardinalis, in nihilo derogetur, atque aliarum illius rerum et bonorum administratio, fructuumque perceptio et dispositio ad archipresbyterum et capitulum praefatos, ut prius, pertineat.

Provisio pro eorumdem sustentatione assignata.

§ 8. Insuper, pro usu et aliis necessariis sex poenitentiariorum et duorum conversorum praefatorum, menstruam provisionem vigintinovem scutorum auri in auro, super pecuniis compositionum quae in officio Datariatus nostri fiunt, eisdem sex poenitentiariis vel eorum procuratori ad id ab eis potestatem habenti, per pecuniarum earumdem depositarium singulis mensibus, donec illis alia idonea assignatio facta fuerit, quo casu et non alias praefata provisio cessare censeatur, integre persolvendam concedimus et assignamus.

Clausulae pro huiusce constitutionis firmitate.

§ 9. Decernentes praesentes litteras sub nullis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, reductionibus, restitutionibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus similium vel dissimilium constitutionum et ordinationum, per nos ac Sedem Apostolicam, etiam motu et scientia similibus, et ex quibusvis causis urgentibus quantumlibet, pro tempore factis, etiamsi in illis de eisdem patentibus litteris et eorum toto tenore ac data, specialis, specifica et expressa mentio fiat, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanaverint toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo et quacumque data, per priorem et provincialem ac poenitentiarios praefatos eligenda, concessas esse et censeri, et ita nostrae incommutabilis voluntatis et intentionis esse et fore; ipsasque praesentes nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, aut in ius vel controversiam quacumque ratione vel causa vocari posse; causamque seu, causas propter quas revocatio, abolitio, cassatio, annullatio, privatio, amotio, institutio et alia praefata fiunt, coram quocumque, minime verificari, nec ob id seu ex quo interesse putantes vocati non fuerint, per subreptionem obtentas praesumi, viribusque propterea carere. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, ex quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, seu scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus nostra per quam dudum voluimus, inter alia, quod deinceps per quamcumque concessionem aut gratiam per nos, etiam motu et ex certa scientia faciendam, nulli ius sibi quaesitum quomodolibet tolleretur; et piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, qua cavetur ne fratres Mendicantes nova loca recipere, aut recepta retinere possint, sine speciali dictae Sedis Apostolicae licentia de prohibitione huiusmodi mentionem faciente, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; et dictarum S. Mariae Maioris ac S. Potentianae ecclesiarum, iuramento et confirmatione apostolica vel quavis fir-

mitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis earumque personis, ac etiam praefato maiori poenitentiario per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis quomodolibet concessis, approbatis et etiam iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ II. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae revocationis, abolitionis, cassationis, annullationis, privationis, amotionis, inhibitionis, restitutionis, demandationis, decreti, dismembrationis, separationis, concessionis, assignationis, voluntatis et derogationis infringere *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, kalendis septembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 sept. 1568, pontif. anno III.

CXI.

Annuae pensionis constitutio poenitentiariis basilicae Sanctae Mariae Maioris de Urbe [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Rem fluxam et fragilem conaremur, operarios in vineam Domini immittendo, nisi ea quae, ad victum cultumque suppeditent, eadem opera pararemus.

Seriem praecedentis constitutionis recenset.

§ 1. Cum itaque nos pridem de ministris idoneis ad conferendum fidelibus Poenitentiae sacramentum apud ecclesiam Sanctae Mariae Maioris de Urbe utiliorem deinceps rationem capere volentes, antiquum numerum minorum poenitentiariorum ex diversis nationibus et Ordinibus in dicta ecclesia constitutorum, ad numerum duodecim per felicis recordationis Pium Papam quartum, praedecessorem nostrum, reformatum, motu proprio revocavimus; et in praefata ecclesia sex dumtaxat poenitentiarios minores, qui omnes Ordinis fratrum Praedicatorum provinciae Romanae, iuxta morem eiusdem Ordinis, esse, ac per priorem provincialem dictae provinciae seu priorem domus Beatae Mariae super Minervam de Urbe eiusdem Ordinis, tamquam eius vicarium, constitui deberent, perpetuo instituimus; ac aedes, quae intrantibus dextera parte ecclesiae S. Potentianae constant et ad septentrionem spectant, quas in eorum usus aptandas ac reformandas iam curavimus, cum vestibulo et viridario ad valvas dictae ecclesiae, præsentibus iam sex poenitentiariis et duobus conversis aut Tertiariis, pro huiusmodi habitatione et usu, perpetuo concessimus. Insuper, pro victu et aliis necessariis menstruam provisionem vigintinovem scutorum auri in auro super pecuniis compositionum, quae in officio Datariatus nostri fiunt, eisdem sex poenitentiariis vel eorum procuratori per pecuniarum earumdem depositarium singulis mensibus, donec illis alia idonea assignatio facta foret, quo casu provisio ipsa cessare censeretur, integre persolvendam reservaverimus ac assignaverimus.

Pro dote eis unitur monasterium S. Mariae Macularum

§ 2. Ac postmodum dilectus filius noster Aloysius, tituli S. Marci presbyter cardinalis, Cornelius nuncupatus, com-

1 Ex Bull. Ord. Praed., tom. v, pag. 199.

oppidi S. Genesii.

mendae monasterii S. Mariae Macularum, loci S. Genesii, S. Benedicti vel alterius Ordinis, Camerinensis dioecesis, quam ipse qui illud ex dispensatione apostolica nuper obtinebat, seu alias ipsum certo modo vacans, per eum, quoad viveret, tenendum, regendum et gubernandum apostolica auctoritate commendatum fuerat, necnon liti et causae forsan inter eum et alium seu alios, in Romana Curia vel extra eam, et etiam coram nobis pendenti, ac omni iuri sibi in regimine et administratione dicti monasterii vel ad illa quomodolibet competenti, habita vel non illorum possessione, in manibus nostris sponte ac libere cesserit, nosque cessionem huiusmodi duxerimus admittendam; nos hac nobis oblata vacationis occasione, dictorum sex poenitentiariorum sustentationi et aliis necessariis commodius stabiliusque providere, ac simul nos ac Cameram Apostolicam praefatam provisione quamprimum exonerare volentes; necnon verum et ultimum dicti monasterii vacationis modum, etsi ex illo generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultet, pro expresso habentes, motu simili et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, monasterium praefatum, quod conventu caret, cuiusque et parochialis ecclesiae S. Michaelis *delle Ripe*, dictae dioecesis, et forsan aliorum illi annexorum fructus, redditus et proventus sexcentorum ducatorum auri de Camera, secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, quovis modo et cuiuscumque persona, seu per obitum aut liberam cessionem quondam Trivultii Gregorii Maxillae, forsan apud Sedem Apostolicam vita defuncti, vel cuiusvis alterius, de regimine et administratione praesentis, in dicta Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, seu etiam praedicta vel quacumque alia commenda aut dispositione de illo, etiam in vim cuiuscumque regressus seu accessus et ingressus ad dictum monasterium, tam praedicto Aloysio cardinali, quam etiam dilecto filio Francisco Serbellono, aut alteri cuicumque personae, etiam apostolica auctoritate factis, propter inhabilitatem vel incapacitatem aut confidentiae vitium, etiam iuxta litteras felicis recordationis Pii Papae quarti, praedecessoris nostri, vel ex quavis alia causa, nullis et invalidis existentibus, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius provisio, iuxta Lateranensis concilii aut alias canonicas sanctiones, ad Sedem praedictam legitime devoluta existat, et illa ex quavis causa ad Sedem eamdem specialiter et generaliter pertineat, et de illo consistorialiter disponi consueverit seu debeat, ac super eisdem regimine et administratione alias ac inter aliquos alios quoscumque lis, seu super petitorio vel possessorio molestia, cuius et suprascriptorum statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dignitate abbatiali, nomine, titulo et essentia abbatiali inibi perpetuo suppressis et extinctis, cum annexis praefatis ac omnibus membris, iuribus, iurisdictionibus, pertinentiis et actionibus suis quibuscumque, domui S. Mariae super Minervam seu illius sacristiae applicamus: ita quod liceat dilecto filio eiusdem domus priori corporalem possessionem monasterii et annexorum, necnon membrorum, iurium, iurisdictionum et pertinentiarum praedictorum, necnon ipsius monasterii proprietatem et bonorum, per se vel alium seu alios, propria auctoritate et absque spolii seu attentatorum vitio aut iudicii ministerio iudicisve auctoritate seu decreto, libere apprehendere et perpetuo retinere, eique in divinis deservire, et curam etiam omnium animarum dictae ecclesiae exerceri facere, dioecesani

loci vel superioris Ordinis eiusdem monasterii praefati existentis licentia vel consensu minime requisitis, perpetuo unimus, annectimus et incorporamus. Cum eo tamen ut ipse prior de fructibus, redditibus et proventibus praedictis pensionem annuam trecentum scutorum auri in auro eisdem sex penitentiariis et duobus conversis, annis singulis, duobus terminis aequaliter, in perpetuum persolvere teneatur et ad id obligatus sit, eaque re provisio menstrua vigintinovem scutorum super pecuniis compositionum huiusmodi, quae summam trecentorum scutorum similium constituit, super pecuniis compositionum huiusmodi, ut prius, remaneat, donec eisdem sex poenitentiariis et duobus conversis alia idonea assignatio pro residuo facta fuerit. Si quid vero de dicta summa trecentorum persoluta, omnibusque oneribus monasterii et ecclesiae praedictorum supportatis, de fructibus, redditibus et proventibus supradictis reliquum erit, illud omne in communes dictae domus usus convertatur.

Clausulae.

§ 3. Decernentes suppressionem, extinctionem, unionem, annexionem, incorporationem et cetera praemissa necnon praesentes litteras, tamquam favore Religionis et pro augmento Religionis ac regularis cultus concessas, ex quavis causa, nullo umquam tempore, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, argui vel impugnari posse; nec sub ullis, etiam illarum verum tenorem in se continentibus, revocationibus, suspensionibus, modificationibus et limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus similium vel dissimilium suppressionum, extinctionum, unionum, annexionum, incorporationum perpetuarum vel temporalium et aliarum gratiarum, tam per nos quam per successores nostros quomodolibet ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, aut etiam ad superiorum praedictorum instantiam, et ex quavis causa pro tempore factis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et censeri; nec causam seu causas propter quas praemissa fecimus, coram loci ordinario, etiam tamquam dictae Sedis delegato, verificari; nec propterea, aut etiam quia superiores Sancti Benedicti vel alterius Ordinis, cuius dictum monasterium erat, vel alii interesse putantes vocati non fuerint, per subreptionem obtentas praesumi, viribusque propterea carere; sicque per quoscumque iudices ordinarios, etiam legatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus nostra per quam dudum, inter alia, voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum praedictam aestimationem etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset; ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis; necnon piae memoriae Bonifacii Papae octavi, etiam praedecessoris nostri, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac monasterii, domus et Ordinum praedictorum,

iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, sub quibuscumque tenoribus et formis ac quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessis, approbatis et etiam iteratis vicibus innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Monasterii onera supportanda.

§ 5. Volumus autem quod, propter unionem, annexionem et incorporationem praefatas, monasterium ipsum in spiritualibus non laedatur, nec in temporalibus detrimentum sustineat, sed eius congrue supportentur onera antedicta.

Clausulae penales.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae unionis, annexionis, incorporationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, octavo idus septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 6 sept. 1568, pontif. anno III.

CXII.

Moderatio et revocatio privilegiorum, officiis Romanae Curiae ac militiis concessorum, circa pensiones obtinendas et transferendas, ac expectativas concedendas, unionesque et suppressiones beneficiorum faciendas, ac facultatem de bonis ecclesiasticis testandi [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacrosanctum Ecclesiae Dei statum integrum et incolumem praestare officii nostri cum sit, quaecumque illi detrimentum afferre noscuntur, nostra nos decet consideratione movere.

Causae constitutionis.

§ 1. Sane tantae tantaeque immoderatae de rebus dominicis, etiam extra ordinem ecclesiasticum, largitiones, his novissimis temporibus succrevisse perhibentur, ut iam optima quaeque alieni sensim exhauriant, et quod in fovendis multiplicandisque ministris ecclesiasticis, fundandis seminariis, alendis pauperibus, recreandis infirmis, instaurandis ecclesiis, fulciendis aedibus vetustate consumptis, educandis viris religione et doctrina cla-

1 De unionibus habes etiam concilium Tridentinum, sess. VII, cap. VI; et sess. XIV, cap. IX; et sess. XXIV, cap. XIII et XV, *De Reform.*

ris, quibus Ecclesia ipsa tantopere dignoscitur indigere, id fere universum multitudo praeripiat laicorum. Hinc manifesta nos impellit necessitas ut, hac indomita cupiditate repressa, communi Ecclesiae saluti consulamus. At quia omnia incommoda statim ubique facile subducere non valemus, ea saltem, quae nobis proxima sunt et ante oculos frequentius obversantur, in primis tollere curabimus, ut caeteri omnes, dum venerit usus, aequiore animo patiantur.

Revocatio indultorum transferendi pensiones collegiis et officialibus Romanae Curiae concessorum, et per laicos vel clericos coniugatos eas retinendi.

§ 2. Itaque, de nobis attributae potestatis plenitudine, revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia, facultates, dispensationes et indulta militum S. Petri, S. Pauli, S. Georgii, Pii de Laureto et de Lilio, nec non secretariorum, cubiculariorum et scutiferorum apostolicorum, ac quibuscumque aliis Romanae Curiae et Apostolicae Sedis collegiis et officiis, tam in dicta Curia quam extra eam constitutis, ipsorumque personis, necnon conclavistis, de pensionibus, fructibus et aliis rebus ecclesiasticis, etiam ad certam et determinatam summam et quantitatem constitutis, per clericos coniugatos, bigamos et alios laicos obtinendis, eisdem per ipsos ac aliis similibus per alios clericos in alium vel alios transferendis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et praedictam Sedem, tam in ipsorum officiorum institutione quam deinceps, quandocumque et quotiescumque, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, et alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis restitutionibus, praeservationibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia deque simili potestatis plenitudine, etiam pro defensione fidei catholicae aut dictae Sedis et quibuslibet aliis causis, quantumlibet gravibus, urgentibus, necessariis et onerosis, ac etiam consideratione, intuitu, contemplatione vel ad instantiam imperatoris, regum, ducum aliorumque principum, necnon S. R. E. cardinalium, deque illorum consilio et matura deliberatione prius desuper habita, concessa, confirmata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa et moderata. Ita quod deinceps illorum sic revocatorum praetextu, laici, etiam extra coniugium et in caelibatu viventes, ac bigami et clerici coniugati, nullas novas pensiones aut fructus aut omnino alias res ecclesiasticas habere, nec ipsi, etiam qui coniugati non sunt, si ad primas aut alias nuptias transierint, antiquas deinceps; clerici vero et alii matrimonium, etiam cum unica et virgine contracturi, postquam illud contraxerint, nec antiquas retinere, nec novas assequi possint. Sed nec ulli laici nec clerici privilegio transferendi pensiones, fructus aut alias res huiusmodi de caetero potiantur. Decernentes omnes transferendi facultates ex nunc; antiquas vero pensiones et alias reservationes, tam laicis quam clericis concessas, et quas ipsos clericos habere contigerit, per futurum contractum matrimonium huiusmodi extinctas esse.

Revocatio similis privilegii quarumcumque militiarum et hospitalium, obtinendi pensiones.

§ 3. Ac etiam revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia, facultates, dispensationes et indulta obtinendi et transferendi similes pensiones, fructus et alias res ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum, saecularium et regularium S. Iacobi de Spatha, de Calatrava, de Alcantara, Iesu Christi et S. Stephani caeterisque militiis, necnon S. Lazari Hierosolymitani ac omnibus et singulis aliis hospitalibus eorumque militibus, fratribus et personis, tam clericis quam coniugatis,

etiam modo et forma praedictis et ex eisdem ac quibuscumque aliis fortioribus causis concessa, approbata et etiam a nobis moderata et restituta. Ita quod ipsi, sive coniugati sive bigami sive clerici sive etiam presbyteri, nullas de cetero recipiant, sed eas solas, quas nunc habent, sine facultate ipsas transferendi, retineant, et eæ quoque per futurum contractum matrimonii extinctae censeantur.

Declaratio privatae dispensationis, militibus concessæ in praedictis.

§ 4. Omnes vero privatas dispensationes et gratias habendi et retinendi pensiones, fructus et alias res ecclesiasticas, militibus et fratribus quibuscumque militiarum et hospitalium praedictorum, tam a nobis quam a praedecessoribus nostris et dicta Sede hucusque singulatim concessas ita moderamur et restringimus ut, illarum vigore, soli milites et fratres non coniugati nec bigami novas deinceps pensiones aut fructus aliasque res ecclesiasticas recipiant, et in caelibatu viventes illas et alias iam receptas dumtaxat percipiant. Alii vero, etiam cum unica et virgine coniugati, si rursus matrimonium contraxerint, eas omnes, quas nunc habent, per huiusmodi contractum amittant, nec illae ipsis ulterius debeantur, simili facultate transferendi tam antiquas quam futuras pensiones, fructus et res huiusmodi omnibus praedictis, etiam non coniugatis, ex nunc penitus interdicta et suppressa. Sed nec ulli milites aut fratres, etiam simplices clerici vel presbyteri, praetextu huiusmodi dispensationum et gratiarum, aliqua simplicia aut alia beneficia ecclesiastica sæcularia, aut aliorum Ordinum regularia, etiam nullum omnino onus aut servitium habentia, ut praestimonia deinceps recipere et retinere possint.

Revocatio facultatum militiarum concedendi expectativas, et reservationes ad beneficia, et uniendi, incorporandi vel supprimendi beneficia.

§ 5. Ad haec, quoque revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia, facultates, licentias et indulta, magistris et conventibus aliisque personis et locis militiarum et hospitalium praedictorum eorumque personis, etiam ut praedictum est, concessa, confirmata, extensa et moderata, concedendi expectativas, reservationes et alias gratias praeventivas ad prioratus, praeceptorias, hospitalia et alia beneficia et officia militiarum et hospitalium praedictorum. Itemque, uniendi et incorporandi perpetuo vel ad tempus, et supprimendi beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, etiam de iurepatronatu laicorum ex fundatione et dotatione existentia, ac etiam nullum penitus servitium aut ordinem annexum, seu aliud onus qualecumque habentia, etiam ruinosa et deserta, ac etiam sponte a patronis oblata vel donata, illorumque fructus, res et proprietates applicandi et appropriandi militiis et hospitalibus supradictis, seu beneficia ipsa in monasteria, prioratus, praeceptorias, beneficia, hospitalia et alia loca militiarum et hospitalium eorumdem erigendi et instituendi, ac alias commutandi et reformandi.

Revocatio expectativarum et unionum et suppressionum, quæ plenarium effectum sortitae non sunt.

§ 6. Ac etiam omnes et singulas expectativas, reservationes et alias gratias praeventivas, speciales et generales, necnon uniones, annexiones et incorporationes perpetuas et temporales, suppressiones, applicationes, appropriationes et alias dispositiones huiusmodi beneficiorum et fructuum, per magistros, conventus et alios praedictos hucusque factas et concessas, ac etiam dicta apostolica auctoritate et ex certa scientia confirmatas, quae plenarium nondum sunt suum sortitae effectum.

Revocatio facultatum testandi et disponendi de bonis ecclesiast. vel fructibus, necnon testamentorum quae hucusque non habuerunt effectum.

§ 7. Praeterea omnes et quascumque licentias et facultates testandi, et alias quomodocumque disponendi, etiam ad certam et quantumvis modicam summam et quantitatem, de rebus, fructibus et bonis immobilibus, mobilibus et se moventibus, ad magistros, priores, praeceptores, milites, fratres et personas militiarum et

hospitalium prædictorum, ratione illorum, necnon praeceptoriarum, hospitalium et beneficiorum ecclesiasticorum, etiam saecularium, et aliorum Ordinum regularium, ac pensionum et fructuum quorumcumque, provenientibus; necnon facta hucusque, non tamen effectum sortita, vigore licentiarum et facultatum praedictarum, testamenta et alias dispositiones huiusmodi, etiam si per easdem licentias et facultates disponatur quod dimidia vel alia pars rerum et bonorum praedictorum militiis, hospitalibus, domibus et locis, unde illa provenerint, aut aliis piis locis relinquantur. Decernentes omnes et singulas reservationes, assignationes, translationes, uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, applicationes, appropriationes, testamenta, donationes et alias dispositiones quascumque, quas, prætextu privilegiorum, facultatum, dispensationum et indultorum praedictorum sic revocatorum, ac contra præsentium tenorem, per quoscumque, etiam dicta apostolica auctoritate fieri, vel factas persequi contigerit, tamquam subreptas et extortas, nullius prorsus roboris et momenti esse, nec per eas ius, titulum, etiam coloratum, cuiquam acquiri; nec quemquam, quocumque tempore quavisque causa, restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris, aut quodvis aliud gratiae remedium impetrare, aut etiam ab alio vel aliis impetratis aut motu simili concessis uti.

Clausulae praeservativae.

§ 8. Nec praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari vel impugnari; nec sub ullis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus similium vel dissimilium revocationum et ordinationum ab ipsa Sede quandocumque emanandis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validum statum restitutas et plenarie reintegratas esse et censeri.

Decretum irritans.

§ 9. Sicque, in iis ac omnibus et singulis aliis supradictis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter interpretandi et iudicandi facultate et auctoritate, ubique interpretari, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quidquid secus per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Volumus autem similium privilegiorum, dispensationum, facultatum et indultorum concessionem nostris explodi temporibus; et quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus.

Clausulae derogatoriae.

§ 10. Non obstantibus praemissis, et nostris de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac collegiorum, officiorum, militiarum, hospitalium, conventuum, necnon S. Benedicti Cisterciensis, S. Augustini et aliorum Ordinum et Regularum, quorum militia et hospitalia praedicta sunt, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis quantocumque tempore observatis; necnon fundationibus eorumdem, aliis quoque privilegiis, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis illis omnibus, ipsarumque militiarum et hospitalium magistris, conventibus, prioribus, præceptoribus, militibus, fratribus et personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et praedictam Sedem, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus seu quasi, necnon motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam imperatoris, regum, ducum aliorumque

principum sanctaeque Romanae Ecclesiae cardinalium, ac de eorum consilio et assensu, etiam consistorialiter habito, tam pro militiarum, hospitalium et Regularum huiusmodi restitutione et ampliatione, quam alias quomodocumque, ac quibuscumque tenoribus et formis, necnon cum quibusvis restitutivis, reservativis, annullativis, derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis quotiescumque concessis, confirmatis et etiam iteratis vicibus extensis et moderatis, etiam si in eis ac statutis, stabilimentis et fundatione praedictis caveatur expresse quod numquam praedicta revocata vel moderata aut immutata intelligantur, nec illis, in toto vel in parte, derogatum censeatur per quascumque litteras, etiam derogatoriarum derogatorias ac alias fortiores et efficaciores clausulas in se continentes, nisi dum et quoties de illorum ac etiam certarum specialium litterarum apostolicarum inde confectarum vere, non autem per clausulas generales vel speciales idem importantes, inserto tenore, ac de simili cardinalium consilio, et semper in huiusmodi, quae sic fierent, de consilio praedicto derogationibus et aliis dispositionibus censeretur apposita clausula, quod tunc demum, nec aliter nec alio modo effectum sortiantur, cum magistrorum et conventuum praedictorum ad id accedat assensus; quodque derogationes et aliae dispositiones huiusmodi aliter effectum non habeant, nisi huiusmodi derogationes et aliae dispositiones consistorialiter factae, et per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus distinctis vicibus, magistris et conventibus praedictis fuerint intimatae, eorumque pariter ad id expressus accedat assensus; aliter vero factae viribus et effectu omnino careant, ac magistri et conventus praedicti ad parendum illis et decretis desuper processibus eorumque executoribus et subexecutoribus ac ipsorum mandatis et monitionibus minime teneantur, sed litterarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec, ratione resistentiæ, censuris ecclesiasticis per ipsos executores vel subexecutores latis innodari possint. Quibus omnibus, etiam si alias de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, harum serie specialiter et expresse derogamus; et, quatenus effectum praesentium quoquomodo impedire vel retardare vel illis obesse possent, omnino tollimus et abrogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicandi hanc constitutionem.

§ 11. Ut autem praesentes litterae omnibus plenius innotescant, mandamus illas in basilica Principis apostolorum de Urbe et in Cancellaria Apostolica necnon in acie Campi Florae publicari, earumque exempla de more affigi, et in dictae Cancellariae libro, quinterno nuncupato, describi.

Fides exemplorum.

§ 12. Volumusque et decernimus ipsarum præsentium exempla, etiam impressa, manuque notarii publici et sigillo praelati ecclesiastici aut illius curiae obsignata eamdem illam ubique locorum fidem faciant, quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, quinto idus septembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 sept. 1568, pont. an. III.

CXIII.

Confirmatio statutorum collegii Dertusensis Ordinis Praedicatorum in Hispania [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

In apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus, divina dispositione vocati, ad ea aciem nostrae meditationis reflectimus per quae christianae religionis doctrina ita radicitus plantetur, debitusque christiane vivendi modus ita observetur, ut nulla prorsus tenebrarum ignorantiae caligo ante christifidelium novitiorum ad fidem catholicam conversorum oculis obversetur, et his, quae pro illorum salubri directione ordinata fuisse dicuntur, quo firmiori gradu subsistant, praesertim cum id a nobis per catholicos reges expetitur, apostolici muniminis praesidium adhibemus.

Rex catholicus hoc collegium pro erudiendis nooconversis erexerat et dotaverat;

§ 1. Sane exhibita nobis nuper, pro parte carissimi in Christo filii nostri Philippi, Hispanarium regis catholici, petitio continebat quod alias, postquam clarae memoriae Carolus V, Romanorum imperator et dictarum Hispaniarum rex ac ipsius Philippi Regis genitor, negotium perfidorum Agarenorum, atque nonnullorum incolarum in regnis Aragonum et Valentiae ac principatu Cataloniae, sub spe caelestis auxilii, ferventer et pie prosequens, ut qui ad sacram undam baptismatis accesserant, veterem hominem omnino exuerent, priorisque illorum victus reliquias nullas retinerent, ne propter raritatem magistrorum minime se possent excusare, aliisque forsan de causis, quoddam collegium novorum conversorum in civitate Dertusae, iuxta aliud collegium religiosorum Ordinis Praedicatorum Sancti Dominici a fundamentis erigere, quod etiam reparari, augeri ac perfici, et ut novorum conversorum quingentos ducatos auri, religiosorum vero collegia huiusmodi etiam trecentos ducatos similes annuatim, ex certis annuis redditibus perciperent, a Sede Apostolica deputari instituerat. Et deinde ipse Philippus rex, dicti Caroli imperatoris et regis vestigia sequens, dictum collegium novorum conversorum, ad laudem atque honorem Dei, sub nomine et invocatione beatorum Apostolorum Iacobi et Matthiae, et Sanctorum Georgii et Dominici, ad praedictos novorum conversorum pueros instruendos, educandos et docendos, tam in doctrina christiana, quam in legendo grammaticam, logicam et sacram theologiam, iuxta dictum collegium Sancti Dominici, fundari et erigi, ac quoad fabricam uniri decreverat, ac quoad illud fundatum et erectum, ac aedificium uniendum, et alterum collegia Sancti Dominici huiusmodi reparandum, augendum et perficiendum, tantum ambitus terrae, quantum foret necessarium intus in civitate praedicta per venerabilem fratrem nostrum Hieronymum episcopum Dertusensem, tunc in minoribus constitutum, ac certas alias ad id tunc electas et nominatas personas, collegium novorum conversorum fundandi, erigendi et aedificandi opusque praedictum faciendi et complendi facultatem concesserat, et collegio quam primum erecto et fundato episcopum Dertusensem ac praefati collegii Sancti Dominici rectorem, qui tunc essent et pro tempore forent, in administratores dicti collegii novorum conversorum deputaverat et nominaverat, quamplurimasque facultates super recipiendis, erudiendis et alendis pueris, eorumque numero, et praeceptoris seu administratoris vel maioris domus aliorumque ministrorum electione et assumptione concesserat, et dicto collegio novorum conversorum dictos quingentos ducatos annuos, primo pro fabrica

[1] Ex Bull. Ord. Praed. tom. v, pag. 201.

dicti collegii et illius perfectione, et deinde pro sustentatione puerorum novorum conversorum huiusmodi, quolibet anno maiori domus collegii novorum conversorum huiusmodi dari et solvi ac per eum, expendi et distribui; trecentum vero ducatos praedictos deservire et esse pro dicto collegio Sancti Dominici, sive illorum oeconomo et procuratori consignari, et insuper rectorem et fratres collegiales quotidie unam missam aliaque expressa celebrare, decantare et facere, ac episcopum Dertusensem praefatum eiusque officialem, si quando illum ad visitandum generaliter vel specialiter parochias dictorum novorum conversorum in dicta parochia [1] existentes ire contingeret, tot fratres idoneos ad praedicandum in parochialibus locorum et oppidorum dictae dioecesis, qui, ubi episcopus et eius officiales praefati praesentes seu eorum alter praesens foret, praedicare tenerentur, secum ducere et tenere, unumque regium fratrum Ss. Dominici et Georgii, et alterum Beatorum Apostolorum Matthiae et Iacobi novorum conversorum collegia nominari debere, aliaque voluerat, mandaverat et ordinaverat. Ac successive collegium novorum conversorum huiusmodi fundatum, et fundatio illiusque dotatio, concessio, voluntas, mandatum et ordinatum, confirmatio, statutaque et ordinationes desuper edendi et edita mutandi ac alterandi, aliaque de novo faciendi facultas concessa, dicta apostolica auctoritate, fuerat.

Statuta pro collegii eiusdem regimine fieri iusserat;

§ 2. Deinde vero idem Philippus rex, erecto iam dicto collegio novorum conversorum, et aliquibus ex illorum novorum conversorum natis ad illud adductis, ut facilius in fide catholica praefata instruerentur, et illi ac alii, qui futuris temporibus dictum collegium novorum conversorum ingrederentur, debitum vivendi modum observarent, quaedam capitula, optimam illius gubernationem concernentia, fieri iussit, utque qualibet die in ecclesia una missa, submissa voce, per magistrum collegialium nostrorum [1] conversorum huiusmodi aut alium religiosum collegii fratrum, pro rege catholico, in qua fiant speciales collectae pro ipsius regis persona et illius regni dominiis, consilio et exercitu, et pro animabus bonae memoriae regum Aragonum defunctorum, celebretur, quodque omnes collegiales audiant missam, nisi fuerint in infirmitate aut aliquo iusto impedimento detenti, et, finita missa, cantent *Salve, Regina*, aut *Gaudia Beatae Mariae Virginis*, et presbyter recitet orationes has, videlicet: *Concede nos famulos tuos*, etc.; *Quaesumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus Rex noster*, etc. etc.; *Deus virtutum, cuius est totum*, etc. Quod quilibet ex dictis collegialibus quolibet die dicat ad minus officium Beatae Mariae Virginis et Rosarium aut Psalterium; presbyteri qualibet hebdomada duas missas, ad minus, cum supradictis collectis pro regia maiestate in ecclesia fratrum dicant; omnesque collegiales, diebus dominicis et festivis, quibus verbum Dei a praedicatoribus annunciabitur, ad ecclesiam Dertusensem, seu collegium fratrum, cum rectore aut illorum magistro, processionaliter ad audiendum maiorem et decantatam missam et praedicationem accedant, et eodem modo revertantur, et idem faciant ad audiendum sermones quotidianos quadragesimae. Quodque quolibet mense semel eorum peccata confiteri, atque etiam diebus festivitatis Nativitatis et Paschatum Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, Pentecostes et Assumptionis Beatae Mariae Virginis et dictorum sanctorum, confessori aut confessoribus deputando aut deputandis, alias tamen de approbatis ab ordinario, per rectorem collegii fratrum; et dictis diebus et festivitatibus, qui fuerint constituti in aetate et discretione, ad in-

(1) Legimus *dioecesi* (R. T.).

(1) *Novorum*, Ripoll (R. T.).

dicium sui confessoris, sanctum Eucharistiae sacramentum recipere; quodque rector collegii novorum conversorum aut fratrum, collegialibus sacramenta S. R. E., tam tempore sanitatis quam infirmitatis, illis administrare, et defunctos in ecclesia aut claustro fratrum sepelire teneantur. Quodque collegialibus novorum conversorum dentur praeceptores habiles et idonei per rectorem et collegium fratrum, iuxta formam privilegii fundationis, ad instruendum illos in ipsa doctrina christiana, et eorum peccata confitendum, docendum, legendum, scribendum, etiam grammaticam; et si praefati praeceptores dati per dictos rectores et collegium fratrum non placeant rectori collegii novorum conversorum, tali casu episcopus Dertusensis una cum dicto rectore collegii novorum conversorum provideat, prout eis utile videbitur. Quodque collegiales idonei et habiles ad audiendum artes et sacram theologiam, prius examinati per rectores amborum collegiorum et regentem ac rectores collegii fratrum, si fuerint habiles reperti, transeant ad audiendum lectiones artium, theologiae et sacrae Scripturae, et intersint circulis, repetitionibus, conclusionibus et aliis exercitiis ecclesiasticis, sine aliquo impedimento, eorum collegio, prout in privilegio fundationis ordinatum extitit; et quod collegiales, qui tam idoneos profecerint, ut mereantur gradum in artibus et theologia, praevio examine praedictorum examinatorum, in dicto collegio fratrum gradus, eodem modo prout fratres dicti collegii fratrum et provinciae suscipere consueverunt, nihil pro dictis gradibus soluto, sed gratis in totum suscipere, et privilegiis doctorum Universitatum regnorum Hispaniae uti et frui possint. Quodque collegiales eligantur et recipiantur per episcopum Dertusensem et rectorem amborum collegiorum, et, uno ex illis deficiente, duo eligere possint illos, qui sunt oriundi ex locis Dertusensis dioecesis, videlicet illos, qui maiorem necessitatem habuerint inter loca in quibus habitant novi conversi, et eligendi non sint minoris aetatis octo, et maiores quam quatuor et decem annorum ad plus; et ipse episcopus et rectores possint expellere a collegio illos, qui fuerint inobedientes aut incorrigibiles, notabilis incorrigibilitatis, aut conversationis infamis vel fraudolosae, reservata facultate existenti regi catholico ponendi et expellendi collegiales eisdem modo et forma contentis in privilegiis fundationis; quod omnes collegiales comedant in refectorio, et faciant suam benedictionem et gratias tamquam religiosi in cappella collegii; quod comedant panem, et bibant vinum; quodque dictis collegialibus honeste, pro victu et aliis rebus necessariis, tam tempore sanitatis quam infirmitatis, de medico etiam, chirurgo et omnibus medicamentis et aliis rebus, quae ordinata fuerint, provideatur; quod curabuntur in infirmaria et non in cameris; quodque dictis collegialibus de libris, papyro et atramento et aliis rebus eorum studiis necessariis, deque vestitu et calceamentis honeste in parte interiori provideatur, et quod vestes aut pallia collegialium extra deferenda, sint panni grisi, et caputia aut insignia coloris crocei, et pilei nigri rotundi, prout deferunt presbyteri, quibus vestimentis induti incedant, quando exiverint a collegio per civitatem ipsam, tam ad audiendum missas quam sermones, et ad collegium fratrum et ad conclusiones et ad missas, vesperas et festa, quae pro rege celebrabuntur, pro quibus ad collegium fratrum aut extra illud ire opus fuerit, argumentari, illi videlicet, qui habiles fuerint; quod collegiales possint de collegio exire, et ad plateam eorum collegii, et bis aut ter, quolibet mense, omnes insimul cum rectore accedere ad campum,

sed non possint ire ad flumen ad se lavandum, neque ad natandum, neque permanere in illo; et quod non possint ingredi in Villa Nova, neque in domo civitatis, neque in hortis Novi Christiani. Quod in collegio sit unus liber, in quo scribantur nomina et cognomina collegialium, qui in ipso collegio intrabunt, et nomina eorum parentum, et loca in quibus fuerunt nati et baptizati, et nomen rectoris et vicarii qui illos in sacro fonte tenuerunt ad baptizandum, dies, mensis et domus eorum in quibus baptizati fuerunt, de quibus omnibus afferant litteras testimoniales ab eorum rectore aut illius vicario seu cappellano, et consignent illas rectori collegii, et describantur in libro dicto, quando in dicto collegio intrabunt, ut appareat fuisse baptizatos, qui liber deponatur in deposito aut archivio collegii; quod quilibet collegialis habeat suam cameram, nisi rector dispensaverit cum parvulis, et nullus, etiamsi fuerit collegialis, non possit intrare in cameras aliorum, neque cum illis dormire, sine particulari licentia ipsius rectoris. Quodque collegiales aliquibus vicibus possint loqui cum eorum parentibus et fratribus, qui ad eos visitandos accesserint, in praesentia rectoris aut praeceptoris, dummodo non loquantur Arabica aut Moresca lingua, neque dicta lingua in collegio loqui permittatur, neque habere libros in Arabica, immo rector quolibet mense visitabit cameras, revidebit libros, si sint catholici. Quod rex deputet per se ipsum rectorem in collegio novorum conversorum, dando ipsi potestatem corrigendi, puniendi, emendandi secundum qualitatem delictorum collegialium, et non est opus quod sit in dicto collegio officium oeconomi, ex quo rector poterit facere omnia quae faceret oeconomus; quod episcopus Dertusensis et rector fratrum possint nominare rectorem in collegio novorum conversorum; et quod ille qui fuerit nominatus detur illi per provincialem Aragoniae Ordinis S. Dominici, sine aliqua contradictione; et quod, ratione scandali, vel quia malum computum reddiderit, praefati possint illum revocare et alium in illius locum sufficere. Et quod rex mandet fieri visitationem tempore quo sibi videbitur; quod rector, qui debet vivere et permanere cum collegialibus, et illos regere et gubernare, recuperabit et dispensabit redditus collegii, et reddat rationem et computum illorum, et eidem rectori detur salarium viginti quinque librarum aut scutorum quolibet anno pro vestitu suo, libris et aliis rebus necessariis, quae ab eo auferri non possint; quod rector possit deponere et amovere medicos, chirurgos et alios officiales, et aliis deputare salaria, prout sibi, pro utilitate collegii, videbitur; quod rector obligatus sit facere omnia quae per privilegium fundationis ordinata existunt, et ad recuperandum ab ipsis pensiones infra tempus statutum in litteris pensionis, et si non solverint, procedat contra eos ad sententias, censuras et poenas in litteris apostolicis super pensionibus praefatis confectis contentas, et si infra mensem, elapso tempore solutionis, non fecerit diligentiam superius dictam, amittat pro illo anno salarium; et similiter recuperabit a quibusvis personis annua debita, quae dicto collegio debebuntur. Quod rector teneatur reddere, singulo quadrimestri, computum illorum quae receperit, ad collegium pertinentium, et quae pro dicto collegio exposuerit, episcopo Dertusensi et rectori collegii fratrum, et in fine quadrimestris cuiuslibet anni fiat illi quietantia et liberatio per dictos episcopum et rectorem collegii fratrum, et ea, quae supererint, ponantur in loco depositi aut capsa, ubi custodiuntur bullae, privilegia et aliae scripturae collegii, et ibi custodiantur ad emendum, suo tempore, red-

ditus in loco tuto per episcopum et rectores amborum collegiorum; quodque claves istius depositi habeant duo rectores; quod rector teneatur, quolibet anno, cum rectore aut rectoribus collegii fratrum examinare collegiales et videre quem fructum fecerint, et illi, qui fuerint habiles ad discendas litteras, permanebunt in collegio, et illi, ex quibus nulla fuerit spes illos posse litteras discere, cum consilio episcopi et rectorum, prout supra dictum est, rector collegii novorum conversorum ponat illos ad discendum officia mechanica, iuxta cuiuslibet ipsorum inclinationem, cum christianis antiquis: quod in collegio non possint permanere nisi usque ad aetatem viginti quatuor annorum completorum, et si fuerint habiles ad ordines sacros presbyteratus aut graduati, dicto tempore elapso, si fuerint habiles, et examinati in litteratura, moribus, et per episcopum approbati, mittantur ad eorum loca ad praedicandum aliis novis conversis, et provideatur illis de beneficiis, ut ad ordines promoveri, et unde vivere et se sustentare valeant. Quod rex procurabit quod pro tempore existens Romanus Pontifex, sub censuris et poenis, mandet et praecipiat omnibus superioribus quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, ut recipere debeant et teneantur dictos collegiales ad habitum et professionem illorum Ordinum, si in illis non fuerint impedimenta de iure requisita. Quod nullus, cuiuscumque status et conditionis fuerit, possit hospitari aut dormire in collegio, neque rector aut alius desuper possit dispensare, nisi cum licentia suae maiestatis. Quod collegiales non possint exire a domo sine licentia rectoris, qua habita, incedant bini et bini cum suis vestibus. Quod nulla foemina possit ingredi neque habitare in dicto collegio, nisi illa, quae gubernat pueros et administrat illis necessaria in eorum infirmitatibus, quae sit mulier senex et honesta et bonae reputationis et famae, et non possit in collegio dormire, nisi in casu, quo aliquis collegialis fuerit constitutus in periculo mortis, excepto tamen quando aliquae duae principales aut forenses voluerint videre collegium, et tunc cum speciali licentia rectoris. Quod Maiestas Sua, tamquam fundator et patronus dicti collegii, et habens potestatem et confirmationem a Sede Apostolica, prout constat per dictas litteras apostolicas erectionis et fundationis, possit semper, quandocumque sibi visum fuerit, condere nova statuta, et edere et mutare ea quae sibi visa fuerint, et ponere et amovere rectores et alios officiales in dicto collegio. Quod collegium et collegiales uti, frui et gaudere possint immunitatibus et privilegiis, quae habent alia collegia regnorum Hispaniarum, et quibus dicta collegia utuntur, potiuntur et gaudent, et in specie Ordinis Praedicatorum huiusmodi statutis non repugnantibus, et admittantur tamquam fratres dicti Ordinis ad omnia bona spiritualia, quae in eo fuerint, tam in vita quam in morte, ac alia statuta, quae fuere condita et ordinata, prout in litteris apostolicis et super statutis huiusmodi in instrumentis desuper confectis plenius continetur.

Eadem statuta a Pontifice confirmari petit.

§ 3. Quare, pro parte eiusdem Philippi regis, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus litteris ac statutis huiusmodi, pro illorum firmiori subsistentia robur apostolicae confirmationis adiicere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Quod concedit Pius;

§ 4. Nos igitur, qui collegii huiusmodi salubrem directionem prosperumque statum, praesertim dum catholicorum regum vota id exposcunt, sincero desideramus affectu, ipsum Philippum regem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine,

quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes: necnon litterarum et statutorum et instrumenti seu instrumentorum huiusmodi omnium et singulorum ac quarumcumque scripturarum desuper confectarum et inde secutorum tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras et statuta ac instrumentum seu instrumenta et scripturas praedicta ac omnia et singula in eis contenta et inde secuta quaecumque, licita et honesta, apostolica auctoritate praedicta, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus; necnon approbationem, confirmationem, adiectionem, suppletionem praesentesque litteras de surreptionis vel obreptionis aut nullitatis aliove vitio seu intentionis nostrae defectu notari, argui vel impugnari non posse, sed illas validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et ad illorum observationem pueros, maiorem domus, ministros et alias dictorum collegiorum personas praefatas, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis aliisque opportunis iuris remediis, toties quoties contravenerint incurrendis, cogi et compelli posse.

Sicque praecipit servari;

§ 5. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate, iudicari, definiri et interpretari debere, ac ex nunc quicquid secus a quoquam superiore, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus quibusvis apostolicis, necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum approbationis et confirmationis, adiectionis, suppletionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, nono kalendas octobris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 23 sept. 1568, pontif. an. III.

CXIV.

De dignitatibus et praebendis ecclesiarum insulae Sardiniae aliis ecclesiis unitarum, earumque suppressione, et parochialium ad primaevum statum reductione, ac vicariorum in parochialibus quae sunt annexae dignitatibus etc. deputatione.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa constitutionis.

Quantum animarum cura ceteras omnes superat et excellit, tanto nos impensius providere necesse est ut id officii genus, omni ubique adhibita industria, excolatur. Ex multis enim offensionibus, quae ad nostram quotidie notitiam perfe-

runtur, illam quoque gravissimam intelligimus, quod canonici et alii habentes dignitates, personatus et officia earum insulae Sardiniae ecclesiarum, quas, partim rerum inopia depressas, partim etiam aeris inclementia desertas, iampridem Apostolica Sedes proximis metropolitanis et aliis cathedralibus ecclesiis providenter adiunxit, quamquam personali in ipsis obsequio soluti, residentiam detrectant atque refugiunt, apud parochiales ecclesias, quae sunt vel in praebendas suorum huiusmodi canonicatuum institutae vel praedictis dignitatibus, beneficiis et officiis applicatae, nullum habentes perpetuum vicarium vel alium proprium sacerdotem, qui curam exerceat animarum. Rursus multae parochiales ecclesiæ, sive pro præbendis habitæ, sive dignitatibus, beneficiis et officiis non unitarum nec suppressarum ecclesiarum incorporatae reperiuntur, quae sunt huiusmodi vicariorum solatio destitutae.

Extinctio beneficiorum ecclesiasticorum insulae Sardiniae, aliis unitorum vel suppressorum, quae habent parochiales uti praebendas.

§ 1. Nos, adversus periculosam hanc negligentiam volentes iuris prosecutione cavere, de nobis attributae potestatis plenitudine, extinguimus et abolemus omnes dignitates, etiam maiores et principales, necnon canonicatus, praebendas, personatus, administrationes, officia ceteraque beneficia omnium et singularum dictae insulae ecclesiarum aliis unitarum vel etiam suppressarum, quae parochiales ecclesias habent uti praebendas vel alias annexas, ubi non est vicaria perpetua constituta.

Reductio parochialium ad primaevum statum etc.

§ 2. Ipsas vero parochiales ecclesias ad primaevum statum simplicem et liberum revocamus, ita ut in earum collatione, dehinc ab ordinariis locorum facienda, concilii Tridentini forma, quae de parochialibus ecclesiis super hoc praescripta est, omnino debeat observari. Statuentes ut quicumque dignitates, canonicatus, praebendas, beneficia et officia praedicta sic extincta, etiam plura ex diversis huiusmodi ecclesiis ex dispensatione apostolica aut alias obtinebant, ex quo iam amplius non sunt, nullum in dictis principalibus ecclesiis locum habere contendant; sed singulas praedictas parochiales ecclesias, ut simplices earum rectores, retinentes, debeant ibi praesentes perpetuo residere, ac debita parochialia officia per se ipsos, ut congruit, exercere: nec ulli omnino id effugere, aut consuetudine immemorabili aliave praetensa iuris cautione defendi possint, etiam si eam curam ad solos episcopos obiiciant pertinere; sed eos qui, canonica monitione praemissa, in dictis parochialibus ecclesiis praesentes residere neglexerint, censuris et poenis omnibus contra non residentes, tam a dicto concilio, quam etiam nostris et aliis canonicis sanctionibus impositis, volumus subiacere. Verum, si de pluribus etiam diversarum dioecesum parochialibus unica dumtaxat praebenda constiterit, aut unio de illis uni tantum dignitati, beneficio vel officio sic suppresso facta fuerit, singuli possessores, etiam qui plura ex suppressis praefatis obtinebant, ut praefertur, in una parochiali ecclesia dumtaxat perpetuo residentes, quam intra sex menses post publicationem praesentium eligere debeant, si censuras et poenas praedictas effugere voluerint, poterunt, vita eis comite, in ceteris omnibus tolerari, dummodo reliquis vicarii idonei ab ordinariis locorum cum debito stipendio assignentur. Illis vero cedentibus vel decedentibus, singuli rectores in singulis ordinentur, nisi forte loci propinquitas, rerum angustia aliave legitima causa connexionem patiatur.

Deputatio vicariorum in parochialibus, quae sunt annexae dignitatibus etc.

§ 3. Porro ecclesiis parochialibus vel in praebendas canonicatuum erectis, vel dignitatibus, officiis et beneficiis non unitarum nec suppressarum metropolitanarum, cathedralium et aliarum dictae in-

sulae ecclesiarum perpetuo annexis, in quibus nullae sunt vicariae hucusque perpetuae institutae, quoniam canonici et alii dignitates, officia et beneficia huiusmodi obtinentes, in ipsis metropolitanis, cathedralibus et aliis ecclesiis deservire tenentur, praedicti ordinarii locorum illas quamprimum ordinare, vel alias providere debeant, quemadmodum in generalibus et praedicto Tridentino conciliis dignoscitur ordinatum, portione fructuum, etiam super certa re assignanda, ac per vicarios propria auctoritate percipienda, quae tamen centum annue non transcendat, inferior vero quam quinquaginta scutorum esse possit, quando sine notabili principalis incommodo nequeat esse pluris, et ea sit annonae vilitas, ut sacerdos queat ex minori commodo substentari.

Executorum deputatio et facultates.

§ 4. Praecipimus igitur universis et singulis archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis per dictam insulam constitutis, in virtute sanctae obedientiae, ut praedicta omnia et singula in suis quisque civitatibus, dioecesibus et locis quamprimum exequantur, et inviolate faciant ab omnibus observari; contradictores quoslibet et rebelles per praedictas et alias, quas viderint ipsi, censuras et poenas ceteraque remedia opportuna, appellatione quacumque postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praedictis, et nostris de non tollendo iure quaesito, ac de vicariis huiusmodi aliter instituendis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon ecclesiarum, in quibus canonicatus et praebendae ac dignitates, beneficia et officia praedicta consistunt, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque; seu quod aliquibus communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut contra huiusmodi statuta et consuetudines ac privilegia eis concessa, ad residentiam et alia praedicta compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de statutis et consuetudinibus, necnon ecclesiarum, locorum et personarum huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostol., generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia contra praedicta nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Quin etiam ex nunc irritum decernimus et inane quicquid secus per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Iussio publicandi.

§ 6. Ceterum mandamus easdem praesentes ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae publicari; earumque exempla de more applicari, volumusque et apostolica auctoritate decernimus quod litterae ipsae sic publicatae omnes et singulos absentes et ubique extra dictam insulam degentes, ac etiam monitiones, citationes et inhibitiones per quemcumque ordinarium, edicto publico valvis suae cathedralis ecclesiae affigendo, vigore praesentium faciendae, monitos, citatos et inhibitos perinde arctent ac si eis personaliter factae fuissent.

Transumptorum fides.

§ 7. Quia vero difficile et incommodum valde esset easdem praesentes ad singula loca, ubi illis opus fuerit, transferre, similiter volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manuque notarii publici et sigillo praelati ecclesiastici

vel eius curiae obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, kalendis octobris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 1 octobris 1568, pontif. anno III.

CXV.

Innovatio constitutionis Pauli IV contra negantes Trinitatem, aut divinitatem Iesu Christi, vel Eius conceptionem de Spiritu Sancto, aut Eius mortem, ut nos redimeret, aut virginitatem Beatae Mariae Virginis [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Romanus Pontifex, Christi vicarius in terris, nonnunquam ea, quae pro unitate fidei a ceteris Romanis Pontificibus praedecessoribus suis decreta et sancita sunt, ut illibata firmaque perpetuo subsistant, non solum approbat et confirmat, verum etiam innovat, prout in Domino id salubriter conspicit expedire.

Tenorem constitutionis Pauli IV recenset;

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Paulus Papa IV, praedecessor noster, zelo fidei motus, contra negantes Trinitatem, aut divinitatem Domini nostri Iesu Christi, aut Eius conceptionem de Spiritu Sancto, aut Eius mortem, ut nos redimeret, aut virginitatem Beatae Mariae, cupiens, pro suo pastorali officio, a tam gravi errore huiusmodi homines avocare, ceterosque, ne in talem impietatem laberentur, admonere, nonnullas litteras desuper edidit tenoris infrascripti: videlicet,

1 Vide constitutionem V Pauli IV, quae incipit *Cum quorumdam*, tom. VI, pag. 500.

Paulus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cum quorumdam hominum *etc.* [1].

Eam confirmans ab omnibus observari praecipit.

§ 2. Nos igitur, cupientes ut sanctio, constitutio et ordinatio huiusmodi perpetuis futuris temporibus observetur, motu proprio et ex certa nostra scientia, et non ad alicuius alterius nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex mera nostra deliberatione, sanctionem, constitutionem et ordinationem huiusmodi, et prout illa concernunt, omnia et singula in dicti praedecessoris litteris contenta, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et innovamus, ac robur perpetuae firmitatis sub eisdem poenis obtinere decernimus ac volumus, et sub interminatione divini iudicii praecipimus et mandamus ea omnia imposterum firmiter ab omnibus christifidelibus ubique locorum observari.

Feudorum dominos, ut eiusdem observantiae studeant, hortatur;

§ 3. Mandantes omnibus principibus, comitibus et baronibus sanctae Romanae Ecclesiae feudatariis, sub poena indignationis nostrae, reliquos vero et quorumvis locorum dominos christianos hortamur in Domino, et in virtute sanctae obedientiae mandamus ut, pro divini nominis reverentia et honore, praemissa omnia in suis dominiis et terris exactissime servare faciant, uberrimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi.

Praelatis vero ut eam publicent in suis dioecesib. mandat, sub censurarum ecclesiastic. poena;

§ 4. Ac universis venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, in virtute sanctae obedientiae, sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis aeternae, quatenus in civitatibus et dioecesibus propriis praesentes nostras litteras publicari faciant, et praemissa observari, etiam sub poenis et censuris ecclesiasticis, procurent.

1 Omittitur reliquum bullae Pauli IV, quia habetur loco indicato in nota ad rubricam.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac exemptionibus, privilegiis, indultis, facultatibus et litteris apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit;

§ 6. Volumus autem quod per hoc nullo modo publicationibus litterarum praedictarum iam factis derogetur, aut praeiudicium aliquod inferatur aut illatum esse intelligatur, quominus omnes illos, quos afficiebant, arctabant et comprehendebant, non afficiant, arctent, comprehendant ac ligent.

Per praesentes litteras publicationibus dictæ constitut. nullum inferri præiudicium declarat;

§ 7. Ac quod praesentes de more in Cancellaria nostra Apostolica et acie Campi Florae de more publicentur, et inter constitutiones perpetuo valituras describantur.

Praesentes publicari iubet.

§ 8. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici *etc.*

Transumptorum fides.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, halendis octobris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 1 octob. 1568, pontif. anno III.

CXVI.

Decretum concilii Tridentini de clericorum saecularium ad sacros ordines promotione extenditur ad clericos regulares sive saeculares, more religiosorum, in communi viventes.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex, sacrorum conciliorum auctor et interpres, illa quae in huiusmodi conciliis a prudentibus patribus, in Spiritu Sancto legitime congregatis, salubriter sancita sunt, pro sui pastoralis officii debito, cum aequitas, honestas et decus suadet, sicuti declarare et moderari, ita etiam ad alios casus extendere consuevit.

Exordium.

§ 1. Sane, cum non deceat divino ministerio adscriptos cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere, a sacro Tridentino concilio, inter alia, decretum fuit ne quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias moribus, scientia et aetate esset idoneus, ad sacros ordines promoveretur, nisi prius legitime constaret eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere; vel alias ordinari non posset, nisi iuxta decreti ab ipso concilio desuper editi formam et tenorem.

Concilium Triden. statuit formam promovendi clericos saeculares ad ordines sacros.

§ 2. Cum autem nulla in huiusmodi decreto religiosorum clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli, uti moleste accepimus, certorum Ordinum religiosi seu canonici vel clerici, intra claustra monasteriorum seu domorum, more regularium, in communi viventes, qui nunquam, seu non nisi ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, Religionis praetextu, titulo sufficientis beneficii, nec iuxta dicti decreti tenorem, ad sacros ordines se promoveri praetendant, et a nonnullis episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti et e claustro exeuntes et per saeculum vagantes, vel mendicare vel sordidum quaestum exercere, non sine ipsorum dedecore ac Ordinis vilipendio et quamplurimorum christifidelium scandalo cogantur.

Ex causis modo hic expressis,

§ 3. Nos igitur, qui singulorum Dei ministrorum honorem et decus, quantum in nobis est, sinceris exoptamus affectibus, motu proprio et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura sanctione,

Pontifex isto extendit dictum decretum ad clericos regulares sive saeculares, more religiosorum in communi viventes;

decretum praedictum, de clericis saecularibus loquens, ad omnes et singulos, etiam cuiuscumque Ordinis clericos religiosos sive saeculares, more religiosorum, viventes in communi, non professos, harum serie extendimus et ampliamus, ac religiosis et aliis praedictis non professis, ut ad sacros ordines promoveri; necnon omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, ut ordines ipsos huiusmodi religiosis personis impendere, nisi observata forma dicti decreti, nos, virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae poena, interdicimus et prohibemus, ac contrafacientes per annum a praestatione talium ordinum ipso iure suspendimus.

Promotiones quo, non servata forma dicti concilii factas, nullas esse et ministrantes punit decernit;

§ 4. Statuentes et decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarum praedictarum ad ordines huiusmodi, contra ipsius decreti concilii Tridentini formam, etiam cuiusvis licentiae, illis ab Apostolica Sede vel illarum superioribus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et praeeminentiae existant, et si pontificali dignitate fungantur, vel cardinalatus honore praefulgeant, concessae praetextu, factas, executione praedictorum ordinum omnino carere, nullasque prorsus et irritas existere, sicque promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse. Quinimmo ministrantes privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et aliis gratiis clericis concessis omnino privari, et irregularitatis aliasque in dicto decreto contentas poenas eo ipso incurrere, a quibus, nisi a Romano Pontifice vel in mortis articulo, minime absolvi possint.

Clausulas derogatorias apponit;

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac quorumvis monasteriorum et Ordinum, etiam iuramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis illorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, restitutivis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si alias, pro illorum sufficienti derogatione, de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, datas et decreta in illis imposita, ac si de verbo ad verbum inscererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis formam tradit.

§ 6. Et ut praesentes litterae ad omnium notitiam perveniant, neve quis illarum ignorantia excusari possit, volumus et apostolica auctoritate decernimus, praesentes litteras ad valvas Principis apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae ac in acie Campi Florae publicari, et earum exempla affigi et imprimi, illarumque exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici et sigillo praelati ecclesiastici vel eius curiae obsignatis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pridie idus octobris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 14 octobris 1568, pontif. anno III.

CXVII.

De solemni trium votorum substantialium professione regulari emittenda, et una ex Regulis approbatis eligenda ab omnibus, qui, in diversis congregationibus et domibus, sub voluntaria obedientia et extra solemne votum Religionis, vivunt, et habitum a saecularibus presbyteris distinctum deferunt.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Lubricum vitae genus eorum veriti, qui, regularium formam præ se ferentes, nec propriis renunciant, nec ullam profitentur ex Regulis approbatis, quando horum plerique proprio instinctui obsequentes, alii odio incensi, alii dum, quod ambiunt, minus consequuntur, alii vel dilapidatis vel interversis rebus et ad sese vel propinquos translatis, ut ratiocinia effugiant, quidam etiam in suos ipsorum mores inquisitum iri praesentientes, quasi impunitatem adepturi, e sodalitio suo, ut lubet, exiliunt, eiectisque illius insignibus, vestem recipiunt saecularem. Hinc graves et periculosae quotidie offensiones in populos concitantur, dum quos disciplinae regulari perpetuo mancipatos credunt, rursus eos, etiam ubi consueverint, contempto post tot annos et relicto, indignis saepe modis, eius cui sese dediderant vitae instituto, liberos vident et solutos in saeculum evagari. Cum igitur conveniat ut cuius arma induit, eam miles militiam consequatur, hanc de praedictis rationem capere instituimus, ut, vel permanendi vel abscedendi facultate semel singulis proposita, certus deinceps et immobilis disciplinae regularis cultus debeat in ipsis sodalitatibus perpetuo observari.

Viventes sub obedientia voluntaria et extra solemne votum Religionis, debent professionem trium votorum emittere, sub una ex Regulis approbatis.

§ 1. Itaque, de nobis attributae potestatis plenitudine, statuimus ut omnes et singuli priores, praepositi et alii praesidentes generales, provinciales et conventuales necnon canonici et fratres Sancti Georgii in Alga Venetarium ac Eremitarum Sancti Hieronymi, alias Beati Petri Pisarum, et omnium ac quarumcumque aliarum congregationum, necnon ecclesiarum, domorum et conventuum, in communi et sub obedientia voluntaria et extra votum solemne Religionis viventes, quorum habitus a saecularibus presbyteris est distinctus, qui Religionem amplecti et professionem regularem solemnem emittere voluerint, id in suis quisque conventibus et domibus, intra vigintiquatuor horarum spatium, postquam delegatus noster præsentes litteras eis significaverit, palam et sponte deliberent et declarent; inde convocato quamprimum, per singulas huiusmodi congregationes, generali vel alio supremo, iuxta morem cuiusque congregationis, capitulo, ibique electa una, sub qua degant, ex Regulis approbatis, in quam maior pars vocum ipsius capituli consenserit, trium votorum substantialium professionem regularem intra mensem solemniter emittant, et in ea tam ipsi quam illam deinceps ingressuri atque professuri perpetuum ferant Altissimo famulatum. Sicque professi, vel in suis quisque prioratibus, praeposituris, praesidentiis, administrationibus et officiis confirmentur, vel ad alia transferantur, prout cuique congregationi et superioribus suis videbitur utilius expedire.

Contravenientes coercentur.

§ 2. Qui vero, excurso iam anni spatio in ipsa congregatione morati, refugerint intra tempus praedictum profiteri, detracto Religionis habitu, ac redditis, etiam in vinculis, si opus sit, receptorum et administratorum omnium rationibus, eiiciantur, nec deinceps patiantur in ullis eiusdem congregationis domibus seu conventibus amplius conversari. Quocirca mandamus universis et singulis prioribus, praepositis, generalibus, provincialibus

et conventualibus ac aliis, cuiuscumque dignitatis et nominis, ministris, necnon conventibus, canonicis, fratribus et personis congregationum huiusmodi, ut statutum nostrum praedictum, non expectata alia iussione aut mentis nostrae declaratione, humiliter recipiant et studiose observare procurent. Quod si forte aliqui in eo quo nunc sunt statu, quem omnino tollimus et abolemus, contra nostrum hoc statutum, persistere contenderint, singulos omni dignitate, officio, administratione et beneficio privamus, et ad futura perpetuo indignos decernimus, excommunicationis quoque sententia innodamus eo ipso.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus fundationibus et institutionibus ac statutis et consuetudinibus congregationum, domorum et conventuum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, exemptionibus et indultis apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, ac eorum singulis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, ac alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere et in specie, concessis et confirmatis; ac etiam aliis reformationibus, quotiescumque ac quocumque tempore factis et promulgatis, et quibuslibet aliis indulgentiis et litteris apostolicis specialibus et generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quarumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia, tamquam abrogata, contra earumdem praesentium tenorem, nolumus cuiquam in aliquo suffragari.

Iussio publicandi.

§ 4. Ceterum, mandamus praesentes ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae ac in acie Campi Florae publicari, et earum exempla de more applicari.

Fides transumptorum.

§ 5. Ac etiam volumus quod ipsarum praesentium exempla, etiam impressa, et praelati ecclesiastici vel eius curiae sigillo et notarii publici manu obsignata, eamdem illam fidem ubique locorum, in iudicio et extra illud, faciant, quam ipsae praesentes facerent, si ibi ostenderentur aut exhiberentur. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, quintodecimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 17 nov. 1568, pontif. anno III.

CXVIII.

Confirmatio exemptionum fratrum militum hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, eorumque familiarium etc. a solutione decimarum et aliorum quorumcumque onerum; et praeservatio iurisdictionis ordinariorum, quoad personas curam animarum exercentes [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Etsi cuncta quae ex multa Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum providentia, in favorem militiarum quarumlibet in fidei catholicae defensionem salubriter institutarum, processerunt, executioni debitae demandanda esse censemus; illa tamen praecipue quae ad illarum statum prospere dirigendum per eosdem Romanos Pontifices prudenter concessa comperimus, ut illibata firmaque per-

1 De hac militia indicavi in Anastasii IV constitutione XV, *Christianae*, tom. II, pag. 618.

petuo subsistant, libenter approbationis nostrae munimine roboramus.

Leo X et alii concesserunt exemptionem a decimis et aliis oneribus.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, licet alias felicis recordationis Leo decimus, Clemens septimus, Paulus tertius et Pius quartus, Romani Pontifices praedecessores nostri, inter alia privilegia et indulta dilectis filiis magistro et conventui hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani a Sede Apostolica concessa, eumdem et pro tempore existentem magistrum, baiulivos, castellanum empostae, priores, praeceptores, milites aliasque personas hospitalis huiusmodi, necnon eorum subditos, vassallos, colonos et servitores, ac alios in eorum obsequiis et dicti hospitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis existentes, etiam presbyteros curam animarum exercentes, quamdiu illam exercerent et in illorum obsequiis forent, illorumque animalia, praedia, domos, molendaria et bona quaecumque, quae obtinebant ac in posterum obtinerent et possiderent, a solutione et exactione decimarum, censuum, iurium, etiam synodalium, et canonicarum portionum seu caritativi subsidii aut iucundi adventus, seu quartae aut alias quomodolibet, aut aliorum quorumcumque onerum, sub certis modo et forma, exemerint et liberaverint, et prout in diversis ipsorum praedecessorum desuper confectis litteris plenius continetur.

Ordinarii tamen milites desuper molestabant vigore concilii Tridentini, sessione XXIII, capitulo XVIII.

§ 2. Et licet privilegia, exemptiones, libertates et indulta praefata, si umquam a primaeva erectione dicti hospitalis, nunc praecipue favore et complemento digna sint, cum ipsi pro fide catholica defendenda, non modo facultates et fortunas, verum etiam eorum vitam et sanguinem perdere non dubitaverint: nihilominus diversi locorum ordinarii et parochialium ecclesiarum rectores ac multae capitulares personae id sibi omnino, iuxta sacri concilii Tridentini decreta, licere asserentes, eosdem magistrum, baiulivos, castellanum empostae, priores, praeceptores, milites et personas diversis oneribus contra eorum privilegia pergravare, illosque ad decimas, census, subsidia, etiam caritativa, congruas portiones, iucundum adventum, *pastor bonus* aut alias nuncupata onera, etiam iura synodalia, cogere praesumant, in grave ipsius hospitalis detrimentum et gravamen.

Hic idem Pontifex eamdem exemptionem approbat, et iterato concedit;

§ 3. Nosque attendentes quod nuper, inter alia Mendicantium Ordinum fratribus concessa privilegia, eos et eorum quemlibet, tam a seminarii clericorum in qualibet civitate, iuxta eiusdem concilii Tridentini decreta erecti seu erigendi, quam decimarum, subsidii et aliorum onerum contributione totaliter exemisse et liberasse, praefatosque magistrum, baiulivos, priores, castellanum empostae, praeceptores, milites, fratres et personas non minus dignos esse ut eos paribus favoribus et gratiis prosequamur; illosque et eorum singulos ac singulares dicti hospitalis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon omnium et singulorum privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, libertatum et gratiarum, per praefatos et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam hospitali, illiusque magistro, conventui et fratribus militibus aliisque quibusvis personis praefatis hactenus concessorum, ac litterarum desuper confectarum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad magistri et conventus hospitalis huiusmodi aut alicuius alterius super hoc pro eis nobis oblatae petitionis instantiam,

sed ex certa scientia et de mera nostra liberalitate ac apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates et alias gratias, eisdem magistro et conventui quomodolibet concessa, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulas praeservativas apponit;

§ 4. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod locorum ordinarii vocati non fuerint, notari, impugnari vel invalidari minime posse; minusque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus et derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse, sicque ab omnibus censeri. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat;

§ 5. Quocirca dilectis filiis, in regnis Hispaniarum et Neapolitano nostris et Sedis Apostolicae pro tempore existentibus nunciis, aut Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes, motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem magistri et conventus fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem magistrum et conventum, confirmatione, approbatione, adiectione, supplectione, decreto et aliis praemissis pacifice uti, frui et gaudere; non permittentes eos per ordinarios praefatos aut quoscumque alios, contra praesentium tenorem, quomodolibet molestari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat;

§ 6. Non obstante piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis apostolicis; necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; necnon iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam praefatis locorum ordinariis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu et scientia similibus, etiam consistorialibus, et de fratrum nostrorum consilio in contrarium quomodolibet concessis, confir-

matis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Concilium Tridentinum praeservat.

§ 7. Volumus autem quod praesentes litterae non comprehendant neque ecclesias neque personas, in his quae ad curam animarum pertinent, a quibus decreta concilii Tridentini huiusmodi omnino servari debeant.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX novembris millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 29 nov. 1568, pontif. anno III.

CXIX.

Constitutio congregationis Clericorum Regularium S. Maioli, alias de Somascha, sub Regula S. Augustini, cum privilegiorum elargitione [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniunctum nobis desuper apostolicae servitutis officium digne peragere credimus, si ad ea, per quae congregationes, praesertim orphanorum causa institutae, facilius stabiliri et firmius conservari valeant, considerationis aciem extendamus.

Paulus III huic congregationi caput sibi eligendi facultatem dedit.

§ 1. Sane exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii sacerdotes clerici et laici congregationis loci de Somascha, Mediolanensis dioecesis, dudum canonice institutae, quod alias felicis recordationis Paulus Papa tertius, praedecessor noster, congregationi praedictae, cuique Hieronymus Emilianus, olim patricius Venetus, vir eximiae pietatis insignis, Spiritu Sancto, ut pie creditur, afflatus, omnibus saeculi curis posthabitis, initium antea dederat, quamque, multi illius exemplo adducti, amplexi fuerant, et in Ianuensi, Mediolanensi, Ferrariensi aliisque Italiae civitatibus et urbibus acciti illam dilataverant, caput sibi eligendi, constitutiones condendi facultatem concessit; eamque ab ordinariorum superioritate, iurisdictione et potestate exemit; ac tam ille quam deinde piae memoriae Pius Papa quartus, etiam praedecessor noster, dictam congregationem nonnullis aliis privilegiis et gratiis prosecuti fuerint.

Cardinalis Borromaeus ecclesiam Sancti Maioli Papiensis eidem congregationi concessit, et hic Pontifex dictam concessionem confirmat.

§ 2. Necnon successive dilectus filius noster Carolus, tituli sanctae Praxedis presbyter cardinalis, Borromaeus nuncupatus, sufficienti ad id facultate, ut asserebat, suffultus, dictae congregationi ecclesiam sancti Maioli Papiensis olim per monachos Cluniacensis Ordinis obtineri solitam, certis annuis redditibus illi assignatis, donavit. Nosque postmodum donationem praedictam apostolica auctoritate approbavimus, prout in singulis praedecessorum et Caroli cardinalis praedictorum patentibus ac nostris litteris desuper confectis plenius continetur.

Ideoque dicta congregatio dictam ecclesiam caput aliarum constituit;

§ 3. Quarum litterarum vigore, praedicti sacerdotes, clerici et laici ecclesiam praedictam in domum patrimonialem, et tamquam aliarum ecclesiarum dictae congregationis caput pro futuris praeposito qui inibi resideat ac, una cum aliis depu-

1 De origine et aliis, quae eam concernunt, vide in constitutione XXIX Pauli III, *Ex iniuncto*, tom. VI, pag. 285.

tandis professis, non solum illius sed etiam aliarum ecclesiarum eiusdem congregationis curam, regimen et administrationem habeat, necnon professis, qui dicto praeposito reverentiam ed obedientiam praestent, sibi delegerunt.

Orphanos etiam bonis artibus erudire, curamque seminariorum clericorum gerere studuit; ideoque non est dubium quod perpetuo duratura est.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, licet iidem sacerdotes, clerici et laici religiose admodum vivant, ac praecipue, inter alia pietatis opera, orphanorum in disciplina christiana bonisque artibus et litteris, secundum cuiusque ingenii captum, erudiendorum, ac nonnullis in locis seminariorum clericorum curam summo cum studio gerant, ac propterea dubium non sit quin haec congregatio perpetuo duratura sit.

Verum tamen ex causis hic expressis, eam melius stabiliri exoptatur.

§ 5. Nihilominus, quia plerique illorum, ob professionem non emissam, existimantes se non vere religiosos, ab illa recedunt et ad aliam Religionem convolant; alii pauperes, non habentes titulum beneficii et patrimonium, repugnante concilio Tridentino, ad ordines promoveri nequeuntes, aut aliis rationibus adducti, aliud vivendi genus eligunt; multi ipsius congregationis sacerdotes, clerici et laici, ad firmius stabiliendam huiusmodi congregationem, et ad obviandum hisce et aliis inconvenientibus, tria vota, videlicet paupertatis, castitatis et obedientiae, emittere summopere desiderant, si ad id nostra Sedisque Apostolicae suffragetur auctoritas. Quare iidem sacerdotes, clerici et laici nobis humiliter supplicari fecerunt quatenus illa vota praedicta in manibus alicuius praelati ecclesiastici emittendi licentiam concedere, et alias perpetuae illius congregationis et orphanorum praedictorum utilitati consulere opportuneque providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Hic modo Pontifex normam emittendae professionis et sub clericali habitu Regulam S. Augustini profitendi praescribit;

§ 6. Nos igitur, qui piis honestisque petentium votis gratum solemus praestare assensum, dictorum sacerdotum, clericorum et laicorum piam vitam optimumque vivendi modum et instituti propositum plurimum in Domino collaudantes; ipsosque et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, absolventes et absolutos fore censentes; necnon praedictarum litterarum et inde secutorum quorumcumque tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictis sacerdotibus, clericis et laicis, vota praedicta emittere volentibus, illa in manibus alicuius praelati ecclesiastici, per congregationem huiusmodi ad id eligendi, donec sex ex ipsis fuerint professi, et sibi praepositum ipsius congregationis generalem, secundum illorum constitutiones factas seu faciendas eligendum et confirmandum, eligerint; et deinde, dictis sex professis et electo praeposito, omnibus et singulis aliis christifidelibus, etiam in orphanotrophiis educatis et eruditis, dictam Religionem ingredi volentibus, in ipsius praepositi seu illius vicarii manibus emittendi et profitendi, ac sub Regula S. Augustini, in habitu tamen clericali et honesto ac locis in quibus vixerint conformi incedendo, vivendi; necnon praelato et praeposito vicarioque praedictis vota huiusmodi in manibus illorum recipiendi, liberam facultatem concedimus: ac quod, infra triennium proxime futurum, hi qui per decennium in dicta congregatione laudabiliter vixerint, vota praedicta emittere volentes, non expectato anno probationis; triennio vero elapso huiusmodi, alii ipsa vota emittere volentes, nonnisi elapso anno decimosexto suae aetatis, in ecclesia praedicta aut alibi, ubi commodius praeposito seu vicario visum fuerit, vota praedicta, ita ut non sit locus

tacitae professioni, emittere et profiteri; quodque praefati, et pro tempore existentes praepositus, sacerdotes, clerici et laici sub dicta Regula, secundum constitutiones per eos factas seu faciendas, vivere.

Bonaque etiam stabilia recipiendi et in communi possidendi facultatem elargitur;

§ 7. Omniaque et singula quaecumque, quotcumque et qualiacumque bona mobilia seu immobilia, dictae congregationi seu illius locis vel ecclesiis ab universitatibus, communitatibus et aliis, etiam privatis, personis, cuiusvis status, gradus, ordinis, qualitatis et præeminentiae existant, testamento vel codicillis aut alia ultima voluntate seu donatione, etiam inter vivos aut alias quomodolibet, necnon oblationes sibi relicta et relinquenda recipere, exigere et in communi tantum possidere libere et licite possint et valeant.

Congregationi nomen ponit;

§ 8. Quodque de cetero congregatio praedicta Clericorum Regularium S. Maioli sive de Somascha appelletur, similiter perpetuo statuimus et ordinamus.

Legataque simpliciter relicta, ecclesiae S. Maioli applicari posse decernit;

§ 9. Ac insuper quomodocumque relicta congregationi praedictae, et non aliter expresso et declarato loco, ex nunc prout ex tunc et e contra, ecclesiae S. Maioli, ita quod liceat pro tempore existenti praeposito, per se vel alium seu alios, dictorum relictorum fructus et emolumenta in sibi benevisos et necessarios usus et utilitatem ecclesiae S. Maioli et congregationis praedictae libere et licite convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate et tenore praemissis, etiam perpetuo, applicamus et appropriamus.

Clausulas huius constitutionis praeservativas apponit;

§ 10. Decernentes præsentes litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis aliove vitio seu intentionis nostrae defectu notari, argui et impugnari ac revocari, limitari, moderari, suspendi, aut illis derogari, et sub quibusvis similium gratiarum revocatione, derogatione, limitatione, moderatione, suspensione aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi non posse; et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, ac de novo concessas et perpetuo validas et efficaces esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri.

Clausulam sublativam addit;

§ 11. Ac ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis ac eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere; ac ex nunc irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executoresque deputat;

§ 12. Quocirca venerabilibus fratribus Amerinensi et Papiensi ac Cremonensi episcopis per praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, congregationi et futuro praeposito huiusmodi ac illius singulis personis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra congregationem illiusque praepositum et singulas personas concessione, indulto, statuto, ordinatione, applicatione, approbatione et decreto huiusmodi pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque, contra praesentium tenorem, quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, illos censuras et poenas ipsas incurrisse declarando; necnon eas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria omnia tollit.

§ 13. Non obstantibus praemissis ac recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ultra tres diaetas ad iudicium non evocetur, et aliis quibus-

vis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon ipsius congregationis ac quorumvis monasteriorum et Ordinum, etiam iuramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, reiteratis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie et alias quomodolibet iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si alias, pro illorum sufficienti derogatione, de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI decembris millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 dec. 1568, pontif. anno III.

CXX.

Comminatio poenarum contra scriptores ac sollicitatores aliosque officiales sacrae Poenitentiariae et Contradictarum, qui in dispensationibus matrimonialibus veritatem non exprimunt, vel falsitatem inducunt [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nonnulli, suae conscientiae prodigi ac propriae salutis immemores, ut facilius a nobis et Sede Apostolica dispensationes matrimoniales et alias gratias et concessiones obtineant, gradus consanguinitatis vel affinitatis aut cognationis spiritualis, ac scientiam illorum aliter quam eis a principio ab ipsis partibus significatum vel narratum fuerit, exponunt, et si matrimonia huiusmodi adhuc contracta non fuerint, pro contractis narrant, ac alias diversimode veram facti speciem, tam in ipsis dispensationibus matrimonialibus, quam pro aliis quibuscumq. gratiis et concessionibus obtinendis, immutent; et propterea, cum non solum in impetrationibus huiusmodi falsitas narretur, verum etiam in partibus plerumque, pro verificatione gratiarum huiusmodi, veritas immutetur et falsitas committatur. *Causa constitutionis.*

§ 2. Nos igitur, huiusmodi abusibus et erroribus obviare cupientes, motu proprio, *etc.*, omnes et singulos procuratores, tam officii sacrae Poenitentiariae seu Contradictarum, quam alios quoscumque sollicitatores et scriptores, quos copistas vocant, qui veritatem facti a narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt, quoad substantialia et qualitates necessario exprimendas diversam faciunt, seu quoquo modo invertunt aut immutant, depravant, et per subreptionem et obreptionem gratias a nobis extorquent, poenam falsi incurrere et ea puniri omnino debere decernimus et declaramus. *Poena falsi reos praecipit puniri;*

§ 3. Mandantes propterea almae Urbis gubernatori, Cameræ Apostolicæ auditori et vicario, quatenus in praemissis reos et culpabiles repertos poena falsi, ut praemittitur, puniant, cum potestate citandi, etiam per edictum, constito summarie de non tuto accessu, aliaque dicendi et faciendi in praemissis necessaria seu quomodolibet opportuna. *Exequutores deputat;*

§ 4. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, *Derogat obstantibus.*

[1] Ex Regest. in Archiv. Vat.

ceterisque contrariis nequaquam obstantibus; irritum quoque et inane *etc.*, dicique *etc.* iudicari et diffiniri debere, sublata *etc.*, decernimus.

Praesentium solam signaturam sufficere praecipit;

§ 5. Et quod praesentis motus proprii, et absque data et registratura, sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria non obstante.

Earumdem transumptis fidem addit;

§ 6. Eiusque transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Publicatio.

§ 7. Quodque Camerae et Cancellariae Apostolicae ac Audientiae causarum Palatii Apostolici valvis, et in acie Campi Florae, dimissis inibi copiis affixis, omnes ita afficiant et arctent, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Placet. Motu proprio, M.

CXXI.

Facultas collegio fabricae S. Petri examinandi quoscumque contractus de praeterito initos super bonis ecclesiarum, applicata sibi tertia parte huiusmodi bonorum 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Et si de singulis pastoralis officii cura nos admonet esse sollicitos, fabricam tamen Sancti Petri, quam speciali quadam cura nobis cognoscimus esse commissam, specialis intentionis favore prosequimur, eamque gratiis attollimus opportunis.

Multi bona ecclesiarum sub diversis coloribus detinebant.

§ 1. Accepimus sane nuper quod diversae personae, tam ecclesiasticae quam saeculares, quamplura bona, possessiones et terras ad ecclesias, etiam metropolitanas, monasteria, beneficia, domos et alia regularia ac alia pia loca nec non hospitalia pertinentia et spectantia, praetextu diversarum alienationum eis, contra tenorem litterarum felicis recordationis Simachi et Pauli II ac aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, aut sine Apostolicae Sedis licentia, seu illarum forma non servata, aut alias, in evidens damnum et praeiudicium ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et piorum locorum huiusmodi, factarum, occupaverunt et detinuerunt, ac de praesenti occupant et detinent.

Quare Pius collegio fabricae S. Petri omnimodam concedit facultatem quoscumque contractus cognoscendi, et ecclesias in sua iura restituendi etc., applicata sibi tertia parte huiusmodi bonorum;

§ 2. Nos, praemissa conniventibus oculis pertransire nequeuntes, utpote quae in divinae Maiestatis offensam ac ecclesiarum et ordinis clericalis detrimentum tendant, utque fabricae praefatae maximis necessitatibus succurramus, dilectos filios collegium et deputatos fabricae praefatae eorumque pro tempore auditores et ministros ac eorum singulos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum deputatorum et collegii ac auditorum et ministrorum praefatorum vel alicuius eorum aut pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam sed ex certa scientia ac de mera nostra liberalitate et apostolicae potestatis plenitudine, eisdem collegio et deputatis eorumque pro tempore auditoribus et ministris praefatis, ut omnes et singulas alienationes, in emphyteusim seu censum perpetuum aut tertiam vel aliam generationem seu hominis vitam aut aliud tempus ultra triennium locationes vel concessiones seu permutationes aut occupationes de quibusvis terris, possessionibus aut aliis bo-

1 Ex edit. typis Bladi.

nis immobilibus, seu rebus et iuribus, tam spiritualibus quam temporalibus, ecclesiarum, monasteriorum, domorum, beneficiorum, hospitalium et aliorum piorum locorum quorumlibet, sine Sedis Apostolicae licentia, aut illius forma non servata, in damnum ecclesiarum, seu solemnitatibus a iure requisitis, aut constitutionibus ipsorum monasteriorum seu domorum minime servatis, aut alias nulliter hactenus factas, revidere, et constito sibi, quantum sufficere videbitur, de praemissis, illas et contractus super inde, sub quibusvis formis et verborum expressionibus, habitos et celebratos, etiam si iuramento vallati existant, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, auctoritate apostolica, ad solius praefatae fabricae procuratoris instantiam, etiam parte invita et contradicente, facta sibi prius intimatione per tres menses, tenore praesentium, rescindere, irritare, cassare et annullare; ipsosque detentores et occupatores ad terras, possessiones et bona, res et iura praefata, ut praefertur detenta et occupata, relaxandum, et de fructibus tam hactenus perceptis et qui percipi potuerunt, quam in posterum percipiendis realiter satisfaciendum cogere et compellere, bonorumque et fructuum recuperandorum huiusmodi tertiam partem ipsi fabricae, reliquis duabus partibus ecclesiis, monasteriis, beneficiis, domibus, hospitalibus et piis locis, ad quae bona ipsa spectabunt, cum effectu consignatis, vendicare et applicare possint et valeant, facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Quam alienare et vendere possit.

§ 3. Ita ut eisdem collegio, deputatis eorumque auditoribus et ministris liceat dictae tertiae partis huiusmodi bonorum, praefatae fabricae, ut praemittitur, applicatorum, corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, illamque in dictae fabricae usus et utilitatem, absque alia Sedis Apostolicae et superiorum ecclesiarum, monasteriorum, domorum, beneficiorum, hospitalium et aliorum piorum locorum, ad quae bona ipsa et fructus spectabunt, licentia, alienare, vendere et convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 4. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari aut invalidari, etiam ex eo capite quod interesse habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci, minusque in controversiam vocari posse, sed semper validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et derogationibus comprehendi ullatenus posse, sed ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas esse et censeri. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria omnia tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis nec non, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis

eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu secretarii et sigillo collegii dictae fabricae subscriptis et munitis, eadem prorsus, in iudicio et extra, fides adhibeatur quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono, kalendis ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 ianuarii 1569, pontif. anno IV.

CXXII.

Abolitio nonnullarum litterarum in Hispaniis publicatarum super concessione nonnullarum facultatum et indulgentiarum, cum prohibitione similes litteras vel indulgentias imposterum publicandi [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Quam plenum sit periculis noxia populis ingerere, nimium, proh dolor, his temporibus afflicta religio testatur; quod malum cum in ceteris ministris tum praecipue in ecclesiarum praelatis animadvertendum est, quod ab his temere profecta longe maxima in ecclesiam Dei conferant detrimenta.

§ 1. Rem profecto indignam audivimus, quod quidam ecclesiarum Hispaniae praesules, et etiam quondam Gomentius Tellezgiron, temporarius, quod magis detestandum est, et simplex administrator ecclesiae Toletanae, gratia gratis accepta pietatis specie abutentes, et facultates a sacris canonibus sibi concessas excedentes, litteras suas in eorum civitatibus et diocesibus publicare praesumpserunt, quibus, inter cetera pericula, deprehenditur quod cuicumque illas accipienti, certa soluta pecunia, licitum sit quem voluerit sibi sumere sacerdotem, qui, confessione audita, ipsum absolvere valeat non iis tantum casibus in quibus simplex sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis quae solis episcopis reservata reperiuntur, aliquo praeterea casu admixto, qui ad examen huius sanctae Sedis esset omnino referendus.

Nonnulli praesules Hispaniarum, et quidam Tellezgir. nonnullas facultates concesserunt suis subditis eligendi sibi confessarium, qui soluta per eos pecunia, eosdem absolveret a casibus ipsis episcopis reservatis.

§ 2. Ad haec ipsi, in dispensandis coelestis gratiae donis nimium prodigi, iis sic litteras praedictas accipientibus indulgentias et poenitentiarum iniunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas, profusius passim et indiscrete largiuntur, quibus et aliis licentiis praedictis non pauci fluctuantes et infirmi, veniae facilitate inducti, ad peccandum procliviores fiunt, quando tot et tantorum delictorum remissionem certo et vilissimo pretio acquirere possint; et indicem praeterea casuum ac indulgentiarum aedibus sacris appendi iusserunt, quibus emptores venari videntur, cum palam significetur solventibus suprascripta concedi.

Abusus inde nonnulli proveniebant.

§ 3. Itemque missae sacrificium et sepulturam tempore interdicti, ciborum prohibitorum usum, assumptionem duorum vel plurium ut compatrum ad sacrum baptisma, contra decretum concilii Tridentini, praeter eos qui synodalibus, ut dicunt, constitutionibus asciscuntur, a simoniae reatu absolutionem Sedi Apostolicae reservatam impendunt, repara-

Alias etiam magis effrenatas facultates concessorant.

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

tionem ecclesiarum et pias causas praetexentes, ut honesta præscriptione videantur cupiditatis vitium obduxisse.

Huiusmodi litteras et concessiones irritat;

§ 4. Cum igitur, inter cetera scandala, etiam simoniae pravitas non obscure redoleat, et praedictis sacri Tridentini concilii decretis et aliis sanctionibus canonicis, nostrae praeterea constitutioni de indulgentiis ad quaestum non emittendis adversetur, clavium auctoritas evilescat et poenitentialis satisfactio enervetur; nos, his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris praecavendum fore censentes, motu proprio et ex certa scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, supradicta omnia, quae in ipso archiepiscopatu Toletano et quibuscumque aliis civitatibus, dioecesibus et locis, tam Hispaniarum quam aliarum quarumcumque provinciarum et regionum hucusque, etiam praetextu confraternitatum erigendarum et quocumque alio, emanarunt, damnamus et execramur ac perpetuo abolemus, nullaque et irrita fuisse et esse nunciamus, mandantes litteras et indices

Easque in posterum concedi prohibet;

§ 5. Necnon scripturas et monumenta quaecumque publica et privata per ipsos locorum ordinarios et alios ecclesiarum rectores, ubicumque reperientur, dilacerari, confringi penitusque deleri; et ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur vel concedantur, districtius prohibemus.

Contra inobedientes poenas praescribit;

§ 6. Quicumque, etiam si cardinalatus honore præfulgeant, secus egerint seu contenderint attentari, ab ingressu et perceptione fructuum suarum ecclesiarum tamdiu suspensi iaceant, donec, satisfactione praevia, illis per Sedem praedictam suspensio relaxetur; inferiores vero ab episcopis sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere.

Si quid secus agi contigerit, invalidat;

§ 7. Decernentes etiam irritum et inane quidquid secus per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Volumus autem ut praesentium exempla, etiam impressa, notarii publici manu et praelati ecclesiastici sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem, in iudicio et extra illud, ubique locorum faciant, quam ipsaemet praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quarto nonas ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 2 ianuarii 1569, pontif. anno IV.

CXXIII.

Reformatio contractuum de annuis censibus creandis, alienandis et redimendis; et declaratio quarumdam dubitationum desuper exortarum.

Pius episcopus servus servrum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius reformationis.

Cum onus apostolicae servitutis obeuntes, cognoverimus innumeros celebratos fuisse et in dies celebrari censuum contractus, qui nedum non continentur intra limites a nostris antecessoribus eisdem contractibus statutos, verumetiam, quod deterius est, contrariis omnino pactionibus, propterea ardentem avaritiae stimulum, legum etiam divinarum manifestum contemptum praeseferunt, non potuimus, animarum, prout tenemur, saluti consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam gravi morbo letiferoque veneno salutari antidoto non mederi.

Census creandus est supra certa re immobili, fructifera,

§ 1. Hac igitur nostra constitutione statuimus censum seu annuum redditum creari constituive nullo modo posse, nisi in re immobili aut quae pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, et quae nominatim certis finibus designata sit.

Et cum pecunia numerata.

§ 2. Rursum, nisi vere in pecunia numerata, praesentibus testibus ac notario, et in actu celebrationis instrumenti, non autem prius, recepto integro iustoque pretio.

Solutiones anticipatae prohibentur,

§ 3. Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri aut in pactum deduci prohibemus.

Oneraque contra naturam contractus,

§ 4. Conventiones directe aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.

Et pacta auferentia facultatem alienandi.

§ 5. Quemadmodum nec pactum auferens aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam, semper et libere ac sine solutione laudemii seu quinquagesimae aut alterius quantitatis vel rei, tam inter vivos quam in ultima voluntate, alienari.

In re vendenda praefertur dominus census.

§ 6. Ubi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus praeferri, eique denunciari conditiones quibus vendenda sit, et per mensem expectari.

Pacta contra moresos, quae licita, et quae non.

§ 7. Pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium seu certas expensas aut certa salaria aut ad salaria seu expensas medio iuramento creditoris liquidandas, aut rem censui subiectam sive aliquam eius partem amittere, aut aliud ius ex eodem contractu sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam poenam cadere, ex toto irrita sint et nulla.

Censum augeri vel creari non potest de fructibus.

§ 8. Immo, et censum augeri et novum creari super eadem vel alia re, in favorem eiusdem aut personae per eum suppositae, pro censibus temporis vel praeteriti vel futuri, omnino prohibemus.

§ 9. Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de iure et ex natura contractus non spectarent.

Onera extranea prohibentur.

Census perit pro rata rei censitae peremptae.

§ 10. Postremo, census omnes in futurum creandos, non solum re in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui. Non obstante longissimi etiam temporis ac immemorabili, immo centum et plurium annorum, praescriptione. Non obstantibus aliquibus pactis directe aut indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis aut clausulis concepta sint.

Redimi quando possit.

§ 11. Cum vero traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denunciari ei cui pretium dandum erit, et post denunciam, intra annum tamen, etiam ab initio, pretium repeti posse; et ubi pretium, nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocumque redditum extingui posse, praevia tamen semper denuncia de qua supra, et non obstantibus his de quibus supra. Idque observari mandamus etiam quod pluries ac pluries denunciatum fuisset, nec umquam effectus secutus fuisset.

Repeti ab invito non licet.

§ 12. Pacta etiam continentia pretium census, extra casum praedictum, ab invito, aut ob poenam aut ob aliam causam, repeti posse, omnino prohibemus.

Contractus aliter initi foeneratitii iudicantur, et poena fisco solvitur.

§ 13. Contractusque sub alia forma posthac celebrandos foeneratitios iudicamus. Et ita, illis propterea non obstantibus, quicquid vel expresse vel tacite contra haec nostra mandata dari, remitti aut dimitti contingat, a fisco volumus posse vendicari.

Haec bula quos census excipiat.

§ 14. Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in censu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modo post publicationem

constitutionis creatus sit, perpetuo et in omnibus servari volumus.

Pretium constitutum non immutandum.

§ 15. Declarantes pretium semel censui constitutum, nunquam posse, ob temporum aut contrahentium qualitatem seu aliud accidens, nec quoad ultimo contrahentes, minui vel augeri.

Hortatio ut census aliter facti subiciantur censurae religiosorum.

§ 16. Et licet legem ipsam ad contractus iam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino ut singulos contractus censurae bonorum religiosorum subiiciant, et animarum saluti consulant.

Derogatio contrariorum.

§ 17. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis et consuetudinibus, nec non privilegiis et litteris, etiam per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam nos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, necnon irritantibus decretis, ex quavis causa, etiam per modum legis universalis aut alias quomodolibet, editis, sive in favorem universitatum, communitatum, collegiorum, congregationum, civitatum et locorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, quatenus directe vel indirecte praesenti nostrae constitutioni, in toto vel in parte, contrarientur, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi et describendi.

§ 18. Volumus autem quod praesentes in Cancellaria et acie Campi Florae publicentur, et inter constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

Fides transumptorum.

§ 19. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius praelati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae prohibitionis, annullationis, statuti, mandati, hortationis, derogationis, declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quartodecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 19 ianuarii 1569, pontif. anno IV.

Sequuntur declarationes dubitationum desuper exortarum.

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Etsi Apostolica Sedes, magna adhibita industria, operam dat omnia perspicue promulgare, vix tamen est ut unquam satis queat usquequaque cavere quin scrupulosae quorumdam mentes novos illis sensus inducant, quorum perplexitate multi in dubium evocantur.

Relatio praecedentis constitutionis

§ 1. Pridem enim per constitutionem nostram de censuum creatione, inter alia, voluimus census omnes in futurum creandos, non solum re in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum [1] effecta, ad ratam perire, sed etiam pro eodem pretio extingui posse. Ac pacta continentia morosum census debitorem ad interesse lucri cessantis vel ad cambium seu salaria et expensas medio creditoris iuramento liquidandas teneri, aut rem censui subiectam sive aliquam eius partem amittere, aut aliud ius, sive ex eodem contractu sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam poenam cadere, ex toto nulla atque irrita esse. Censum autem seu

1 Adde *vel pro parte*, ut supra § 10 (R. T.).

annuum redditum, non nisi in re immobili, aut quae pro immobili habetur, ex sui natura fructifera, atque nominatim certis finibus designata sit; sed nec censum ipsum, nisi vere in pecunia numerata, praesentibus notario et testibus in actu celebrationis instrumenti, non autem prius, recepto integro iustoque pretio, creari constituive nullo modo posse.

Primum dubium desuper exortum circa infructuositatem.

§ 2. Deinde per dilectum filium Octavium Spinolam, regni Siciliae magistrum portulanum, hac de causa ad nos destinatum, accepimus in dicto regno Siciliae scrupulum exoriri, an rerum praedictarum infructuositas etiam annalis aut alias temporalis intelligatur.

Secundum dubium circa cautelas.

§ 3. Et an per nullitatem pactorum et aliorum praedictorum, etiam ius recuperandi sive repetendi impensas, quas litigando contra morosos praedictos, aut executores ad eorum loca transmittendo, aut alias ex iudicum mandato subire oportet, auferatur.

Tertium dubium circa cautelas.

§ 4. Praeterea, an tam pro ipsis expensis quam etiam pro censu recuperando contra tertium possessorem procedi; et etiam fideiussores dari; aliave bona, pro praedii censu gravati evictione et ipsius census solutione, hypothecari; denique, an census huiusmodi super pluribus rebus inter se divisis constitui possint.

Quartum dubium circa census dotales.

§ 5. Postremo, an id quod de pecunia numerata dicitur, prohibeat quominus in dotium assignatione census creari possit.

Solutio primi dubii.

§ 6. Nos, haec discrimina, quantum in nobis est, tollere cupientes, tenore praesentium declaramus rem infructuosam, quae tota vel ex parte infructuosa perpetuo redditur, non autem ex qua fructus uno, duobus pluribusve annis, sive tempestate sive alio casu, non perveniunt, salva alias iuris communis dispositione, intelligi debere.

§ 7. Praeterea, exactionem illarum expensarum prohiberi, quae ex pacto vel conventione tantum inter contrahentes inita et instrumento census specialiter appositae refici promittuntur, non autem eæ, quae ex dicti iuris dispositione repetendae veniunt, et mandato iudicis adiudicantur.

Solutio secundi dubii.

Solutio tertii dubii.

§ 8. Ceterum, fideiussores dari, aliave bona hypothecari pro praedii censu gravati evictione; aut si praedium in alium devenerit, aut aliquis tertius fideiussor intercesserit, tertium possessorem vel eius bona obligari minime prohibemus. Haec autem omnia, pro evictione dumtaxat, non autem solutione poenae, adiudicari posse intelligimus.

Solutio quarti dubii.

§ 9. Postremo, in dotium assignandarum casu, censuum creationem et constitutionem prædictam, respectu actualis numerationis coram notario et testibus faciendae, locum non habere. Sed in hoc casu census ipsos, etiam pecunia ad manum non habita, creari posse declaramus.

Propositio et resolutio alterius dubii circa pecuniam praesentem et cedulam bancariam.

§ 10. Denique, ut periculis quae ex transportatione pecuniarum frequenter in dicto regno eveniunt, occurratur, permittimus ut si in creatione census pecuniam ad manum commode haberi nequierit, illius loco, emptor apocham sive cedulam bancariam idoneam integri pretii venditori, in ipso emptionis actu, debeat exhibere.

Praeservatio praecedentium constitutionum in reliquis.

§ 11. Constitutione nostra praedicta, tam in casu dotium quam ceteris omnibus in ea contentis, in suo robore permanentibus.

Transumptorum fides.

§ 12. Volumus autem ut praesentium exempla, etiam impressa, notarii publici manu et praelati ecclesiastici eiusve curiae sigillo obsignata, eamdem illam prorsus, tam in iudicio quam extra illud, fidem faciant, quam ipsaemet praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x iunii MDLXX, pontificatus nostri anno v.

CXXIV.

Iudaeorum expulsio ab omnibus locis dominii S. R. E. eiusque subditorum, praeterquam ab urbe Roma et civitate Anconae [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

Hebraeorum gens sola quondam a Domino electa, quae divinis eloquiis infusa, coelestium mysteriorum particeps esset, quantum ceteris omnibus gratia et dignitate excelluit, tantum postea, incredulitatis suae merito, contempta et neglecta, in praeceps meruit deturbari, quod, adveniente temporis plenitudine, perfida et ingrata suum Redemptorem indigna morte peremptum impie reprobarit. Amisso namque sacerdotio, legis auctoritate adempta, propriis disiecta sedibus, quas, tamquam lac et mel fluentes, clementissimus et benignissimus Deus iam inde a prima ipsius gentis origine illi praeparaverat, terrarum orbem tot iam saeculis pererrans, invisa, probris contumeliisque omnibus obiecta, foedas et infames quasque artes, quibus famem tolerare possit, haud secus quam vilissima mancipia, cogitur attrectare. Sed christiana pietas, hunc ineluctabilem casum in primis commiserans, illam humanius satis apud se passa est diversari, ut scilicet, crebro illius intuitu, Passionis Dominicae memoria fidelium oculis frequentius obversetur, simulque ea exemplis, doctrina, monitis ad conversionem et salutem, quae reliquiis Israel, prophetae oraculo, futura est, amplius invitetur; a qua, si, christianorum sedibus explosa, ad eas gentes quae Christum non norunt diverteret, magis magisque aliena reddetur. Verumtamen illorum impietas, pessimis omnibus artibus instructa, usque eo processit ut iam, pro communi nostrorum salute, expediat tanti morbi vim celeri remedio prohibere. Nam, ut tam multa usurarum genera omittamus, quibus hebraei egentium christianorum substantiam usquequaque exinaniverunt, perspicuum satis putamus eos furum et latronum receptores atque participes, qui quasque res ab iis subreptas et interversas, non modo profanas sed etiam divino cultui servientes, ne internoscantur, aut ad tempus supprimere aut alio transferre aut omnino transformare conantur; plerique etiam, specie tractandae rei proprio exercitio convenientis, honestarum mulierum domos ambientes, multas turpissimis lenociniis praecipitant; quodque omnium perniciosissimum est, sortilegiis, incantationibus magicisque superstitionibus et maleficiis dediti, quamplurimos incautos atque infirmos Satanae praestigiis inducunt, qui credant eventura praenunciari, furta, thesauros, res abditas revelari, multaque praeterea cognosci posse, quorum ne investigandi quidem facultas ulli omnino mortalium est permissa. Postremo cognitum satis et explioratum habemus, quam indigne Christi nomen haec perversa progenies ferat, quam infesta omnibus sit, qui hoc nomine censentur, quibus denique dolis illorum vitae insidietur. His aliisque gravissimis rebus adducti, et augescentium quotidie ad civitatum nostrarum perniciem scelerum gravitate permoti, cogitantes praeterea supradictam gentem, praeter mediocres ex Oriente commeatus, nulli reipublicae nostrae usui esse; nostris vero populis, qui praesertim a nobis aliquanto remotiores sunt, conducibilius fore illius nomen, flagitia, miserias aliunde ad se relatas audire, quam ullo charitatis stimulo eam in suo deinceps sinu ut antehac confovere.

§ 1. Auctoritate praesentium, praecipi-

[1] De materia Iudaeorum vide Pauli IV constitutionem IV, *Cum nimis*, tom. VI, pag. 498.

Iudaei omnes discedant de locis dominii S. R. E., Roma et Ancona exceptis, infra tres menses a die publicationis.

mus ut omnes et singuli utriusque sexus hebraei, in omni ditione nostra temporali et sub ea consistentium civitatum, terrarum et locorum, domicellorum, baronum aliorumque dominorum temporalium, etiam merum et mixtum imperium ac vitae necisque potestatem et quamcumque aliam iurisdictionem atque exemptionem habentium, de ipsis omnino finibus, intra trium mensium spatium postquam praesentes litteræ hic fuerint publicatæ, omnino excedant.

Inobedientium poenae.

§ 2. Quibus praeteritis, quicumque sive incolae sive peregrini sive præsentes sive futuri, in quacumque dictae ditionis civitate, terra vel loco, etiam domicellorum, baronum, dominorum et aliorum exemptorum praedictorum, quandocumque inventi fuerint, rebus omnibus spolientur et fisci iuribus applicentur, mancipia Romanae Ecclesiae fiant, et in perpetuam servitutem asserantur, dictaque Ecclesia illud idem ius in eos, quod ceteri domini in servos et mancipia, sibi debeat vendicare. Urbe Roma et Ancona dumtaxat exceptis, ubi eos solos hebraeos, qui nunc eas habitant, ad praedictam memoriam amplius excitandam prosequendasque cum orientalibus negotiationes mutuosque commeatus cum eisdem, permittimus tolerandos; cum eo tamen, ut nostras et praedecessorum nostrorum aliasque canonicas de eis constitutiones studeant observare; sin minus, in poenas omnes quae dictis constitutionibus continentur, quasque in hoc innovamus, eo ipso incidant. Futurum enim speramus, eos, qui praesertim nostro et huius Sedis conspectui proximi sunt, noxae metu a maleficiis temperaturos, et interdum aliquos, uti antehac nostro quoque hortatu satis multis contigit, lumen veritatis cum gaudio agnituros. Sed neutri ad alteros, nec in alium dictae ditionis locum ullo tempore demigrent nec proficiscantur, neque quempiam ex proscriptis ad se recipiant, si servitutis iugum et supplicia voluerint evitare. Iubemus igitur omnium provinciarum, civitatum et locorum dictae ditionis legatos, gubernatores, praesidentes, praetores et magistratus, ac etiam locorum ordinarios, necnon domicellos, barones, dominos et exemptos supradictos, ac quoscumque alios ad quos id pertinet, ut quisque pro se, nulla alia a nobis expectata iussione aut mentis declaratione, omnia praedicta quamprimum exequantur; et caveant diligenter ulli posthac hebraei ad ipsas provincias, civitates et loca, etiam domicellorum, baronum et aliorum praedictorum, ex quacumque causa, amplius accedant. Quicumque vero, etiam de iis qui Romae et Anconae nunc sunt, excurso trimestri proximo, inventi in quacumque dictae ditionis parte, etiam quae dominii temporaliter eorumdem domicellorum, baronum, dominorum et exemptorum sit, statim Ecclesiae praedictae mancipati in servitutem perpetuam coniiciantur; quorum etiam cervicibus graviores poenas impendere significamus, ut ceteri eorum exemplo discant quanti fuerit hanc nostram prohibitionem temere neglexisse.

Barones et gubernatores et alii exequantur hanc constitutionem.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus praedictis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, legibus communibus et municipalibus provinciarum, civitatum et locorum praedictorum; necnon Camerae Apostolicae, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; et conventionibus cum hebraeorum praedictorum universitate, etiam sub fide publica, pactis; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis, illis omnibus ac etiam praedictis domicellis, baronibus et dominis, ipsorumque civitatibus, terris, locis et populis, per quoscumque Romanos Pon-

tifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac alias quomodocumque et sub quibuscumque tenoribus et formis, et ex quibusvis causis, etiam onerosis, ac cum restitutionibus, praeservationibus, derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere et in specie quotiescumque concessis, confirmatis et saepius iteratis vicibus innovatis. Quae omnia et singula, etiam si de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, quatenus praedicta impedire vel differre aut alias illis obesse possent, harum serie, de simili potestatis plenitudine, specialiter et expresse revocamus et abolemus, viribusque et effectu prorsus carere; ac quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 4. Volumus autem ut praesentium exempla, etiam impressa, edantur, eaque, notarii publici manu et cuiuscumque curiae ecclesiasticae aut praelati sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem ubique locorum faciant, quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quarto kalendas martii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 26 februarii 1569, pontif. anno IV.

CXXV.

Quod, in singulis provinciis fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia, duae saltem domus assignentur fratribus strictioris observantiae, a quibus, absque praelatorum licentia, nullatenus ad alia loca se transferre possint.

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Iniunctum nobis desuper apostolicae servitutis officium crebro nos admonet et inducit ut personis quibuslibet regularibus vigilantiae nostrae partes efficacius exhibentes, eas in institutorum suorum regularium candore salubriter manutenemus.

Iussio de qua in rubrica.

§ 1. Accepimus sane nuper quod in Ordine S. Francisci de Observantia nonnulla sunt domus et loca, recollecta nuncupata, in quibus dicti Ordinis fratres arctiorem quam in ceteris vitam degunt: et propterea eidem Ordini commodum et opportunum esse censentes ut in singulis dicti Ordinis provinciis duae domus et loca recollecta huiusmodi existant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo decernimus atque statuimus quod in qualibet provincia dicti Ordinis duae ad minus domus et loca recollecta esse debeant; et praefata monasteria recollecta nullatenus ab huiusmodi recollectione separari possint; et fratres in illis degentes, etiam si velint (nisi de ministri generalis ipsius Ordinis vel provincialis et discretorum conventuum dictorum locorum recollectorum pro tempore existentium consilio), ad alia loca non recollecta transferri nequeant, nisi eisdem superioribus, ut aliter fiat, visum fuerit expedire.

Clausulae praeservativae.

§ 2. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari aut invalidari nullatenus posse, mi-

nusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullatenus posse, sicque ab omnibus censeri.

Clausula sublativa.

§ 3. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§ 4. Et nihilominus, pro maiori praemissorum cautione, venerabili fratri episcopo Conchensi et dilectis filiis causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori ac officiali Toletano per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, faciant illas ab omnibus, quos illae concernunt, inviolabiliter observari, non permittentes aliquid contra praemissa quomodolibet innovari. Contradictores quoslibet et rebelles per easdem poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis, quibusvis apostolicis nec non, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, etiam iuramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 6. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi expediens foret, deferre, volumus quod illarum transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die nona martii, millesimo quingentesimo sexagesimo nono, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 martii 1569, pontif. anno IV.

CXXVI.

Stationum indulgentias per christifideles, tam in Liberiana Sanctae Mariae Maioris basilica, quam in ecclesia Sanctae Mariae in Dominica lucrari decernit [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, Qui, pro redemptione generis humani, de summo coelorum solio ad huius mundi infima descendere, et carnem nostram ex castissimo sanctissimoque utero gloriosissimae semperque virginis Dei Genitricis Mariae assumere dignatus est, vices, licet immeriti, gerentes in terris, basilicas et ecclesias in eiusdem Beatae Mariae Virginis advocatae nostrae honorem ac venerationem dedicatas, spiritualibusque gratiis et indulgentiis decoratas et praesertim insignes, quae nunquam satis venerari frequentarique possunt, non solum peramplius semper ornare, sed quae ab illis etiam translata esse reperiuntur, eis, favente Domino, restituere pie sancteque studemus; ut quo frequentius christifideles eas visitaverint, per devotionis sinceritatem, redemptionis suae fructum facilius consequi et ad sempiternae gloriae beatitudinem feliciter [2] pervenire.

Leo X stationum indulgentias ad ecclesiam Sanctae Mariae in Domi-

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, alias felicis recordationis Leo Papa decimus, praedecessor noster, ecclesiam Sanctae Mariae in Dominica de Urbe, vulgariter

1 Ex Regest. in Archiv. Vat. 2 Addendum forte *valeant* (n. T.).

nica a basilica Liberiana transtulit.

ad Navicellam nuncupatam, celebriorem reddere volens, et ut eo libentius christifideles ad eam visitandam confluerent, quo maiora spiritualia munera exinde si adipisci posse cognoscerent, quascumque stationum indulgentias et peccatorum remissiones, quae qualibet secunda dominica cuiuslibet quadragesimae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris christifidelibus basilicam S. Mariae Maioris de dicta Urbe visitantibus concessae erant, ad eamdem ecclesiam S. Mariae in Dominica, apostolica auctoritate transtulerit, illasque ipsis christifidelibus ecclesiam S. Mariae in Dominica huiusmodi, in dicta secunda dominica quadragesimae, visitantibus, eadem auctoritate concesserit, prout in ipsius Leonis praedecessoris litteris desuper confectis.

Pius utrique ecclesiae stationum indulgentias concedit;

§ 2. Nos, bonum et christifidelium animabus salutare esse, simulque ad divini cultus honorem plurimum tendere existimantes ne ipsa basilica S. Mariae Maioris, quae quidem divina revelatione, ut pia historia legitur, erecta fuit, et plurimis sanctorum reliquiis referta reperitur, suis solitis honoribus et visitationibus destituta remaneat; verum cupientes, pro pastorali nostro officio, utramque et basilicam S. Mariae Maioris et ecclesiam Sanctae Mariae in Dominica huiusmodi, dicta secunda dominica quadragesimae, ab eisdem christifidelibus pariter visitari et devote frequentari, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui secunda dominica quadragesimae, singulis annis, perpetuis futuris temporibus, vel basilicam S. Mariae Maioris vel ecclesiam Sanctae Mariae in Dominica devote visitaverint, et pias ibi ad Deum preces effuderint, aliaque solita ad id requisita adimpleverint, praedictas et easdemmet stationum indulgentias et peccatorum remissiones consequantur et consequi possint, dicta auctoritate apostolica et de apostolicae potestatis plenitudine perpetuo concedimus, et ita tam basilicam S. Mariae Maioris, ut illae ipsae stationum indulgentiae in ecclesia S. Mariae in Dominica, secunda dominica quadragesimae, integrae perpetuo remaneant, plenarie restituimus.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus ipsius Leonis praedecessoris translatione huiusmodi, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, quarto idus martii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 12 martii 1569, pontif. anno IV.

CXXVII.

Contra offendentes statum, res et personas sanctissimi officii Inquisitionis haereticae pravitatis, eorumque filios necnon complices et fautores [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Si de protegendis ceteris omnibus ecclesiae ministris, quos in fidem et clientelam nostram a Domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet, quanto maiore studio eam nos sollicitudinem capessere necesse est, ut qui in sacro inquisitionis haereticae pravitatis officio versantur, sub tutela inviolatae auctoritatis huius Sedis periculorum omnium expertes, quaeque munera ad exaltationem fidei catholicae exequantur.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque eius generis impiorum vis quotidie magis invalescat, qui omnibus malis artibus praedictum officium subvertere, ministrosque functionibus dis-

1 Ad haec habes etiam Iulii III constitutionem XII, *Licet a diversis*, tom. VI, pag. 451.

turbare moliuntur, eo iam nos detrusit necessitas ut nefariam et scelestam illorum audaciam acerbiore castigationis verbere reprimamus.

Offendentes seu impedientes personas inquisitorum, etc.,

§ 2. Hac igitur generali constitutione, de fratrum nostrorum consilio, sancimus ut quicumque, sive privatus sive cuncta civitas, sive populus sive dominus, comes, marchio, dux vel potiore titulo illustris, quemvis ex inquisitoribus, advocatis, procuratoribus, notariis aliisque ministris praedicti officii vel episcoporum id munus in sua dioecesi aut provincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem aut testem in causa fidei quomodocumque productum vel evocatum occiderit, verberaverit, deiecerit seu perterrefecerit.

Bonaque diripientes,

§ 3. Quive ecclesias, aedes aliasve res, sive publicas sive privatas, officii aut ministrorum expugnaverit, invaserit, incenderit, expilaverit; aut libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regestra, protocolla, exempla, scripturas aliave instrumenta, sive publica sive privata, ubicumque posita, combusserit, diripuerit seu interverterit; seu ex incendio aut direptione, etiam inermis, sive capiendi sive comburendi sive supprimendi causa fuerit, sive res aut personas servari defendive prohibuerit.

Et carceres frangentes, etc. poenas hic descriptas incurrunt.

§ 4. Quive carcerem aut aliam custodiam, seu publicam seu privatam, effregerit, vinctum extraxerit seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumve eripuerit, receperit, occuluerit seu facultatem effugiendi dederit seu iusserit id fieri; qui coetum concursumve fecerit, sive, ut aliquid praedictorum fieret, homines accommodaverit, sive alias auxilium, consilium aut favorem, publice vel occulte, in quolibet praedictorum scienter praestiterit, licet nemo occisus, verberatus, nemo extractus, emissus vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum direptumve, nullum denique damnum reipsa sit secutum: nihilominus is sit anathemate praesentis canonis auctoritate ligatus; idem quoque, laesae maiestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo ac quocumque alio beneficio temporali et perpetuo eo ipso privatus, saecularis iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas poenas exigat quae damnatis primo capite dictae legis per constitutiones legitimas irrogantur, bonis rebusque omnibus fisci iuribus applicatis, uti etiam est de damnatis haereticis per sanctiones canonicas constitutum; eius filii, paterna infamia subiecti, omnis et cuiuscumque haereditatis, successionis, donationis et legati sive propinquorum sive extraneorum omnino sint expertes, eisdem praeterea portae nunquam pateant dignitatum.

Delinquentes claras tantum modo probationes in contraria adducere possunt.

§ 5. Nemo autem expurgationem habere, aut causam ullam proponere vel praetendere possit, qui tantum nefas in contemptum et odium huius officii admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod porro de praedictis eorumque filiis statuimus, illud idem de omnibus clericis et presbyteris saecularibus et quorumvis Ordinum, etiam exemptorum, regularibus, et quaeumque, etiam episcopali et maiori, dignitate praeditis, ac etiam privilegio quomodocumque suffultis, decernimus exequendum: ita ut ipsi, beneficiis et officiis omnibus ecclesiasticis praesentium auctoritate privati, per iudicem ecclesiasticum, haereticorum more, degradentur demum potestati saeculari traditi, poenis praedictis, laicorum instar, subiiciantur;

Episcoporum tamen causae Rom. Pontifici reservantur.

§ 6. Pontificum tamen causis nobis et successoribus nostris reservatis, ut, re quaesita et nobis renunciata, contra eos ad depositionem et alias poenas praedictas procedamus, uti criminis atrocitas videbitur postulare.

§ 7. Quicumque autem pro talibus veniam petere aut alias intercedere tenta-

Intercedentes pro praefatis delinquentibus, haeresis poenas incurrunt.

verint, in easdem illas poenas, quae in haereticorum fautores a sacris constitutionibus inferuntur, ipso facto se noverint incidisse.

Revelantes huiusmodi delicta impunitatem consequuntur.

§ 8. Verum si quis, etiam huiusmodi criminum conscius vel affinis, sive religionis studio sive poenitentia ductus, rem adhuc incognitam retexerit, supplicio liberetur.

Forma servanda in absolutionibus huiusmodi criminum a Pontifice concedendis.

§ 9. Ceterum, eam omnium et quarumcumque absolutionum rationem a praedictis criminibus, necnon habilitationum et restitutionum, etiam ad famam et honores, ita deinceps habendam optamus, ut successores nostri nullas, nisi saltem semestri post cuiusque assumptionem ad huius dignitatis fastigium excurso, ac precibus apud supremum officium Inquisitionis hic institutum verificatis, concedant. Decernentes omnes et quascumque huiusmodi absolutiones, habilitationes et restitutiones, quae precibus sic non verificatis de caetero fient, nemini prorsus prodesse; sed nec praesentibus, nisi toto ipsarum tenore ad verbum inserto, et gratia ex certa Romani Pontificis scientia facta et propria manu subsignata, ulla in parte derogari nec derogatum censeri debere; et si illis ex quacumque causa aliter derogari contigerit, derogationes huiusmodi nullius prorsus fore roboris et momenti.

Deputatio executorum.

§ 10. Iubemus igitur universos et singulos patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos et ceteros ecclesiarum praelatos per universum orbem constitutos, ut, per se vel alium seu alios, praesentes litteras aut earum exempla in suis quisque provinciis, civitatibus, dioecesibus et locis solemniter publicare, et quantum in se est, firmiter observari procurent, contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, ipsasque censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 12. Volumus autem ut praesentium exempla, etiam impressa, edantur, eaque, notarii publici manu *etc.*

Obtestatio in principes.

§ 13. Ceterum, omnes orbis terrarum principes, quibus gladii saecularis potestas in malorum vindictam est permissa, per eam, quam se tueri promiserunt, fidem, obtestamur, ita suas quisque partes, sive in praestando ministris praedictis auxilio, sive in criminum post Ecclesiae sententiam animadversione, implere, ut eorum quoque praesidiis ministri ipsi tanti officii munus, pro Dei aeterni gloria et religionis incremento, feliciter exequantur, amplissimum a Domino praemium recepturi, quod fidei praedictae assertoribus in aeternae beatitudinis consortio praeparavit.

Sanctio poenalis.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Papae subscr.

✝ Ego Pius, catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur subscriptiones cardinalium et publicatio.

Dat. die 1 aprilis 1569, pontif. anno IV.

CXXVIII.

Reformatio Poenitentiariae Apostolicae et eius officialium 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

In omnibus rebus humanis nihil tam perfecte institui, nihil ullis legibus san-

1 Alia reformatio habetur in Pii IV constitutione LXV, *In sublimi*, pag. 195 huius tomi. De auctoritate vero summi poenitentiarii, vide Sixti IV constitutionem XXVIII, *Quoniam*, tom. V, pag. 292. Et de officialibus agitur in constitutione subseq.

ctionibusque tam diligenter muniri potest, quin id lubrica et praeceps malorumque omnium effectrix cupiditas novis quotidie artibus pervertere atque corrumpere moliatur. Quocirca omnes ad huius praecelsae dignitatis fastigium evecti perpetua quadam necessitate coguntur nusquam oculos a commisso sibi grege avertere, sed continenter vigiles circumferre, ut quandocumque usus poscit, novis modo legibus ferendis, modo veteribus corrigendis vel ad usum revocandis, ea quae paullatim depravata sunt, in melius reformentur. Quod quidem nos iam inde ab ipso pontificatus nostri principio et liberaliter fecimus, et quantum in nobis est, illud idem statutum urgere et persequi, annuente Deo, conamur; neque quicquam nobis est vel praeclarius vel optabilius, quam ut collapsos a vetere disciplina mores ad pristinam suam integritatem denuo erectos, et in agro Domini a pravarum consuetudinum sentibus omnia diligenter perpurgata videamus.

Causae huius reformationis.

§ 1. Sed ne, dum ea quae ad communem totius corporis salutem pertinent tantopere procurantur, quisquam nos accuset quod eam partem quae nobis proxima est negligamus, neque illius ulceribus necessarium salutis remedium applicemus, divino auxilio freti, curiae nostrae universae reformationem iamdudum oculis nostris obversantem aggredi decrevimus; pro qua, etsi antehac nonnulli praedecessores nostri multa sancte et salubriter ordinarunt; hominum tamen fragilitate, non ita multo post aut neglecta aut corrupta sunt, aliis atque aliis aliena suo sibi officio usurpantibus et dictae curiae expeditiones invicem confundentibus, quarum singulis sagax illa vetustas proprium et distinctum, pro cuiusque diversitate et materiae genere, officium tanto studio assignavit. Unde nos, operae pretium fore arbitrati illud in primis conari, ut quod cuique officio congruit ad illud idem revocetur; demum sapienter providere et providenter statuere per quos viros quibusque modis curiae praedictae negotia, pro rerum, temporum et locorum qualitate deinceps dirigantur. At quia ceteris omnibus illa anteponere necesse est, ex quibus pendere dignoscitur periculum animarum.

Revocatio facultatum Poenitentiariae.

§ 2. Nos, huiusce reformationis exordium a Poenitentiariae nostrae officio capere instituimus, eiusque rei causa omnem auctoritatem ordinariam et delegatam, omniaque privilegia, facultates et indulta ideo duximus revocanda, ut, habita de ministrorum qualitate, numero, functionibus et officiis ratione explicita, novam futuris formam de integro praescribere valeamus, qua ipsum Poenitentiariae officium certis quibusdam facultatibus, quae aliis officiis magis conveniunt, exoneratum atque expeditum, dehinc ea quae animarum salutem praecipue concernunt, attentiore studio prosequatur.

Amotio quorumdam officialium.

§ 3. Primum igitur omnium de huiusmodi officio, ministris et functionibus rationem prodere volentes, de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula loca seu officia referendariorum, correctorum et revisoris, nec non functiones et exercitia scriptorum, qui viginti septem, et procuratorum qui viginti quatuor sunt, quorumque procuratorum octo officia ad dispensationem pro tempore existentis maioris poenitentiarii pertinere noscuntur, in eodem Penitentiariae officio perpetuo supprimimus et abolemus; eorumque scriptorum et procuratorum rationem aliorsum habituri, illos omnes iam nunc ab ipso Poenitentiariae officio amovemus.

Deputatio aliorum officialium.

§ 4. Ac dictum officium dehinc maiore poenitentiario, regente, datario, uno correctore, uno magistro in theologia, uno doctore in decretis, duobus procuratori-

bus, duobus scriptoribus et uno sigillatore, quos pro futuris rebus et negotiis illius satis esse duximus, perpetuo constare volumus.

Quorum officia vendibilia esse prohibet.

§ 5. Illorumque omnium officiorum in ipso Poenitentiariae officio constitutorum venditionem, aut quamvis aliam voluntariam, tacitam vel expressam ea dimittentium dispositionem expresse prohibemus ; sed illa omnia probis et peritis, gratis omnino et sine aliqua dimittentium aut aliorum quorumcumque acceptione, concedantur; quod si secus factum fuerit, quaecumque concessiones de illis pro tempore factae nullius sint roboris vel momenti.

Poenitentiarius maior qui.

§ 6. Praeterea statuimus et ordinamus ut deinceps in perpetuum maior poenitentiarius officium suum per se ipsum exerceat; quare sit presbyter, magister in theologia seu decretorum doctor; et si, causa legitima a Romano Pontifice admissa, absens seu impeditus fuerit, unum alium ex sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, praedictis qualitatibus insignitum, sibi propoenitentiarium subroget, qui interim hoc munus etiam per se ipsum prosequatur, litterasque non poenitentiarii delegantis, sed suo proprio nomine expediat.

Regens et datarius qui.

§ 7. Similiter regens, datarius, magister in theologia et decretorum doctor, viri eximia doctrina praestantes casuumque conscientae periti.

Corrector.

§ 8. Item corrector in decretis, stylo ceterisque Poenitentiariae rebus diligenter versatus et instructus.

Sigillator.

§ 9. Ac etiam sigillator probatae vitae, et, uti id munus postulat, omnium officii expeditionum peritus. Qui omnes, maioris poenitentiarii cura et sollicitudine delecti, et a Romano Pontifice confirmati, ad suum quisque officium admittantur.

Procuratores et scriptores qui

§ 10. Procuratores quoque et scriptores praedicti, vita moribusque integris ornati, ad suum quisque officium exercendum idonei. Ad haec, omnes praedicti officii ministri, etiam procuratores et scriptores, sint presbyteri vel certe in aliquo ex sacris ordinibus constituti, huiusmodi arcanorum continentissimi; quorum etiam iuramento de fidelitate praestando adscribatur, quod nec occulta huiusmodi, nec personas umquam cuiquam extra officium revelabunt; qui secus fecerint, non levius quam presbyteri peccatorum confessiones prodere audentes, puniantur.

Et a quo examinandi.

§ 11. Procuratoriae autem et Scriptoriae officia ita demum a maiore poenitentiario illis concedantur, qui prius a regente et correctore, super vita, morib., aetate, scientia et aliis qualitatibus requisitis, diligenter, ac propositis edictis, et mora sex dierum praecedente, per concursum examinati et idonei comprobati fuerint; alioquin omnes concessiones, etiam si a Romano Pontifice ex aliqua causa pro tempore factae fuerint, pro irritis habeantur.

Officiales per se ipsos exercent, suisque stipendiis sint contenti.

§ 12. Omnes vero supradicti officia sua per se ipsos, cum diligenter tum etiam fideliter exerceant, solique praesentes et actu exercentes, nisi legitime impediti, fructus et emolumenta percipiant, quorum singulis certum statumque aliunde stipendium cuique conveniens assignare intendimus, quo solo contenti esse debeant, nihilque aliud, etiam sponte oblatum a partibus aut alias, sive pro expeditionis celeritate sive pro alio extraordinario labore, tam procurando quam scribendo aut recognoscendo et examinando, capere possint; quicumque secus fecerint, officio suo huiusmodi privati, excommunicationis quoque sententia innodati eo ipso censeantur, cuius absolutionis beneficium ab alio quam Romano Pontifice, excepto mortis articulo, nequeant obtinere.

Regentis Poenitentiario munus.

§ 13. Ut autem negotia universa qua decet puritate et diligentia dirigantur, praedictus regens petitiones casusque omnes ad praedictum officium deductos in

primis examinet diligenter; quaeque perspicua et secundum communem in eodem officio cursum, absque difficultate, expediri consueverunt, eadem expediri iubeat, nihilque omnino vel ordinarium aut clarum, nisi prius ab ipso recognitum et probatum, procuratores expedire incipiant. Dubia vero vel obscura vel difficultate obstructa regens ipse ad maiorem poenitentiarium referat, ut diligentius examinentur, demum in eius Signatura proposita, cum maturo omnium iudicio decidantur.

Materiae dividantur.

§ 14. Ceterum materiae omnes, sive conficiendae sive scribendae, inter procuratores et scriptores, cura sigillatoris, aequaliter dividantur.

Correctoris officium.

§ 15. Sed ut litterae praedictae, stylo suo conscriptae, sanae et incorruptae emittantur, corrector praedictus, antequam illae scribantur, schedulas sive minutas earum a praedictis procuratoribus conficiendas, cum supplicatione expedita, diligenter recognoscat, examinet et corrigat, ut inde litterae ipsae mundae et integrae rasurisque prorsus carentes expediantur. Itemque, super omnibus materiis, tam ordinariis quam extraordinariis, supplicationes, ubi illis opus erit, in totum expediri debeant, prius quam ad expeditionem litterarum super illis quoquo pacto procedatur.

Sigillatoris officium.

§ 16. Denique sigillator praedictus litteras omnes eatenus recognoscat, ut manus requisitae illis appositae sint, et earum datae cum libello supplicationis concordent; deinde ipsius sigillo Poenitentiariae obsignatas, et in totum gratis ubique expeditas, tunc demum eas procurantibus resignet.

Pro expeditione litterarum nihil solvatur.

§ 17. Illud autem sancte et inviolate apud officium praedictum volumus observari, ut nihil prorsus pro litterarum confectione et expeditione, nec alias etiam pro charta, atramento, cera, capsula, cordulis aliisque rebus ad ipsam expeditionem pertinentibus exsolvatur, rationem aliunde habituri, unde haec omnia, simulque ministrorum omnium stipendia debeant comparari.

Sigillator custodiat omnes scripturas Poenitentiariae officium concernentes.

§ 18. Sed ne quid rerum dictae Poenitentiariae lapsu temporis pereat neglectumque iaceat, sigillator ipse omnia exemplaria, litteras, scripturas et instrumenta quorumcumque privilegiorum, facultatum, concessionum, prohibitionum, reformationum et ceterorum omnium dictum officium Poenitentiariae in universum et privatim concernentium, fideliter ac cum periculo suo asservet, deque his omnibus authenticum inventarium ac regestum conficiat, cui quicquid postea additum, statutum, concessum vel vetitum erit, illud totum qualecumque quamprimum adscribatur, et sic deinceps haec omnia in futurorum sigillatorum fidem, cum eisdem conditionibus et periculis, deponantur.

Officialium iramenta.

§ 19. Ad retinendam vero in dicto officio puritatem et confirmandam singulorum fidem, districte praecipimus ut iuramenta, quae in admissione officialium requiruntur, ad praesentem nostram reformationem accommodata, quotannis in manibus dicti maioris poenitentiarii debeant iterari.

Inobedientium poenae 1.

§ 20. Monemus insuper omnes et singulos supradictos ut caveant diligenter ne in officiorum suorum exercitio fraus vel dolus quoquo pacto admittatur, vel captio inducatur, neve ipsi partibus quidquam dolose et fraudulenter suggerant, quo facilius optata impetrare possint, sed solum petitiones iustas, rationabiles et honestas recipiant et proponant. Quod si dolum vel fraudem fecisse, aut quidquam, vel minimum, pro labore aut alias quoquomodo accepisse convicti fuerint, praeter illas censuras et poenas, quae contra talia admittentes quomodocumque propositae sunt, in poenam privationis officiorum

1 Quas habes etiam in constitutione CXXX.

suorum incurrant, et ad futura inhabiles infamesque reputentur, prout nos illos privatos, inhabiles et infames declaramus eo ipso.

Decretum irritans.

§ 21. Decernentes ex nunc irritum et inane quidquid secus super praedictis aut eorum aliquo a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 22. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quaesito et aliis apostolicis constitutionibus, ac de certo officiorum praedictorum numero, etiam pluries a Romanis Pontificibus reducto; necnon officii Poenitentiariae huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, veteri stylo et consuetudinibus quantocumque tempore observatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio observantiae.

§ 23. Depulsa igitur omnis avaritiae foeditate, pro se quisque piam castamque mentem ad impositum sibi munus, pro Dei aeterni gloria et christifidelium salute, acriter intendat, et pro virili parte conetur ut cuncta prospera et hoc tanto officio digna succedant, Sedesque Apostolica pro bene gestis condignae laudis praeconio in singulis christiani orbis partibus plenius celebretur.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIX, XV kalendas iunii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 maii 1569, pontif. anno IV.

CXXIX.

Limitatio nonnullarum facultatum maioris poenitentiarii eiusdemque ministrorum [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ut bonus paterfamilias, si quando, nutantem domum suam fulcire et reficere aggressus, simul atque partem eius aliquam in eum statum perduxit ut habitari commode possit, eam nova supellectile instruit et exornat, ut dum ceterae quoque eodem modo instaurantur, haec saltem interea non iaceat otiosa, sed usus ex se aliquis domino praebeatur. Ita nos, qui Curiam nostram universam, multorum cupiditate tentatam, in meliorem statum vertere contendimus, inter alios eius ordines, ad Poenitentiariae nostrae officium in primis conversi, novam illi facultatem de integro praescribere statuimus, qua sola deinceps in rebus et negotiis suis uti debeat.

Quae in praecedenti constitutione statuerat.

§ 1. Quare nuper omnem illi auctoritatem et potestatem ordinariam et delegatam, omniaque privilegia, facultates et indulta omnino ademimus. Deinde certa quaedam de ministrorum qualitate, numero, functionibus et officiis, quae magis convenire visa sunt, aliis nostris litteris ordinavimus.

Maiori poenitentiario facultates relinquit muneris poenitentialis proprias.

§ 2. Nunc vero, ne illud etiam, dum in ceteras dictae Curiae partes inquirimus, desideat, sed et interim et semper deinceps omnibus usui sit, solis rursus facultatibus, quae poenitentialis muneris maxime propriae sunt, et ad egentium fidelium remedium accommodatae, communire intendimus, quibus eius praefectus, vice nostra, illis ipsis, quorum causa fundatum est, extemplo succurrat, eademque opera nos, tot tantisque sine intermissione curis exagitatos, aliquo pacto exoneret, ne illi, cunctationis nostrae necessitate morati, diutius in reatu et sordibus pendeant, neve quisquam in graviora pericula deducatur.

Omnes absolvere potest in foro conscientiae.

§ 3. Concedimus igitur maiori poenitentiario nostro ut possit absolvere et absolvi mandare, in foro conscientiae dumtaxat, omnes et singulas personas ecclesiasticas, saeculares et regulares, cuiuscumque dignitatis, qualitatis et ordinis, necnon laicos utriusque sexus, tam prae-

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

sentes quam absentes, in omnibus casibus, etiam Romano Pontifici et Apostolicae Sedi reservatis, litterisque apostolicis comprehensis, quae die Coenae Domini quotannis promulgantur, et prorsus ab omnibus et quibuscumque aliis criminibus, peccatis, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, tam occultis quam publicis, necnon excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis illorum occasione vel causa latis, iniuncta inde illis pro culpae modo poenitentia salutari et aliis quae de iure fuerint iniungenda; ac etiam dispensare et dispensari mandare cum quibus expediens videbitur, etiam in pristinum statum restituendo, sed in dicto foro conscientiae tantum, super quacumque irregularitate, inhabilitate, defectu et infamia, praeterquam ex crimine haeresis, homicidio voluntario, contracta scienter simonia et publicis criminibus, super quibus Romanum Pontificem prius ab ipso poenitentiario volumus consulendum.

Quibus in casibus Romanum Pontificem debeat consulere.

§ 4. Utque in susceptis, etiam sacris et presbyteratus, ordinibus ministrare, et ad superiores conscendere, ac dignitates, etiam cathedrales et metropolitanas, ac beneficia et officia ecclesiastica obtenta canonice collata, quaecumque sint, retinere aliaque consequi et habere.

Potest etiam habilitare ad dignitates et beneficia in eodem foro;

§ 5. In contractis vero matrimoniis, si impedimenta occulta sint, exceptis primo consanguinatis vel affinitatis, aut secundo in linea inaequali consanguinitatis gradu, remanere; et in superveniente impedimento debitum petere possint, prolem, ubi opus erit, in eodem tamen conscientiae foro, legitimam decernendo, adiecta litteris clausula *nullis*, quae similibus consuevit apponi.

In contractis matrimonialibus dispensare a nonnullis impedimentis;

§ 6. Ad haec, quoque absolvere et absolvi mandare excommunicatos et suspensos a sententia generali vel speciali delegatorum aliorumve iudicum, quorum iurisdictio expiravit; ac etiam eos, quorum absolutio per eosdem iudices aut alios est ad Romanum Pontificem et dictam Sedem quomodocumque remissa; et item eos, qui legitimo impedimento detenti, praesentiam iudicum vel eorum, qui ipsos excommunicarunt aut suspenderunt, per se vel alium seu alios, adire non possunt, modo satisfactio vel compositio inter partes sit secuta.

Absolvere ab excommunicatione et suspensione;

§ 7. Necnon commutare vota quaecumque in alia pietatis opera, votis Sepulcri Dominici visitationis ac liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli de Urbe, castitatis et Religionis dumtaxat exceptis.

Vota commutare;

§ 8. Dubia quoque in materia peccatorum seu forum poenitentiale alias quomodolibet concernentia, cum consilio doctorum et theologorum suorum, declarare.

Dubia ad forum poenitentiale pertinentia solvere;

§ 9. Et de male ablatis vel retentis incertis mandare ut, etiam parte aliqua delinquentibus pauperibus, si videatur, remissa, eorum qualitate et necessitate pensatis, residuum pauperibus vel aliis piis operibus, in locis, si fieri possit, ubi illa ablata sunt aut extorta vel usurpata, convertantur.

Super male ablatis vel retentis incertis absolvere;

§ 10. Postremo prohibemus praedicto maiori poenitentiario ne in ullis casibus publicis absolutiones pro principibus et aliis ius imperii habentibus, necnon dominiis, rebuspublicis, item episcopis et aliis superioribus praelatis praesentium auctoritate concedat; sed, quotiescumque quid horum contingat, aut nos aut Romanum Pontificem pro tempore existentem properet consulendum; nec, etiam in ipsis occultis, sanctae Romanae Ecclesiae cardinales absolvat, qui, vivente R. Pontifice, de futuro quopiam eligendo vel excludendo quoquo pacto tractaverint, vel pro se ipsis vel aliis suffragia inierint, vel etiam, Sede ipsa vacante, ambitus fecerint, aut pactiones habuerint de eisdem; decern. irritum et

Super quibus personis Pontificem debeat consulere.

inane quidquid deinceps per illum ac dictum officium, praeter et contra concessionem atque formam praemissorum, etiam asserto vivae vocis oraculo ac speciali et expresso Papae mandato, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quintodecimo kalendas iunii, Pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 maii 1569, pontif. anno IV.

CXXX.

Scriptores et procuratores Poenitentiariae Apostolicae ad Cancellariam Apostolicam transferuntur, et scriptores et procuratores litterarum minoris gratiae instituuntur [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In earum rerum commutatione, quam, magnis suadentibus causis, facere compellimur, hoc quoque a nobis sedulo curandum est ut ille ministrorum numerus, qui, novo ordine composito, uno in loco usui esse desiit, in alium magis convenientem commodis rationibus elocetur.

In constitutione CXXVIII subduxit hic Pontifex a Poenitentiaria officia correctorum, scriptorum et procuratorum, exceptis duobus;

§ 1. Cum igitur, in generali reformatione officii nostri Poenitentiariae, et quam nuper edidimus, inter talia multa, duo officia correctorum, itemque functiones et exercitia omnium et singulorum scriptorum qui vigintiseptem, et procuratorum litterarum dictae Poenitentiariae, qui vigintiquatuor sunt, in praedicto Poenitentiariae officio de apostolicae potestatis plenitudine extinxerimus et aboleverimus, ac eorumdem scriptorum et procuratorum, qui tunc litterarum Poenitentiariae erant, rationem aliorsum habituri, eos omnes ab ipso Poenitentiariae officio subduxerimus, quemadmodum litteris nostris desuper confectis plenius continetur.

Et nunc dicta officia scriptorum et procuratorum ad Cancellariam transfert;

§ 2. Nos, dictis officiis scriptorum et procuratorum eorumque collegiis novum statum inducere et, quantum in nobis est, singulorum ea obtinentium indemnitati consulere volentes, de simili potestatis plenitudine, omnia et singula officia et loca scriptorum et procuratorum praedictorum ipsorumque personas et collegia (novo nomine et titulo utriusque indito, ac libera concessione et omnimoda alia dispositione octo officiorum huiusmodi procuratorum maiori poenitentiario, eodem quo antea iure, perpetuo remanente) ad Cancellariam Apostolicam transferimus, et cum ea perpetuo coniungimus. Ita ut quondam scriptores litterarum Poenitentiariae, dehinc scriptores litterarum apostolicarum minoris gratiae, alteri vero procuratores litterarum earumdem minoris gratiae appellentur et inscribantur.

Et locum illis in ea assignat;

§ 3. Quibus concedimus et assignamus mensam seu bancum utriusque commune in eadem Cancellaria post milites Sanctorum Petri et Pauli, aut alio ibi loco a dilecto filio nostro S. R. E. vicecancellario constituendo, ad quod litterae omnes, hoc dehinc officio litterarum minoris gratiae expediendae, in primis deferantur.

Formamque statuit expeditioni litterarum.

§ 4. Statuentes ut materiae, quae in dicto Poenitentiariae officio proximis ante dictam reformationem temporibus communiter habebantur, et ex ordinatione nostra in summam redactae sunt, deinceps per nostram ac Romani Pontificis pro tempore existentis deputatorumve signaturam fiant. Harum omnium libellos supplices et item litterarum super eis conficiendarum schedulas sive minutas soli procuratores, ad dictae Cancellariae stilum,

1 De materia Poenitentiariae vide in constitutione praecedenti, de materia vero Cancellariae vide in Pii IV constitutione LXVII, *Universi gregis*, pag. 200 huius tomi.

conscribant. Conscriptas minutas abbreviatores litterarum apostolicarum de maiori praesidentia in primis examinent et corrigant. Correctas soli scriptores huiusmodi litterarum minoris gratiæ describant, ut inde litterae ipsae ad Cancellariam prædictam et defensores aliosque praesidentes in banco praedicto deferantur, ibique, secundum regulam ad ritum dicti officii Poenitentiariae moderandam, taxentur. Mox ab abbreviatoribus praedictis, instar aliarum, in eadem Cancellaria recognitae et ad supplicationem collatae, ad Bullariam mittantur; subiectoque plumbo, protinus a sigillatore praedicti officii Poenitentiariae capiantur, qui, taxa ad praescriptum nostrum recepta, eas per descriptores ad id assumendos iuxta nostras super hoc ordinationes regestari, et regestatas ad exemplum, ut in aliis moris est, conferre; denique singulis litteris praedictis omnem impensam per verbum *Exposuit*, uti litteris officii Poenitentiariae prædictæ moris erat, subscribere, idque etiam regesto praedicto adnotare procuret.

Emolumenta officialibus assignat.

§ 5. Percipiendorum autem a quoque fructuum et emolumentorum suorum ea ratio esse debeat ut, finito mense, in primis salaria eorum omnium, qui ad mensam prædictam defensores, et alio officii munere ex scriptoribus et procuratoribus litterar. minoris gratiae huiusmodi constituantur et solvantur; deinde procuratores et scriptores suam quisque portionem viritim per sua collegia, ut antea distribuendam, capiant; regens vero Cancellariae et abbreviatores praedicti pro laboribus illud idem de singulis expeditionibus, quod olim praedicti duo correctores, et stipendium et emolumentum libere et licite percipient. Cetera item salaria et emolumenta in plumbo et utroque regesto, videlicet supplicationum et litterarum praedictarum et alibi necessaria, iuxta ordinationes nostras praedictas, capiantur. De taxa vero a dicto sigillatore capienda, stipendia regentis, datarii, correctoris, theologi, doctoris, procuratorum, scriptorum, sigillatoris, ceterorumque ministrorum, [1] atramento, cera, capsula, cordulis et alias quomodocumque ad expeditionem litterarum dictae Poenitentiariae necessaria, quas gratis ubique fieri et concedi iam praecipimus, ante omnia desumantur, et singulis persolvantur; quod vero, his omnibus omnino deductis et persolutis, reliquum erit, maioris poenitentiarii praedicti esse debeat.

Sigillatoris officium.

§ 6. Ad haec quoque praedictus sigillator curam habeat praedictas supplicationes e manu datarii recipiendi, et per alios ad id ordinandos describendi, in regestum ab altero distinctum referendi, et utrumque fideliter custodiendi. Ceterum, nullae omnino supplicationes, super huiusmodi materiis signandae inter abbreviatores praedictos distribuantur, neque cuipiam relinquantur, neque super iis sumpta aliave exempla ex regestis describantur, etiam postquam litteræ apostolicae super illis expeditae et partibus eas prosequentibus redditae fuerint, sed supplicationes ipsae apud regestum praedictum, sub cura dicti sigillatoris, qui pariter ipsi regesto praefectus sit, fideliter custodiantur.

Inhibitio contra officiales ne aliquid capiant pro quocumquo extraordinario labore sub poenis hic expressis.

§ 7. Praecipimus igitur atque interdicimus abbreviatoribus, scriptoribus, procuratoribus ceterisque praedictis, tam coniunctim quam divisim, ne quid, vel minimum, etiam sponte oblatum, a partibus, sive pro expeditionis maturatione sive alio extraordinario labore, capiant, aut a famulis aliisque personis capere permittant, sed suis quisque taxis et stipendiis, uti constituta sunt, contenti esse debeant. Quicumque secus fecerint, praeter illas censuras et poenas, quae in talia perpetrantes impositae sunt, suorum officiorum privationem incurrant, et ad futura inhabiles

1 Addendum forte, *expensa pro* etc. (R. T.).

ac etiam infames censeantur, uti nos illos privatos, inhabiles et infames declaramus eo ipso.

Executorum deputatio.

§ 8. Et nihilominus mandamus praedictis vicecancellario et abbreviatoribus, necnon rescribendario et scriptoribus apostolicis ceterisque, ad quos pertinet, tam coniunctim quam divisim, ut scriptores et procuratores praedictos eorumque singulos, sic cum universo corpore praedicto coniunctos, fraterna caritate prosequantur, et ad huiusmodi officia et ipsorum liberum exercitium, necnon honores, onera et emolumenta omnia, recipiant et admittant, ac faciant praedicta omnia et singula inviolabiliter observari, non permittentes quemquam contra praesentium tenorem quomodolibet impediri. Rursus eisdem scriptoribus et procuratoribus sic cooptatis et adscriptis, ut praedicto vicecancellario tamquam capiti, aliorum dictae Camerae collegiorum instar, obediant et obsequantur.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus de certo scriptorum litterarum apostolicarum numero, et aliis eorum ac dictae Cancellariae statutis, stylo, institutione, consuetudinibus, stabilimentis et reformationibus, quantocumque tempore observatis, ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono, decimoquarto kalendas iunii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 19 maii 1569, pontif. anno IV.

CXXXI.

Declaratio casuum ac praesumptionum, in causis confidentiae beneficialis, contra quoscumque, etiam S. R. E. cardinales, cum appositione poenarum [1].

1 Ad haec, vide Pii IV constitutionem CII, *Romanum*, pag. 505 huius tomi, ubi cetera de simoniis et confidentiis habentur.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Intolerabilis multorum perversitas, qui sacrosanctas constitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur, saepe illarum auctores in necessitatem adducit cautius providendi quo pertinacium animi ab improbis conatibus, graviore sanctione proposita, reprimantur.

Pius IV, ut in nota ad rubricam prohibuit confidentias.

§ 1. Bene quidem et providenter felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, ad tollendam fiduciariae mancipationis beneficiorum ecclesiasticorum corruptelam, statuit et decrevit *etc.* [1].

Sed cognovit hic Pontifex multas fraudes desuper committi, quae in iudicio minime probari possunt.

§ 2. Verumtamen, propter improbas multorum cupiditates praedictas, quae ad purgandam hac pernicie Ecclesiam et animarum salutem ab ipso praedecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse gravius delinquendi. Siquidem cum, frequentibus plurium querelis pridem concitati quod iudices in causis huiusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes et singulas causas ipsas, ubicumque motas, ad nos advocavissemus, ac omnimodam huiuscemodi causarum, praesentium et futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis et successoribus nostris reservavissemus, et super quibusdam coram nobis processum fuisset, variis inde nec levibus coniecturis intelleximus vitium quidem confidentiae occulte irrepsisse, sed plerisque causis praesumptiones et coniecturas, quae ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, eiusque rei causa plurimos, qui ante litterarum prædictarum editionem huiusmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in iudiciis confidentias ipsas, contempta constitutione praedicta, ecclesias, monasteria et beneficia sic

1 Ut in bulla citata in nota praecedenti.

recepta ut prius retinere, alios fructus, pensiones et alias res accipere, alios eorum exemplo ad similia et graviora fidentius commoveri. Multi enim ipsa beneficia iure retinere nequeuntes, alii ne cogantur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut, purgato delicto vel absolutione consecuta, illa repetant, eadem in alios deponunt, et in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur aut quibus ipsi statuunt, saepe laicis et inhabilibus. Plerique vel senes vel infirmi, ut beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt et renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infantibus aut nascituris asservent, facto interdum circuitu retrocessionis, cum reservatione fructuum et aliarum rerum aut accessu, praesertim ab illis qui praestandorum iurium Camerae Apostolicae sunt immunes; alii, aut incapaces aut aliis beneficiis ecclesiasticis onusti, aut ecclesiastico ordini sese mancipare refugientes, aut mere laici, beneficia ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad haec, plerique ordinarii et collatores ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, ut fructus seu pensiones capiant eorumdem, aliisve faciant ministrari. Alia item permulta eiusmodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impie violatur, disciplinae ecclesiasticae nervus dirumpitur, et imminens patratur exitium animarum.

Ideo certis regulis confidentias declarat.

§ 3. Quare nos, volentes periculosam talium audaciam novi iuris subsidio cohibere, praesentium auctoritate statuimus.

Ut si quis, quacumque auctoritate, ecclesiam vel monasterium aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecumque ex resignatione vel cessione cuiuscumque personae, simpliciter aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa vel illud, etiam in eventum regressus vel accessus, eidem dimittenti vel alteri postea conferatur, aut illius fructus vel eorum pars alii vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur ex eisdem, haec confidentia censeatur.

Itidem, si ordinarius vel alius collator contulerit antehac aut conferat in futurum beneficium ecclesiasticum, quovis modo vacans, ea conditione, tacita vel expressa, ut postea in alterum, pro arbitrio collatoris seu alterius cuiuscumque, contra iuris communis ordinationem, disponatur; sive ut de eo provisus, fructus illius vel partem ad utilitatem vel conferentis vel decedentis aut alterius relinquat et remittat, seu pensionem illi vel illis, quem vel quos idem collator aut cedens vel alius, per se vel alium, scripto aut verbo iusserit seu significaverit, persolvat; et pariter si a patrono, etiam laico, vel alteri praesentatori seu electori contigerit aut contingat id fieri.

Ad haec, si clericus praedictae Camerae aut cardinalis aut alius a solutione iurium ipsius Camerae vel etiam Cancellariae Apostolicae exemptus, post resignationem vel cessionem alicuius extranei de ecclesia, monasterio vel alio beneficio ecclesiastico, in se apostolica vel alia auctoritate factam et admissam, illam vel illud, etiam confectis litteris apostolicis et possessione apprehensa, in eumdem resignantem vel cedentem, modico spatio interiecto, veluti duorum vel trium mensium, retrocesserit aut retrocedat in futurum, et ex illa retrocessione fructus ecclesiae seu monasterii aut beneficii vel eorum pars seu pensio seu quid aliud

super his reservatum, aut regressus seu accessus et ingressus ad illam vel illud ipsi clerico vel cardinali aut alii exempto sit fueritve concessus.

Postremo, si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacumque auctoritate ecclesiam, monasterium vel aliud beneficium ecclesiasticum, quod ante vel post commissum delictum aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibusvis horum casuum confidentiae pravitas sit contracta, casusque huiusmodi litteris praedictis comprehendantur ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiae crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.

Et ad probandam confidentiam certas præsumptiones sufficere declarat.

§ 4. Ad probandum vero plene confidentiarum abusum, inter alias, etiam hae praesumptiones et coniecturae habeantur legitimae, videlicet:

Si quis, post cessam ab se ecclesiam vel monasterium aut beneficium, et publicatam resignationem seu cessionem, captamque a successore possessionem, sese in illa vel illo seu rebus illius, per se vel alium seu alios, de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicumque successor illi vel eius propinquis ipsos aut partem aliquam remiserit eorumdem.

Si recipiens beneficium constituerit dimittentem vel eius parentes aut propinquos procuratores ad percipiendum vel locandum fructus beneficii dimissi, et illi vel illis de fructibus perceptis aut percipiendis donationem fecerit.

Si, vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis expeditio, quae personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensae pro ea necessariae ab illo factae fuerint.

§ 5. Denique, si quis pro concessione alicui facta, quacumque auctoritate, de beneficio ecclesiastico, per se vel alium seu alios, intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocumque.

Testes singulares praesumptionesque quid probent.

§ 6. Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant praesumptiones et coniecturas, pluresque huiusmodi praesumptiones et coniecturae plenam probationem faciant in praedictis.

Alii testes recipiendi.

§ 7. Ceterum, criminosi et ceteri omnes, qui ad perhibendum in casibus simoniae testimonium recipi possunt, ad praedicta omnia admittantur.

Confidentiae poenae, et causarum cognitio ad quos spectet.

§ 8. Sed ne quisquam, etiam vana fiducia fretus non intendendi contra se iudicii, in crimine perseveret, utque hoc malum gravioris censurae stimulo usquequaque prohibeatur, omnes et singulos qui hucusque ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones aliasve res, intercedente hoc confidentiae vitio, receperunt ac retinent, nisi statim, ad se reversi et resipiscentes, celeri dimissione sibi prospexerint, et qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus et singulis aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis et beneficiis obtentis, quae pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, necnon fructibus, pensionibus et aliis rebus ecclesiasticis, ac etiam Romanae Curiae et aliis officiis temporalibus praesentium auctoritate privamus, et ad futura inhabiles decernimus, et, in iuris subsidium, excommunicationis sententia innodamus, a qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam a Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim, advocatione causarum huiusmodi et reservatione cognitionis illarum, rerumque

omnium inde emergentium, nobis et praedictis successoribus, ut praedictum est, facta, causis illis dumtaxat exceptis, quae iam coram nobis pendere noscuntur, ac etiam iis, quas, ratione ecclesiarum et monasteriorum, quorum dispositio in consistorio fieri consuevit aut debet; itemque contra ordinarios collatores, episcopos et alios superiores praelatos, etiam cardinales, haberi contigerit, uti iam aliis nostris litteris statutum est, audiendis, decidendis et terminandis, harum serie prorsus relaxatis, decernimus ita deinceps per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac praedictae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et ipsorum cuicumque quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari, interpretari et definiri debere; necnon irritum et inane quidquid secus in praedictis per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§ 9. Quocirca omnibus locorum ordinariis districtius iniungimus ut in suis quisque ecclesiis, civitatibus, dioecesibus et locis, etiam exemptis, ad praedicta studiose attendat, et quatenus illis relaxavimus, in delinquentes severe animadvertant, si divinae Maiestatis iudicium dictaeque Sedis censuram voluerint evitare. In ceteris vero causis et negotiis (nobis et praedictis successoribus exceptis) eosdem locorum ordinarios, praesentium auctoritate, delegamus ut, gratia et favore postpositis, pro se quisque, cum venerit usus, contra praedictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suasque inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad praedictam Sedem quamprimum transferant, ut nos et praedicti successores, in causis huiusmodi procedentes, quod iustum fuerit decernamus. Nos enim singulis ordinariis ipsis praedictos omnes et quoscumque alios, etiam exemptos, etiam per edictum publicum, constito prius summarie et extraiudicialiter de non tuto ad illos accessu, citandi et monendi; eisque ac iudicibus ordinariis et delegatis aliisque personis quibuscumque, ne praedictorum executionem quoquomodo impediant, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi; eosdem ac alios contradictores et rebelles quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas ac omnia alia iuris et facti remedia opportuna compellendi; auxilium brachii saecularis, quandocumque opus erit, invocandi; ceteraque in praedictis omnibus et singulis necessaria faciendi et exequendi, plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus; quodque episcopis, collatoribus et praelatis praedictis, etiam cardinalibus, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a praedicta sit Sede indultum vel in posterum indulgeri contingat quod interdici, suspendi vel excommunicari aut contra indulta huiusmodi ad iudicium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam et ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectum praesentium, aut attributae praedictis ordinariis iurisdictionis explicatio seu exercitium vel executio impediri valeat quomodocumque vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Pii constitut. in suo robore remanet.

§ 11. Litteris praedecessoris huiusmodi nihilominus in suo robore duraturis.

Fides transumptorum.

§ 12. Volumus autem ut praesentium exempla, etiam impressa, edantur, eaque notarii publici manu et cuiuscumque curiae ecclesiasticae vel praelati sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem, in iudicio et extra, ubique locorum faciant, quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIX, kalendis iunii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 iunii 1569, pontif. anno IV.

Sequitur extensio ad Cardinales.

Pius Papa V, etc.

Dubium an praecedens constitutio liget cardinales.

Hodie in consistorio nostro secreto, ut moris est, accepto quod a nonnullis praetendebatur S. R. E. cardinales, obtentu privilegiorum sub constitutione nostra de confidentiis beneficialibus, saltem quoad privationem, censuras et alias poenas in constitutione contentas, propter non factam in clausula impositionis illarum specialem et expressam de dictis cardinalibus et privilegiis mentionem, minime comprehendi, licet aliter mentis et intentionis nostrae fuerit, quemadmodum et ex litteris dictae constitutionis colligi posset.

Declaratio quod eos comprehendit.

§ 1. Ad tollendum tam omne dubium atque impedimentum quo minus constitutio praefata, commune bonum et salutem animarum concernens, plenarium effectum sortiatur, declaravimus omnes S. R. E. cardinales in constitutione et litteris praefatis ac singulis earum partibus, etiam quoad privationes omnesque et singulas censuras et poenas in ipsis litteris contentas, comprehendi, ac contrafacientes privationes, censuras et poenas ipsas incurrere, prout nos illos omnes includi et incurrere volumus eo ipso.

§ 2. Decernentes sic per quoscumque *etc.*, etiam cardinales, in quavis causa et instantia, sublata *etc.*, iudicari *etc.* debere; necnon irritum *etc.* attentari.

Decretum irritans.

Revocatio privilegiorum ad effectum praesentium.

§ 3. Ac privilegia praefata necnon exemptiones, conservatorias et indulta omnia, per quoscumque Romanos Pontifices *etc.*, etiam motu proprio et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter et ex quibuscumque causis, in genere vel in specie, concessa, confirmata, extensa et moderata et quantocumque tempore observata, ad effectum praefatorum revocavimus et annullavimus, viribusque et effectu quoad haec prorsus carere decrevimus. Volumusque et statuimus tenores privilegiorum *etc.*, qualiacumque sint, praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi.

Sola signatura sufficit.

§ 4. Solamque hanc schedulam manu nostra signatam, et in Cancellariae Apostolicae libro ad perpetuam rei memoriam registratam, absque alia litterarum confectione, sufficere, eamque et eius exempla ubique locorum, in iudicio et extra illud, fidem facere.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Cancellariae praefatae regulis, editis et edendis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV novembris millesimo quingentesimo sexagesimo nono, pontificatus nostri anno IV.

CXXXII.

Quod facultas erigendi cappellas Rosarii sit solummodo magistri generalis Ordinis S. Dominici et ab eo deputatorum, et confratres sodalitatum Rosarii ab eis institutarum oblationes et legata, in pios usus convertenda, recipere valeant; indulgentiasque hic enunciatas consequantur.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter desiderabilia cordis nostri, illud intensis desideriis affectamus ut singulo-

rum christifidelium, quorum nobis, ex commissi pastoralis officii debito, cura imminet, generalis animarum salus proveniat, unde pia et salubria fidelium vota ad hoc tendentia, et alias ex quibus divini cultus provenit augmentum, pii patris affectione prosequimur ac plenis favoribus confovemus; et ut optatum consequantur effectum, christifideles ipsos ad illa, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus, libenter invitamus.

Causae huius concessionis.

§ 1. Exhibita sane nobis nuper, pro parte dilecti filii magistri provincialis Ordinis Praedicatorum provinciae Neapolitanae, petitio continebat quod, cum dilectus filius frater Ambrosius Salvius loci de Balneolo, Nuscanensis sive alterius dioecesis, ad erigendum societates sanctissimi Rosarii in quibuscumque ecclesiis per nos et Sedem Apostolicam specialiter deputatus fuerit, si aliis huiusmodi facultas, praeterquam eiusdem Ordinis magistro generali, interdiceretur, ex hoc profecto diversis abusibus, qui in illarun erectione intervenire possent, satis consultum foret. Quare nobis, pro parte eiusdem provincialis, fuit supplicatum ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultas erigendi cappellas SS Rosarii spectat ad magistrum generalem Ordinis, S. Dominici, et ab eo deputatus tantum.

§ 2. Nos, qui honestis quorumlibet votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, eumdem provincialem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, per praesentes statuimus quod nulli licitum existat, minusque aliquis cappellam sanctissimi Rosarii in quavis ecclesia sive loco erigere, praeter dictum generalem aut ab eo deputatos ac praefatum Ambrosium.

Nihil ingredientes sodalitatem solvant.

§ 3. Minusquè aliquis confrater, seu vir sive mulier, aliquid eidem societati, pro illius ingressu vel alia quavis de causa, persolvere.

Confratres ad processiones accedant, et ad sepeliendos mortuos insignia deferant.

§ 4. Ac singuli confratres ad quasvis processiones accedere, etiam in quibus corpora defunctorum ad sepeliendum deferuntur, cum eorum insigniis, cuiusvis etiam superioris licentia desuper minime requisita, etiam absque aliquo conscientiae scrupulo et censurarum ecclesiasticarum incursu, possint et valeant, seu eorum quilibet possit et valeat.

Prohibitio confratres in his molestandi.

§ 5. Districtius inhibentes quibusvis ne eosdem generalem seu deputandos et Ambrosium, super erectione et institutione societatum huiusmodi, in quibuscumque civitatibus, terris et locis factis et faciendis, neque eosdem confratres, super exercitio piorum operum et profectu ad processiones seu incessu cum signo eorum, aut dicti signi delatione, molestare, perturbare aut inquietare audeant nec debeant; quinimmo generali, deputatis et Ambrosio praefatis in praemissis auxilium, consilium vel favorem praebeant. Nos enim omnes praemissis contravenientes indulgentiis et peccatorum remissionibus eis concessis privamus, et privatos esse ac indignos effici; et quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Confirmatio indulgentiarum.

§ 6. Postremo vero, ut animarum christifidelium, praesertim ex aliqua societate huiusmodi erectarum seu per eumdem Ambrosium erigendarum, existentium et eamdem societatem ingredi volentium quieti et spirituali consolationi salubrius consulatur, et ad illam ubicumque erectam christifideles ipsi accedentes eo ferventiores et promptio-

res reddantur, quo se dono coelestis gratiae decoratos senserint, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, christifidelibus praefatis de dicta societate, ut praefertur, instituta vel instituenda existentibus, ut omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, tam per nos, quam quoscumque alios Romanos Pontifices, et praesertim Leonem Papam X, praedecessores nostros, concessas consequantur et consequi possint, auctoritate et tenore praedictis, misericorditer in Domino concedimus et indulgemus; illasque, nonnisi in ecclesiis, in quibus, ut praefertur, eadem societas instituta erit, praeterquam in casu summae necessitatis et infirmitate grandi seu detentione carcerum, in quibus et alio in loco consequi possint, observando tamen illa omnia quae in dictis indulgentiis continentur, consequi posse decernimus. Omnesque et singulas per eumdem Ambrosium sive generalem aut deputandos praefatos auctoritate nostra, modo tamen supradicto, concessas confirmamus et approbamus.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVIII iunii MDLXIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 iunii 1569, pontif. anno IV.

Sequitur alia constitutio super praedictis.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Consueverunt Romani Pontifices *etc.* 1.

1 Constitutionem Pianam dedita opera hic praeterimus, etsi in Romana Mainardi editione (tomo IV, parte III, pag. 71) habetur. Ea namque paullo post legitur, in Romana quidem, l. c., pag. 77; in nostra vero editione, pag. 774 huiusce voluminis. Missam fecimus ne unum idemque iterare nulla caussa videremur (R. T.).

CXXXIII.

De baccalaureis et magistris in Aragoniae provincia Ordinis Prædicatorum creandis 1.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia vias, quibus regularis observantia conservari, et illi dedita persona scientiarum cognitionem adipisci et docere facilius possit, plerumque excogitare solet. Sane, cum deceat eos qui, saeculari vita prorsus abiecta, divinis obsequiis et regulari observantiae penitus se dicaverunt, morum honestate et litterarum cognitione esse praeditos, illos quoque, tamquam unicum et singulare exemplar, ceteris litterarum, praecipue sacrarum, scientia praestantiores, expedit ut, graduum promotione, virtutis praemia et insignia consequantur.

Diplomatis causa.

§ 1. Unde, pro vitae regularis conservatione et graduum huiusmodi reputatione, in plerisque provinciis Ordinis fratrum Praedicatorum non nisi pauci illius Ordinis fratres, et hi quidem litterarum scientia et vitae ac morum honestate valde praediti, et in legendo praesertim philosophiam et theologiam in aliqua Universitate per plures annos exercitati, ad baccalaureatus et magisterii gradus promoveri solent.

Nulli promovendi ad baccalaureatum nisi post lectam philosophiam vel theologiam per annos quatuor etc.

§ 2. Quare nos, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et mera deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra in perpetuum valitura constitutione, quod in posterum nullus dicti Ordinis fratrum Praedicatorum provinciae Aragoniae ad baccalaureatus gradum promoveri possit, nisi prius saltem per quadriennium philosophiam vel theologiam legerit, et tunc promotio huiusmodi fiat causa legendi

(1) Ex Bullario huius Ordinis, tom. V, pag. 217.

sententias pro forma et gradu magisterii, ad petitionem provincialis ipsius Ordinis et provinciae, in aliqua Universitate vel collegio dictae provinciae; et quod similiter nullus penitus baccalaureus fiat magister, nisi deputatus a generali magistro Ordinis praedicti vel a capitulo generali ad legendum sententias pro forma et gradu magisterii in Universitate et collegio praedictis, et lectionem huiusmodi per quadriennium prosequutus, et a capitulo provinciali ad magisterium petitus fuerit.

Alias promoti, nulliter promoti sunt.

§ 3. Et quod aliter in posterum ad baccalaureatum vel magisterium, etiam ad petitionem provinciae, et a capitulo vel magistro generali, etiam vigore indulti apostolici eis desuper concessi, promoti pro minime promotis in omnibus et per omnia habeantur, et illi nullo modo habeant locum nec gaudeant privilegiis baccalaureatus vel magisterii, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae ad firmitatem constitutionis.

§ 4. Decernentes statutum et ordinationem huiusmodi praesentesque litteras in omnibus et singulis actibus cuiuscumque capituli pro tempore facti alta voce publicari et legi, ac in illis inseri, et ab omnibus inviolabiliter observari debere. Necnon ex nunc promotiones, aliter quam ut praefertur pro tempore factas, nullius esse roboris vel momenti, et promotis minime suffragari debere; ac etiam irritum et inane quicquid aliud secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Provincialibus et diffinitoribus provinc. mandatur eiusdem observantia.

§ 5. Districtius inhibentes, in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione divini iudicii, tam dilectis filiis provincialibus, quam diffinitoribus capitulorum provincialium dictae provinciae nunc et pro tempore existentibus, quatenus statutum et ordinationem huiusmodi diligenter et ad unguem observent, et observari faciant et mandent.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac Ordinis et provinciae praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordini et provinciae praedictis illiusque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientia ac potestatis plenitudine similibus ac alias quomodolibet, etiam pluries, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI iulii MDLXIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 11 iulii 1569, pontif. anno IV.]

CXXXIV.

Confirmatio et declaratio privilegiorum et gratiarum collegii scriptorum archivii Curiae Romanae [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Confirmatio constitutionis Iulii II citatae in nota ad rubricam et alterius Leonis X praetermissae, tamquam nihil relevans continentis.

Pridem nos anxio sollicitoque animo cogitantes, *etc.* collegii erectionem a felicis recordationis Iulio Papa II, kalendis septembris, pontificatus sui anno v, factam, necnon omnia et quaecumque privilegia, facultates, exemptiones, praerogativas, dispensationes, gratias et indulta ab eodem dicta die et idibus decembris dicti anni; necnon a Leone X, pridie nonas octobris, pontificatus sui anno primo, aut alio veriori tempore; necnon aliorum omnium inde usque Romanorum Pontificum concessione eidem collegio et personis, in genere et in specie, tam coniunctim quam divisim, facta, et super his omnibus et singulis confectas litteras, scripturas et instrumenta, ac inde secuta quaecumque, cum prohibitionis clausulis et decretis in eis contentis, quae omnia et singula aeque atque ad verbum praesentibus inserta, expressa et repetita habemus, litterisque super praesentibus conficiendis in totum vel in partem exprimi, totosque tenores singulorum inseri posse volumus, etiam si talia et multa sint quae speciali expressione indigeant, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus renovamus, approbamus et confirmamus, effectumque plenarium et integrum prorsus sortiri volumus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus. Decernentes illa omnia perpetuum et inviolabile robur obtinere; ac irritum *etc.* attentari.

1 Huius collegii institutionem eiusque statum vide supra in Iulii II constitutione XVIII, *Sicut*, tom. V, pag. 458.

Concessio quod scriptores archivii C. Rom. sint notarii causarum civilium cuiuscumque iudicis commissarii.

§ 1. Quin etiam in perpetuum applicamus et appropriamus ac etiam annectimus, unimus et incorporamus dicto collegio scripturas praefatas ac omnia et quaecumque iura, fructus et emolumenta, ratione officiorum notariatuum eorum omnium iudicum ordinariorum et commissariorum Curiae et Urbis in praefata institutione expressorum; quibus etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales adiungimus, et similes, etiam si ordinarii dicantur, comprehendi volumus. Ut vero, in habendo proborum peritorumque notariorum delectu, melior deinceps ratio capiatur, statuimus ut posthac, in omnibus et quibuscumque causis coram praefatis iudicibus, etiam cardinalibus, quomodocumque habendis et agitandis, collegium ipsum notarios idoneos, qui in eiusmodi causis scribant, constituere debeat. Nullique omnino ipsorum iudicum, etiam cardinalium, alios notarios, etiam dicti archivii scriptores, in causis huiusmodi pro arbitrio constituere possint, sed eos dumtaxat assumere teneantur quos collegium praefatum suo ex gremio, in genere vel in specie duxerit eligendos. Decernentes alias quascumque constitutiones, ordinationes et assumptiones notariorum, etiam de dicti collegii scriptoribus, sive in genere sive in specie, tam per iudices, etiam cardinales, quam etiam Sedem Apostolicam, ex quibuscumque causis, etiam motu simili et potestatis plenitudine similibus, necnon processus et alia quaecumque, coram eisdem iudicibus, etiam cardinalibus, aliter facienda, irrita et inania esse, viribusque et effectu carere, notariosque tamquam falsi reos puniri debere. Ceterum, collegium praefatum rationes et curas omnes huiusmodi processuum, scripturarum et instrumentorum, etiam praeteritorum, omni tempore habeat; omnia et quaecumque emolumenta, ordinaria et extraordinaria, inde quomo-

documque provenientia, ad communem usum percipiat, et delegandis sive substituendis notariis suis stipendia constituat, vel alias super hoc conveniat cum eisdem *etc.*

Decretum irritans.

§ 2. Sicque, in his et aliis praefatis omnibus et singulis, per quoscumque, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac Cameram ipsam, in quavis causa et instantia, sublata *etc.*, iudicari *etc.* debere *etc.*; necnon irritum *etc.* attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis et Pauli secundi, tertii et quarti aliorumque Romanorum Pontificum ac nostris de rebus Ecclesiae non alienandis, et alienatis revocandis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam de gratiis ad instar non concedendis; Cancellariae Apostolicae regulis editis et edendis, eiusque et dictae Camerae earumque collegiorum, et etiam urbis Romae, iuramento *etc.* roboratis, statutis *etc.*, necnon institutione et fundatione ac veteri stylo quantocumque tempore observato; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque personis omnibus et singulis, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, et alias quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, per praefatos et alios quoscumque Romanos Pontifices ac nos et dictam Sedem, ex quibuscumque causis, etiam motu et scientia et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, concessis, confirmatis ac etiam iteratis vicibus approbatis; quibus omnibus, etiam si de illis *etc.*, tenores *etc.*, in genere et in specie, ad effectum sufficientis derogationis eorum, latissime extendendis, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus derogamus; necnon omnibus illis, quae in singulis litteris praefatis concessum est non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis *etc.*

Fiat. Motu proprio, M.

Datum Romae apud S. Petrum, quintodecimo kalendas augusti, anno IV.

Dat. die 18 iulii 1569, pontif. anno IV.

CXXXV.

Cosmus Medices, reipublicae Florentinae dux, eiusque successores magni duces Etruriae creantur 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Romanus Pontifex, in excelso militantis Ecclesiae throno, disponente Domino, super gentes et regna constitutus, post perlustratas suae indefessae mentis acie orbis christiani provincias, circumspecta sua providentia praeclaros ac principes viros, qui de sancta Sede Apostolica fideque catholica benemereri videntur, singulari suae benignitatis clementia, quantum sibi ex alto conceditur, augere, eosque insignibus, ornamentis ac speciosis honorum titulis decorare atque illustrare consuevit, necnon alias disponit, prout, temporum, locorum et personarum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire.

Etruriae provinciae commendatio.

§ 1. Sane cum nos, his nostris luctuosissimae tempestatis diebus, animo nostro diu multumque gravissimo cum dolore versaremus quot et quantae pestiferarum haeresum sectae quotidie undique erumperent, diraque et exitiosa perditorum hominum a fide catholica aberrantium semina passim serperent et usquequaque propagarentur, omnia Italiae loca circumspicientes, Etruria provincia, nobilitatis

1 Cosmus militiam S. Stephani, de licentia Pii IV instituit, ut in eiusdem Pii constitutione LV, *Ilis, quae*, pag. 158 huius tomi.

decore et antiquitatis nomine a maioribus celebrata, cuius maxima pars quae nobis et ipsi Apostolicae Sedi subiecta non est, ab omnibus fere lateribus ditioni nostrae ecclesiasticae contermina atque coniuncta existit, nobis praecipue occurrit, quam divinae primum bonitatis gratia, sollicitudineque ac vigilantia nostra, deinde praestantissimi ac religiosissimi eius principis virtute, consilio, diligentia, prae caeteris intactam et incorruptam, ab huiusmodique perniciosa labe et contagione sartam tectam conservatam esse conspicimus.

Maxime ob eius obsequia Romanis Pontificibus praestita.

§ 2. Huc accedit, quod profecto magnopere nos movet, Sedem Apostolicam, cum ob regionis vicinitatem, tum propter loci opportunitatem, gratissima plerumque obsequia atque etiam commoda, subministratis ab Etruscis auxiliis, a multis iam ante saeculis recepisse, idque complures Romanos Pontifices praedecessores nostros, et praesertim felicis recordationis Innocentium quartum, Clementem etiam quartum, Gregorium decimum, Benedictum undecimum, Martinum quintum et Leonem decimum luculenter testatos fuisse, adeo ut tam eamdem provinciam, quam eius rectores et magistratus, ob peculiarem eorum ergo Romanam Ecclesiam devotionem et observantiam, propenso paternoque affectu, variis gratiis, honoribus ac privilegiis iure cohonestandos atque ornandos esse duxerint.

Quae signanter Cosmus Medices praestare studuit et praestitit;

§ 3. Quibus rebus debita meditatione mature consideratis, attendentes quoque in primis quod dilectus filius nobilis vir Cosmus Medices, reipublicae Florentinae dux, maiorem in dies suae eximiae virtutis splendorem, ferventioremque catholicae religionis cultum, et in administranda iustitia praecellens studium, ex eo tempore quo imperare coepit nusquam praetermissum, laudabiliter prae se ferre non cessat. Quod, omnibus in occasionibus, nobis ac praedecessoribus nostris et Apostolicae Sedi prompto ac libenti animo obsequi semper studuerit. Quod nos et eamdem Sedem, ab ipso nostri pontificatus initio, continuato debitae reverentiae honore coluerit, mandatis nostris filiali obedientia paruerit, honestis nostris petitionibus obsequentissime morem gesserit. Quod a nobis requisitus, coepta nostra pecuniis, peditatu equitatuque alacriter iuverit, praesertim pro ferendo auxilio carissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum regi christianissimo adversus eius rebelles et haereticos, centum etiam aureorum millia, ultra alia, illi mutuando, hortatu nostro id fecerit. Quod maiora, si usus venerit, ad catholicae fidei defensionem et incrementum se praestaturum ultro pollicetur.

Militiam. Sancti Stephani instituit;

§ 4. Quod pro inclyta eius in Deum pietate, superioribus annis, militiam Sancti Stephani, ad sanctae fidei exaltationem ac propagationem, instituerit, bonis ditaverit et ampliaverit.

Statum suum optime regit;

§ 5. Quod universae prope provinciae Etruscae, imperscrutabili Dei iudicio, ad summae dignitatis potestatem, civium Florentinorum assensu vocatus, felicissime praesit ac dominetur. Quod delatum sibi admirabiliter principatum admirabilius regat et moderetur, illumque incomparabili prudentia ac sapientia, in pacis ac iustitiae amoenitate, ab ineunte eius aetate, diligentissime contineat et conservet.

Praeclara multa operatur;

§ 6. Quod terra marique praepotens existat. Quod piratis, facinorosis, sicariis, quietis et ocii turbatoribus, necnon nostris et huius sanctae Sedis rebellibus et adversariis hostis acerrimus, scelerumque et delictorum severus vindex sit. Quod numerosa ac frequenti populorum ei subditorum, Deo benedicente, multitudine, copiosis grandibusque redditibus et amplissimis proventibus gaudeat et frua-

tur. Quod validus peditum et equitum numerus in omnes usus ei pretio [1] semper esse possit. Quod quamplures florentissimas urbes, tam cathedralium, quam earum nonnullas metropoliticarum ecclesiarum dignitate insignes, ac studiorum generalium Universitatibus ornatas, munitissimos portus, validissimas arces, loca tutissima, triremium classem paratam et instructam, tam ad Tyrrheni sui maris, quam etiam ad nostrae orae maritimae tutelam habeat. Quod rerum omnium copia, ditionis amplitudine, locorum ubertate, continua vitae felicitate, demumque gentis celebris admodum et opulentae viribus firmissime subnixus urgeat. Quod cuncta haec ipsa bona, per immensam Dei omnipotentis benignitatem sibi elargita, ad divinum honorem et gloriam paratissima semper fore profiteatur.

Superioremque in suo dominio non recognoscit.

§ 7. Quod absoluta potestate, ratione liberi et directi dominii Florentini, nemini sit subiectus, ita ut, iuxta distinctionem piae memoriae Pelagii, similiter Romani Pontificis praedecessoris nostri, uti rex et magnus dux ac princeps merito existat, et inter ceteros magnos duces ac principes re ipsa esse, censeri et connumerari possit et debeat.

Creatio Cosmi Medices et eius successorum in magnos duces Etruriae.

§ 8. Nos igitur, tot ac tantis rationabilibus dignisque de causis, clarissimis quoque ipsius Cosmi ducis erga nos et Sedem eamdem meritorum et officiorum monumentis inducti, firmaque spe freti quod is et eius successores, collati nostri in eos beneficii memores, debitam nobis futurisque Romanis Pontificibus grato animo fidei ac devotionis sinceritatem perpetuo exhibere conservareque studebunt. Attendentes etiam, quod sane plurimi facimus, dictum Cosmum ducem ac dilectum filium nobilem virum Franciscum, eius filium primogenitum, arctis admodum affinitatis, sanguinis et necessitudinis vinculis cum carissimo in Christo filio nostro Maximiliano in imperatorem electo, et maximis christiani nominis regibus coniunctos esse, eosque a nobilissima stirpe Medicea multis honoribus et titulis decorata, et ex qua tot illustres proceres ac tres Romani Pontifices prodierunt, ortum habere. Propterea eumdem Cosmum ducem, specialibus favoribus et gratiis paterne benigneque prosequi volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad ipsius Cosmi ducis seu alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia maturaque deliberatione et mera liberalitate nostris, ac de supremae nostrae apostolicae potestatis plenitudine, tam dictorum praedecessorum, quam etiam Alexandri III et Innocentii pariter III ac Pauli IV, similiter praedecessorum nostrorum, qui Portugalliae et Bulgarorum ac Blachorum, necnon Hiberniae reges, et ut tunc dux Bohemiae, rex in suis litteris nominari possit, respective crearunt, constituerunt et concesserunt, aliorumque Romanorum Pontificum erga diversos principes exempla sequentes vestigiisque inhaerentes, ut potissimum ceteri principes, hoc exemplo invitati, ad bene de sancta hac Sede promerendum incitentur, eumdem Cosmum ducem eiusque successores pro tempore existentes duces, perpetuis futuris temporibus, in magnos duces et principes provinciae Etruriae sibi pro maxima illius parte subiectae, et in ipsa provincia respective, auctoritate apostolica, tenore

1. Forte legendum *praesto* (R. T.).

praesentium, creamus, constituimus, pronunciamus, declaramus, magnorumque ducum Etruriae provinciae, ut praefertur, eis subiectae nomine, titulo et denominatione extollimus et amplificamus; necnon eos dictae Etruriae provinciae eis subiectae magnos duces et principes ab omnibus nominari, appellari, inscribi, dici, haberi, censeri et tractari debere volumus, praecipimus ac mandamus; atque Cosmum magnum ducem eiusque successores praefatos omnibus et singulis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, præeminentiis, praerogativis, indultis, privilegiis aliisque quibuslibet gratiis et honoribus, quibus alii vere liberi et directi domini ac magni duces et principes, etiam ducali aut alia quavis, etiam maiori, dignitate praefulgentes, ac quacumque libera et absoluta potestate fungentes, in genere vel in specie, in quibuscumque locis, pompis, sessionibus, celebritatibus, caeremoniis et actibus publicis vel privatis, tam de iure quam de consuetudine, etiam in Aula nostra Vaticana et ubique terrarum, etiam si aliqui alii magni et similes duces et principes praesentes fuerint, quoquo modo utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, frui, potiri et gaudere in futurum quomodolibet poterunt et soliti sunt, non quidem ad illorum instar, sed pariformiter et absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri et gaudere posse ac debere.

Eisdem corona regali uti conceditur.

§ 9. Et insuper, in evidens clarumque propensae nostrae voluntatis erga dictum Cosmum magnum ducem testimonium certamque dilectionis significationem, eum amplioris quoque gratiae et favoris praerogativa maxime dignum censentes, ut, iuxta sententiam Clementis IV, praedecessoris nostri praedicti, ex maiori decore ornatuum, maioritas appareat dignitatis, ipsum Cosmum magnum ducem et eius successores huiusmodi regali corona, ut inferius depingi mandavimus, qua super eorum gentilibus insignibus, ad illustrius nobiliusque ipsorum decus et ornamentum, uti, eamque portare, ferre et gestare, depingique et insculpi facere libere et licite possint et valeant, motu, scientia ac potestatis plenitudine similibus, decoramus, exornamus et insignimus, decoratosque exornatos et insignitos fore et esse.

Clausulae praeservativae.

§ 10. Praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae seu quocumque alio defectu, ex quavis, etiam quantumlibet iustissima et urgentissima rationabilique causa, nullo unquam tempore a quoquam notari vel impugnari posse, sed illas validas et efficaces perpetuo fore et esse, suosque plenarios, totales et omnimodos effectus sortiri posse ac debere in omnibus et per omnia, ac si consistorialiter et de fratrum nostrorum consilio factae, et in ipso consistorio nostro secreto lectae fuissent.

Decretum irritans.

§ 11. Sicque per quoscumque iudices, etiam imperiali, regia, ducali vel quavis alia excellentia et dignitate praeditos, et alios commissarios, qualibet auctoritate fungentes, etiam causarum sacri Palatii nostri auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, sententiandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, definiri et interpretari debere: ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae.

§ 12. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac provinciarum, civitatum et locorum quorumlibet statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione aposto-

lica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et quibusvis aliis personis, etiam ducibus, quibus forsan per Sedem Apostolicam concessum sit quod privilegiis, praeeminentiis, favoribus, indultis et gratiis ad instar magnorum ducum, perinde ac si ipsi magni duces realiter et cum effectu essent, uti et gaudere possint, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis et quantumcumque efficacissimis, clausulis et decretis, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis (quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua ac de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda esset, eorum omnium tenorem praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, totaliterque et latissime derogatum esse volumus et decernimus) ceterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio quod talis creatio non praeiudicat iurisdictioni S. R. E. nec Imperatoris aut regum etc.

§ 13. Salva nihilominus, in nostris dictae provinciae civitatibus et locis, nostra et Romanae Ecclesiae auctoritate, iurisdictione et potestate; necnon imperatoris et regum superioritate, iurisdictione ac quibusvis iuribus respective in locis mediate vel immediate eis subiectis; ac citra aliquod praeiudicium civitatum, terrarum et locorum in eadem Etruriae provincia consistentium, quae non sunt ditionis dicti Cosmi ducis, nec ei quomodolibet subiecta sunt, neque aliquo modo obediunt.

Sanctio poenalis.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIX, sexto kalendas septembris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 27 augusti 1569, pontif. anno IV.

CXXXVI.

Contra eos qui, ad evitandas suorum scelerum poenas, se divino servitio dedicant [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Decet Romanum Pontificem, pro sui pastoralis officii debito, diligenter providere ne quisque, ad evitandas scelerum suorum poenas, divino se obsequio dedicet.

Causa constitutionis edendae.

§ 1. Sane nuper accepimus quod nonnulli, qui, exigentibus eorum demeritis, ad triremes dilecti filii nobilis viri Cosmi Florentiae et Senarum ducis ad vitam vel ad certum tunc expressum tempus condemnati, et iam inibi servitutis iugo addicti et vinculo ferreo adstricti erant, eiusdem triremibus advecti, maris fluctibus agitati, et tandem ad Sardiniae insulam appulsi, forsan vinculis praedictis dissolutis, ex ipsis triremibus aufugere, et ad nonnulla ipsius insulae loca, praesertim vero ad ecclesias seu domos conventuum fratrum Ordinis Sancti Francisci, et S. Dominici Calaritanae civitatis seu dioecesis se conferre, ibique aliqui ex eis habitum per eosdem fratres gestari solitum suscipere, et professionem per illos emitti solitam emittere, seu illorum Religionem ingredi, et sub ingressus huiusmodi Religionis clipeo se defendere quominus ad triremes redeant poenasque suorum scelerum ibi luant, temere praesumpserunt et adhuc praesumunt, in Cosmi ducis et triremium detrimentum, ac in Ordinum praedictorum non modicum dedecus.

Ordines recipere inter fra-

§ 2. Nos, attendentes homines servituti mancipatos, minusque condemnatos huius-

1 Ex Regest in Archiv. Vat.

tres non possunt tam servos dominii quam poenae.

modi ad ingressum ipsius Religionis admitti nequaquam debere, et ea indignos esse, et alios profugos inibi manere non posse, motu proprio, ex certa nostra scientia, universis et singulis venerabilibus fratribus dictae insulae et quorumcumque aliorum locorum ordinariis, sub interdicti ingressus ecclesiae, ac dilectis filiis illorum in spiritualibus vicariis generalibus seu specialibus, et eorum cuilibet, ac dictorum conventuum et Ordinum superioribus, necnon fratribus et aliis personis ecclesiasticis, cuiusvis nominis, dignitatis, status, conditionis et praeeminentiae existant, sub excommunicationis latae sententiae atque aliis arbitrio nostro declarandis poenis, si contrafecerint, incurrendis, per praesentes districte praecipimus et mandamus quatenus statim, visis praesentibus, nulla a nobis alia iussione seu mentis nostrae declaratione desuper expectatis, dictos condemnatos, constito prius summarie et extraiudicialiter illos, ad triremes damnatos, ex dictis triremibus aufugisse, habitibus, ut praefertur, susceptis exuant, et eos diligenter et fideliter nomine dicti Cosmi ducis in carceribus custodiant et retineant, ac custoditos, capitaneis ipsarum triremium aut aliis ad id ab eis deputatis cum effectu tradant et consignent, et consignari auctoritate nostra faciant, mandent et procurent.

Condemnatos ad poenam habitu exui mandat.

§ 3. Ipsos condemnatos ac contradictores quoscumque et rebelles, illisque favorem et opem directe vel indirecte praestantes, sententiis, censuris et poenis praedictis, compescant; ac illos non parentes, sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declarent, easque etiam iteratis vicibus aggravent, et ad hoc, si opus sit, auxilium brachii saecularis invocent.

Poena in eos, qui contrarie tentassent.

§ 4. Nos enim ordinariis et aliis praedictis, super praemissis, exuendi, custodiendi, retinendi, consignandi, mandandi, procurandi, compescendi, declarandi, aggravandi, invocandi et alia ad ea necessaria exequendi et faciendi, plenam et liberam licentiam et facultatem per easdem praesentes concedimus.

Ordinariis locorum opportunas ad id concedit facultates.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac demum [1] et Ordinum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII septemb. MDLXIX, pontificatus nostri IV.

Dat. die 7 sept. 1859, pontif. anno IV.

CXXXVII.

Indulta, gratiae et indulgentiae confraternitatis nationis Florentinae, sub invocatione S. Ioannis Baptistae Decollati, De Misericordia *nuncupatae, nuper in Urbe institutae ad caritative confortandum via iustitiae morituros, eisque ecclesiastica sacramenta subministrandum et eorumdem corpora sepeliendum* [2].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Cum, sicut accepimus, postquam alias felicis recordationis Innocentius Papa VIII, praedecessor noster, venerabilem societatem seu confraternitatem Misericordiae nuncupatam nationis Florentinorum de Urbe erexerat et instituerat.

Innocentius VIII erexit sodalitatem

§ 1. Ac confratribus ipsius confraternitatis quemdam locum intra Urbem, in quo unam ecclesiam aedificare et construere, in qua unum cappellanum presbyterum saecularem, qui inibi missas et alia divina officia celebrare, et omnes, qui via iustitiae ultimo supplicio afficiendi essent, confortare, et, eorum confessioni-

Ad confortandum via iustitiae ad mortem damnatos ac sepeliendum;

1 Legimus *domorum* (R. T.). 2 Confraternitatem istam instituit Innocentius VIII, ut in eius constitutione XIX, *Inter desiderabilia*, tom. V, p. 343.

bus auditis, ecclesiastica sacramenta eis ministrare, ac eos in sinceritate fidei catholicae manutenere haberet, ad eorum dispositionem deputare et tenere, ac inibi eorumdem ultimo supplicio afficiendorum corpora ecclesiasticae sepulturae, absque aliqua particulari licentia, tradere et humare libere valerent, donaverat.

Facultatem condendi statuta dedit;

§ 2. Quodque confratres confraternitatis huiusmodi pro tempore existentes quaecumque statuta et ordinationes secundum misericordiam et caritatem convenientia et expedientia condere et facere.

Confratribus ius eligendi confessorem dedit;

§ 3. Atque unum confessorem idoneum et saecularem ac cuiusvis Ordinis regularem, qui eos in certis casibus tunc expressis absolvere, et eorum vota etiam, certis casibus tunc expressis exceptis, in alia pietatis opera commutare.

Indulgentias concessit;

§ 4. Eisdemque confratribus vere poenitentibus et confessis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam semel in vita et in mortis articulo impendere posset, eligere valerent.

Iudicem eorum A. C. deputavit;

§ 5. Et quod in omnibus causis civilibus, non tamen in criminalibus, concernentibus bona ipsius societatis, non nisi coram auditore Camerae conveniri possent. Et quod casu quo aliquis ultimo supplicio afficiendus vellet dictam confraternitatem instituere hæredem omnium vel partis bonorum suorum, confratres dictae confraternitatis pro tempore existentes possent, absque fisci praeiudicio, et nomine dictae confraternitatis exigere et recuperare, in iudicio et extra illud ac ubique locorum, bona praedicta sibi relicta ab omnibus illa habentibus, licet iuris solemnitates servatae non essent, dummodo per instrumentum vel relationem duorum aut trium testium sive alias legitime constaret et appareret talem fuisse voluntatem et loquutionem ultimo supplicio afficiendi.

Haereditates a condemnatis habere posse concessit;

§ 6. Et ultimo omnibus utriusque sexus personis, vere poenitentibus et confessis, quae dictam eorum ecclesiam a primis vesperis usque ad secundas vesperas festivitatis Decollationis Sancti Ioannis Baptistae devote visitarent, et pro subventione dictae confraternitatis manus porrexerint adiutrices, viginti unius anni et totidem quadragenarum indulgentiam et remissionem concesserat et indulserat.

Indulgentiam eorum ecclesiam visitantibus dedit.

§ 7. Piae memoriae Leo X, etiam praedecessor noster, donationem, concessionem et indultum Innocentii praedicti ac alia praemissa confirmavit et approbavit.

Leo X haec omnia approbavit;

§ 8. Ac ordinavit quod confratres praedicti aliquem voluntarie acceptare, nec ab aliquibus ad acceptandum in eadem confraternitate aliquem, qui nationis Florentinae non esset, compelli et cogi non possent.

Confratres nationis Florentinae praesertim esse iussit;

§ 9. Et ulterius omnibus, qui dictam ecclesiam in dicta festivitate, singulis annis, aliorum viginti; et qui omnibus diebus dominicis eamdem ecclesiam visitarent, ac manus porrigerent adiutrices, ut supra, aliorum decem; et qui ultimo supplicio dictos condemnatos associarent et confortarent, aliorum septem annorum; et qui eorumdem ultimo supplicio affectorum corpora ad sepulturam associarent, aliorum septem annorum et totidem quadragenas, de iniunctis eis poenitentiis indulgentiam et remissionem concessit.

Aliasque indulgentias elargitus est.

§ 10. Quae omnia per recolendae memoriae Clementem VII, etiam praedecessorem nostrum, approbata et confirmata fuerunt, qui etiam eidem confraternitati, quod illius cappellani, in die Paschatis Resurrectionis, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum omnibus utriusque sexus dictae confraternitatis confratribus, in dicta eorum ecclesia, absque praeiudicio rectorum, in quarum parochiis degerent, ministrare.

Clemens VII praemissa confirmavit etc.;

§ 11. Atque missas in praesentia ultimo supplicio condemnatorum, etiam

Missas ante diem pro eur-

ceratis celebrare permisit;

ante diem, dummodo circa auroram, celebrare possent.

Indulgentias visitantibus ecclesiam concessit;

§ 12. Necnon omnibus vere poenitentibus et confessis, aut firmum temporibus debitis confitendi propositum habentibus, qui dictam ecclesiam in Paschatis Resurrectionis et Decollationis S. Ioannis Baptistae festivitatibus et diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis earundem festivitatum et dierum, singulis annis devote visitarent, et pro manutentione dictae confraternitatis manus porrigerent adiutrices, quoties id fecerint, indulgentiam plenariam et omnium peccatorum suorum remissionem.

Legatum, infra sex ducatos, ac vestes damnatorum eidem indulsit.

§ 13. Eisdemque confratribus, quod in quocumque legato, summam sex ducatorum non excedenti, per quemlibet condemnatum eis verbo vel in scriptis relicto, licet esset in praeiudicium fisci et in eius damnum, satisfactis prius executore et capitaneo carceris de expensis pro victu condemnati factis, libere succedere; et omnia indumenta et vestimenta dictorum condemnatorum, cum quibus carcerati aut ad ultimum supplicium conducti forent, a quorumcumque, etiam illa auctoritate iudicis detinentium, manibus, propria auctoritate et absque alicuius personae licentia, accipere aut accipi facere, et libere retinere, et in opera pia aut alia substentationi et honori dictae confraternitatis convertere valerent .et possent, similiter concessit.

Paulus III confirmavit et ampliavit quoad legata;

§ 14. Quodque clarae memoriae Paulus Papa III, pariter praedecessor noster, donationes, concessiones, ampliationes, ordinationes, gratias et indulgentias praedecessorum confirmando et approbando et renovando, confratribus praedictis quod, etiam cum praeiudicio fisci, in legatis sibi, ut supra, usque ad summam decem ducatorum pro quolibet legato relictis, executore et capitaneo carceris, ut supra, satisfactis per manus dictorum confratrum de his quae habere deberent, etiam libere succedere.

Carceratum unum liberare permisit.

§ 15. Atque, in die Decollationis S. Ioannis Baptistae, unum carceratum, ad mortem pro quocumque excessu condemnatum, ad eorum electionem singulis annis liberare, omnibusque privilegiis, quibus aliae confraternitates in die S. Mariae de mense augusti gaudent, perpetuo gaudere possent, pariformiter concessit.

Iulius III approbavit;

§ 16. Quae omnia per eiusdem clarae memoriae Iulium tertium, etiam praedecessorem nostrum, confirmata et probata fuerunt. Qui etiam voluit quod dictus carceratus liberandus ut praefertur, absque aliquibus expensis, tam suis quam dictae confraternitatis sive societatis, tam ratione capturae quam carcerationis, liberari deberet.

Legata condemnatorum usque ad ducatos XXV ampliavit.

§ 17. Et quilibet condemnatus ad mortem, per viam testamenti sive donationis aut alio quocumque modo, usque ad summam viginti quinque ducatorum, eidem confraternitati libere relinquere valeret.

Facultatem dedit aggregandi alias confraternitates.

§ 18. Quodque confratres dictae confraternitatis omnia privilegia, gratias et indulgentias sibi concessa et concedenda, omnibus confratribus et societatibus mundi, erectis aut erigendis, quae condemnatorum ultimo supplicio morti interveniunt, et in similibus operibus misericordiae exercitantur, ac si pari modo privilegia, gratiae et indulgentiae praedictae eisdem propriis confraternitatibus illorumque confratribus concessa fuissent, communicare et concedere possent. Atque quod ad processiones ire seu accedere, nisi ad eorum commoditatem, non tenerentur, nec ad id compelli possent, omnibus in contrarium facientibus derogando.

Pius IV confirmavit.

§ 19. Et ultimo beatae memoriae Pius Papa quartus, praedecessor noster, donationes, concessiones, ampliationes, gra-

tias, indulgentias et alia praemissa per praedictos praedecessores dictae confraternitati illiusque confratribus concessas et concessa approbando et confirmando.

Confratribus infirmis domi missas celebrari concessit;

§ 20. Eisdemque confratribus quod, ipsis infirmis existentibus, in eorum domibus missam, per presbyterum saecularem vel regularem ad eorum beneplacitum eligendum, singulis diebus, dum eorum infirmitas duraret, etiam ante diem, in casu necessitatis, et circa diurnam lucem, celebrari facere libere possent.

Cappellano dedit facultatem pro condemnatis de nocte celebrare eosque absolvere et eisdem indulgentias impartiri.

§ 21. Necnon quod, si cappellano dictae confraternitatis constaret et sibi videretur dictos condemnandos ad ultimum supplicium esse dispositos ad recipiendum sacrosanctum Eucharistiae sacramentum, posset in eorum praesentia, etiam de nocte, in casu necessitatis, missam celebrare, et absolutionem ac indulgentiam plenariam in forma iubilaei impendere, et dictum Eucharistiae sacramentum eis ministrare, similiter concessit et indulsit, prout in singulis praedecessorum supplicationibus desuper designatis seu litteris desuper forsan expeditis latius et plenius contineri dicitur.

Hic Pontifex omnia approbat et defectus supplet;

§ 22. Nos igitur, qui ea, quae a praedecessoribus nostris ita pie et caritative concessa et ordinata esse noscuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, apostolicae confirmationis munimine libenter roboramus, eorum vestigiis inhaerentes, motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, donationem, concessiones, ampliationes, privilegia, indulta, gratias, indulgentias et peccatorum remissiones ac alia praemissa confraternitati Misericordiae illiusque confratribus praedictis per dictos praedecessores nostros quomodolibet concessas et concessa, cum omnibus inde secutis, ac omnium et singulorum, tam iuris quam facti, si qui in praemissis intervenerunt, defectuum ac solemnitatum, etiam de iure requisitarum, forsan omissarum suppletione, approbamus, confirmamus et innovamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus, et ab omnibus quos concernit et in futurum concerneret, inviolabiliter observari debere; irritum quoque *etc.* decernimus.

Contraria tollit.

§ 23. Non obstantibus quibusvis constitutionibus apostolicis; ac statutis, *etc.*, etiam iuramento, *etc.* roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Fiat. Motu proprio. M.

Repetitio clausularum.

§ 24. Et cum absolutione a censuris, ad effectum *etc.*, pro omnibus; et quod donationum concessionum, indultorum, ampliationum, gratiarum, indulgentiarum et peccatorum remissionum et aliorum praemissorum, per praedictos praedecessores nostros et dictae confraternitati et illius confratribus concessorum, veriores tenores *etc.* habeantur pro expressis, seu in totum vel in partem exprimi possint in litteris. Et de approbatione, confirmatione, invocatione, suppletione, adiectione, indulto, extensione, propagatione praedictis, de et pro omnibus et singulis supradictis, quae hic pro repetitis ad partem habeantur, motu proprio *etc.* ac perpetuo in forma gratiosa: et cum opportuna, si opus sit, iudicum executorum deputatione, qui assistant, *etc.*; cum plena et libera facultate citandi etiam per edictum publicum, constito summarie *etc.* de non tuto accessu; ac inhibendi, et sub sententiis et censuris ecclesiasticis ac etiam pecuniariis, eorum arbitrio moderandis et applicandis, poenis; ac aggravandi *etc.*; contradictores *etc.* per quascumque eis videbitur censuras et poenas compescendi, invocato *etc.* brachii saecularis; cum derogatione constitutionum de una et duabus, non tamen tribus

diaetis, si opus fuerit, latissime extendentes.

Sola signatura sufficit.

§ 25. Et quod praesentis motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra illud, quacumque regula contraria non obstante; seu, si videbitur, litterae cum omnium singulorum praemissorum, etiam nominum, cognominum, modernorum confratrum dictae confraternitatis invocationum, situationum, denominationum, qualitatum et aliorum circa praemissa quomodolibet necessariorum, maiori et veriori specificatione et expressione, simul vel ad partem, super quolibet articulo, prout utilius videbitur, expediri possint; et quoad indultum celebrandi missas in domibus, in oratorio ad id a vicario Urbis designato, et per presbyterum per dictum vicarium approbandum tantum.

Declaratio circa liberationem condemnati.

§ 26. Volumus autem quod dicta confraternitas dictum condemnatum liberandum nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti denominare debeat et teneatur.

Fiat. M.

CXXXVIII.

Confirmatio et innovatio quarumcumque gratiarum, et signanter praecedentiae, hactenus congregationi canonicorum saecularium S. Georgii in Alga Venetiarum concessarum, et concessio omnium privilegiorum aliis Ordinibus, etiam Mendicantium, concessorum et concedendorum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Ex incumbenti nobis apostolicae servitutis officio, quorumlibet ecclesiasticorum, praesertim religiosorum, locorum illorumque personarum in via mandatorum Domini, ad Illius honorem et gloriam, deambulantium, ac in pio laudabilique illarum proposito permanentium, directioni prosperoque statui assidue intenti, illa propterea quae provide statuta dignoscuntur, quo firmius persistant, libenter apostolici muniminis praesidio, sublatis quibusvis obstaculis, roboramus, personas ipsas paternis confovendo affectibus.

Congregatio acceptavit bullam huius Pontificis n. CXVII, *Lubricum*, quae est supra p. 725, et professi sunt Regulam Sancti Augustini.

§ 1. Sane cum, sicut accepimus, dilecti filii rector generalis et canonici congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum, qui in eorum capitulo, in monasterio seu domo Sancti Salvatoris in Lauro de Urbe congregationis huiusmodi novissime celebrato, tamquam nostri et Apostolicae Sedis obedientiae filii, praecepto per nos eis alias facto super professione regulari, ut eam, qui in huiusmodi congregatione de cetero degere vellent, profiterentur, obtemperando, illam professionem debita cum reverentia acceptarunt, in eorum monasteriis sive domibus religiose, laudabiliter, prout hactenus vixerunt, de cetero vivere et gratum Altissimo famulatum impendere intendant.

Pontifex eius gratias omnes atque privilegia concilio Tridentino non contraria confirmat, et privilegia cuicumque aliae Religioni concessa et concedenda communicat;

§ 2. Nos, rectoris et canonicorum ipsorum laudabile propositum plurimum in Domino commendantes, et quo liberius in pace et tranquillitate, iuxta eorum instituta vivere possint, impedimenta, si quae sint, de medio tollere; ipsosque rectorem et canonicos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac illos et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon constitutionum, regularium statutorum, privilegiorum, indultorum et aliorum concessionum ac gratiarum infrasciptorum, om-

niumque in contrarium aut praeiudicium illorum seu congregationis huiusmodi, ac litterarum, etiam in forma brevis, etiam motu proprio vel alias quomodolibet desuper concessorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur praesentibus, pro expressis habentes, motu simili, non ad ipsorum rectoris et canonicorum vel alicuius eorum aut quorumvis aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et mera deliberatione nostris, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo omnes et singulas constitutiones ac ritus et mores aliaque regularia ipsius congregationis instituta, quoad ea quae sacris canonibus et decretis concilii Tridentini contraria non sunt, ita quod rector et canonici praedicti in processionibus et actibus publicis praecedant, prout antea soliti erant; necnon concessiones, gratias, privilegia et indulta ipsis congregationi ac rectori et canonicis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem eamdem, principaliter sive per viam communicationis aut alias quomodolibet concessa, confirmamus, ac illa de novo, necnon etiam omnia alia per ipsos praedecessores ac nos quibusvis Ordinibus et Religionibus, etiam fratrum Mendicantium hactenus quomodolibet concessa, et quae de cetero concedentur, eisdem rectori et canonicis ac congregationi gratiose concedimus, ac confirmata et concessa esse volumus.

Contrarias concessiones irritat;

§ 3. Necnon omnia, etiam per praedecessores praedictos et nos, etiam per quascumque, etiam in forma brevis, litteras, in contrarium praemissorum, seu ipsius congregationis et privilegiorum eidem concessorum praeiudicium quomodolibet etiam hactenus concessa, revocamus, irritamus et annullamus, ac irrita et nulla esse; necnon quicquid a dicto rectore et dilectis filiis patribus, capitibus congregationis huiusmodi nuncupatis, factum seu definitum fuerit, observari volumus, ac perpetuo statuimus et ordinamus.

Et ita et non aliter iudicari decernit;

§ 4. Et sic, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus; ac ita mentis et voluntatis nostrae incommutabilis esse volumus et declaramus.

Executores huius constitutionis deputat;

§ 5. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Amerino et dilectis filiis S. Georgii Maioris Venetiarum, ac Sanctae Iustinae Paduanae, monasteriorum abbatibus, per apostolica scripta motu pari mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quod opus fuerit, ac quoties pro parte rectoris et canonicorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis et illorum singulis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, praemissa observari; ac rectorem et canonicos praedictos confirmatione, concessione, voluntatibus, statuto, ordinatione, decreto et declaratione huiusmodi pacifice frui et gaudere: non permittentes eos et illorum singulos desuper per quoscumque, contra praesentium tenorem, quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias, ipsorum vel cuiuslibet ipsorum eorum arbitrio imponendas, moderandas

et applicandas, aliaque opportuna iuris remedia compescendo; necnon legitimis ad hoc habendis servatis processibus, illos censuras et poenas ipsas incurrisse declarando; ac ipsas censuras et poenas, etiam iteratis vicibus, aggravando; interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; ac dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis Ordinibus et illorum superioribus ac aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacissimis et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie ac alias quomodolibet, etiam per praedecessores nostros praedictos ac nos et Sedem praedictam, etiam motu et scientia similibus, concessis, confirmatis et approbatis: quibus omnibus et singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis sufficienter habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus et illis derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, a dicta Sede sit indultum quod interdici, suspendi aut excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIX, III idus septembris pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 11 sept. 1569, pontif. anno IV.

CXXXIX.

Confratres SS. Rosarii privilegiis et indulgentiis ornantur [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Consueverunt Romani Pontifices et alii Ss. Patres praedecessores nostri, cum bellis corporalibus vel spiritualibus premerentur, aut aliis vexationibus tentarentur, quo facilius ab illis evaderent, et tranquillitatem adepti, Deo quietius et ferventius inservirent et vacarent, divinam opem implorare, et sanctorum suffragia per supplicationes seu per Litanias deposcere, ac oculos cum Davide in montes levare, certa spe confidentes inde illis auxilia affutura; quorum exemplo adductus, et Spiritu Sancto, ut pie creditur, afflatus B. Dominicus, Ordinis fratrum Praedicatorum auctor, cuius institutum et regulam, cum in minoribus essemus, expresse professi sumus, simili, qua nunc, temporis occasione, quo Albigensium haeresis partes Galliae misere grassabatur et tam multos excaecaverat saeculares, ut in Domini sacerdotes et clericos saevissime furerent, levans in coelum oculos, et montem illum gloriosae Virginis Mariae almae Dei Genitricis, quae germine suo tortuosi serpentis caput obtrivit, et cunctas haereses sola interemit, ac benedicto fructu eius ventris mundum primi parentis lapsu damnatum salvavit,

B. Dominicus Rosarii inventor et per suos fratres propagator.

1 Ex Bullar. Ord. Praed., tom. V, pag. 223.

et de quo sine humanis manibus abscissus est lapis ille, qui, ligno percussus, gratiarum aquas affluentes produxit, respiciens modum facilem et omnibus pervium ac admodum pium orandi et precandi Deum, Rosarium seu Psalterium eiusdem B. Mariae Virginis nuncupatum, quo eadem beatissima Virgo, Salutatione Angelica centies et quinquagies ad numerum Davidici Psalterii repetita, et Oratione Dominica ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus, totam eiusdem Domini N. Iesu Christi vitam demonstrantibus, interposita, veneratur, excogitavit; excogitatum, per S. R. E. partes propagavit; orandique modo praedicto per asseclas B. Dominici, fratres videlicet Ordinis praedicti, divulgato et a nonnullis accepto, coeperunt christifideles his meditationibus accensi, his precibus inflammati, in alios viros repente mutari, haeresum tenebrae remitti, et lux catholicae fidei aperiri, et ad hanc orandi formam, pro locorum diversitate, sodalitates per fratres eiusdem Ordinis, ad hoc a suis superioribus legitime deputatos, institui et confratres in eis describi.

Pius confratribus Rosarii concessas indulgentias confirmat

§ 1. Nos quoque, illorum praedecessorum vestigia sequentes, militantem hanc Ecclesiam divinitus nobis commissam, his temporibus tot haeresibus agitatam, tot bellis pravisque hominum moribus atrociter vexatam et afflictam cernentes, lacrymabundos, sed spei plenos, oculos in montem illum, unde omne auxilium provenit, levamus, et singulos christifideles ad simile faciendum benigne in Domino hortamur et monemus. Utque facilius modus ille ab omnibus, cum ea qua decet devotione et mentis religionisque christianae sinceritate, amplectatur, auctoritatis nostrae partes, quantum nobis ex alto conceditur, favorabiliter impartientes, modum orandi et precandi praedictum omniaque et singula indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, relaxationes, immunitates, privilegia et alias gratias per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et dictae Sedis etiam de latere, legatos ac alios apostolica auctoritate suffultos, iuxta precandi modum praedictum orantibus, et confraternitatibus seu sodalitatibus sub dicto Rosario institutis, et illorum ecclesiis seu altaribus aut cappellis vel confratribus ac sodalibus, tam motu proprio et ex certa scientia, sive in genere vel in specie, quam alias quomodolibet, etiam pluries, concessa, confirmata et innovata, quorum omnium et singulorum tenores et compendia praesentibus haberi volumus pro expressis et insertis, eadem auctoritate, harum serie, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Et innovat;

§ 2. Necnon, potiori pro cautela, praemissa omnia eisdem modo et forma, quibus concessa reperiuntur, etiam perpetuo innovamus; ac omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus confratribus, per dictos filios modernos et pro tempore existentes fratres Ordinis praedicti, in suis, et tam per eos quam per alios sacerdotes, etiam in aliis ecclesiis, a dicto filio, etiam moderno et pro tempore existente, ipsius Ordinis generali magistro vel eius vicario dumtaxat deputatos, in huiusmodi sodalitatem et confraternitatem Rosarii receptis et descriptis, ecclesias, altaria et cappellas huiusmodi visitantibus, necnon Deo preces iuxta Rosarii modum praedictum effundentibus, quod omnibus et singulis indultis, indulgentiis, peccatorum remissionibus, relaxationibus, privilegiis et aliis gratiis praefatis, frui, uti, potiri et gaudere; necnon eisdem confraternitatibus seu sodalitatibus, quod illarum ad id deputati confratres omnia et singula obla-

tiones et legata, seu donationes aut alias quovis modo, sive in testamento sive in codicillis aut alia ultima vel inter vivos voluntate, illis relicta et erogata, quaecumque, quotcumque et quotiescumque, etiamsi speciali nota digna sint, percipere, exigere, levare et in confraternitatis huiusmodi pios usus convertere, etiam ordinarii loci aut cuiusvis alterius licentia desuper minime petita, libere et licite possint.

Confraternitati se adscribentibus concedit indulgent. plenariam;

§ 3. Et insuper, quo quisque ad se numero confratrum praefatorum aggregandum promptior et alacrior fiat, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis confratribus praedictis, per deputatos praedictos descriptis, vere poenitentibus et confessis, qui, prima vice qua descripti fuerint, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in aliqua ecclesia seu cappella dictae confraternitatis perceperint, et unam saltem quinquagenam Rosarii recitaverint, et pro tranquillitate sanctae matris Ecclesiae oraverint; necnon qui, in mortis articulo constituti; salutaris Poenitentiae et Viatici sacramento muniti fuerint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Alias elargitur indulgentias pro diversis anni diebus.

§ 4. Qui vero in die Resurrectionis D. N. Iesu Christi et Annunciationis ac Assumptionis eiusdem B. Mariae praefatum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et partem Rosarii, ut praefertur, recitaverint, decem annos et totidem quadragenas; eisdem autem confratribus, qui in reliquis Domini N. Iesu Christi et B. Mariae Virginis praefatorum festis diebus, in quibus sacra ipsius Rosarii mysteria recensentur, unam saltem Rosarii quinquagenam recitaverint; necnon aliis omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, etiam non confratribus, qui in eiusdem Rosarii processione, quae mense quolibet fieri consuevit, devote interfuerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis sibi poenitentiis etiam misericorditer in Domino relaxamus.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Decernentes confratres et alios praefatos a quoquam desuper molestari, praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis aliove vitio aut intentionis nostrae defectu notari, argui vel impugnari, et sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi non posse; sed quoties illae emanaverint, toties in pristinum et validissimum statum restitutas de novo, etiam de posteriore data, per ipsos deputatos confratres eligenda, concessas, ac perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere; et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac Cancellariae Apostolicae regulis editis et edendis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iu-

dicio quam extra, adhibeatur, quae praesentibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima septima septembris, millesimo quingentesimo sexagesimo nono, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 17 sept. 1569, pontif. anno IV.

CXL.

Indulgentia confratribus Societatis Nominis Dei concessa [1].

Pius Papa V, universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Cunctorum mortalium animas Deo lucrifieri desiderantes ad ea, per quae christifideles piis operibus vacantes, salutem suam Deo propitio valeant promereri, nostrae considerationis frequenter dirigimus intuitum, utque praemissa per eos caritatis fervore exequantur, eos allectivis quibusdam spiritualibus muneribus invitamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Indulgentiae concessio. § 1. Cupientes igitur ut dilecti filii singuli confratres confraternitatum Nominis Dei, tam in civitate Bononiensi quam aliis quibuscumque locis et terris canonice institutarum, eo magis in pace inter alios sibi invicem hostes tractanda, quod eorum proprie est munus, se intromittant, ipsique christifideles eo libentius ad se conciliandum inter se adducantur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis confratribus confraternitatum huiusmodi, qui in aliqua pace pertractanda et concilianda se intromiserint, omnibusve et singulis christifidelibus, qui, simultates insimul habentes, mutuam pacem contraxerint, quoties id fecerint, quadraginta dies de iniunctis sibi seu quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Firmitas huius concessionis. § 2. Praesentibus, quas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus et limitationibus minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse, sicque ab omnibus censeri volumus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX septembris, millesimo quingentesimo sexagesimo nono, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 sept. 1569, pontif. anno IV.

CXLI.

Confirmatio concordiae inter archiepiscopum Compostellanum et suos suffraganeos eorumque capitula [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Ex solita Sedis Apostolicae clementia, ad ea libenter intendimus, per quae inter praelatos ecclesiasticos et illorum ecclesiarum capitula ac alias personas ecclesiasticas paci et quieti opportune consulitur; ac iis, quae propterea facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, favorabiliter, cum a nobis petitur, apostolici adiicimus muniminis firmitatem.

Causa constitutionis. § 1. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper, pro parte venerabilium fratrum archiepiscopi Compostellani, metropolitani, et aliorum coepiscoporum suorum

1 Ex Bullar. Ord. Praedic., tom. v, pag. 224.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et dilectorum filiorum capitulorum ecclesiarum provinciae Compostellanae, petitio continebat, ipsa capitula praetenderent gravari ex nonnullis decretis factis, in concilio provinciali Compostellano, ac super hoc contentio et discordia inter ipsa capitula et eorum metropolitanum et coepiscopos ortae essent, venerabilis frater archiepiscopus Rossanensis, noster et eiusdem Sedis in Hispaniis nuncius, ad discordias huiusmodi sedandas, ut inter praelatos ecclesiarum earumque capitula huiusmodi pax et unio vigeret, metropolitanum et episcopos et capitulares personas super decretis concilii provincialis huiusmodi, iuxta formam et tenorem capitulorum infrascriptorum, sub nostro et dictae Sedis beneplacito, ad concordiam reduxerit, quae amicabiliter et absque aliquo discrimine facti, per praedictos praelatos et capitula huiusmodi acceptata fuit, quorum capitulorum tenor sequitur, videlicet:

Concordia inita inter archiepisc. Compostellanum et eiusdem suffraganeos opera nuncii Hispaniarum.

§ 2. I. Quod in quolibet decreto, in quo de punitione et poena contra aliquem ex capitularibus agitur, in ecclesiis, in quibus capitula exemptionem habere solita sunt, intelligeretur iuxta dispositionem et modum concilii Tridentini, capite VI sessionis XXV.

Tenor capitulorum concordiae.

II. Item, in VII capite secondae actionis, ubi habetur quod semel tantum in hebdomada fieret capitulum, congruum esset ut concederetur bis fieri, et nihilominus ita declararetur ut non censeatur exclusus casus necessitatis seu utilitatis ecclesiae.

III. Item, in nono et decimo capitibus actionis huiusmodi, ubi habetur quod actus et repraesentationes, quae fieri solent in processionibus, fiant loco et tempore ab episcopo seu eius vicario designandis; quandoquidem harum rerum ordinatio videtur ad capitulum, saltem ex antiqua consuetudine pertinere, quod concordat cum concilio Tridentino huiusmodi, capite VI, § *Ceteris autem*, eadem sessione XXV, declaratum censeatur ut, si episcopus praesens foret, ipse disponat; si vero absens, capitulum, iuxta laudabilem eius consuetudinem, ordinet et disponat.

IV. Item, in XVII capite dictae actionis, ubi disponitur quod proventus omnes dierum ibi descriptorum sint distributiones quotidianae; admittendum videtur decretum, declarando hac lege intelligi ut distributiones totius anni, ipsis computatis, tertiam partem omnium fructuum non excedant: ita ut servetur prorsus dispositio ipsius concilii Tridentini, et non excedatur, et in eodem capite XVII, ubi cavetur quod nulla admittatur excusatio, etiam infirmitatis, quia videtur quodammodo inhumanum, declarari potest infirmitatis excusationem non excludi, si vera sit, et fide medicorum cum iuramento approbata.

V. Item, in XVIII capite eiusdem actionis, ubi ii, quibus assignata sunt officia in hebdomada facienda, excusari nullatenus possint, nisi causa infirmitatis, alias totius hebdomadae distributiones amittant; declarari desideratur non excludi aliam veram, iustam vel rationabilem causam, quo casu substituere alium suis expensis possit et debeat, qui sit sui gradus et ordinis.

VI. Item, in XXVII capite eiusdem actionis, ubi statuitur ut is, qui praesentium in choro rationem habet, quem punctatorem vulgo appellant, librum punctorum huiusmodi alicui non ostendat *etc.*; declaretur id civili modo intelligi debere, videlicet librum ostendere vel alteri legere posse, si voluerit, non tamen illum tradere vel apud aliquem deponere, sed solum in archivio, ut ibi dicitur.

VII. Item, in eodem XXVII capite, ubi dicitur quod assumptus ad dictum munus sine legitima causa removeri non possit; declarandum non propterea intelligi eum creatum esse ad vitam sed ad tempus, non

tamen ad minus quam biennium, quo transacto, non possit confirmari, neque de novo eligi, nisi elapso alio biennio.

VIII. Item, in eodem XXVII capite, ubi dicitur eum debere esse clericum; id intelligi debeat de clerico in sacris constituto.

IX. Item, in XXVIII capite eiusdem actionis, ubi sacerdos in choro praesidere mandatur, si anteriores sacerdotes non sint *etc.*; declaretur intelligi inter pares, videlicet inter dignitates is praesideat qui sit sacerdos; absentibus dignitatibus ex canonicis, is praesideat qui sit sacerdos, ne forte ordo ecclesiarum et dignitatum confundatur.

X. Item, in XXXIV capite eiusdem actionis, ubi dicitur quod episcopus solus seu eius vicarius declaret et iudicet inhabiles electores et eligendos ad doctoralem et magistralem praebendam seu lectionem sacrae Scripturae *etc.*; declaretur quod episcopus vel eius vicarius generalis id faciat circa eligendum procedendo ac pronunciando simul cum capitulo, ubi talis est consuetudo, sicut enim eligendorum electio ad capitulum una cum episcopo pertinet, ita etiam inhabilium cognitio communis esse debeat. Quo vero ad vota eligentium et ad eorum inhabilitatem, recusationem seu voti privationem, servetur iurisdictio seu consuetudo uniuscuiusque ecclesiae.

XI. Item, in XXXVI capite ipsius actionis, ubi cavetur quod deputatus ad legendum sacram Scripturam legere debeat tempore et loco ac materiam ab episcopo designandam *etc.*; declaretur id fieri saltem de consilio capituli, nam cum id prius ad capitulum spectaret, non debet hoc decreto prorsus excludi.

XII. Item, in XL et XLI capite praedictae actionis, ubi disponitur quod episcopus det licentiam capitularibus aptis, ut litterarum studiis incumbant, eis providendo de necessariis ad victum *etc.*; in ecclesiis, in quibus consuetudo antiqua est ut etiam capitulum hanc facultatem concedere possit, non intelligatur hoc decreto hanc capituli facultatem sublatam esse; modus autem ibi assignatus, etiam a capitulo servetur.

XIII. Item, in XIV capite tertiae actionis, ubi dicitur quod episcopus statuta laudabilesque consuetudines ecclesiae in unum librum redigat et imprimi mandet, cum consilio quatuor de capitulo, decernens illis fidem tantum adhiberi, ceteris statutis et consuetudinibus idem episcopus deroget *etc.*; intelligantur omnia de consensu illorum quatuor a capitulo electorum.

XIV. Item, in XXI capite dictae tertiae actionis, ubi dicitur quod solus episcopus dare aut locare possit quodcumque opus novum in ecclesia faciendum *etc.*, quia omnia quae pertinent ad fabricam ecclesiae, praecipue ad capitulum spectant, et eorum est hoc munus; declaretur decretum intelligi in aliis ecclesiis, quam cathedralibus, prout revera hanc fuisse fertur mentem statuentium.

XV. Item, in XXXIII capite eiusdem tertiae actionis, ubi cavetur quod dignitates omnes et dimidia pars canonicorum sit graduatorum in sacra pagina vel iure canonico, iuxta decretum ipsius concilii Tridentini *etc.*; declaretur intelligi citra praeiudicium optionum et optandi consuetudinis legitimae praescriptae vel a Sede Apostolica confirmatae, quod declarationi et voluntati sanctissimi domini nostri relinquatur, quae omnia praedicta in capitulis dictae concordiae super celebratione huiusmodi confectis plenius contineri dicuntur.

Concordiam confirmat cum adiectis declarationibus.

§ 3. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, metropolitanus, episcopi et capitula praedicta cupiant declarationes huiusmodi, in dictis capitibus factas, pro illarum subsistentia firmiori, nostro et dictae Sedis munimine roborari, supplicari nobis fecerunt humiliter quatenus decla-

rationes huiusmodi apostolica auctoritate confirmare, et nonnulla etiam declarare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, inter fideles quoslibet, praesertim personas ecclesiasticas, pacem et concordiam vigere sinceris affectibus exoptantes; ac metropolitanum, episcopos et capitula huiusmodi ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordias et declarationes praefatas, et omnia et singula in eis contenta quaecumque, apostolica auctoritate praefata, per praesentes confirmamus, declarantes difficultatem optionis nobis remissam, tunc dictae optioni locum esse debere, eo modo et tempore, quo illi ante huiusmodi concilium locus erat, et non alias.

Declaratio optionis Pontificis arbitrio remissae, ut num. XIV.

§ 4. Sicque dictis concordiae et declarationibus nostræ approbationis et perpetuæ firmitatis robur adiicimus, eaque valida et efficacia existere, suosque plenarios effectus sortiri, et per metropolitanum, episcopos et capitula ecclesiarum provinciae Compostellanae praedictae ac eorum singulos illorumque successores perpetuo, inviolabiliter et firmiter observari debere; illosque ullo unquam tempore ab illis resilire aut reclamare non posse, sed ad omnium et singulorum praemissorum veram observationem teneri et efficaciter obligatos existere, ac ad id sententiis et censuris ecclesiasticis ac etiam pecuniariis poenis cogi et compelli posse per episcopos praefatos; sicque per quoscumque iudices et commissarios, ac etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; omnesque et singulos facti et iuris defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Pœna in eos qui a concordia discedere tentassent.

Clausula sublata.

§ 5. Non obstantibus apostolicis ac, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; ac dictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ecclesiis illarumque episcopis et capitulis praefatis ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, concessis et approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae amplissimae.

§ 6. Ceterum, quia difficile foret *etc.*

Fides danda transumptis.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII octobris MDLXIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 12 octobris 1569, pontif. anno IV.

CXLII.

Confirmatio concordiae inter praesidentem, episcopos et capitula provinciae Toletanae [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Ex solita Sedis Apostolicae clementia, ad ea libenter intendimus, per quae inter

Proœmium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

praelatos ecclesiasticos et illorum ecclesiarum capitula ac alias personas ecclesiasticas paci et quieti opportune consulitur; ac iis, quae propterea facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, favorabiliter, cum a nobis petitur, apostolici adiicimus muniminis firmitatem.

Causa constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper, pro parte venerabilium fratrum episcopi Cordubensis, praesidentis, et aliorum episcoporum et dilectorum filiorum capitulorum ecclesiarum provinciae Toletanae, petitio continebat, capitula ecclesiarum cathedralium provinciae Toletanae praetenderent gravari ex nonnullis decretis factis in concilio provinciali Toletano, ac super hoc contentio et discordia inter ipsa capitula et eorum praesidentem et episcopos ortae essent, venerabilis frater archiepiscopus Rossanensis, noster et eiusdem Sedis in regnis Hispaniarum nuncius, ad discordias huiusmodi sedandas, ut inter praelatos ecclesiarum et capitula huiusmodi pax et unio vigeret, episcopos et capitulares personas super decretis concilii provincialis Toletani, iuxta formam et tenorem capitulorum infrascriptorum, sub nostro et dictae Sedis beneplacito, ad concordiam reduxerit, quae amicabiliter et absque aliquo discrimine facti per praelatos et capitula huiusmodi acceptata fuit.

Concordia instituta inter ordinarios et capitula.

§ 2. I. Videlicet, quod in quolibet decreto, in quo de punitione et poena contra aliquem ex capitularibus agitur, in ecclesiis, in quibus capitula exemptionem habere sunt solita, intelligeretur iuxta dispositionem et modum concilii Tridentini, capite VI sessionis XXV.

Tenor concordiae.

II. Item, quod in omnibus etiam decretis, in quibus imponitur poena sub iudicio peccati et restitutionis in foro conscientiae, dicta poena videatur valde pericolosa, et quodammodo novum laqueum iniicere animabus, et propterea remittantur haec ad sanctissimum dominum nostrum, qui vel tollere vel suspendere dignabitur dictam poenam quoad iudicium animae.

III. Item, tertia actione dicti concilii, capite I, *De archivio*, declaretur quod in iis ecclesiis, ubi plures claves haberi solent, vel alia consuetudo viget, quae securitati et custodiae scripturarum opportuna sit, prout dicitur esse in ecclesia Cordubensi, servetur dicta consuetudo.

IV. Item, in eodem, quia duo praesupponuntur archivia, alterum scripturarum episcopi in aliquo monasterio situandum, alterum scripturarum capituli in ecclesia cathedrali existens, declaretur ut, quando scriptura communis est, idest pertinens tam ad episcopum quam ad capitulum, habeatur in altero ex archiviis originale, in altero copia authentica, quae sit eiusdem fidei et auctoritatis.

V. Item, decretum sextum de communione approbandum est, ut optimum, poena autem et publica obiurgatio suspendenda est usquequo per sanctissimum dominum nostrum maturius super hoc deliberabitur et disponetur.

VI. Item, septimo, quod poena sit amissionis illius horae, in qua peccatur, ut infra in decimo, et ubi dicitur *ut abstineant a mussitationibus*, quia verbum illud videtur ambiguum et incertum, intelligatur de colloquiis et ratiocinationibus, prout infra in decimo.

VII. Item, in nono, quod suspendatur illud quod, qui non potest die sibi assignato celebrare, teneatur allegare causam, quae fortasse erit occulta et non publicanda, et tanto minus illam probare, sed sufficiat in genere se excusare, et alium sui gradus ac ordinis suo loco substituere; sed, si quis in hoc nimis contumax existeret, ita ut multo tempore non celebraret, animadvertat episcopus.

VIII. Item, in decimo capite declarandum est quod colloquentes in choro amittant distributionem illius horae, in qua peccarunt, ut supra in septimo.

IX. Item, in duodecimo capitulo, ubi dicitur quod bis tantum in hebdomada fiat capitulum, non ita amare intelligatur ut excludatur casus necessitatis vel utilitatis ecclesiae.

X. Item, in vigesimo tertio capitulo, ubi datur modus concedendi licentiam iis, qui studere debent, quamvis ibi loquatur solum de ordinario, intelligatur etiam de capitulo et de quovis alio, ad quem de iure vel praescripta consuetudine forte spectat huiusmodi licentiam concedere, ut omnes non aliter concedant, quam modo et forma hoc decreto praescripta, prout praemissa omnia in dicta concordia seu declarationibus dicitur plenius contineri.

Confirmatio concordiae.

§ 3. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praesidens, episcopi et capitula praefati cupiant concordiam et declarationes huiusmodi, pro illarum subsistentia firmiori, nostro et dictae Sedis munimine roborari, supplicari nobis fecerunt humiliter quatenus declarationes huiusmodi apostolica auctoritate confirmare, et nonnulla alia declarare, aliasque eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, inter fideles quoslibet, praesertim personas ecclesiasticas, pacem et concordiam vigere sinceris affectibus exoptantes, episcopos et capitula huiusmodi ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam et declarationes praedictas, necnon omnia et singula in eis contenta quaecumque apostolica auctoritate praedicta per praesentes confirmamus.

§ 4. Declarantes tamen ut per illa decreta, in quibus imponitur poena sub indicio peccati, non censeatur inducta nova obligatio peccati, tamen restitutionis in foro conscientiae firma maneat, eo tamen modo et in iis, in quibus ante praefatum concilium dictae poenae locus erat.

Declaratio poenae peccati, ut in num. II.

Firmitas constitutionis.

§ 5. Rursus, in decreto sexto, actione III, poena illa et publica obiurgatio deleatur [1]; sicque dictis concordiae et declarationibus nostrae approbationis et perpetuae firmitatis robur adiicimus, easque validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri, ac per episcopos et capitula praedictos ac eorum singulos illorumque successores perpetuo inviolabiliter et firmiter observari debere, illosque ullo umquam tempore ab illis resilire aut reclamare non posse, sed ad omnium et singulorum praemissorum veram observationem teneri et efficaciter obligatos existere, et ad id sententiis et censuris ecclesiasticis ac etiam pecuniariis poenis cogi et compelli posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, ac etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere; irritum et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausula sublata.

Clausulae.

§ 6. Non obstantibus apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; ac dictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem ecclesiis illarumque episcopis et capitulis ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis concessis et approbatis, ac etiam iteratis vicibus inno-

1 Vide n. V.

vatis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 7. Ceterum, quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII octobris MDLXIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 12 octobris 1569, pontif. anno IV.

CXLIII.

Revocatio indultorum, praeter iuris communis dispositionem concessorum, recipiendi vel retinendi religiosos alterius Ordinis, etiam laxioris.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

Quaecumque sacrarum Religionum statum offendere noscuntur, nostrum nos incitat officium de medio removere. Quamquam enim de cohibendis regularibus ad alium Ordinem translatis sancta synodus Tridentina salubri consilio decrevit ut nemo, cuiuscumque Ordinis, praelatus vel superior, vigore cuiusvis facultatis, illorum quempiam ad habitum et professionem admittere possit, nisi ut in Ordine, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustro perpetuo maneat[1]; multi tamen superiores et praelati, obtentu privilegiorum, quamplurimos apostatas et alios diversorum Ordinum ad se, ob iurgia, contentiones, levitatem et malefacta, et maxime fugientes, eo etiam consilio receptare non desinunt, ut illorum opera in visitandis infirmis, gerendisque eorum locorum rebus et negotiis utantur, ex qua re plerique, solutiores effecti et quasi impunitatem assecuti, non personas tantum eorum Ordinum, unde animadversionis metu forte exierant, sed et ipsorum Ordinum ritus moresque maledictis insequuntur.

Revocatio privilegiorum recipiendi vel retinendi regulares alterius Ordinis, etiam laxioris.

§ 1. Quocirca, cum eiusmodi privilegia veniant abroganda, quandocumque insigniter comperiuntur nocere vel etiam scandala generare, nos, his aliisque rationabilibus causis adducti, et ut quibuslibet huiusmodi effugia praecludamus, de nobis attributae potestatis plenitudine, revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia, facultates, dispensationes et indulta, praeter iuris communis dispositionem emanata, recipiendi vel retinendi fratres, monachos, canonicos et alios etiam laxiorum Ordinum professores, quibuscumque Ordinibus, monasteriis, hospitalibus, militiis et piis locis, etiam Sancti Antonii Viennensis, Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, S. Ioannis Hierosolymitani, Iesu Christi, Sancti Iacobi de Spatha, Sancti Lazari Hierosolymitani, eorumque ecclesiis, membris, superioribus et personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, tam in ipsorum monasteriorum, hospitalium et locorum institutione, quam deinceps quomodocumque ac quotiescumque, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, et alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis restitutionibus, praeservationibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam

1 Haec dispositio concilii Tridentini habetur in sess. XIV, *De Reform.* cap. XI; et sess. XXV, *De Regularib.*, cap. XIX.

motu proprio et ex certa scientia deque simili potestatis plenitudine, etiam pauperum infirmorum miserabilium et cuiuscumque alterius pii operis intuitu, ac etiam ex quibuscumque aliis causis, quantumvis gravibus, caritativis et necessariis, etiam consideratione vel ad supplicationem imperatorum, regum aliorumque principum necnon sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, deque illorum consilio et matura deliberatione prius habita, concessa, confirmata ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa vel etiam moderata. Cassamus quoque et annullamus, quoad illa, omnes apostolicas et alias litteras super iis confectas, ac processus et alia inde secuta quaecumque.

Prohibitio de cetero eos recipiendi.

§ 2. Ac volumus ea omnia vires et effectum de cetero non habere, ita ut posthac, illorum sic revocatorum praetextu, praelati et superiores praedicti aut alii quicumque nullum prorsus alterius, etiam laxioris, Ordinis vel observantiae regularem, etiam specialem transeundi ad ipsos licentiam (iuxta huiusmodi privilegia dumtaxat) ferentem, ad habitum et professionem regularem in suis quisque monasteriis, domibus, locis vel Ordinibus, etiam ut in claustro perpetuo maneat, admittant, nec omnino quemquam recipiant vel retineant; eos vero, quos in aliquo ex casibus supradictis (vigore huiusmodi privilegiorum tantum, ac praeter iuris communis dispositionem) iam habent translatos, ad eorum superiores et loca eius Ordinis, unde erant profecti, quamprimum remittant.

Annullatio litterarum apostolicarum desuper confectarum, et processuum etc.

§ 3. Decernentes admissiones, receptiones et retentiones huiusmodi nulla firmitate subsistere, neminemque prorsus ulli voto, ullive Regulae vel observantiae, etiam iuramento aliave solemnitate promissae, obligare: necnon irritum et inane quicquid secus per praedictos aut quoscumque alios, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contravenientium poenae.

§ 4. Quicumque vero aliquem contra huius nostrae revocationis tenorem admiserint aut receperint, aut illos aut quos iam habent, modo praedicto translatos aut receptos, retinuerint, ipsos omnibus et singulis dignitatibus, administrationibus, beneficiis, officiis, fructibus et pensionibus ecclesiasticis, praesentium auctoritate, privamus, et ad futura inhabiles esse volumus eo ipso.

Ordinarii contra praedictos procedant.

§ 5. Quocirca omnibus locorum ordinariis, in quorum dioecesibus loca praedicta consistunt, per apostolica scripta mandamus ut, per se vel alium seu alios, de translatis praedictis auctoritate nostra cognoscentes, in eos, quos contra hoc praescriptum nostrum degere invenerint, ac etiam recipientes vel retinentes, reiecto quocumque exemptionis privilegio, animadvertant; ipsosque praeterea translatos vel retentos ad priores Ordines et disciplinam remittere procurent. Contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas ceteraque iuris et facti remedia opportuna, quacumque appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac monasteriorum, hospitalium, militiarum, Ordinum et locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis; quodque praelatis et superioribus praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a praedicta sit Sede indultum quod litteris revocatoriis, sub quacumque formula editis, nullatenus, vel nisi modis et formis in huiusmodi indultis contentis, parere, et ob non paritionem aliquas censuras et poenas incurrere, aut alias inter-

dici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, necnon monasteriis, hospitalibus, militiis et Ordinibus huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus et specialibus, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine praedictis concessis, cuiuscumque tenoris existant, per quae, praesentibus non expressa vel omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia nolumus cuiquam contra praedicta in aliquo suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§ 7. Volumus autem ut ipsarum praesentium exempla edantur, eademque, etiam impressa, notarii publici manu et praelati ecclesiastici eiusve curiae sigillo obsignata, eamdem illam ubique locorum fidem, in iudicio et extra illud, faciant, quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono, pridie idus octobris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 octobris 1569, pontif. anno IV.

CXLIV.

Reformatio officii correctoris Cancellariae Apostolicae et litterarum minoris iustitiae, contradictarum nuncupatarum [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis circumspecta providentia nonnumquam gesta per Romanos Pontifices praedecessores revocat et moderatur, prout in Domino salubriter expedire conspicit. Hinc est quod, ad reformationem litterarum officii correctoris minoris iustitiae, contradictarum nuncupatarum, Camerae nostrae Apostolicae attendentes, licet a felicis recordationis Pio Papa IV, praedecessore nostro, quamplurima salubria statuta et ordinata fuerunt, tamen, quia experientia compertum est, propter nimias subtilitates, adhuc saepe ex dicto officio rescripta contra mentem nostram in grave partium praeiudicium emanasse, quibus, prout ex debito officii nostri tenemur, provide consulere volentes, hac nostra constitutione perpetua statuimus, decernimus atque prohibemus.

Causae huius reformationis.

Corrector et procuratores abstineant commissionibus causarum etc.

§ 1. Ne corrector et procuratores collegii officii litterarum praefatarum ex officio, ut antea, commissiones causarum sub quacumque forma, subrogationes et iudicum mutationes concedant; minusque iudicibus ordinariis aut aliis delegatis aliquos illis adiungant; aut quorumvis testium, etiam ad perpetuam rei memoriam, examen ipsi delegent; neque litteras ad effectum revelationis aut aliquid restituendi aut deponendi seu testimonium veritatis perhibendi contra occultas personas in forma *Significavit* concedi solitas, aut litteras, quas iuris declaratorias super Religionis validitate aut quibusvis aliis quaestionibus, causis et negotiis, et quas conservatorias appellant, expediant; sed omnes ad nos et futurum Romanum Pontific. referantur, per Signaturam nostram aut eiusdem Romani futuri Pontificis expediendas et decidendas, prout negotiorum et personarum qualitas ac rei gravitas et necessitas postulaverit. Litteras vero commissionum secundum supplicationes huiusmodi, super negotiis, causis et quaestionibus praefatis signandas, corrector et collegium huiusmodi per illius officium expediat.

1 Aliam reformationem fecit Pius IV, ut in eius constitutione LXVII, *Universi*, pag. 200 huius tomi; et de materia Cancellariae attende in Martini V constit. IV, *In apostolicae*, tom. IV, pag. 679.

Corrector concedat confirmationes contractuum et sententiarum.

§ 2. Possit tamen idem corrector, ut antea, ex officio litteras super confirmatione contractuum, ad supplicationem partium et sine alterius praeiudicio, ac sententiarum et laudorum, de consensu partium, cum solitis clausulis in forma communi expedire.

Regulas aliis non det.

§ 3. Regulas Cancellariae non nisi de consensu sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii aut illius regentis concedat.

Beneficiales materias non expediat.

§ 4. Abstineat vero corrector et collegium praefatum, quibus institiae maioris litterarum expeditio commissa fuit, ab omnibus materiis beneficialibus, tam principalibus quam accessoriis, et materiis perpetuis, necnon a concessione absolutionis a censuris seu commissionibus illarum.

Licentias testandi quas concedat.

§ 5. Licentias testandi, nisi pro summa centum ducatorum, iuxta formam in quinterno Cancellariae nostrae traditam, concedat, et dummodo aliam similem non obtinuerint; et quod in omnibus licentiis praefatis haec clausula, *dummodo similem antea non obtinuerint,* apponatur.

Statuta et privilegia non confirmet.

§ 6. In confirmationibus statutorum, constitutionum, ordinationum et privilegiorum se non intromittat.

Licentias alienandi non det.

§ 7. Licentias alienandi bona ecclesiastica seu ad loca pia pertinentia, confirmationes alienationum huiusmodi bonorum, cuiuscumque, etiam modicae, quantitatis existant, ipse non attingat nec expediat.

Litterae per officiales examinentur.

§ 8. Litterae vero per correctorem et officium praefatum expediendae, ad Bullariam non mittantur, nisi praevio examine et censura vicecancellarii aut regentis et in eadem Cancellaria nostra de maiori praesidentia assistentium probatae fuerint; post cuius iudicium, neque corrector aut quivis alius manum, eas immutando, sub poena falsi, apponat.

Materias regularium non tangat.

§ 9. Abstineat quoque ab omnibus materiis concernentibus statum et personas regulares utriusque sexus cuiuscumque Ordinis.

Procuratores archivium faciant etc.

§ 10. Conficiant praeterea procuratores praefati archivium in Palatio nostro Apostolico, in loco per nos designando, et litteras omnes extense et integre registrent, et ad minus singulo quoque trimestri ad dictum archivium custodiendas deferant.

Contra hanc bullam et aliam Pii IV nihil agant.

§ 11. Inhibentes collegio et correctori praefatis, sub poena privationis officiorum, ne contra declarationem, ordinationem et decretum praefatum aliquid innovare praesumant. Ceteris omnibus aliis, quae a Pio praefato et aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris statuta et decreta sunt, firmis manentibus.

Decretum ritans.

§ 12. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam ipsius Ecclesiae Romanae cardinales, sublata eis quavis aliter interpretandi [1] facultate, iudicari et definiri debere; et quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane similiter decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 13. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque et indultis eisdem correctori et procuratoribus, eorumque collegio, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac forsan nos concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

1 Cherub. addit *et iudicandi* (R. T.).

§ 14. Volumus autem quod liberum sit omnibus supplicationes commissionum causarum, in praesentia nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis signatas, non solum per officium contradictarum, ut praefertur, sed etiam, ut antea, per litteras in forma brevis expediendas obtinere, dummodo per extensum et non supplicatione introclusa litterae praefatae expediantur.

Supplicationes commissionum quomodo expediendae.

§ 15. Inhibentes secretariis et scriptoribus dicti collegii, sub poenis indignationis nostrae et privationis officiorum, ne, propter extensionem huiusmodi, taxam et impensam, etiam occasione scripturae aut laboris vel celerioris expeditionis, augeant.

Taxa non augeatur.

§ 16. Mandantesque collegio et scriptoribus quod litterae praefatae per eosdem registrentur, et in Palatio nostro ad archivium, in loco similiter per nos designando, singulo quoque trimestri, ad minus, ut supra deferantur.

Litterae registrentur etc.

§ 17. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam deducantur, et eos, quorum interest vel interesse poterit, omnino afficiant, volumus et mandamus illas in Palatii nostri Apostolici ac Audientiae litterarum contradictarum valvis, et acie Campi Florae, per aliquos ex cursoribus nostris affigi, et per aliquod temporis spatium, relicta ibidem earum copia, affixas detineri, ut ii, quos litterae ipsae concernunt seu concernere poterunt quomodolibet in futurum, nullam possint excusationem praetendere vel allegare quod ad ipsorum notitiam non pervenerint, cum non sit verisimile apud eos incognitum remanere quod tam patenter publicatum fuerit; et quod in quinterno Cancellariae praefatae describantur.

Forma et effectus publicandi.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono, XII kalendas novembris, pontificatus nostri anno IV.

Dat die 21 octobris 1569, pontif. anno IV.

Sequitur declaratio praedictae reformationis.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Nuper, certis rationabilibus causis tunc suadentibus, circa officium correctoris litterarum Cancellariae nostrae, contradictarum nuncupatarum, statuimus ut nihil omnino eorum, quae tunc expressa sunt, quae antea ex dicto officio concedi consueverant, deinceps, absque signatura nostra et, in litterarum apostolicarum expeditione, sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellario assistentium recognitione et censura, a praedicto correctore expediretur.

Causa huius declarationis.

§ 1. Nos, causis praedictis postea plenius cognitis, cupientes promptiori eorum expeditioni, quae iustitiam concernunt, minorique partium dispendio consulere, motu simili *etc.* certaque scientia volumus, ac dilectis filiis correctori et procuratoribus huiusmodi litterarum contradictarum concedimus ut rescripta et commissiones omnium causarum, tam civilium quam criminalium, necnon indicum subrogationes, mutationes, adiunctorum dationes, sive ordinariis sive delegatis faciendas, testium ad futuram rei memoriam examinandorum concessiones et reliquas materias, maiorem vel minorem nuncupatam iustitiam mere concernentes, super quibus omnibus supplicationes, nostra seu Romani Pontificis pro tempore existentis aut Signaturae nostrae iustitiae praefecti prius manu signatas, et non alias, absque assistentium prædictorum recognitione vel censura, valeant expedire. Et simili modo, super supplicationibus manu nostra signatis, litteras ad effectum revelandi aut aliquid restituendi ac testimonium

Declaratio dictae reformationis et facultatum correctoris et procuratorum.

veritatis perhibendi contra occultas personas in forma *Significavit*, etiam privative quoad omnes, quibus id (excepto dumtaxat nostro in spiritualibus vicario Urbis, qui in Urbe ipsa et suburbiis tantum illas expedire possit) omnino inhibemus. Et eos ac etiam notarios, qui contrafecerint, emolumentis omnibus suorum officiorum per annum integrum privamus, locis piis applicandis, et praeterea quingentorum ducatorum auri de Camera ac aliis poenis arbitrariis afficiendos decernimus. Quae omnia (donec aliter per nos aut Sedem Apostolicam reformando fuerit constitutum) omnino volumus observari, reliquis omnibus, in reformatione nostra super hoc edita contentis, salvis remanentibus: ita tamen quod nullus alius quam praedictus vicecancellarius seu eius locumtenens litteras prædictas ad Bullariam transmittere possit.

Sola signatura sufficit.

§ 2. Ceterum volumus solam signaturam praesentibus sufficere, atque in iudicio et extra fidem facere.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Regulis nostris in contrarium editis, et de non tollendo iure quaesito et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis et in reformatione praedicta contentis, etiam specialem et expressam derogationem et mentionem requirentibus, et clausulas derogatorias continentibus, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet. Motu proprio, M.

CXLV.

Suppressa congregatione Ordinis S. Crucis Fontis Avellanae, ipsius monasteria et loca Camaldulensi congregationi attribuit [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quantum animus noster gaudio perfunditur de Religionibus bene institutis; tantum innixus haeret illi dolor de praevaricatione nonnullarum, quae summo studio et labore ad praesidium fidei catholicae eductae, mala daemonis arte postea defecerunt.

Exordium desumptum a rei serie.

Narrat Pontifex quae fecerit ut hos monachos ad bonam frugem reduceret,

§ 1. Quo in numero monachos monasterii et congregationis S. Crucis Fontis Avellanae, Ordinis S. Benedicti, Eugubinae dioecesis, iam pridem conspicamur, non sine moerore expendentes quanto in periculo hi versentur, quamque longissime aberrent a monastica illa disciplina, in qua in eremo, a venerabilis memoriae Petro Damiano tanta olim pietate instituta, felicis recordationis Ioannes Papa XXII, ad fundendum uberiores fruges, de fratrum suorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine, commutavit. Ut vero illos vagos et dissolutos in viam quoquo pacto reduceremus, primum eorum animos per dilectum filium nostrum Iulium tit. S. Petri ad Vincula presbyterum cardinalem Urbini, praedicti monasterii commendatarium, qui illorum correctionem vehementer expetebat, explorandos curavimus, num tandem resipiscentes ex mundi involucris in ovile pro instituto convenire, et quam decet vitam in claustro agere, et propter inordinatos ipsorum ritus, proborum religiosorum moderationi subesse proponerent. Sed ad excusandas excusationes in peccatis quidam sese Regulam cum ea, quam nunc habere dicunt, libertate ingressos esse; alii alia inania causantes, iugum Religionis et clausuram aperte detrectarunt. Cumque impensius instaremus, rursus a praedicto cardinali adstricti, capitulum generale apud dictum monasterium indixerunt, ex cuius recessu, cum omnia bona sperabamus, tum priores illorum ad nos missi, eos futurae reformationis prorsus obtemperaturos esse coram annuebant; interim vero alia atque alia clam pertractantes, diem ex die ducere conabantur, ut forte inter multas sollici-

Sed irrito conatu.

1 Annal. Eccles., tom. XXIII, pag. 191.

tudines hoc negocium oblivioni daremus. Sed, postquam optata perficere decrevimus, ac proinde quid ferrent in mandatis procuratores praedicti cognoscere contendimus, ipsi ita demum se voluntati nostrae adstipulaturos renuntiarunt, si earum rerum, quas suas praetendunt, usum atque dominium retinerent, et in reliquum tempus vitae libertate anteacta fruerentur, diiudicari licet quam periculosum sit hoc nostrum institutum longius remorari. Postquam igitur illos tamdiu expectatos alieno animo esse, neque in communem salutem, uti aequum fuit, per se consulere intelligimus, non procrastinandi ulterius arbitramur, quin, quod hac in re ad officium nostrum pertinet atque in animo instituimus, sedulo persequatur.

Omnes prioratuum, commendarum aliasque provisiones eorum favore factas annullat;

§ 2. Itaque, de simili potestatis plenitudine, revocamus et abolemus omnes et quascumque, tam apostolicas quam ordinarias, collationes, provisiones, commendas perpetuas et temporales ac alias dispositiones de prioratibus, dignitatibus, administrationibus et officiis, etiam conventualibus et claustralibus, monasterii et congregationis praedictorum et ab illis dependentibus, necnon omnibus et singulis aliis beneficiis, cum cura et sine cura, saecularibus ac quorumvis Ordinum regularibus, etiam de iure patronatus laicorum sive etiam nobilium existentibus; ac etiam reservationes fructuum et aliarum rerum ecclesiasticarum; necnon assignationes pensionum super similibus fructibus et rebus, praedictis monachis, sive in perpetuum, sive ad certum et qualecumque tempus vel etiam ad nutum, factas; necnon omnes regressus, accessus et ingressus, ac regrediendi, accedendi et ingrediendi facultates et indulta; coadiutorum quoque deputationes ad illos, illas vel illa ex quacumque causa, quantumvis onerosa et considerabili, eisdem per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam eiusque legatos

Fundationes, erectiones, iura patronatus, ac privilegia irritat, omniaque beneficia vacare decernit;

§ 3. Necnon superiores, etiam motu proprio et ex certa scientia, deque simili potestatis plenitudine ac alias quomodocumque concessa, restituta et confirmata; ac beneficiorum ipsorum fundationes, inter alia, disponentes quod nullus, nisi Ordinem praedictum expresse professus, ad dicta beneficia, etiam de iure patronatus existentia, assumi possit, quorum omnium tenores aeque atque ad verbum inserentur praesentibus, haberi volumus pro expressis. Cassamus quoque et annullamus apostolicas et quascumque alias litteras desuper confectas, necnon processus inde habitos et quaecumque secuta sunt, etiam ex eisdem; quin etiam omnes et singulos monachos prædictos, etiam longissimo et quantocumque tempore possessores, eisdem omnibus præsentium auctoritate privamus privatosque esse, ac prioratus, dignitates, administrationes, officia et beneficia prædicta vacare decernimus et declaramus; ipsosque ab illorum possessione amovemus, ac omnium et singulorum dispositionem nobis et dictae Sedi specialiter et expresse reservamus.

Congregationem Fontis Avellanae eiusque nomen abolet;

§ 4. Insuper, causis praedictis adducti, et praeterea cogitantes monachos numero adeo exiguo, atque omnino ipsam congregationem angustis adeo finibus circumscriptam, ut illa per se, etiam reformata et correpta, paucos admodum fructus producere possit; proinde conducibilius fore existimamus, si alteri, meliori disciplina institutae, commodis rationibus adscribatur. Quare, de simili potestatis plenitudine, extinguimus et abolemus in prædicto monasterio et illius dignitate abbatiali, ac etiam in omnibus prioratibus, membris et locis dictae congregationis et ab ea communiter possessis, pariterque in omnibus beneficiis cum cura, regularibus, ad dispositionem abbatis ipsius monaste-

rii pertinentibus, Ordinem, statum, nomen et essentiam regularem S. Benedicti et congregationis Fontis Avellanae.

Monasterium ipsum, ecclesiam huiusque bona congregationi Camaldulensium unit;

§ 5. Ipsum vero conventum, cum ecclesia et claustro ad conventum necessario, ac prioratibus, membris et locis, necnon proprietatibus, iurisdictionibus et iuribus omnibus ab ipsa congregatione extincta communiter possessis (praedicta dignitate abbatiali illiusque mensa necnon cappella subtus altare maius dictae ecclesiae ac parte aedium dicti monasterii, quae ab intimo septo conventus dividi et ad usum abbatis accomodari poterunt, ac etiam omnibus bonis, beneficiis, iuribus et iurisdictionibus eiusdem dignitatis penitus separatis et exceptis etc.), Ordini et congregationi monachorum Camaldulensium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus: ita ut posthac una et eadem utrorumque congregatio et sodalitas monachorum Camaldulensium fiat monasterium Fontis Avellanae, necnon prioratus, membra et loca.

Abbati Camaldulensi, ut de iis possessionem capiat, mandat,

§ 6. Itaque monachi omnes extinctae congregationis ad Regulam, habitus, ritus et mores monachorum Camaldulensium omnino reformare, illique horum institutis prorsus conformari debeant: mandantes, in virtute sanctae obedientiae, priori generali congregationis Camaldulensis ut, salvis cappella ac aedium parte a dicto Iulio cardinali statuenda; omnibusque proprietatibus, bonis, rebus, iuribus et iurisdictionibus spiritualibus et temporalibus dictae dignitatis abbatialis et illius abbatis, ut praedictum est, separatis, corporalem possessionem conventus, monasterii, prioratuum, membrorum, locorum, proprietatum et iurium omnium communiter possessorum, per se vel alium seu alios, omni mora et dilatione praecisa, libere capiat et apprehendat, captamque et apprehensam, sine spolii et attentatorum vitio, perpetuo retineat: monasterium et loca ad conventum idonea de monachis suae congregationis, iuxta illius morem, instituat; alios vero supradictae congregationis extinctae Ordinem ipsum Camaldulensem ingredi volentes, per alios conventus suos, una cum aliis monachis Camaldulensibus, distribuat.

Contradictores poenis compescendo;

§ 7. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ceteraque omnia iuris et facti remedia opportuna, omni et quacumque appellatione remota, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Numerum monachorum praefigit, dotemque pro eorum substentatione assignat;

§ 8. Ut vero iustus monachorum et ministrorum numerus apud dictum monasterium commodius haberi possit, qui quidem nunquam paucior triginta monachorum sit, partem proprietatum, possessionum propinquarum et commodiorum mensae abbatialis praedictae, eisque ad valorem annuum mille scutorum monetae, videlicet iulii decem pro quolibet scuto, computatis, ab ipsa mensa, de consensu dicti Iulii cardinalis, dividimus et separamus, eamque mensae conventuali ipsius monasterii, pro victu monachorum, fabrica et aliis oneribus, perpetuo applicamus et appropriamus.

Huiusmodi monachis privilegia Camaldulensium communicat;

§ 9. Ad hoc, eisdem monachis et personis, etiam in praedictis membris et locis constituendis, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et indultis, etiam ratione possessionum et bonorum Ordini et congregationi Camaldulensi quomodolibet concessis et concedendis, pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, perpetuo concedimus.

Monachi Fontis Avellanae intra mensem alicui religioso Ordini dent nomen; alias puniri decernit;

§ 10. Ceterum, ne praesentium effectus extinctae congregationis monachorum pertinacia protrahatur, volumus ut, infra mensem a publicatione praesentium, in dicto conventu facienda, numerandum, illi omnes vel congregationem monachorum

Camaldulensium ingrediantur, vel ad aliquam ex Religionibus approbatis transeant, et ibi Ordinem, iuxta cuiusque Regulae instituta, omnino profiteantur; sin minus, lapso mense, in eos, tamquam desertores, ut ceteris etiam exemplo sint, animadvertendum curabimus, prout rei gravitas videbitur postulare.

Obedientes ab apostasia, excommunicatione, irregularitate, suspensione etc. absolvit.

§ 11. Nos enim omnes sic ingressos vel translatos et professos ac voluntati nostrae obsecutos, anteactae vitae poenitentes, a reatu apostasiae et criminibus omnibus, necnon excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas ipsi, extra claustra suorum locorum et in saeculum vagando, iuxta canonicas sanctiones et Ordinis S. Benedicti instituta incurrerunt, etiam habitu saeculari, regulari saepius dimisso vel mutato aut operto, aut saeculari assumpto, in utroque foro absolvimus; cum eo tamen, quod quisque poenitentiam, quam confessor idoneus a se eligendus pro commissis iniunget, adimplere omnino teneatur; ac cum eis, super irregularitate, quam contraxerunt propterea, ac quia, censuris et poenis huiusmodi sic ligati, missam et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt, et alias sese immiscuerunt saepius in divinis; utque in susceptis ordinibus, etiam in altaris ministerio, ministrare, et ad dignitates, officia et administrationes promoveri, illaque recipere et exercere libere et licite valeant, dispensamus; abolentes omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, contra ipsos quomodocumque insurgentem ex praedictis. Iubemus igitur monachis et personis monasterii et extinctae congregationis in universum et singulatim praedictis omnibus, non expectata alia iussione mentisve nostrae declaratione, parere; neminemque prorsus, etiam ex iis quorum collationes, provisiones et commendae beneficiorum et aliae gratiae hic revocatae sunt, quocumque tempore, quavis causa, restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris aut quodvis aliud gratiae vel iustitiae remedium impetrare, vel etiam ab alio vel aliis impetrato aut etiam motu simili concesso uti posse.

Abbatialem dignitatem saecularem efficit.

§ 12. Postremo dignitatem praedictam abbatialem, ut supra separatam et exemptam, necnon ecclesiam, cappellas et beneficia omnia regularia, ad liberam dispositionem abbatis dicti monasterii pertinentia, ad statum saecularem perpetuo reducimus: ita ut deinceps abbas dicti monasterii nihil omnino cum monachis, conventu, Ordine et congregatione commune habeat. Neque rursus ipsi in eum dictamve abbatiam eiusque mensam, proprietates, bona, beneficia, iurisdictiones et iura quidquid praetendere possint.

Edem et cappellam assignat eidem;

§ 13. Ac eidem abbatiae cappellam pro ecclesia et partem aedium praedictarum pro habitatione perpetuo assignamus.

Eius ceterorumque beneficiorum a congregatione suppressa dependentium collationem Rom. Pontifici reservat;

§ 14. Statuimusque ut ipsa dignitas abbatiae nuncupanda, quotiescumque vacabit, clerico saeculari, tamquam beneficium saeculare, curam animarum non habens, et cum quibuscumque aliis, etiam curatis, compatibile, a congregatione praedicta prorsus alienum, per Romanum Pontificem dumtaxat conferri et assignari debeat, eidemque Sedi praedictae, ut olim monasterium erat, prorsus subiectum remaneat; et beneficia omnia, cum cura et sine cura, ad saecularitatem redacta et ad dispositionem dicti abbatis pertinentia, etiam de iure patronatus, ut praefertur, existentia, deinceps clericis saecularibus dumtaxat assignari; et in eis, qui de iure patronatus sunt, personae saeculares, ad praesentationem patronorum dictorum, institui per ipsum abbatem debeant.

Huiusmodi decreta perpetuo servari iubet;

§ 15. Decernentes supradicta omnia et singula perpetuo inviolata atque immutabilia fore, neque per quoscumque iudices

ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. cardinales, sublata cuique aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari debere; necnon irritum et inane quidquid secus super praedictis omnibus et singulis per quoscumque iudices *etc.* debere; ac insuper *etc.*, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deregat obstantibus.

§ 16. Non obstantibus nostris de non tollendo iure quaesito, et de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac monasterii, Ordinum et congregationum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac praedictis fundationibus; privilegiis quoque, exemptionibus et indultis apostolicis, illis illorumque superioribus et personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, et alias sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, concessis, confirmatis et innovatis, et quibuscumque aliis indulgentiis et litteris apostolicis, cuiuscumque tenoris existant, per quae, praesentibus non expressa aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis; quae omnia et singula praesentibus pro sufficienter expressis haberi, nec contra ipsarum praesentium tenorem, volumus cuique in aliquo suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque.

Hae litterae publicatae singulos arctant.

§ 17. Denique volumus ut, publicatione praedicta, uti dictum est, facta, litterae praedictae unumquemque perinde arctent ac si singulatim intimatae fuissent.

§ 18. Earum quoque exempla, etiam impressa, notarii publici manu et praelati ecclesiastici eiusve curiae sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem ubique locorum, in iudicio vel extra illud, faciant, quam ipsaemet praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Exemplis fides adhibenda.

§ 19. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Clausulae.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quarto idus decembris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 dec. 1569, pontif. anno IV.

CXLVI.

Constitutio Bonifacii VIII contra offendentes S. R. E. cardinales extenditur etiam contra scientes et non revelantes [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Infelicis saeculi pericula miserati, dolorem comprimere non valemus, quod nefarii homines, iustorum sanguinem sitientes, ad illorum quoque perniciem infestiore animo incumbant, quos Spiritus Sanctus membra constituit praecipua Ecclesiae Dei, quam suo sibi sanguine acquisivit.

Bonifacius VIII offendent. cardinales illorumque fautoribus poenas hic descriptas imposuit in cap. *Felicis, De poenis* in VI.

§ 1. Magna igitur ratione, post alios, felicis recordationis Bonifacius Papa octavus, de fratrum suorum consilio, perpetua constitutione sancivit ut, si quis S. R. E. cardinalem fuerit hostiliter insecutus aut percusserit aut ceperit aut mandaverit id fieri, sociusque fuerit facientis, factumve ratum habuerit, seu dederit consilium vel favorem aut receptaverit aut defenderit scienter eumdem, tamquam lesae maiestatis reus, perpetuo

1 Hoc idem prohibitum est in bullis quas in die Coenae Domini Romani Pontifices publicare consueverunt. Eadem Bonifacii VIII dispositio, quae est in capite *Felicis, De poen.* in VI, fuit a Leone X extensa ad invadentes eorum domos, ut in eius const. XVII, *Temerariorum*, tom. V, pag. 648.

sit infamis, et praeterea diffidatus, bannitus et intestabilis; omnia eius aedificia ruinae perpetuae subiaceant, nullus ei debita reddere, nullus ei in iudicio respondere teneatur, bonis omnibus fisco vel reipublicae applicatis. Idem etiam feudis, beneficiis et officiis spiritualibus et temporalibus sit ipso iure privatus; sed et ipse insectans excommunicationis sententiam incurrat, quam solus Romanus Pontifex, excepto mortis articulo, valeat relaxare.

Eam non sufficere constitutionem inquit hic Pontifex;

§ 2. Sed ne haec quidem constitutio, propter abdita conscleratorum consilia, omnino satis esse noscitur ad huiusmodi sacrilegia amplius prohibenda. Qui enim alicui vim inferre sibi proponunt, id secreto, in occulto, ut maxime, machinantur, veluti impium illud facinus indicat in personam dilecti filii nostri Caroli tituli S. Praxedis presbyteri cardinalis Borromaei, ecclesiam Mediolanensem sanctissimis institutis studiose informantis, proxime attentatum. Quae res nos gravius commovet, vehementiusque excitat omnia exquirere, ut nobilissimae corporis nostri partes undique protegantur. Quibus enim praesidio erimus, quibus suppetias afferemus, quos denique tutabimur, si templi Dei bases, si clarissima Ecclesiae lumina, si speciales filios, qui, pro animabus populorum, pro fide, pro iustitia, pro unitate pervigilant, inultos deseramus?

Propterea easdem poenas imponit scientibus et non revelantibus;

§ 3. Itaque sanctioni praedictae, de simili fratrum nostrorum consilio, adiicientes, statuimus ut quisquis, etiam a nudo consilio aut simplici favore aut omnino a ceteris praedictis alienus, quempiam auctorum, administrorum vel consociorum coniurationis sive conspirationis aut commissi committendive criminis in personam cardinalis, illorum fautorum, receptorum vel occultatorum, sive ex renunciatione sibi protinus vel per interpositam personam aut litteras facta, cognoverit, sive ex scripturis, coetu, conatu, concursu, insidiis aliisve signis et indiciis qualemcumque scientiam habuerit vel etiam coniecerit, quive horum quicquam intellexerit, quantumcumque res alias occulta sit, quamprimum id Romano Pontifici, si in Curia fuerit, sin autem ordinario loci; vel si cardinalis ipse ordinarius extiterit, propinquiori episcopo: et si crimen nondum commissum fuerit, etiam ipsi cardinali properet revelare. Quicumque vero, etiam non subditus et omnino extraneus, defecerit, cuiuscumque dignitatis fuerit, praedicto sit excommunicationis laqueo innodatus, pariterque maiestatis reus, infamiam et omnes poenas praedictas eo ipso incurrat.

Poenas alias praeservat.

§ 4. Eadem nihilominus constitutione, quoad reliquas eius partes, ac ceteris omnibus sanctionibus canonicis et civilibus, ad talium coercitionem editis, in suo robore duraturis.

Rem deferens liberatur.

§ 5. Porro si quis, ad sanitatem revertens, rem adhuc incognitam retexerit, omni noxa penitus liberetur.

Ordinarius Papae significet.

§ 6. Ceterum loci ordinarius secreto cum casum ad se delatum, praedicto Pontifici primo quoque tempore nunciare, et interim rem omnem ab stirpe exquirere, et, si necessitas tunc postulet, saeculare quoque brachium adhibere [1].

Iussio publicandi in Urbe et extra.

§ 7. Sed, ne quisquam horum ignorationem valeat excusare, iubemus praesentes valvis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis et basilicae Principis apostolorum de Urbe, ubi publicabuntur, appendi, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui, et eas pariter ab omnibus locorum ordinariis, in suis ecclesiis locisque insignibus promulgari.

Transumptorum fides.

§ 8. Quia vero difficile nimis esset ipsas praesentes quocumque illas opus erit perferre, volumus earum exempla, etiam impressa, notarii publici manu et prae-

1 Cher. addit *curet* (R. T.).

lati ecclesiastici eiusque curiae sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem, in iudicio et extra illud, ubique gentium, facere, quam ipsaemet praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIX, XIV kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Papae subsc.

✠ Ego PIUS catholicae Ecclesiae episc.

Sequuntur subscriptiones cardinalium et publicatio.

Dat. die 19 decemb. 1569, pontif. anno IV.

CXLVII.

Confirmatio constitutionis Gregorii XI ac sententiae latae in Rota Romana ad favorem sacrosanctae ecclesiae Lateranensis de Urbe, circa eius praeminentiam et superioritatem et praerogativam supra omnes Urbis et orbis ecclesias ac basilicam S. Petri de Urbe [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Infirma aevi conditio saepe efficit ut res, vel maxime perspicuae et immemorabiles, perplexi erroris caligine sensim obductae, in gravia discrimina prolabantur.

Causae ob quas ecclesiae Lateranensis praerogativa in dubium revocata fuit.

§ 1. Quo genere affecta sacrosancta ecclesia nostra Lateranensis, post tot insignes ruinas, quae ei tenebrosis illis saeculis acciderant, quibus plerique Summi Romani Pontifices, aut religionis studio aut componendae pacis gratia aut bellorum periculo, longe ab Urbe, saepe enim in Galliis agebant, de summa quoque iuris sui et honoris praerogativa perperam laboravit. Etenim, longo post intervallo quam felicis recordationis Leo Papa IV, parta de Saracenis speciali victoria, Urbem sui nominis praesidiumque ad Vaticanum statuerat, cum reduces deinceps Pontifices in aliis atque aliis Urbis ecclesiis, uti cuique tutum aut commodum erat, considerent, praedicta ecclesia, ex tam multis direptionibus, quasi solitudine facta, sacerdotes basilicae Principis apostolorum, cum parilis vetustatis gloria, tum nomine et dignitate illustres et insignes, ab ea rerum commutatione, praedictum sibi ius nixi sunt vindicare.

Gregorius XI citatus in nota ad rubricam eam supremum locum tenere diffinivit.

§ 2. Quam rem non ferens Gregorius Papa XI, qui etiam tunc Avinione sedebat, ut omnem dubitationem eximeret, declaravit et definivit praedictam ecclesiam Lateranensem, praecipuam sedem suam, dictae basilicae ac ceterarum omnium Urbis et orbis ecclesiarum caput, maximum supra illas omnes locum tenere.

Rota etiam, cui Pius IV hunc articulum decidendum commisit, idem pronunciavit.

§ 3. Sed dicti sacerdotes, translato inde prorsus Pontificum domicilio, elatiores quandocumque res tulit, audentius institerunt, donec Pius Papa quartus, antecessor noster, merito commotus quod in cleri conventu et supplicationibus res turbae intercederent, molestaeque dissensiones fierent, huic tandem controversiae finem constituere volens, causam universam dilecto filio magistro Francisco Sermento, causarum Palatii Apostolici auditori, commisit audiendam et, omni appellatione praecisa, penitus terminandam. Qui, vocatis utrinque capitulis, in ipsa causa rite procedens, definitiva sententia, ex communi aliorum dicti Palatii auditorum consilio, nuper prolata, declaravit ius praecedendi, et praerogativam honoris locique nobilioris ac supremi, etiam supra canonicos, beneficiatos, clerum et personas praedictae basilicae, in processionibus solemnibus et decretis ce-

1 Aliqua de hac Lateranensi ecclesia vide in Honorii III constitutione LIII, *Sedis*, tom. III, pag. 579; et de eius præeminentia vide in Gregorii XI constitutione VI, *Super*, tom. IV, pag. 554.

terisque omnibus actibus et publicis et privatis, ad canonicos, beneficiatos et clerum dictae ecclesiae Lateranensis omnino pertinere. Quin etiam, perpetuo silentio his rebus imposito, res iudicata ita executioni mandata est ut, habitis postea cleri conventibus ac supplicationibus, sacerdotes omnes praedictae ecclesiae Lateranensis supremum ibi locum, etiam supra omnem clerum dictae basilicae, re ipsa obtinuerint.

Hic Pontifex omnia confirmat, suppletque defectus;

§ 4. Quocirca nos, tuendi iuris studio, hanc sententiam atque declarationem et definitionem et litteras praedicti Gregorii Papae, et quaecumque in litteris ipsis continentur, motu proprio, certaque, quam habemus, praedictorum omnium scientia, auctoritate apostolica approbamus, deque apostolicae potestatis plenitudine supplemus omnes et quoscumque iuris et facti defectus, si qui in processu et actibus reperiantur inesse; et, uti ipse Gregorius Papa optimo iure fecit, itidem definimus iubemusque capitulum et sacerdotes personasque omnes dictae basilicae ubique semper sententiae et definitioni parere.

Appellationem reiicit;

§ 5. Statuentes ut nulla omnino ipsorum provocatio et testificatio vel reclamatio, sive in iudicium producta sive clam interiecta, praeterita et futura noceat, nec prorsus vim habeat materiamve denuo tribuat litigandi.

Nihil in contrarium tentari mandat;

§ 6. Praecipimus igitur atque interdicimus eisdem, ne posthac quicquam audeant suscitare: quicumque, sive universi sive singuli, contrafacient vel nitentur, eos canonicatu, praebenda, dignitate, beneficio et officio privamus, privatosque ad futura inhabiles declaramus eo ipso.

Sic semper iudicari vult;

§ 7. Decernentes sic, in his et aliis omnibus supradictis, per eosdem iudices et quosvis alios, omni et quacumque aliter iudicandi et interpretandi facultate penitus adempta, ubique iudicari debere; ac irritum et inane quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, non obstantibus contrariis quibuscumque.

Transumptis credi praecipit,

§ 8. Volumus autem ut praesentes in Cancellariae Apostolicae libro, appellato quinterno, describantur, ipsorumq. exempla notarii publici manu et praelati ecclesiastici eiusve curiae sigillo obsignata, eamdem illam omnino fidem, in iudicio et extra illud, ubique locorum faciant quod ipsaemet praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctionem poenalem addit.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, XII kalendas ianuarii, anno Domini MDLXIX, pontificatus nostri anno IV.

Papae subsc.

† Ego Pius catholicae Ecclesiae episcop.

Dat. die 21 decemb. 1569, pontif. anno IV.

CXLVIII.

Duae sententiae definitivae conformes, latae pro fabrica S. Petri de Urbe, faciunt rem iudicatam in ea parte in qua sunt conformes; et commissiones appellationum, quae simpliciter concederentur a Signatura, semper intelliguntur cum clausula sine praeiudicio executionis duarum conformium [1].

Pius episcopus servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Etsi omnium litium finem ea, qua possumus, celeritate procuramus, eas tamen quae fabrica nostra S. Petri, pro executione legatorum ad pias causas relictorum recuperatione, bonorum ecclesiasticorum male alienatorum et aliorum iurium suorum agitat, ne in nimis longum, cum ipsius fabricae detrimento, protrahantur, libenter accelerare satagimus, et ad eas operarias manus favorabiliter impartimur.

1 Cetera, quae fabricam respiciunt, vide in Clementis VII constitutione III, *Admonet*, tom. VI, pag. 48.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Accepimus sane nuper quod tenores [1] bonorum et pecuniarum ad pias causas relictorum, ac bonorum ecclesiasticorum male alienatorum et aliorum quorumcumque iurium ad fabricam ipsam spectantium in consignationibus huiusmodi bonorum et solutionibus faciendis adeo sunt morosi, ut illas, quantum possunt, subterfugere nitantur, fabricam proinde expensis et laboribus frustrando.

Duae sententiae pro fabrica faciunt rem iudicatam, et commissiones appellationum signatae censentur cum clausula *sine praeiudicio executionis duarum conformium* 2.

§ 2. Nos, praemissis opportuna remedia adhibere volentes, ac dilectos filios deputatos et collegium fabricae huiusmodi, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum deputatorum et collegii vel alicuius eorum aut pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate et ex certa scientia nostris, eisdem deputatis et collegio illorumque ministris, ut in huiusmodi causis, duabus pro se reportatis sententiis conformibus, in ea parte, in qua erunt huiusmodi sententiae conformes, executionem paratam habeant, atque huiusmodi sententiae executioni debitae demandentur; partesque proinde appellantes minime audiri, nec eorum appellationes admitti, minusque illarum virtute commissiones, preces aut rescripta ullo modo impetrari aut concedi, neque etiam quoquo modo impetratis aut concessis uti, aut se illis iuvari ullatenus possint vel praesumant; et si quae, etiam per nos aut successores nostros Romanos Pontifices, et manu nostra propria, vel cardinalem Signaturae nostrae iustitiae praefectum pro tempore existentem, aut officium contradictarum, sub quibusvis verborum formis concepta et signata, etiamsi motu simili concedi contigerit, illa semper intelligantur esse cum clausula *sine praeiudicio executionis duarum conformium*, decreto irritanti etiam apposito; nec iudicibus ad quos directae erunt, aliquam facultatem tribuant; inhibitionesque et censuras earum vigore emanatas, nullas et nullius esse valoris et momenti volumus atque decernimus.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari vel invalidari, etiam ex eo capite quod interesse habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci, minusque in ius vel controversiam vocari posse, sed semper validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et derogationibus comprehendi ullatenus posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt toties in pristinum statum restitutas esse et censeri.

Decretum Irritans.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et

1 Forsan *detentores* (B. T.).

2 Scias tamen quod a prima sententia iudicis collegii appellatur ad ipsum collegium, ut in bulla Clementis VII.

consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio seu quaelibet alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 6. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Sanctio poenalis. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIX, XI kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 22 decemb. 1569, pontif. anno IV.

CXLIX.

Facultas collegii deputatorum fabricae basilicae S. Petri de Urbe exequendi omnia pia legata, infra annum a die mortis testatorum realiter non adimpleta, cum retentione quintae partis pro subventione dictae fabricae [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Decet nos, qui omnium ecclesiarum specialem in Domino curam gerimus, basilicae nostrae S. Petri ita intendere, ut ei omnia, quae possumus, auxilia praebeamus.

§ 1. Sane, sicut accepimus, licet alias diversi Romani Pontifices praedecessores nostri, cupientes perfectioni fabricae basilicae huiusmodi, quae omnium ecclesiarum totius orbis mater est et magistra et admodum crescit structura, de necessariis expensarum pecuniis opportune providere, pro tempore existentibus eiusdem fabricae collegio, deputatis eorumque ministris diversas facultates, privilegia et indulta per eorum litteras concesserint, quibus, inter cetera, quod omnia et singula legata pia eatenus et pro tempore executioni non demandata exequi facere, et, pro huiusmodi executione, ipsorum legatorum quintam partem pro ipsa fabrica sub certis modo et forma retinere possint, expresse cavetur; ipsique et collegium, tam in multis civitatibus iurisdictioni nostrae subiectis, quam dominiis regni Neapolitani et dilecti filii nobilis viri Cosmi Medices Florentiae et Senarum ducis passim huiusmodi pia legata exequi faciant, ex quorum quinta parte maximis expensarum oneribus fabricae praefatae in magna parte succurratur, dilectus filius noster, in alma Urbe et eius districtu vicarius in spiritualibus generalis, vigore specialis super hoc a Sede Apostolica licentiae et facultatis concessae, in huiusmodi legatis in dicta Urbe executioni demandandis, a certis annis se intromiserit, in grave ipsius fabricae praeiudicium.

Causae huius concessionis

§ 2. Nos, qui intimis cordis desideriis exoptamus ut dicta fabrica, quanto citius fieri poterit, ad debitum finem perducatur, ipsaque fabrica, attenta mala temporum qualitate, ob pecuniarum defectum, magna parte substiterit, verendumque sit ne, si in totum deseratur, etiam quod iam factum est corruat, in

Facultas de qua in rubrica 1.

1 Istud collegium instituit Clemens VII, ut in eius constitutione III, *Admonet*, tom. VI, pag. 48; et de eo habes etiam in constitutione hanc praecedente et in subsequente.

1 Hoc intellige etiam si legatarii vellent inexacta relinquere, ut in Pauli III bulla XL, *Dum ad* tom. VI, pag. 320.

divinae Maiestatis offensam et reipublicae christianae dedecus; ac propterea omnibus, quibus possumus, favoribus succurrere cupientes; eosdemque collegium et deputatos eorumque ministros a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon facultatis eidem vicario concessae tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad ipsorum deputatorum et collegii vel ministrorum huiusmodi vel alicuius eorum nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate et certa scientia nostris, eisdem deputatis et collegio fabricae huiusmodi facultatem eidem vicario concessam ad hoc ut, elapsis quindecim mensibus a die obitus testatorum, et quomodolibet per ultimam voluntatem disponentium computandis, collegium et deputati fabricae huiusmodi legata, in quibus ipse vicarius non praevenerit, iuxta formam facultatum praefato vicario et aliarum ipsi fabricae concessarum, exequi facere possint, per praesentes concedimus et impartimur, illamque ad eosdem deputatos extendimus et ampliamus, illosque desuper a quoquam impediri minime debere.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Necnon praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari aut invalidari, etiam ex eo capite quod interesse habentes vocati non fuerint; aut ad iuris terminos reduci, minusque in ius vel controversiam vocari posse, sed semper validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et derogationibus comprehendi ullatenus posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt toties in pristinum statum restitutas esse et censeri.

Decretum irritans.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari debere; ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio seu quaelibet alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIX, XI kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 22 decemb. 1569, pontif. anno IV.

CL.

Facultas collegii et deputatorum fabricae basilicae S. Petri de Urbe exequendi quaecumque legata pia, infra triennium a die obitus testatorum non impleta, cum retentione medietatis eorum pro dicta fabrica [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Exigit incumbentis nobis apostolicae servitutis officium ut, fabricae nostrae basilicae Sancti Petri utilitati prospicere satagentes, ea libenter ipsi concedamus quae eius utilitati credimus expedire.

Facultas de qua in rubrica.

§ 1. Hinc est quod nos, qui nuper accepimus quod tam in alma Urbe nostra quam in aliis civitatibus, terris, dominiis, locis et regnis reperiuntur multa legata a piis testatoribus facta, ad effectum celebrationis missarum et recitationis divinorum officiorum necnon erogationis eleemosynarum diversis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et aliis piis locis; ipsaque legata, haeredum avaritia seu alias, per triennium retroactum executioni debitae demandata non fuerint; volentesque tam super praemissis ea, quae conveniunt, adhibere remedia, quam fabricae praefatae utilitatem aliqua ex parte procurare; ac dilectos filios deputatos et collegium fabricae huiusmodi eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum deputatorum et collegii vel alicuius eorum aut pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, deputatis et collegio huiusmodi, si et postquam, iuxta tenorem privilegiorum et facultatum sibi concessorum, legata huiusmodi executioni debitae demandari fecerint, unam illorum medietatem, reliquam vero loco cui legata fuerint applicamus et appropriamus.

Clausulae praeservativae.

§ 2. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari aut invalidari, etiam ex eo capite quod interesse habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci, minusque in ius vel controversiam vocari posse, sed semper validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et derogationibus comprehendi ullatenus posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illiae emanabunt toties in pristinum statum restitutas esse censeri.

Decretum irritans.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praemissis et quibusvis apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, in-

[1] Alia de fabrica plene indicata sunt in constitutione III Clementis VII, *Admonet*, tom. VI, pag. 48; et de ea habes etiam supra in constitutione CXXI, *Et si de singulis*, pag. 755.

dultis et litteris apostolicis quibusvis personis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono, XI kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 22 decemb. 1569, pontif. anno IV.

CLI.

Prohibitio ad quaestum publicandi indulgentias et confessionalia [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quidam praesules ecclesiarum Hispaniae publicabant aliquid solventibus indulgentias et facultates eligendi confessores *etc.*

Quam plenum sit periculi noxia populis ingerere, nimium his temporibus afflicta religio testatur, quod malum cum in coeteris ministris, tum praecipue in ecclesiarum praelatis animadvertendum est, quod ab his temere profecta longe maxima Ecclesiae Dei conferant detrimenta. Rem sane indignam audivimus, quod non solum quondam Gometius Tello Giron, temporarius administrator ecclesiae Toletanae, sed etiam quidam Hispaniae ecclesiarum praesules, officii paterni praetextu, facultates sibi a sacris canonibus concessas excedentes, litteras suas in ipsorum civitatibus ac dioecesibus ausi sunt publicare, quibus, inter cetera periculosa, deprehenditur quod cuicumque illas accipienti, certa soluta pecunia, licitum sit quem voluerit sibi sumere sacerdotem, qui, confessione audita, ipsum absolvere valeat, non in eis tantum casibus in quibus simplex sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis quae solis episcopis reservata reperiuntur, aliquo praeterea casu admixto, veluti simoniae reatu, qui ad examen huius sanctae Sedis esset referendus. Non animadvertentes ipsi praesules et administratores quam periculosum sit ea passim incertis personis committere, quae ad episcoporum iudicium arbitriumque ideirco deferuntur, ut qui melius lepram a lepra discernere norint, causis et circumstantiis subtili indagine exploratis, salutaria cuique morbo remedia valeant adhibere. Ad haec ipsi, in dispensandis coelestis gratiae donis nimium prodigi, iis sic litteras praedictas accipientibus indulgentias et poenitentiarum iniunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas, profusius et indiscrete largiuntur, quibus et aliis licentiis praedictis non pauci fluctuantes et infirmi, veniae facilitate inducti, ad peccandum procliviores fiunt, quando tot et tantorum delictorum remissionem certo et vilissimo pretio acquirere posse confidant. Indicem praeterea casuum et indulgentiarum aedibus sacris appendi iusserunt, quo palam significatur solventibus suprascripta concedi, et inter alia absolvendi facultatem ab esu prohibitorum tribui; itemque indulgeri missae sacrificium et sepulturam tempore interdicti, assumptionem duorum pluriumve compatrum ad sacrum baptisma, praeter eos qui synodalibus, ut dicunt, constitutionibus asciscuntur, reparationem ecclesiarum, erectionem confraternitatum et alias pias causas praetexendo.

§ 1. Cum igitur, inter cetera scandala,

1 Ad haec vide etiam constitutionem XLV, *Etsi dominici*, pag. 535 huius tomi. — Hic obiter observamus hanc bullam esse fere iterationem illius, quae superius legere est sub n° CXXII (n. T.).

Ideo hic Pontifex gesta per illos annullat et publicationes huiusmodi indulgentiar. prohibet;

etiam simoniae pravitas redoleat, et praedictis sacris Tridentini concilii decretis et aliis sanctionibus canonicis, nostrae praeterea constitutioni de indulgentiis ad quaestum non emittendis, adversetur, clavium auctoritas evilescat et poenitentialis satisfactio enervetur, nos his malis celeri remedio occurrendum eademque opera futuris praecavendum fore censentes, de apostolicae potestatis plenitudine, supradicta omnia quae in ipsa Toletana et quibuscumque aliis civitatibus, dioecesibus et locis, tam Hispaniae quam aliarum quarumcumque provinciarum et regionum, quocumque praetextu hucusque emanarunt, perpetuo abolemus ac nulla et irrita nunciamus; iubemusque litteras et indices necnon scripturas et monumenta quaecumque, publica et privata, per ipsos locorum ordinarios et alios ecclesiarum rectores, ubicumque reperiuntur, dilacerari penitusque deleri. Et ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur vel concedantur districtius prohibemus.

Contravenientibusque poenas hic descriptas imponit;

§ 2. Quicumque secus egerint seu attentaverint, antistites, etiam si cardinalatus honore praefulgeant, ab ingressu et perceptione fructuum suarum ecclesiarum tamdiu suspensi iaceant, donec, satisfactione praevia, illis per Sedem praedictam suspensio relaxetur; inferiores vero ab episcopis sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes etiam irritum et inane quicquid secus per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Transumptis credi iubet;

§ 3. Volumus autem ut praesentium exempla *etc.*

Sanctionem poenalem addit.

§ 4. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, quarto nonas ianuarii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 2 ianuarii 1570, pontif. anno v.

CLII.

Eleemosynae pro carceratis in Urbe colligendae, expendantur pro solvendis debitis pauperum carceratorum; et pro debito mere civili infra septem aureos, nemo carceretur [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Eleemosynae quo modo expendendae.

§ 1. Volumus ut omnes eleemosynae carceratorum, tam quae per quaestores colliguntur, quam quae in capsis reponuntur, expendantur pro solvendis debitis pauperum carceratorum arbitrio reverendi domini cardinalis Moroni, quem confidimus prae oculis habiturum miserabiliores personas et iustiores causas.

Iussio constituendi hospitale 2.

§ 2. Eumdem rogamus ut in carceribus Turris Nonae erigi faciat hospitale aliquod sumptibus caritatis, in quo curentur pauperes infirmi donec adhibeatur diligentia, quam celerem esse volumus, pro illis liberandis, iuxta motum proprium felicis recordationis Pauli Papae tertii, quem servari prorsus volumus.

Prohibitio carcerandi pro minori summa septem aureorum.

§ 3. Insuper iubemus ne infra septem aureos carcerari quis possit pro debito, praeterquam cum debitum habet annexam criminalem causam.

Placet, et ita mandamus. M.

CLIII.

Ordinem fratrum Praedicatorum privilegiis ornat, eisque concessa firmat 3.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniunctum nobis, meritis licet imparibus, apostolicae servitutis officium, assidua

1 De materia carceratorum vide supra constitutionem CII, *Reverendi*, pag. 688. 2 Hoc utique constructum fuit. 3 Ex Bull. Ord. Praed., tom. v, pag. 236.

meditatione mentem nostram exercet, ut circa Religionum quarumlibet, præsertim Ordinis fratrum Praedicatorum, ad quem, patrio quodam iure, peculiarem gerimus paternae caritatis affectum, statum prospere dirigendum, illarumque superiorum dignitatem pariter et indemnitatem praeservandum studiis invigilantes assiduis, non solum ea, quae sollicitus ad hoc animus noster excogitat, in medium afferamus, sed etiam quae per Romanos Pontifices praedecessores nostros hac in re prudenter ordinata fuisse reperimus, ut illa firmiori gradu persistant, approbationis nostrae subsidio libenter stabilimus.

Diplomatis causa.

§ 1. Sane cum, sicut accepimus, diversi tam Romani Pontifices, etiam praedecessores nostri, et forsan Sedis Apostolicae legati et nuncii ac etiam loci ordinarii ac ecclesiarum praelati, quam imperatores, reges, duces, marchiones, comites, saeculares principes, respublicae et alii domini temporales, nonnulla privilegia, immunitates, exemptiones, concessiones, facultates, praerogativas, praeeminentias, indulgentias, etiam plenarias, peccatorum remissiones, libertates, indulta et alias gratias Ordini Sancti Dominici fratrum Praedicatorum, illius magistro generali, provincialibus, prioribus, rectoribus, fratribus, conversis aliisque personis, necnon monialibus et sororibus Beatis nuncupatis, sub cura dictorum fratrum degentibus, ac etiam eorum domibus, monasteriis, conventibus, collegiis necnon ecclesiis, cappellis, etiam intra huiusmodi ecclesias constructis, aliisque locis eidem Ordini seu illius domibus annexis, vel ab eis dependentibus, tam ultra quam citra montes consistentibus, in genere vel in specie, etiam per viam communicationis vel extensionis, apostolica, imperiali seu regia ac forsan alia auctoritatibus elargiti fuerint, quorum etiam vigore vel alias magister generalis, provinciales, priores, fratres, moniales, sorores aliaeque personae huiusmodi, diversa bona, iura, res, actiones, decimas, piscationes ac decimandi piscandique facultates, praebendas quoque, portiones, ecclesias, cappellas et alias beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et forsan aliorum Ordinum necnon militiarum regularia, ac etiam hospitalia, oratoria et alia pia loca, etiam in aliis et diversis dioecesibus, quam forsan in domibus, monasteriis, collegiis, conventibus et aliis dicti Ordinis locis huiusmodi consistentia, tamquam Ordini seu domibus, collegiis, conventibus, monasteriis et aliis locis praedictis unita, annexa et incorporata possederunt et ad praesens possideant, prout in diversis eorumdem praedecessorum, legatorum, locorum ordinariorum, praelatorum, imperatorum, regum, ducum et aliorum principum litteris desuper confectis plenius dicitur contineri.

Ei confirmat unlones omnes beneficiorum, defectus supplendo, caducitates validando etc.;

§ 2. Nos igitur, qui dudum, inter alia, voluimus quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, ac idem in unionum confirmationibus observaretur; quique, ob uberes fructus, quos dictus Ordo et illius professores, verbi Dei praedicatores, illud praedicando, in agro Domini hactenus produxerunt, et labores, quos in dies in vinea Domini indefesse sustinent, Ordinem ipsum ac illius modernos et pro tempore existentes magistrum generalem, provinciales, priores, vicarios, rectores, fratres et alios utriusque sexus religiosos et personas, necnon eorum domos, monasteria, conventus, collegia et alia loca praedicta, non solum in suis privilegiis, statutis, ordinationibus, ritibus, exemptionibus, indultis, iuribus aliisque gratiis praedictis conservare, sed etiam illa augere ac specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes; ac eos et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti

aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon omnium et singulorum privilegiorum, concessionum, immunitatum, exemptionum, erectionum, institutionum, unionum, annexionum, incorporationum, etiam perpetuarum, libertatum, indultorum et aliarum gratiarum ac desuper confectarum litterarum prædictarum veriores tenores, formas et compendia, ac causas, titulos, concessiones, elargitiones, uniones, annexiones et incorporationes huiusmodi, etiam perpetuas vel temporales, illarumque revocationes et suspensiones, tam per nos quam quoscumque alios Romanos Pontifices vel legatos factas, etiam quod forsan desuper sibi iniuncta non adimpleverint, et propterea illarum amissionem inducentes, penitus et omnino inficientes; necnon omnes et singulos fructus, redditus et proventus, per eos vel eorum aliquem, etiam in parva vel magna quantitate, ex beneficiis et aliis praedictis indebite perceptos, ac illorum quantitates et valores, tempusque per quod illi possederunt, seu indebite, nullo saltem canonico titulo iuris vel adminiculo eis desuper suffragante, sed temeritate propria et de facto detinuerint; ac eorumdem beneficiorum verum et ultimum, etiam ex quorumvis personis, vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa, etiamsi per obitum apud Sedem Apostolicam resultet, ac eorum dispositio, iuxta Lateranensis statuta concilii, extet ad Sedem eamdem legitime devoluta, nominaque cognomina, gradus, nobilitates et qualitates illa obtinentium, aut cuiusvis litis et causae, si quae, tam super privilegiis, indultis aliisque gratiis, quam beneficiis, omnibusque et singulis praemissis, in Romana Curia vel extra eam, pendeat indecisa, status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium ac eorum iura et titulos, etiam nullos et infectivos, loca quoque, situationes et dioeceses, in quibus omnia et singula beneficia, hospitalia, oratoria, necnon domus, monasteria, collegia, conventus et alia loca praedicta sita sunt, et quibus unita, annexa et incorporata fuerunt, et quantum unum ab altero distent, etiamsi valde remota sint; necnon fructuum, redditum et proventuum Ordinis huiusmodi verum annuum valorem aliaque omnia et singula hic de necessitate magis exprimenda, etiamsi talia essent quae sub generali sermone non comprehenderentur, sed nota et specificatione particulari et speciali indigerent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes.

Singula firmat privilegia, exemptiones atque immunitates etc.

§ 3. Motu proprio et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, concessiones, praerogativas, praeeminentias, facultates, indulgentias, etiam plenarias, et peccatorum remissiones, libertates, indulta et alias gratias, castra quoque, iurisdictiones, vassallagia, feuda, decimas, tam novales quam veteres piscationes, pascua ac decimandi, piscandi, pascendi facultates, aliaque iura, actiones, res et bona, cuiuscumque qualitatis et quantitatis sint, necnon quaecumque, quotcumque et qualiacumque, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis, etiam Cisterciensis, Praemonstratensis, aut S. Ioannis, vel S. Lazari Hierosolymitani, seu S. Iacobi de Spatha, aut S. Antonii de Sancto Antonio, Viennensis, seu aliorum, etiam Sancti Augustini canonicorum regularium, et quorumvis aliorum, etiam Mendicantium, Ordinum et militiarum regularia

beneficia ecclesiastica, qualitercumque qualificata, etiamsi saecularia canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia, canonicae portiones, parochiales ecclesiae vel earum perpetuæ vicariae; regularia vero beneficia huiusmodi, monasteria, prioratus, præposituræ, praepositatus, domus, praeceptoriae, etiam generales, vel cameræ magistrales, etiamsi illa dispositioni apostolicæ specialiter vel generaliter reservata existant, ac ad illa consueverint qui per electionem assumi, eisque cura etiam iurisdictionalis immineat animarum; necnon hospitalia, oratoria ac alia quaecumque pia loca, cuiuscumque annui valoris fuerint, etiam si illa in diversis et aliis valde remotis dioecesibus, ut praefertur, existant, Ordini praedicto ac illius modernis ac pro tempore existentibus, magistro generali, provinciarumque regnorum et dominiorum quorumcumque, tam citra quam ultra montes ubilibet consistentium, vicariis, provincialibus, prioribus, rectoribus et aliis quibuscumque superioribus et praelatis, quocumque nomine nuncupatis, ceterisque fratribus et religiosis, necnon monialibus ac illarum priorissis et sororibus, etiam Tertii Ordinis, seu Beatis vel alias nuncupatis, eorumque domibus, monasteriis, collegiis, conventibus ac aliis locis praedictis, etiam eis annexis seu ab eis quomodolibet dependentibus, in genere vel in specie, etiam per modum communicationis vel extensionis vel alias quomodolibet obtenta, ut praefertur, concessa, donata, elargita, unita, annexa, incorporata seu per eos quomodolibet obtenta aut possessa; ac etiam statuta, ordinationes et ritus quoscumque eiusdem Ordinis ac in illo quomodolibet observata, quoad ea quae regulari observantiae non derogent, ac cum omnibus et singulis inde pro tempore secutis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus; necnon omnes et singulos iuris et facti ac quarumcumque solemnitatum desuper omissarum defectus, tam accidentales quam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus; ipsosque magistrum generalem, vicarios, provinciales, priores, rectores, superiores, praelatos aliosque praefatos, ex eo quod forsan in concessionibus, donationibus, elargitionibus, unionibus, annexionibus, incorporationibus et aliis praemissis sibi iniuncta, scienter vel ignoranter, omiserint, vel alias in toto aut parte non adimpleverint, ab eis eorumque commodo et utilitate nequaquam cedisse declaramus.

De novo omnia praedicta concedit ad cautelam;

§ 4. Et nihilominus, potiori pro cautela, omnia et singula supradicta eis et eorum singulis, eisdem auctoritate et tenore, de novo etiam perpetuo concedimus, donamus, elargimur, unimus, annectimus et incorporamus, ita quod liceat eisdem magistro generali, vicariis, provincialibus, superioribus, praelatis, monialibus, sororibus aliisque fratribus, religiosis, personis praedictis, per se vel alium seu alios eorum nominibus, suam pristinam praemissorum omnium et singulorum possessionem seu quasi, praesentium vigore, continuare; aut, si videbitur, de novo, per se vel alium seu alios eorum nominibus, etiam propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere; illorumque omnium et singulorum fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, in suos et dicti Ordinis ac illius domorum, monasteriorum, conventuum, collegiorum aliorumque piorum locorum praedictorum usus et utilitatem convertere, dioecesanorum locorum vel quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita.

Super quacumque irregulari-

§ 5. Et insuper magistrum generalem, vicarios, provinciales, superiores, praela-

tate de praemissis absolvit fratres et ad omnia munera beneficia et dignitates reddit habiles;

tos, fratres, moniales, sorores singularesque dicti Ordinis personas huiusmodi et eorum singulos, ab omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus, etiam ecclesiasticis, ex praemissis per eos et eorum singulos quomodolibet male vel indebite perceptis, necnon quibusvis sententiis, censuris et poenis propterea quomodolibet incursis, etiamsi in illis per diuturnum tempus insorduerint, missasque et alia divina officia, censuris et poenis huiusmodi, a iure vel ab homine quomodolibet inflictis, ligati, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, vel alias se in illis immiscuerint, plenarie, in utroque foro, dicta auctoritate absolvimus et liberamus; ipsosque fructus, redditus et proventus, etiamsi magnae vel excessivae quantitatis fuerint, eis gratiose remittimus et condonamus, secumque super irregularitate et inhabilitate, si quas eorumdem occasione seu alias quomodolibet contraxerunt aut incurrerunt, aliisque praemissis; quodque, eis non obstantibus, non promoti ad magisterii, baccalaureatus vel licentiaturae et alios quosvis eis licitos et permissos gradus, necnon ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines se promoveri facere; ipsi vero et alii pariter, qui iam promoti sunt, in eisdem sacris, etiam presbyteratus, ordinibus ac altaris ministerio ministrare, suaque regulari professione et gradibus huiusmodi ac privilegiis, libertatibus, favoribus, antelationibus, praerogativis, præeminentiis et quibuscumque aliis gratiis, etiamsi talia essent quae in generali sermone non comprehenderentur, sed nota et expressione speciali indigerent, quibus primo utebantur et gaudebant et alias, si praemissa non incurrerint, uti, potiri et gaudere possent et deberent; necnon quibusvis cathedralibus, etiam metropolitanis et patriarchalib., ecclesiis ac monasteriis præesse; ac etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum ac militiarum regularia beneficia ecclesiastica, ut praefertur, ac alias qualitercumque qualificata, etiam si saecularia canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, aut parochiales ecclesiae vel earum perpetue vicariae; regularia vero beneficia huiusmodi, monasteria, prioratus, praepositurae, praepositatus, dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes vel officia, etiam claustralia, curata et electiva fuerint, si sibi alias canonice conferantur, seu eligantur, praesententur vel alias assumantur ad illa et instituantur in eis, recipere et quoad vixerint retinere; necnon quibusvis cathedralibus, etiam metropolitanis et patriarchalibus, ecclesiis ac monasteriis praefici, illaque ac quascumque praelaturas, superioritates et obedientias in spiritualibus et temporalibus regere, gubernare, gerere et exercere libere et licite valeant auctoritate et tenore praedictis, de specialis dono gratiae, dispensamus, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, per eos, praemissorum occasione, quomodolibet contractam seu insurgentem, ab eis et eorum singulis penitus et omnino abstergimus et abolemus; illosque et eorum singulos in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

Alia concedit privilegia;

§ 6. Sibique et eorum singulis, quod de cetero, in quibusvis concessionibus, dispensationibus, indultis, privilegiis et gratiis, apostolica, ordinaria, mixta seu quavis alia, etiam saeculari, auctoritate ipsis Ordini fratrum Praedicatorum ac illius magistro generali, vicariis, provincia-

libus, prioribus, rectoribus, priorissis, fratribus et religiosis, etiam mulieribus de Tertio Ordine vel Beatis seu alias nuncupatis, domibusve, monasteriis, conventibus, collegiis et aliis locis praedictis concedendis, nullam de incursu censurarum et poenarum ac irregularitatis, inhabilitatis, aliisve transgressionibus huiusmodi mentionem facere, minusque ad docendum de eorum privilegiis, concessionibus, gratiis, ut praefertur, vel alias sibi concessis, litterisve seu aliis scripturis desuper confectis, necnon ad iustificandum causas, propter quas illa vel alia omnia praemissa concessa fuerunt, vel in eorum favorem quomodolibet emanaverunt, etiam coram locorum ordinariis vel aliis personis, etiam Sedis Apostolicae auctoritate et facultate suffultis, ullo unquam tempore teneantur, ad idque nullatenus cogi aut compelli possint, sed eorum ac earum possessioni, tamquam iusto et legitimo titulo ac iure acquisito, stari, in eaque manuteneri et conservari debeant, eisdem auctoritate et tenore, de speciali gratia, indulgemus. Ceterum, quod tam huiusmodi praesentes nostrae et in eis contenta quaecumque, quam omnes et singulae aliae concessiones, dispensationes, indulta, gratiae et privilegia eis et eorum singulis concessa et concedenda, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu intentionis nostrae defectu vel alio vitio notari vel impugnari nullo modo possint, sed aeque valeant ac si de supradictis omnibus et singulis mentio specifica et individua fieret. Et sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus per nos et quoscumque Romanos Pontifices, mediatos vel immediatos successores nostros, factis et faciendis, ac Cancellariae Apostolicae regulis, editis et edendis, nullatenus comprehendantur, sed semper ab illis excepta, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta et de novo concessa esse censeantur; sicque, in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Exequutores huiusce constitutionis deputat.

§ 7. Quocirca, venerabili fratri nostro Ioanni episcopo Portuensi, cardinali Morono nuncupato, dicti Ordinis fratrum Praedicatorum protectori, et venerabili fratri episcopo Amerino, Cancellariae Apostolicae regenti, ac etiam dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes, motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte magistri generalis, provincialium, priorum, rectorum, fratrum, monialium, sororum aliorumque praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in praemissis omnibus et singulis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos et eorum singulos approbatione, confirmatione, adiectione, suppletione, nova concessione, donatione, elargitione, unione, annexione, incorporatione, absolutione, plenaria restitutione, responsione, statuto, indulto et decreto aliisque praemissis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos seu eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari, contra-

dictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas, tam ecclesiasticas quam pecuniarias, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas ipsas incurrisse declarando; necnon etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 8. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta; ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis; necnon recolendae memoriae Bonifacii Papae octavi, similiter praedecessoris nostri, etiam illa qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a dicta Sede deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus diaetis in concilio generali editis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac Ordinum et militiarum necnon conventuum, hospitalium aliorumque praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem et quibusvis aliis Ordinibus ac militiis, illarumque et illorum generalibus magistris, superioribus, praelatis et aliis personis, etiam locorum ordinariis et aliis quibusvis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis et praeeminentiae existentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et efficacissimis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam motu simili ac ad imperatorum, regum, ducum et aliorum principum instantiam ac contemplationem, etiam consistorialiter, ac in vim contractus, seu etiam pro fide christiana adversus infideles aliosve illius hostes, vel aliis quantumvis piis, onerosis, urgentibus aut necessariis causis concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in eis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse pari motu derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint; seu si aliqui, super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus, speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem

ac inde sequuta quaecumque, ad ecclesias aliaque beneficia huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis; volumus autem quod ecclesiae et alia beneficia praedicta debitis propterea non fraudentur obsequiis, et praedictarum animarum cura, si quae illis immineat, nullatenus negligatur, sed eorum congrue supportentur onera consueta; quodque poenitentias salutares, quas confessores, ad id per provinciales, fratres, moniales, religiosos aliasque personas huiusmodi, seu eorum aliquem eligendi, propter praemissa, eis seu eorum alicui duxerint iniungendas, omnino adimplere teneantur.

Fides transumptorum.

§ 9. Et insuper transumptis praesentium, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur et adhiberi debeat, quae litteris ipsis originalibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii, millesimo quingentesimo septuagesimo, pontificatus nostri anno V.

Dat die 18 ianuarii 1570, pontif. anno V.

CLIV.

Moniales non exeant clausura sub poena excommunicationis et privationis; quae etiam extenditur ad dantes licentiam, comitantes et receptantes [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Decori et honestati omnium sanctimonialium, quarum Iesus Christus Dominus noster sponsus est, ut, in puritate et castitate superaedificantes, in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes, ea, quae illarum existimationi detrahere possent, decet nos consulto summovere.

Proœmium.

Varias moniales adducebant divagation. causas.

§ 1. Sane periculo et scandalo plena res est, ac regulari observantiae vehementer adversatur, sanctimoniales aliquando, parentes, fratres, sorores aut alios agnatos vel cognatos, necnon monasteria et alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta, visitandi, aut infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire, et per saecularium personarum domos discurrere et vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt.

Huiusmodi divagationes prohibet Pius sub poena excommunicationis;

§ 2. Unde nos, malo huic, pro nostro pastoralis officii debito, salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam decreto sacri concilii Tridentini de clausura monialium disponenti, ac aliis nostris litteris desuper huiusmodi clausura editis adiicientes, volumus, sancimus et ordinamus nulli abbatissarum, priorissarum aliarumve monialium, etiam Carthusiensis, Cisterciensis S. Benedicti, et Mendicantium et quorumcumque aliorum Ordinum, etiam militiarum, ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum existentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, de cetero, etiam infirmitatis seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis leprae aut epidemiae, quae tamen infirmitas, praeter alios Ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per episcopum seu alium loci ordinarium, etiam si praedicta mo-

1 Ex edit. typis Bladi.

nasteria ab episcoporum et ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere; aliter autem quam ut praefertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas aut saeculares vel ecclesiastic., consanguineas vel non, excommunicationis maioris latae sententiae vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione, subiacere, a quo, praeter quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant.

Quascumque licentias desuper datas irritat;

§ 3. Et insuper tam egressas quam praesidentes et alios superiores praedictos, eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officiis et administrationibus per eas et eos tunc obtentis privamus; et illas et illos ad obtenta et alia in posterum obtinenda inhabiles, necnon licentias et facultates seu indulta et privilegia exeundi a monasteriis et extra illa standi, a nobis seu alio Romano Pontifice praedecessore nostro ac Sedis Apostolicae nuntiis et legatis, etiam de latere, ac maiore poenitentiario aut Ordinum predictorum superioribus aliisve personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis restitutivis, praeservativis, mentis attestativis, etiam novam gratiam et datam concedentibus, aliisq. efficacioribus et efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam imperatoris, regum, ducum et aliorum principum necnon S. R. E. cardinalium intuitu et contemplatione ac instantia, vel alias quomodolibet concessa (quae prorsus abolemus), ac litteras desuper confectas et imposterum concedendas et conficiendas, nullas et invalidas nulliusque roboris ac momenti fore, nec illas habentibus et habituris suffragari posse; et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Praesulibus mandat ut hanc constitution. et decretum concilii Tridentini publicent quolibet anno;

§ 4. Mandantes universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis, in virtute sanctae obedientiae et sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae, quatenus, per se vel alium seu alios, presentes litteras in civitatibus et diocesibus propriis quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, necnon praefatum decretum ipsius concilii, quod incipit *Bonifacii VIII*, diligenter et inviolabiliter, sub censuris ecclesiasticis aliisque praefatis poenis, et in eodem decreto contentis, observent et observari faciant et procurent; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes etiam aliis poenis, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit;

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Aliis apostolicis constitutionibus et iuribus, de

huiusmodi clausura disponentibus, nihilominus in suo robore duraturis.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Ceterum volumus quod praesentium transumptis *etc.*

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, nono kalendas februarii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 24 ianuarii 1570, pontif. anno v.

CLV.

Damnatio et excommunicatio Elisabeth, reginae Angliae, eiusque adhaerentium, cum aliarum poenarum adiectione [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Regnans in excelsis, Cui data est omnis in coelo et in terra potestas, unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, uni soli in terris, videlicet apostolorum principi Petro, Petrique successori Romano Pontifici, in potestatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc unum super omnes gentes et omnia regna principem constituit, qui evellat, destruat, dissipet, disperdat, plantet et aedificet, ut fidelem populum, mutuae caritatis nexu constrictum, in unitate spiritus contineat, salvumque et incolumem suo exhibeat Salvatori.

Henricus VIII rex Angliae haeresim introduxit in illo regno, ut in constitutione Pauli III citata in nota ad rubricam.

§ 1. Quo quidem munere obeundo, nos, ad praedictae Ecclesiae gubernacula, Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus, omni opera contendentes ut ipsa unitas et catholica religio (quam illius auctor, ad probandam suorum fidem et correctionem nostram, tantis procellis conflictari permisit) integra conservetur. Sed impiorum numerus tantum potentia invaluit, ut nullus iam in orbe locus sit relictus, quem illi pessimis doctrinis corrumpere non tentarint, adnitente, inter ceteros, flagitiorum serva Elisabeth, praetensa Angliae regina, ad quam, veluti ad asylum, omnium infestissimi profugium invenerunt. Haec eadem, regno occupato, supremi Ecclesiae capitis locum in omni Anglia, eiusque praecipuam auctoritatem atque iurisdictionem monstruose sibi usurpans, regnum ipsum, iam tum ad fidem catholicam et bonam frugem reductum, rursum in miserum exitium revocavit.

Elisabeth, regina, haeretica etiam fuit et est, committendo multos errores hic expressos.

§ 2. Usu namque verae religionis, quam, ab illius desertore Henrico octavo olim eversam, clarae memoriae Maria regina legitima, huius Sedis praesidio, reparaverat, potenti manu inhibito, secutisque et amplexis haereticorum erroribus, regium consilium ex Anglica nobilitate confectum diremit, illudque obscuris hominibus haereticis complevit, catholicae fidei cultores oppressit, improbos concionatores ac impietatum administros reposuit; missae sacrificium, preces, ieiunia, ciborum delectum, caelibatum ritusque catholicos abolevit; libros manifestam haeresim continentes toto regno proponi; impia mysteria et instituta, ad Calvini praescriptum, a se suscepta et observata, etiam a subditis servari mandavit; episcopos, ecclesiarum rectores et alios sacerdotes catholicos suis ecclesiis et beneficiis eiicere, ac de illis et aliis rebus ecclesiasticis in haereticos homines disponere; deque Ecclesiae causis decernere ausa, praelatis, clero et populo, ne Romanam Ecclesiam agnoscerent neve eius praeceptis sanctionibusque canonicis obtemperarent, interdixit; plerosque in nefarias leges suas venire, et Romani Pontificis auctoritatem atque obedientiam abiurare, seque solam in temporalibus et spiritualibus dominam agnoscere iureiurando coegit; poenas et supplicia in eos,

1 Henricus quoque rex, eius pater, itidem damnatus fuit a Paulo III, ut in constitut. VIII, *Eius*, tom. VI, pag. 195.

qui dicto non essent audientes, imposuit, easdemque ab iis qui in unitate fidei et praedicta obedientia perseverarunt, exegit; catholicos antistites et ecclesiarum rectores in vincula coniecit, ubi multi, diuturno languore et tristitia confecti, extremum vitae diem misere finiverunt. Quae omnia cum apud omnes nationes perspicua et notoria sint, et gravissimo quamplurimorum testimonio ita comprobata, ut nullus omnino locus excusationi, defensioni aut tergiversationi relinquatur.

Hic ideo Pontifex illam eique adhaerentes haereticos declarat;

§ 3. Nos, multiplicantibus aliis atque aliis super alias impietatibus et facinoribus, et praeterea fidelium persecutione, religionisque afflictione, impulsu et opera dictae Elisabeth quotidie magis ingravescente; quoniam illius animum ita obfirmatum atque induratum intelligimus, ut non modo pias catholicorum principum de sanitate et conversione preces monitionesque contempserit, sed ne huius quidem Sedis ad ipsam hac de causa nuncios in Angliam traiicere permiserit; ad arma iustitiae contra eam de necessitate conversi, dolorem lenire non possumus quod adducamur in unam animadvertere, cuius maiores de republica christiana tantopere meruere. Illius itaque auctoritate suffulti, Qui nos in hoc supremo iustitiae throno, licet tanto oneri impares, voluit collocare, de apostolicae potestatis plenitudine, declaramus praedictam Elisabeth haereticam et haereticorum fautricem eique adhaerentes in praedictis anathematis sententiam incurrisse, esseque a Christi Corporis unitate praecisos.

Regno et dignitatibus privat;

§ 4. Quin etiam ipsam praetenso regni praedicti iure, necnon omni et quocumque dominio, dignitate privilegioque privatam.

Subditos liberat;

§ 5. Et item proceres, subditos et populos dicti regni ac ceteros omnes, qui illi quomodocumque iuraverunt, a iuramento huiusmodi ac omni prorsus dominii, fidelitatis et obsequii debito perpetuo absolutos, prout nos illos praesentium auctoritate absolvimus; et privamus eamdem Elisabeth praetenso iure regni aliisque omnibus supradictis; praecipimusque et interdicimus universis et singulis proceribus, subditis, populis et aliis praedictis ne illi eiusve monitis, mandatis et legibus audeant obedire. Qui secus egerint, eos simili anathematis sententia innodamus.

Exemplis credi iubet.

§ 6. Quia vero difficile nimis esset praesentes quocumque illis opus erit perferre, volumus ut earum exempla, notarii publici manu et praelati ecclesiastici eiusve curiae sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem, in iudicio et extra illud, ubique gentium faciant, quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXX, V kalendas martii, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 25 februarii 1570, pontif. anno V.

CLVI.

Prohibet canonicis Lateranensibus ne ullus tractare possit de officiis generalatus, visitatorum et praelaturarum, nisi in capitulo generali, sub pœna excommunicationis et privationis dignitatum etc. [1]

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissi, debitum requirit ut in unaquaque, praesertim regularium personarum, congregatione immoderatæ in exoptandis dignitatibus et praelaturis ambitioni habenas, censurarum videlicet ecclesiasticarum et aliarum poenarum, quantum cum Deo possumus, imponamus.

1 Ex Bullario huiusce Ordinis, parte I, pag. 155.

Causa constitutionis.

§ 1. Sane cum, sicut, non sine animi nostri dolore, accepimus, nonnulli ex canonicis congregationis S. Salvatoris canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, sibi ipsis nimium assentientes, honores et plerumque praelaturas et dignitates intempestive et ante illarum vacationem, diversis etiam modis, adipisci et assumere, non sine illorum animarum periculo et hominum scandalo, satagunt et efflagitant.

Decretum de quo in rubrica.

§ 2. Nos igitur, huiusmodi ambitus et illi coniunctae simoniae crimen abolere et ex usu radicitus evellere, ac alias in praemissis opportune providere cupientes, habita desuper matura deliberatione cum dilecto filio nostro Flavio tituli Ss. Petri et Marcellini presbytero cardinali Ursino nuncupato, dictae congregationis protectore, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia, hac nostra in perpetuum valitura lege statuimus, decernimus et ordinamus quod nullus ex dictis canonicis, cuiusvis dignitatis, status, gradus et praeeminentiae existens, quovis modo, verbo vel in scriptis, per se vel per alium seu alios, directe vel indirecte, cum aliquo superiore vel inferiore aut aliis quibusvis personis, de officiis generalatus, visitatorumque dictae congregationis electione seu promotione, praeterquam in capitulo generali a dicta congregatione fieri solito, tractare, ratiocinari, aut praelaturas et dignitates praefatas per ambitum assequi, quaerere vel procurare audeat vel praesumat, sub excommunicationis latae sententiae, privationis officiorum seu dignitatum quae obtineret, et perpetuae inhabilitatis ad ea et alia quaecumque, et aliis poenis per sacros canones et alias constitutiones impositis, ipso facto incurrendis; a quibus, nonnisi de consensu prioris generalis et visitatorum dictae congregationis pro tempore existentium, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit aut valeat.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem congregationi illiusque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis et aliis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in contrarium quomodolibet concessis, innovatis et approbatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse motu pari derogamus, et contrariis quibuscumque; aut si congregationi praedictae vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die III martii MDLXX, pontificatus nostri anno V.

Dat die 3 martii 1570, pontif. anno V.

CLVII.

Reformatio totius Ordinis Cisterciensis, tam quoad statum monachorum et divinum cultum quam restaurationem monasteriorum praestationemque fructuum mensae conventualis in locis commendatis [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Hic Pontifex permoleste accepit coenobia Ordinis Cisterciensis ad interitum properare.

Ex innumeris curis, quibus sine intermissione vexamur, illa nobis durissima est quod tot sacrarum Religionum conventus, suis orbati iuribus, passim intercidere conspiciantur; neque sane quicquam inexpertum relinquimus, quantum quidem fert difficillima praesentis saeculi conditio, quod ad illorum restitutionem pertinere existimamus. Inter ceteros autem Ordo Cisterciensis longe lateque per orbem propagatus, nobis frequentius obversatur, cuius tam multa coenobia, viris cum doctrina tum sanctitate claris olim florentissima, maligno temporum errore ad nihilum propemodum rediguntur. Quod cum aliunde ex toto orbe plus satis nobis iampridem innotuit, tum maxime ex recenti visitatione, quam commissarius et procurator capituli generalis Cisterciensis in utraque Sicilia, id nobis quoque iubentibus, confecit, permoleste intelligimus quamplurima eius regni monasteria aut debitis officiis destituta, aut monachis, ob non praestitam alimoniam, deserta, aut omnino collapsa, retecta, recusa, patentia, et ut profana habita, quae religionis cultrix illa vetustas tantis impendiis erexit.

§ 1. Sed his incommodis, tametsi pater abbas monasterii Cistercii, Cabilonensis dioecesis, et praedictum capitulum generale, etiam per privilegia et indulta illis a felicis recordationis Pio II, Sixto IV, Pio etiam IV et diversis aliis Romanis Pontificibus concessa et innovata, in universum occurrendi, et ipsos commendatarios ad habendum et retinendum competentem monachorum numerum, cum mensa ad victum et vestitum idonea, et etiam alia ad monasticum cultum pertinentia compellendi facultatem habeant; utile tamen et percommodum illis fore existimavimus nostras quoque huic rei partes adscribere, et certa quaedam praedicto Ordini convenientia, illiusque moribus et statutis magis cohaerentia speciatim proponere, quibus illi amplius suffulti, possint supradicta monasteria ad conventum, disciplinam et bonam frugem facilius revocare. Neque enim sustinere possumus quod tam multi, qui huiusmodi monasteria in commendam recipiunt, commendae conditiones a concilio Lateranensi praescriptas, et easdem ac alias singulis litteris apostolicis de huiusmodi commendis confectis, ad specialem cuiusque significationem appositas, in animae suae periculum, aversentur, quibus de ceteris fructibus monasterii sibi commendati disponere nemini prius permissum est, quam debitis et consuetis eiusdem ac ipsius conventus oneribus omnino supportatis: et quarta, ubi mensa abbatialis separata; ubi vero communis est, ac etiam in monasteriis conventu et cura orbatis, tertia parte omnium fructuum eorumdem in restaurationem fabricae, aut ornamentorum emptionem aut fulcimentum seu pauperum alimoniam, ubi maior exegerit suasceritque necessitas, quotannis erogata. Quin etiam in ipsis monasteriis divinus cultus solitusque monachorum et ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec alias illa in spiritualibus et temporalibus ulla subeant detrimenta.

Volensque propterea huic malo mederi, hanc edit constitutionem in qua determinat:

1 Aliam reformationem iam edidit Pius IV, ut in eius constitutione LXXXVII, *In eminenti*, pag. 260 huius tomi. De institutione et aliis istius Ordinis vide in Paschalis II constitutione III, *Desiderium*, tom. II, pag. 209.

§ 2. Quare nos ex iis, quae pro salubri dictae Religionis statu et felici directione a praedictis praedecessoribus et aliasquomodocumque instituta hucusque reperiuntur, nec praesentibus contraria, nec effectum earum impedientia nihil omnino detrahere, sed illa prorsus immota custodiri volentes, de apostolicae potestatis plenitudine statuimus et ordinamus ut omnia monasteria et loca dicti Ordinis, tam in utraque Sicilia quam ceteris omnibus orbis partibus constituta, etiam commendata et unita, ac etiam de iurepatronatu laicorum quocumque modo existentia, quae convulsa, diruta et extenuata sunt, reficiantur et ad debitam clausuram reducantur, statuta pecunia convenienti, quae quotannis in id opus, donec absolutum fuerit, erogetur.

Monasteria omnia, etiam commendata et unita et de iurepatronatu laicorum, reflci et ad debitam clausuram reduci;

§ 3. In eisdem et ceteris locis, uti pro facultatum ratione idonea erunt, competens monachorum et ministrorum numerus restituatur.

Numerum competentem monachorum in eis restitui;

§ 4. Ipsorum ecclesiae, sacristiae, dormitoria et officinae vasis, vestimentis, libris, sacra et communi supellectile ac ceteris omnibus ad divinum cultum et monasticum usum necessariis convenienter instruantur.

Ad divinum cultum et monasticum usum necessaria instrui;

§ 5. Missae sacrificium et alia omnia divina officia, diurna et nocturna, quotidie in choro psallendo, iuxta ritum dicti Ordinis, sine intermissione celebrentur.

Divina quotidie celebrari;

§ 6. Mensa conventualis, et ad communem victum et vestitum, necnon eleemosynas et visitationes et alia onera subeunda conficiatur, intercisa reparetur.

Mensam conventualem et eleemosynas restitui;

§ 7. Ubi sacra lectio, iuxta concilii Tridentini dispositionem, haberi non poterit, praeter eos libros, qui ad divini officii et chori usum necessarii sunt, saltem Biblia et Catechismus ad parochos recens editus; item opera S. Bernardi, et si qui alii ad honestam monachorum occupationem poterunt, habeantur, nisi de illis in assignatione mensae conventualis iam perspectum reperiatur. De his omnibus, necnon vasis, vestimentis et cetera supellectile praedicta semel recepta, conventus omnes rationem reddere debeant.

Libros sacros haberi;

§ 8. Et ut novitii, qua decet disciplina informentur, unum aut duo monasteria in quaque provincia, uti commode fieri poterit, ordinentur, in quibus magistri etiam ceterorum monasteriorum novitios divini officii rationem et regularis observantiae instituta doceant; ita ut quodque monasterium necessaria suis suppeditet; et si nullos habuerit, alii pro eo eiusque impensis recipiantur et instruantur.

Novitiatus constitui;

§ 9. Omnia aedificia conventus quoquoversus claudantur, portae non necessariae obstruantur, clathri fenestris, ubicumque opus erit, infigantur; templa, sacristiae, capitula, dormitoria, refectoria, infirmariae et omnino aliae claustri partes nihil profani patiantur. Nec conventus horreum, penu, praesepia, nec prorsus ulla promercalia abbatum commendatariorum, conductorum aut aliorum recipiant, nec a commendatariis, pensionariis aliisve de claustro non existentibus occupentur, sed illis solum proprii claustrales utantur, prout ad divini officii celebrationem regularemque observantiam fuerunt constituta.

Conventus aedificia etc. ad certam formam reduci;

§ 10. Mulieribus omnibus, cuiuscumque qualitatis, dignitatis et aetatis, ingressus claustri et aliorum locorum regularium, etiam aedium partis, quae ab abbatibus, commendatariis, prioribus aliisve ministris, etiam divisim, possidetur, sit penitus interdictus; quod si secus factum erit, tam ingredientes quam recipientes excommunicationis sententiam incurrant.

Mulieribus ingressum denegari;

§ 11. Carcer ad coercitionem monachorum, ubi non est, constituatur.

Carcerem constitui;

§ 12. In omnibus monasteriis inventarium omnium praedictorum necnon instrumentorum, fundationum, donationum,

Inventaria bonorum et scripturarum confici;

auctoritatum, exemplarium, omniumque monimentorum conscribatur, et in formam authenticam redigatur, illudque et cetera omnia praedicta fideliter asserventur. Sicubi vero horum quicquam producendum erit exemplum, ab archetypo desumatur et transmittatur, nisi talis contigerit necessitas ut ipsum exemplar producendum sit; quod tunc in fidem alicuius probati deponatur, qui idonee caveat illud ipsum quamprimum reportaturum.

Monasteria non tuta ad civitates transferri;

§ 13. Illa monasteria locis patentibus constituta, quae, propter Turcharum seu praedonum vel haereticorum incursiones, tute servari non poterunt, facto de ipsorum iuribus, litteris, auctoritatibus, tabulis, monumentis atque omni prorsus supellectile mobilibusque bonis, iocalibus et rebus fideli inventario, et, si opus erit, earum omnium deposito apud personam fide et facultatibus idoneam, ita ut nihil omnino inde, sine consensu expresso et speciali mandato conventus, moveri valeat, in civitates oppidave vicina transferantur.

Visitationes prudenter fieri;

§ 14. Ceterum, ad restituendam monasticam disciplinam, et restitutam conservandam, Cistercii et ceteri patres abbates in capitulo generali provideant diligenter ut omnes visitationes sollicite et prudenter ac cum pietate fiant, salutem animarum, religionis zelum, perpetuum cultum divinum, clausuram, obedientiam et cetera omnia, quae ad mores, correctionem et religiosorum aedificationem pertinent, procurando.

Necessaria eis subministrari;

§ 15. Quibus in rebus, ubicumque non sunt mensæ conventuali assignati redditus, qui hoc onus ferre possint, abbates et commendatarii ac alii quicumque, administrationem spiritualium et temporalium visitandorum monasteriorum habentes, necessaria omnia ministrare, ac contributiones et sumptus pro gerendis aliis communibus negociis Apostolicae Sedis auctoritate impositas, ac etiam ad brachii saecularis adhibitionem praestare, visitatores ac solitos et necessarios ipsorum famulos et iumenta debita hospitalitate recipere, et eisdem in omnibus auxiliari omnino debeant, et ad id etiam censuris et poenis ecclesiasticis per capitulum ac etiam per ipsos visitatores compellantur.

Commendatarios nihil de necessariis monachis detrahere aut numerum eorum minuere, neque eos eiicere posse;

§ 16. Ne porro deserendi monasterii occasio monachis praebeatur, quod ex vagandi libertate illis a commendatariis oblata, ut expensis parcant, plerumque evenit, praecipimus et interdicimus ne ulli omnino commendatarii quicquam vel minimum de mensa et illis necessariis detrahant neque ullo modo numerum diminuant, aut quempiam, etiam propter delictum, eiiciant. Sed quotiescumque monachi quid admiserint, quod quidem animadversione dignum sit, id quamprimum priori claustrali, vel, si gravius sit delictum, visitatori significent, qui correctionem iuxta ecclesiae et Ordinis praedicti statuta faciat. Quod si ulterius ultra sex menses distulerit, eo ipso sit ab eo officio depositus, et ad illud ceteraque omnia Ordinis eiusdem officia triennio inhabilis censeatur, statimque praesidentes correctionem huiusmodi aliis committere teneantur.

Tertiam vel quartam partem redditum omnis monasterii in eius refectionem et deinde iuxta concilium Tridentinum exponi;

§ 17. Praedicta autem tertia vel quarta pars redditum omnis monasterii in commendam concessi et concedendi, ex ipsamet proprietate, praedictorum superiorum cura et sollicitudine, exigatur, et ex eis praedicta pecunia conficiatur, eaque, quoad ædificia omnia refecta erunt, in id opus impendatur. Eo vero perfecto, ipsa tertia vel quarta pars, iuxta concilii dispositionem et litterarum prædictarum tenorem, annis singulis eadem cura convertatur.

Archivium in conventu Cistercii constitui, et ibi index bonorum cuiuscumque conventus poni;

§ 18. Postremo volumus et mandamus ut monasterium Cistercii constituatur, constitutumve, restituatur archivium, in quo index ordine compositus omnium aliorum monasteriorum, prioratuum, eccle-

siarum et beneficiorum dicti Ordinis, in omni parte orbis constitutorum, etiam in commendam obtentorum vel unitorum, habeatur; et item distinctum cuiusque inventarium sive repertorium bonorum, proprietatum, rerum, iurium et actionum omnium, necnon exemplum authenticum instrumentorum, privilegiorum, fundationum, donationum, litterarum, auctoritatum et monimentorum quorumcumque conficiatur, confectumque fideliter asservetur.

Indulta omnia quoad proprietatem irrita remanere. 1;

§ 19. Quia vero proprietas, omnium malorum radix, ubicumque gliscit, omne bonum in Regula quamvis bene instituta pervertit, ideo ne hoc quoque, sicubi habetur, ad perfectionem prædictorum obstare possit, revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia, auctoritates, licentias, dispensationes et indulta cuiusque privati rerum et bonorum usus, proprietatis, possessionis et dominii, omnibus cuiuscumque gradus et dignitatis monachis dicti Ordinis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam eiusve legatos, ex quibuscumque causis, etiam motu proprio et ex certa scientia concessa, confirmata et innovata, quibuscumque concepta formulis ac clausulis et decretis suffulta, quorum omnium tenores praesentibus habemus pro expressis, ac volumus illa omnia vires et effectum de cetero non habere; quin etiam visitatores et ceteros omnes, qui in huiusmodi proprietarios severe non animadverterint, ad huiusmodi officia et alia ipsius Ordinis ministeria perpetuo inhabiles esse.

Observantiam omnium praedictorum executioni demandari.

§ 20. Quocirca Cisterciens. et ceteris omnibus patribus, abbatibus et visitatoribus dicti Ordinis edicimus ut pro se quisque omnia praedicta studeant adimplere. Omnibus autem nostris et praedictae Sedis legatis et nunciis, ubicumque existentibus, necnon Ordinis prædicti conservatoribus ab ipsa Sede constitutis et constituendis, ipsorumque singulis per apostolica scripta mandamus ut praesentes litteras, ubi et quando opus fuerit, ac quotiescumque pro parte abbatum, definitorum, visitatorum et aliorum praedictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, ipsisque efficacis defensionis praesidio assistentes, praedicta omnia in omnibus regnis et provinciis sedulo exequantur, et quaecumque alia, quae ad Religionis incrementum ipsis utilia vel necessaria videbuntur, ubique locorum statuant. Et praeterea abbates et commendatarios, cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis fuerint, ad praedictorum omnium praestationem, etiam per subtractionem proventuum ac censuras et poenas praefatas ceteraque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione postposita, compellant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Ceterum, ut vicina plebs egena, pro Religionis consuetudine et instituto, confoveri possit, ac ceteri piam et fidelem rerum administrationem collaudare possint, praedictis commendatariis praecipimus ut in suis monasteriis pauperes eleemosynis pro modo facultatum prosequantur. Decernentes praedicta omnia inviolata et immutabilia perpetuo consistere, necnon irritum et inane, si secus per praefatos aut quoscumque alios, quavis auctoritate fungentes, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 21. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; quodque aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod ad praestationem praedictorum minime teneantur, et ad id compelli aut

1 Hoc statuit etiam Benedictus XII.

quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, conservatoriis, exemptionibus, indulgentiis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio aut etiam consistorialiter, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; necnon concordiis, conventionibus, pactis et aliis obligationibus, etiam, ut praedictum est, roboratis, per quae, praesentibus non expressa aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia, ad effectum omnium suprascriptorum penitus abrogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Quia vero difficile nimis esset praesentes, quocumque opus illis erit, perferre, volumus ut illarum exempla, etiam impressa, notarii publici vel secretarii dicti abbatis Cistercii manu, et eiusdem abbatis vel capituli alteriusve prælati ecclesiastici aut eius curiae sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem, in iudicio et extra illud, ubique locorum faciant, quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, octavo idus martii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 8 martii 1570, pontif. anno v.

CLVIII.

Extinctio congregationis Beatae Mariae Servorum nuncupatae, eiusque unio Ordini Servitarum sub obedientia prioris generalis Ordinis eiusdem [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pro nostri muneris officio et charitate paterna, qua omnes religiosorum Ordines prosequimur, quaecumque ad illorum statum salutaremque tranquillitatem pertinere arbitramur, ea providere et, adiuvante Domino, recta constituere conamur. Proœmium.

§ 1. Inter eos autem Ordinem Beatae Mariae Servorum animadvertimus, cuius professores, ex quo ipse primum institutus est, per complures annos eisdem legibus et institutis omnes viventes, una tantum familia contenti, ab uno quoque priore generali regebantur. Ordo Servorum ab initio instituti ab uno tantum priore generali regebatur.

§ 2. Postea vero iis, ut in rebus humanis evenire solet, paulatim ab instituto regularis observantiae defluentibus, quidam ex his, cupientes primi instituti disciplinam colere, arctioremque vitam ducere, se a reliquis eiusdem Ordinis segregarunt, et Sedis Apostolicae indulto suffulti, creato sibi vicario generali, cui subessent, novam familiam constituerunt, eamque congregationem Beatae Mariae Servorum nominaverunt. Nonnulli se ab eo segregantes, peculiarem congregationem instituerunt;

§ 3. Sed, proh dolor! successu temporis, haec ipsa congregatio usque adeo a regulari observantia prolapsa est, ut ab illis ipsis, qui Ordinis Servorum primi instituti nomen retinuerunt, parum vel nihil differre videatur. Sed a regulari disciplina desciverunt.

§ 4. Quamobrem ut omnes et singuli tam Ordinis quam congregationis professores ad regularem observantiam revocentur et quasi renoventur, commodiusque insuper gubernentur, utque qui unum Re- Causae novae faciendae unionis.

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

ligionis induunt habitum, hi, sub una eademque Regula uniusque professionis voto viventes, in observantia canonicae Religionis uniformes reperiantur; nosque ab uno tantum generali superiore, non autem a duobus, de morum reformatione rationem facilius exigere valeamus; quae omnia commodius fieri posse arbitrati sumus, si eos, invicem disiunctos, in unum idemque corpus coniungentes, in unam eamdemque familiam, sub eadem disciplina regularique observantia et uno dumtaxat capite viventes, redigeremus.

Domos omnes et conventus huiusmodi congregationis Ordini Servorum univit Pius; unum Ordinem esse sub eisdem Regulis unumque priorem generalem decernit;

§ 5. Quare de apostolicae potestatis plenitudine praedictum congregationis nomen et vicariatus officium supprimimus, extinguimus et penitus abolemus, ac modernum vicarium generalem ab eius officio absolvimus, omnesque et singulas dictae congregationis domus, conventus et fratres uni priori generali Ordinis, veluti supremo ipsius Religionis et Ordinis capiti, supremamque in eo Ordine potestatem et auctoritatem habenti, prout regularia ipsius Ordinis instituta sibi concedunt, perpetuo subesse, et ei in omnibus parere volumus et mandamus; ac etiam prioribus cuiuslibet provinciae, in qua ipsa domus et conventus consistunt, subiicimus et subiecta esse decernimus, prout aliae domus et conventus dicti Ordinis sive Religionis subiiciuntur, ita ut una deinceps unius modi obedientia, observantia et disciplina regularis, unum nomen Ordinis Beatae Mariae Servorum omnibus commune sit, omnes uni generali et provincialibus pareant, omnes, ad quos id pertinet, simul ad capitula generalia et provincialia conveniant, vocemque activam et passivam habeant in iisdem.

Statuta omnia praefatae congregationis invalidat, omnique valore carere iubet;

§ 6. Proinde revocamus et deinceps invalida censemus omnia et quaecumque statuta, consuetudines, conventiones, concordias et alia pacta, etiam iuramento, confirmatione apostolica et quavis alia firmitate munita, necnon omnia et quaecumque privilegia, exemptiones et indulta congregationis huiusmodi, etiam pro bono pacis et conservatione Religionis edita et concessa, ac etiam motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine confirmata, multiplicatisque vicibus innovata, extensa et moderata, quatenus praesentium effectum et executionem differre possent, vel quomodolibet impedire; quorum omnium tenores, aeque atque ad verbum insererentur praesentibus, haberi volumus pro expressis.

Sicque in perpetuum observari;

§ 7. Decernentes praedicta omnia firma et inviolata fore, necnon irritum et inane quicquid secus per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praesentem constitutionem recipi mandat et exequi absque ulteriori declaratione;

§ 8. Quocirca priori generali ac universis et singulis dictae congregationis ceterisque fratribus praedicti Ordinis Beatae Mariae Servorum per apostolica scripta mandamus ut praesentes litteras humiliter recipiant, et quaecumque in ipsis continentur, alia desuper a nobis non expectata iussione mentisve nostrae declaratione, firmiter custodiant, et in omnibus studiose obedire procurent.

Executionem committit priori generali Ordinis Servorum;

§ 9. Quin etiam ipsi priori generali praecipimus ut easdem praesentes ac quidquid pro earum executione statuetur et decernetur, in omnibus domibus et locis virorum et mulierum, necnon ab omnibus fratribus et sororibus inviolate faciat per se vel alium seu alios observari, quoscumque contradictores, rebelles ac etiam protestantes et reclamantes, eisque auxilium, consilium et favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, praestantes, tam ecclesiasticos quam laicos, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis et conditionis fuerint, per censuras et poenas ecclesiasticas ceteraque iuris et facti re-

media opportuna, appellatione postposita, compescendo, censurasque et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc auxilio brachii saecularis.

Derogat contrariis;

§ 10. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis aliisque apostolicis constitutionibus; quodque aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis credi iubet.

§ 11. Volumus autem ut praesentium exempla, *etc.*

Clausulae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, tertio nonas maii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 5 maii 1570, pontif. anno v.

CLIX.

Mandatur archiepiscopo Mediolanensi eiusque suffraganeis ut promulgari et observari faciant decreta in synodo provinciali eiusdem provinciae edita, iuxta emendationem et explicationem Summi Pontificis [1].

Venerabili fratri archiepiscopo Mediolanensi Pius Papa V.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Nonnulla synodi decreta enunciat, laudat et explicat.

§ 1. Quae in vestra synodo provinciali proxime decreta sunt, praesentibus descripta, salubriter quidem et isti tuae provinciae frugifera, sed duo ita usu recipienda existimamus, ut peregrinorum et advenarum Eucharistiae sacramentum percipientium nomina, cognomina et originis sive domicilii locus, uno in libro fideliter asservando, a parocho ante omnia annotentur.

Explicatio decreti circa communiones peregrinorum,

Circa confessiones clericorum.

§ 2. Quod vero de diaconis et ceteris inferiorum ordinum clericis statuitur, ut eis solum sacerdotibus peccata confiteantur, quos episcopus ad id duxerit approbandos, hoc volumus observari, dummodo talis sit numerus sacerdotum, ut confiteri volentes delectum habeant inter illos.

Praefata decreta iubet observari et contradictores puniri;

§ 3. Ita quod tibi omnibusque tuis suffraganeis per apostolica scripta mandamus ut decreta praedicta in vestris quisque ecclesiis, civitatibus et dioecesibus, hac nostra moderatione adhibita, et alias ut cetera promulgare, et ut ab omnibus observentur sedulo efficere curetis; contradictores per censuram ecclesiasticam coercendo.

Contraria tollit;

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac alias, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus et specialibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis credi iubet;

§ 5. Quia vero difficile nimis esset praesentes quocumque illis opus erit perferre, volumus ut earum exempla, etiam impressa, secretarii tui manu et sigillo tuo obsignata, eamdem illam prorsus fidem ubique locorum faciant, quam ipsaemet praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Nonnulla enunciat decreta superius indicata.

§ 6. Ita igitur decreta ipsa scripta sunt. De administratione sacramenti Eucharistiae. Decretum duodecimum. Parochi, Paschae tempore, sanctissimae Eucharistiae sacramentum iis tantum ministrent, qui non modo tunc in parochiae suae finibus habitant, verum etiam maiorem anni partem aut sex saltem mensibus in ea habitaverint; nisi sint qui paucioribus ante diebus mensibusque illuc habitatum venerint eo animo ut in ea domicilium

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

habeant; nisi item qui ab episcopo propriove parocho facultatem scripto concessam exhibuerint alio loco communicandi; tum praeterea, nisi peregrini sint et advenae homines, idque in parochia aliqua dioecesis, quod si in Urbe, tantum in cathedrali ecclesia sacramentum Eucharistiae ii percipient; quare singulis diebus, cum in Pascha Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi sacramentum Eucharistiae administrabunt, antequam illud cuique praebeant, ad populum conversi, denuntient ut si quis eorum, qui adsunt, parochiae suae incola non est, ad suam quisque parochialem ecclesiam abeat, ubi, quemadmodum canonum sanctionibus visum est, eo tempore sacram Eucharistiam sumat; parochi vero urbani admoneant atque hortentur crebro eos, qui rus ire saepius solent, ut festis diebus illis solemnibus, nempe die natali Domini, in quadragesima et hebdomanda sancta, potissimum Paschae tempore, Ascensionis Domini die, in celebritate Corporis Christi, in die Pentecostes, ruri non habitent, sed in corde[1] atque in frequentioribus oppidis, ubi, a rusticatione feriati, sacris et divinis officiis intersint, de verbo Dei conciones audiant, ceteraque christianae pietatis munera praestent, quae, ab unoquoque christiano homine debita, solemnes et stati illi dies maxime requirunt. Quae ad missam, divina officia, ecclesiae cultum spectant, diaconi, subdiaconi et reliqui clerici inferioris ordinis confessionem et communionem frequentent, ut superiore synodo provinciali praescriptum eis est; confiteantur autem iis tantum sacerdotibus, quos ad audiendas eorum confessiones idoneos episcopus et in urbe et dioecesi comprobabit; sacrae vero Eucharistiae communionem in propria parochia vel in alia ecclesia, quam episcopus statuet, diebus festis percipient, idque in missa solemni, si modo eo loco eoque die celebrabitur; illius autem rei fidem tertio quoque mense episcopo exhibebunt. Decretum decimum, de iis quae pertinent ad Baptismi administrationem. Cum id nostra superiori provinciali synodo de compatribus praescriptum sit ut illi tales deligantur, qui suscepti muneris partes explere possint, id autem ipsi praestare non queant, si non rudimenta quidem fidei norint; idcirco ea cura sit parochis, ut quos compatres ita imperitos noverint, ut Symbolum fidei, sive ea quae in Symbolo continentur, ignorent, illos eo officio suscipiendi de Baptismo infantes fungi non patiantur. Decretum primum de edicto quotannis ab episcopo proponendo contra haereticos. Episcopus, edicto quotannis publice proposito, omnes et singulos suae dioecesis homines, etiam quavis dignitate, gradu honoreve praeditos, moneat, eisdemque in virtute sanctae obedientiae, ac poena excommunicationis latae sententiae proposita, id iubeat, ut si eorum quispiam iam scit cuiusvis sectae haereticos homines, eove nomine suspectos aut infames aut quovis modo a fide catholica aberrantes, aut qui verba haereticalia protulerint, aut qui haereticorum libros scriptave, quae quovis modo auctoritate Sedis Apostolicae prohibita sunt, legunt vel apud se habent, decem ad summum diebus post edicti promulgationem; si vero imposterum sciat, decem diebus postquam id norit, illos omnes et singulos vel ipsi episcopo vel haereticae pravitatis inquisitori denunciet. Parochis autem suis iubeat ut edictum huiusmodi in singulos annos, semel quadragesimae initio, iterum ineunte Domini Adventu, publice in sua quisque parochia, cum in missa frequentior populus adest, de scripto ipsi pronuntient et promulgent. Quae ad bona et iura ecclesiarum, dioeces. loc. pertinent. Ne ecclesiasticorum beneficiorum bona patronis, neve item eis, quorum cessione ea

1 Legimus *in urbe* (R. T.).

beneficia obtinentur, neque illis praeterea, qui primo secundove consanguinitatis gradu cum eisdem iuncti sunt, nec per suppositas quidem personas, cum ne ad breve sane tempus locari liceat, idque nisi cognita prius ecclesiae utilitate, episcopus, data in scriptis facultate, concesserit; quicumque secus fecerit, fructibus unius anni mulctetur, quos ex eorum beneficiorum praediis bonisve capit. Inquirat praeterea episcopus diligenter, an aliqua simoniae labes contracta inter eos sit. Quae ad missam, divina officia, ecclesiae cultum spectant. Quoniam superioris concilii constitutione vetitum est, quo tempore, vel sacrorum vel funeris exequiarumve causa, in unum clerici conveniunt, non plures ad mensam, quam sex, eosque clericos adhiberi; id cum multis locis facile praestari nequeat, propterea quod ecclesiae saepe longius inter se distent, grave sit clericis de itinere fessis mane ad ecclesiam suam reverti, ideo liberum sit parocho tot convivas habere, quot sane in mensam adhibere par esse iudicaverit; et pro temporis ratione laicum etiam hominem, quem christianae pietatis studiosum et sacerdotali convictu consuetudineque dignum norit, a mensa non excludere, modo ea serventur quae in parochialibus conventibus de frugali clericalique modestia in nostris constitutionibus scripta sunt; tum sacra item lectio in mensa perpetuo adhibeatur. Quod vero de mensae frugalitate et ferculorum numero alias superiori canone decretum est, id omnino sit et servetur, ut etiamsi vel universitati vel cuivis alii, pacto consuetudineve aut ultima voluntate, certis quibusdam diebus, cibum a sacerdotibus parari oporteat, in eo ab illa decreti ratione ne ullo modo discedatur, nec sacra lectio in mensa desit.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII maii MDLXX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 maii 1570, pontif. anno V.

CLX.

Reformatio Ordinis fratrum Servorum B. Mariae Virginis [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Postquam nos, Deo auctore, Ordinem fratrum Beatae Mariae Servorum, antehac in duas familias divisum, antiquato congregationis nomine, quod altera sibi asciverat, in unum idemque corpus, ac in unam eamdemque familiam, uni dumtaxat capiti subiectum, sub eadem regulari disciplina reduximus, expedit certa quaedam incommoda, quae bonum omne in Religione pervertunt, excidere, ut deinceps omnes, communibus institutis et legibus suae professioni magis convenientibus viventes, salubrius dirigantur. Congregatio huius Ordinis tollitur sublata.

§ 1. Quocirca, cum omnis Religio privatae proprietatis usu labefactetur et corruat, nos, ad illam ex dicta familia exterminandam, ac simul emendandos eos, qui de officiis et muneribus ambitiose obtinendis iampridem inoleverunt, et alios nocentes eius mores, novosque inducendos ante omnia intenti. Reformatio ipsius Ordinis subsequitur.

§ 2. De nobis attributae potestatis plenitudine revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia, dispensationes, licentias, permissiones et indulta habendi et retinendi privatum dominium, usufructum, possessionem et proprietatem quorumcumque bonorum immobilium, mobilium et semoventium, necnon domorum, Revocatio omnium indultorum aliquid privatim retinendi.

1 De hoc Ordine vide in Benedicti XI constitutione II, *Dum levamus*, tom. IV, pag. 176. Eique unitam congregationem Servorum Beatae Mariae Virginis vide supra, constit. CLVIII.

cellarum, hortorum, pecuniarum et aliarum rerum, generali, provincialibus, conventualibus prioribus ac aliis fratribus, etiam causa senii, infirmitatis vel cuiuscumque pii operis praetextu vel intuitu, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam eiusve legatos, vel etiam dicti Ordinis superiores, etiam motu proprio et ex certa scientia, concessa, confirmata et innovata, quibuscumque concepta formulis ac clausulis et decretis suffulta, quorum omnium tenores habemus praesentibus pro expressis; volumusque illa omnia et singula vires et effectum de cetero non habere. Quin etiam fratres praedictos, quicumque sint, privato et bonorum et rerum omnium prædictorum, quomodocumque acquisitorum et ad eos obventorum, dominio, usu, usufructu, proprietate, titulo et possessione privamus, dictaque possessione amovemus, et amotos nunciamus; resque et bona ipsa omnia in communes suarum cuiusque domorum et praedicti Ordinis usus convertenda concedimus. Mandantes, in virtute sanctae obedientiae, generali, provincialibus et conventualibus prioribus supradictis, ut rerum et bonorum omnium praedictorum possessionem nomine domorum et locorum suorum capiant. Et illa illorumque fructus in communes conventuum usus convertantur.

Prohibitio quicquam privatim habendi.

§ 3. Ceterum, praecipimus atque interdicimus ne deinceps ullus omnino fratrum praedictorum, sive privatus, sive prioris conventualis sive provincialis aut generalis officio fungens, etiam praetextu huiusmodi privilegiorum, dispensationum, permissionum et indultorum seu inveteratae consuetudinis aut quacumque alia causa., proprium quicquam aut privatum, neque aedes, sive in claustro sive alibi, separatas habeat, sed omnia ubique communia sint; et quisque unica cella, eademque cum ceteris aliorum fratrum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lectulo et mensa humilibus, quemadmodum pauperes religiosos decet, contentus esse debeat.

Camerae redigantur in communo dormitorium.

§ 4. Proinde, camerae sive aediculae quae extra dormitorium separatim sunt, ad officinas aut alias ad communem usum et commoditatem cuiusque conventus redigantur; vel si cellae communis dormitorii pro fratrum numero non sufficiant, et illae camerae vel aediculae ad formam communis dormitorii aptari possint, in dormitorium commune redigantur; sin minus, destruantur, ac materia et cæmenta ad fabricam conventus, si opus fuerit, convertantur, vel vendantur, et pretium ad communem usum conventus conferatur.

Ambitus recedant et munera.

§ 5. Sed nec ulli omnino ambitus fiant, aut pecuniae, etiam pro confirmationibus, sigillo vel scriptura aut quacumque alia re vel causa, solvantur, aliaeve pactiones seu promissiones intercedant, seu munera aut xenia quocumque modo mittantur, neve quisquam, etiam in officio existens, pecunias aut quicquam aliud de provincia seu domo sibi commissa, vel aliunde priori generali seu alii cuicumque conferat vel remittat. Quicumque secus fecerint, in poenam privationis prioratuum et officiorum omnium incidant, et ad futura inhabiles habeantur, et pro culpis etiam tanquam fures puniantur, prout nos illos privatos et inhabiles declaramus eo ipso; procurationibus tamen, generali ex universo Ordine, ac provincialibus prioribus ex sua cuique provincia, et visitatoribus ex domibus et locis visitandis debitis, nequaquam per praesentes sublatis.

Superiores dispensare valeant praedicatores et lectores et officiales circa recitationem divini officii in communi.

§ 6. Ad reformandos autem alios dicti Ordinis mores ulterius progrediendo, ex iis quae pro salubri huius Religionis statu et felici directione alioqui instituta hucusque reperiuntur, quae nec praesentibus contraria sunt nec illorum effectum impedire possunt, nihil omnino detrahere,

sed illa immota custodiri volentes, de simili potestatis plenitudine statuimus et ordinamus ut fratres omnes, etiam superiores et quicumque privilegiati, nisi, tempore quadragesimae et Adventus Domini, praedicationis munus obierint, omnibus divinis officiis diurnis et nocturnis intersint; illis vero temporibus, cum ipsis praedicatoribus et lectoribus, iis diebus quibus praedicant et legunt, superiores pro arbitrio dispensare possint. Ipsis etiam superioribus et aliis officialibus, eo tantum tempore quo actu in negociis conventus et Ordinis occupati sunt, aliquid remittatur.

Divina officia iuxta institutum celebrentur.

§ 7. Missae, matutinum et aliae horarum canonicarum preces, processiones, item anniversaria et defunctorum memoriae integre, suo debito tempore, attente, cum cantu solemni, in diebus quibus convenit, iuxta regularia dictorum fratrum instituta, celebrentur; nec satis habeat quaeque domus missas, sive fundatione sive statuto sive consuetudine debitas vel praescripto superioris conventus designatas, dumtaxat celebrasse, sed fratres omnes sacerdotes missam, etiam non astricti, frequentissime celebrent.

Confessiones, communion. et ieiunia serventur.

§ 8. Clerici et conversi semel in hebdomada peccata sua confiteantur, et singulis saltem mensibus sacram Eucharistiam sumant. Ieiunia iuxta suam Regulam et constitutiones omnino servent.

Numerus fratrum cuiusque domus praescribitur.

§ 9. In quaque domo pauciores fratres non sint duodecim. Si qua autem domus hunc familiae numerum alere non potest, fratres cum bonis ex ea domo in aliam transferantur, provisione adhibita, ne ecclesiae destruantur, sed ad eius populi communitatem conserventur. Permittimus tamen ut in domibus, quae iter facientibus fratribus commodae sunt, saltem quatuor fratres non minores quinquaginta annis, constanti et probata vita, maneant, si plures ea domus alere non potest. Nulla porro domus supra vires oneretur.

Praedicetur diebus festis,

§ 10. In singulis domibus, omnibus dominicis et festis diebus, praedicationes verbi Dei habeantur.

Lectionesque in Studiis generalibus aliisque habeantur.

§ 11. In maioribus Studiis regentes duas lectiones theologicas interpretentur, alteram practicam, veluti de sacramentis vel de vita sancte recteque instituenda; alteram vero speculativam, ex catholicis et approbatis doctoribus, superioris arbitrio statuendas: in minoribus vero, una lectione ex theologia practica contenti sint.

Exercitium circa casus conscientiae.

§ 12. Ceterum, curent superiores ut in singulis conventibus fratres, maxime in conscientiae casibus et reliquis quae ad audiendas confessiones pertinent, ob rei gravitatem et necessitatem, summo studio ac diligentia exerceantur.

Catechismus legatur diebus festis.

§ 13. Singulis item diebus festis Romanus catechismus ad parochos, in singulis conventibus, legatur.

Libri prohibiti non teneantur.

§ 14. Si qui regentes et lectores aut alii fratres libros prohibitos habere sine speciali Sedis Apostolicae licentia fuerint deprehensi, ultra poenas iuris communis, et quae a sancto Officio Inquisitionis haereticæ pravitatis talibus imponuntur, perpetuo munere legendi, praedicandi et confessiones audiendi privati existant; ad omnia item officia inhabiles, activa voce careant et passiva.

Forma promovendi ad gradus, et qualitates promovendorum.

§ 15. Nullus ad aliquem gradum promoveatur, nisi aetate, vitae probitate et literatura praestans, et in eis probatus per examen diligens a priore generali seu ab aliis, qui per eum huic muneri ordinabuntur, faciendum, deinde in capitulo generali publice iterandum. Ætas autem et tempus studii ac cursus exprimatur; et praeterea probetur quod promovendus nulla umquam infamia seu sinistra opinione fuerit maculatus. A promovendis ad gradus huiusmodi nihil omnino exigatur, nec etiam sponte oblatum accipiatur; verumtamen si, promotione facta, conventus promotorum aliquid Religioni donare vo-

luerit, id, quicquid sit, procuratori generali Ordinis tribuatur, ut ad levationem onerum omnium Religionis conferatur; eodem procuratore, acceptorum et expensorum rationem priori generali et diffinitoribus reddituro. Ceterum, omnes a decem annis promoti, rursus per probos et idoneos viros, a priore generali in quaque provincia constituendos, examinentur; et qui saltem mediocri scientia in theologia praediti reperti non fuerint, usu et exercitio gradus suspendantur, nec debeant privilegio gradus huiusmodi gaudere. Caveant praeterea superiores licentiam ulli fratri concedere ut ad aliquos ordines sacros sive maiores sive minores promoveri possit, nisi ille in aetate legitima constitutus et literatura ad eos requisita praeditus sit, habeatque omnia quae a sacris canonibus regularibusque institutis requiruntur; aliter promotus ab suorum ordinum executione suspendatur, et licentiam concedens officio deponatur, et per sexennium inhabilis ad omnia officia habeatur. Sed et nostra constitutio, qua cavetur ne quis regularis, ante emissam a se expressam professionem regularem, ad sacros ordines promoveri possit, inviolabiliter observetur.

Confessorum qualitates.

§ 16. Sacerdotes ad audiendas peccatorum confessiones ordinandi, vita, moribus et literatura probati et, quoad mulieres, aetatis provectae habeantur. In omni domo huiusmodi sacerdotes ex praedicto Ordine constituantur, quibus et non aliis, fratres omnes peccata sua debeant confiteri.

Priorum officium biennium duret.

§ 17. Priores omnes nunquam ultra biennium durent, sed biennio functo, ipsorum officium vacet; nec ad illudmet in eodem conventu in sequens protinus biennium rursus constitui possint.

Non biennium ultra, praeter senes morentur in conventu eodem.

§ 18. Nulli item fratri in eodem conventu plus biennio manere liceat; exceptis sexagenario maioribus, quibus aliquid ex causa, superioris arbitrio, poterit condonari.

Forma administrandi conventus.

§ 19. Ad haec, nullus omnino priorum administrationem bonorum et aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum et redditum suae domus, etiam nomine conventus, per seipsum habere sive exercere, vel sese in eis interponere possit, sed universum id onus tribus religiosis a priori generali ita demandetur, ut primus rerum et bonorum inferendorumque in eam redditum curam habeat; alter, tamquam depositarius, pecunias ac cetera ab illo importata fideliter asservet; reliquus de pecuniis et rebus a depositario captis, priori et fratribus ac domui universae de necessariis, veluti dispensator, provideat, mandante tamen ipso priore, qui unicuique, non secundum proprium affectum sed caritatis regulam provideri curabit, officiorum huiusmodi invicem confusione penitus interdicta.

Forma reddendi administrationis rationes.

§ 20. Ceterum, ii tres tam impensi quam accepti singulis mensibus suo priori, adhibitis etiam duobus vel tribus fratribus eiusdem domus probatioribus rerumque usu peritis; deinde ipsemet rursus, praesentibus priore et peritis praedictis, priori generali vel provinciali vel visitatoribus, quotiescumque visitationis officium fecerint; denique ipse prior generalis in omni proximo capitulo generali, saltem coram tribus iudicibus ab ipso capitulo constitutis, illorum omnium et etiam universae administrationis suae, tam publice quam private, rationem reddere teneatur.

Donata atque relicta fratres consignent superioribus.

§ 21. Pecuniae omnes et quaecumque aliae res cuicumque privatim, etiam intuitu personae, undecumque donatae sive relictae fuerint, superiori, horarum vigintiquatuor intervallo, exhibeantur, qui illas statim depositario committat, et inde tamen exhibitori ministrari iubeat, quantum rei convenientis praesens necessitas videbitur postulare.

Fratres omnes in refectorio communibus epulis vescantur.

§ 22. Fratres omnes, etiam superiores et quomodocumque privilegiati, aegrotis tantum exceptis, in refectorio cibum capiant, et communi mensa utentes, communibus epulis vescantur. In primis autem senum et aegrorum, necnon praedicatorum et lectorum cura habeatur, ita ut nihil eorum necessitati et commoditati desit. Omnes praedicti, quocumque gradu et honore sint, camisiis laneis et reliquo vestitu unius modi, eodemque honesto et professioni convenienti, omni praeterea supellectile et instrumento paupere atque humili utantur. Nullus privatum hortum habeat, sed omnes omnibus domus sint communes, praeterquam, quoad infirmariam et novitios, qui hortum sive viridarium seiunctum habere possint, in quo ceteri nullatenus ingrediantur.

Novitii qui ubi et quando recipiendi et quomodo instruendi sint.

§ 23. Novitii, etiam oblati, ante decimumoctavum aetatis suae annum completum non recipiantur, neque ante decimumnonum completum ad professionem admittantur; qui hactenus recepti, etiam oblati, decimumquintum annum non compleverint, dimisso habitu Religionis, domum ad parentes et necessarios, etiam inviti, remittantur, vel alias omnino emittantur, nec postea in aedibus unde exierint aut in aliis eiusdem Ordinis domibus ullo modo debeant conversari. Laici, qui vigesimumquintum annum non attigerint, ad serviendum non accipiantur, et qui recepti etiam nunc ea aetate minores sunt, reiiciantur. Novitii non admittantur aut educetur, nisi in conventibus insignioribus, in quibus dormitorium et capitulum habeant omnino separatum, cuius ingressus aliis fratribus sit penitus interdictus. In eisdem domibus sit unus magister, aetatis provectioris, moribus et doctrina praeditus, qui diligentem habeat praedictorun novitiorum curam et illis praesit. Ipsi autem in grammatica, cantu, caeremoniis et iis, quae ad christianam disciplinam faciunt, instruantur; nec e loco novitiatus, nisi ad ecclesiam, refectorium et ad publicas processiones et interdiu ad aliquam honestam recreationem cum fida custodia exire debeant.

Vestiarium fratrum quale esse debeat et quae eorum vestes.

§ 24. In quaque domo sit unum vestiarium commune, in quo omnia omnium fratrum vestimenta conferantur; quae unius modi sint, eademque nulla exquisita arte laborata, sed simplicia et honesta, ita ut nec unum ab altero distinguatur. Cui vestiario custos praeficiatur, qui munditiae, refectionis et distributionis eorumdem vestimentorum curam gerat.

Forma servandi scripturas et res ecclesiasticas.

§ 25. In omni domo, locus tutus cum armariis seu capsis habeatur, in quibus scripturae, privilegia, contractus et omnia iura ad domum pertinentia, itemque res pretiosae ecclesiarum, etiam sacrae, cum suo inventario seu repertorio authentico, asserventur, praeter eas quae quotidiano sunt ecclesiae usui necessariae, quae in sacristia et per sacristam custodiantur; ita tamen ut res sacrae a profanis distinguantur. Huius autem loci tres sint claves, quarum unam prior, alteram depositarius, tertiam procurator domus habeat. Simili quoque modo inventarium bonorum mobilium cuiuscumque ecclesiae et domus, necnon immobilium et quorumcumque iurium ad conventum pertinentium, in forma probanti, conscribatur, deque eo exemplum authenticum fiat duplicatum, ut alterum in propria domo remaneat, alterum vero in archivio insignioris seu principalis domus eius provinciae reponatur.

Infirmaria in quocumque conventu instituatur.

§ 26. In omni domo, infirmaria commodo loco constituatur pro fratribus infirmis, cui infirmarius ordinetur, per quem domus ipsa de illis omnibus, quae ad animae et corporis infirmorum salutem commoda et necessaria sunt, caritative provideatur.

§ 27. Postremo, prior cuiusque domus praecipuam curam gerat ut ecclesiae in suis structuris conserventur et reparentur; mundae praeterea et expurgatae, uti decet, contineantur, atque illis de libris, vasis, ornamentis et aliis ad altaris ministerium et divinum cultum pertinentibus provideatur, quae pariter munda et nitida conserventur.

Prioris officium circa ecclesias et earum ornamenta.

§ 28. Res sacristiae, cuiusvis generis sint, nullo modo alienentur, nec pignori opponantur, nec ullo modo alieni accommodentur, sed solum ecclesiae propriae serviant.

Res sacristiae non alienentur.

§ 29. Decernentes irritum et inane quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 30. Quocirca priori generali ac omnibus fratribus praedictis per apostolica scripta mandamus ut quisque pro se praesentes litteras humiliter recipiant, et quæcumque in eis statuta, decreta et mandata sunt, alia desuper a nobis non expectata iussione aut mentis nostrae declaratione, firmiter custodiant, et in omnibus studiose obedire procurent.

Fratres omnes observent hanc reformationem.

§ 31. Quin etiam eidem priori generali committimus ut ipse easdem praesentes in proximo et deinceps futuris generalibus et provincialibus capitulis, et frequenter in omnibus domibus publice legere, ac eas et quicquid pro earum executione et observatione, tam in ipsis capitulis generalibus vel etiam extra illa, ab ipso adhibitis aliquot ex aliis prioribus vel definitoribus praedictis, quos duxerit eligendos, statuetur, ordinabitur et decernetur, in omnibus prioratibus ac ab omnibus et singulis prioribus, fratribus et personis praedictis inviolate faciant, per se vel alium seu alios, observari. Contradictores quoslibet et rebelles ac etiam protestantes et reclamantes, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, praestantes, tam ecclesiasticos quam laicos, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam prioratuum, dignitatum et administrationum privatorias, ceteraque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo. Quin etiam contendentes praedictos in censuras et poenas suprascriptas incidisse declarando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Prior generalis deputatur executor huiusce constitutionis.

§ 32. Non obstantibus nostris de non tollendo iure quaesito et de annali ac triennali possessore, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Ordinis praedicti, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, exemptionibus et indultis apostolicis, illis eiusque superioribus et personis eorumque singulis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam per modum statuti perpetui ac initi et stipulati contractus ac alias, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere et in specie, concessis, confirmatis, ac etiam aliis reformationibus, quotiescumque ac quocumque tempore factis et promulgatis, ac quibuslibet aliis indulgentiis et litteris apostolicis, specialibus et generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum seu dictorum ordinariorum iurisdictio seu executio impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis; quae omnia contra earumdem praesentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo suffragari.

Clausulae derogatoriae.

§ 33. Denique etiam volumus ut ipsarum praesentium exempla, etiam impressa, capituli vel prioris generalis seu alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae *etc.*

Exemplorum fides.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXX, III kalendas iunii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 30 maii 1570, pontif. anno V.

CLXI.

Declaratio et ampliatio concilii Tridentini, cap. XIV, *sess.* XXIV *de prohibitione aliquid exigendi vel petendi in collatione aliave provisione beneficiorum ecclesiasticorum, vel ad illorum possessionem admissione* [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Durum nimis et incommodum arbitramur, quod ecclesiarum ministri, in iis quae ad ipsorum sustentationem suppeditant, dispendia patiantur. Quocirca, cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei avaritiae pravitatem, editas antehac sanctiones minime satis esse intelligimus, novae constitutionis subsidio cogimur providere.

Concilium Tridentin., sess. XXIV, cap. XIV, mandavit episcopis ut pravas consuetudines et statuta aliquid recipiendi in provisione beneficiorum reiicerent.

§ 1. Cum itaque alias ex plurium ecclesiarum cathedralium et collegiatarum constitutionibus aut ex prava consuetudine observari intelligeretur ut, in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicuius cathedralis ecclesiae vel beneficii, canonicatuum aut praebendarum vel partem proventuum seu ad distributiones quotidianas, certae conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones compensationesve illicitae, aut etiam quae in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponerentur, licet sancta synodus, haec detestata, mandaverit episcopis ut quaecumque huiusmodi, quae in usus pios non converterentur, atque ingressus eos, qui simoniacae labis aut sordidae avaritiae suspicionem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super praedictis cognoscerent, et illis tantum, quas probarent, exceptis, reliquas ut pravas et scandalosas reiicerent; eos vero qui, adversus praedicta, quavis ratione commisissent, poenis contra simoniacos editis teneri decreverit; multorum tamen indomita cupiditate, tam praedicta quam alia ad beneficium et commodum ipsorum ministrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur.

Hic Pontifex modo revocat consuetudines et constitutiones huiusmodi;

§ 2. Quare nos, pro divini cultus exercitio, simulque evocatorum ad illum auxilio plenius evidentiusque consulendum fore rati, revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia, consuetudines et statuta quarumcumque ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum ac maiorum necnon collegiatarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica aut alio quovis praesidio munita, ac etiam supra hominum memoriam et longissimo ac quantocumque tempore, etiam continuo, observata, sive pro solvendis ecclesiarum vel praelatorum debitis, sive pro supportandis illorum oneribus, sive aliis, etiam maioribus, maximis et urgentissimis, causis concessa et approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa et moderata, quod, vacantibus ipsarum ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus,

1 Ad hoc videri potest etiam concilii Tridentini sess. XXI, cap. I; et sess. XXIV, cap. 18. Alia ad materiam simoniae beneficialis plene indicavi in Iulii II constit. V, *Cum tam divino*, tom. V, pag. 405.

praebendis, portionibus, beneficiis et officiis, fructus ac etiam quotidianae distributiones, ex eis primo ab ipsa vacatione anno aut longiore vel etiam breviore tempore proventuri, mensae episcopali seu capitulari aliove loco integre vel partim remaneant seu applicentur, aut in communes usus cedant, seu inter alios canonicos et personas ecclesiae seu capituli dividantur. Quodque nullus, etiam apostolica auctoritate provisus, in canonicum recipi, aut ad dignitatem seu portionem, beneficium vel officium admitti, vel alias in eius possessionem induci possit, nisi prius de observandis huiusmodi privilegiis, consuetudinibus et statutis iuramentum praestiterit, et obtentae illorum derogationi ac fructuum et distributionum perceptioni renunciaverit, seu capitulo et personis praedictis cesserit, seu (ut appellant) dulciaria aut quid aliud praestiterit; quorum omnium tenores, causas et effectus habemus praesentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, necnon irritantibus et aliis decretis roborata. Volentes ea omnia vires et effectum de cetero non habere.

Poenasque aliquid recipientibus imponit.

§ 3. Praecipimus igitur et interdicimus omnibus episcopis, capitulis, collegiis et personis, ad quos id pertinet, ne posthac fructus aut distributiones huiusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem vel renunciationem aut dulciaria vel alia quomodocumque petant vel exigant, aut quemquam, sive ordinaria sive apostolica auctoritate provisum, ad praestandum huiusmodi iuramentum inducant, aut illi praedicta non facienti possessionem impediant vel remorentur. Quicumque contrafecerint, si ecclesiarum antistites, tamdiu a pontificalis officii exercitio sint suspensi, donec, satisfactione praevia, illis per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur; capitula vero et collegia quaecumque ecclesiastico subiaceant interdicto, ac singulares personae in excommunicationis sententiam incurrant, a qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam a Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes huiusmodi praestita iuramenta non tenere, nec quemquam illis obligari; quinimmo iurantes in huiusmodi censuram incidere; necnon irritum et inane quicquid secus super his per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Declaratio praedictorum.

§ 4. Et nihilominus statuimus ut ubicumque huiusmodi fructus et distributiones fabricae vel sacristiae aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiae vel fabricae aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati praedicti integre percipiant.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; decreto praedictae synodi ac constitutione felicis recordationis Ioannis Papae XXII, quae incipit *Suscepti*, et aliis iuribus hac de re disponentibus nihilominus alias in suo robore duraturis.

Alia declaratio.

§ 6. Ceterum per praedicta non intendimus illis praeiudicare capitulis, collegiis, mensis aut personis, fructus et distributiones, inter vacationem beneficiorum et eorum collationem sive possessionis apprehensionem, provenientes ex statuto, consuetudine vel privilegio huiusmodi percipientibus vel retinentibus, quo

minus ipsi illos interim ut antea exigere valeant et habere.

Fides transumptorum.

§ 7. Postremo volumus ut praesentium exempla, etiam impressa, *etc.*

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, kalendis iunii, pontificatus nostri anno v.

Publicatio

Anno a nativitate Domini MDLXX, indictione XIII, die vero XIII iulii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae V anno v, retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Principis apostolorum de Urbe, ad valvas ecclesiae S. Ioannis Lateranensis et ad valvas Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, per nos Scipionem de Octavianis et Antonium Clerici, cursores apostolicos.

Stephanus de Olea, magister curs.

Dat. die 1 iunii 1570, pontif. anno v.

CLXII.

Innovatio officii summatoris litterarum apostolicarum, uni ex S. R. E. cardinalibus de cetero conferendi, cum indultorum, gratiarum et iurisdictionis in suos officiales concessione [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Pontifice dignum est et Romanae Sedis maiestate illius officia augere et locupletare, ut ipsorum nobilitas et suscipiendorum ad ea illustrissimorum virorum splendor Romanae Ecclesiae dignitatem faciat ampliorem.

§ 1. Quod nos in animo cogitantes, unum ex omnibus magni momenti animadvertimus officium summatoris litterarum apostolicarum, a felicis recordationis Alexandro Papa VI perpetuum effectum, quod, per assumptionem dilecti filii nostri Petri Donati tituli S. Vitalis in S. R. E. presbyterum cardinalem Caesium nuncupatum, vacare proxime decreverimus, unius solius arbitrio moderari, in quo dirigendo, egregii unius viri auctoritas, peritorum auxilio subnixa, magnopere expediret. Quocirca eidem officio novam formam eamdemque excellentiorem atque utiliorem inducere, simulque ipsum ita promovere et amplificare instituimus, ut cum ceteris officiis et muneribus, quae supremi ordinis viris conveniunt, merito coæquetur.

Officium summatoris ab Alexandro VI erectum fuit in perpetuum et vacabile.

§ 2. Cum igitur in praedicta perpetuatione idem Alexander Papa, inter alia, statuerit ut quicumque illud obtineret, de eo, quemadmodum litterarum praedictarum scriptores de officio scriptoriae, disponeret, *etc.* Idem quoque omnibus privilegiis, exemptionibus, praerogativis, immunitatibus, facultatibus, gratiis et indultis collegii dictorum scriptorum omni tempore frueretur.

Et concessit summatori privilegia scriptorum litterarum apostolicarum.

§ 3. Ad haec nonnullis, qui dictum officium postea habuerunt, inter alia, sit concessum quod officium ipsum, etiam per alium seu alios, regere et exercere, singulis cancellariae apostolicae diebus, et quandocumque sibi videretur expeditionem extraordinariam dictarum litterarum facere possent, eaque de causa bullator ad summatorem quotidie veniret, qui captas ab ipso litteras bullare deberet. Porro nullus alius ad exercitium, regimen, subrevisionem aut superintendentiam dicti officii, etiam boni publici aut alia quacumque maiori magisque considerabili causa, a Romano Pontifice, directe vel indirecte, uspiam constitueretur, neque in eo sese interponere ullo modo posset, nec ullae omnino litterae, quan-

Aliaque summatori indulta hic enunciata data fuerunt.

[1] Hoc officium perpetuum vacabile esse voluit Alexander VI in constit. XIII, *In eminenti*, tom. v, pag. 378.

tumcumque secretae, nisi prius a summatore examinatae, expediri deberent; nullusque secretarius, sive domesticus sive de numero participantium aut alius quique, litteras plumbatas, nisi in officio praedicto expeditas, registraret; secus faciens crimen falsi incurreret, atque officiorum suorum emolumenta amitteret, quae ad summatorem praedictum pertinerent. Ceterum, pro omnibus litteris per dictam Cameram expediendis merces ordinaria in dicto summatoris officio dari solita, illis dumtaxat exceptis, quae statum Romanae Ecclesiae vel catholicam fidem concernerent, integre persolveretur. A qua nullus secretarius Papae, etiam domesticus aut scriptor vel alius, etiam maioris conditionis et quocumque privilegio fretus, exemptus censeretur. Quin etiam summator ipse quaecumque salaria, recognitiones et iura, a quibusvis Romanae Curiae officialibus eorumque collegiis praestari solita, perciperet, exigeret et levaret; ac officiales et collegia ad ea solvenda, quacumque reformatione facta et facienda non obstante, compellere libere et licite valeret. Postremo, idem summator, vel ab eo in dicto officio substitutus, mansionem seu cameram alias solitam in Palatio Apostolico, necnon victum pro se et uno famulo in tinello; et praeterea pro ipso summatore panem et buccellas, singulis diebus, praelatorum domesticorum instar, habere deberet. Ipsumque officium et, quod ad illud, dictum summatorem ab omni onere, etiam decimarum papalium, etiam ratione fidei et expeditionis contra infideles, aut sternendarum et reficiendarum viarum causa, exempta essent [1], neque ad illorum contributionem compelli posse, quemadmodum diversis litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur.

§ 4. Nos, ad dictae Sedis ornamentum et salubriorem litterarum praedictarum expeditionem, huius officii statum perfectiorem insignioremque constituere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra deque apostolicae potestatis plenitudine, in ipso officio unum praesidentem, qui summatoris pro tempore existentis vices gerat, ipsius summatoris nutu atque arbitrio sumendum et removendum.

Hic modo Pontifex insigniorem statum dicti officii inducit instituendo praesidentem unum,

§ 5. Item, quatuor alia perpetua officia recognitorum litterarum praedictarum, per proximum summatorem dotanda, perpetuo erigimus et instituimus.

Recognitores quatuor.

§ 6. Ac summatoris officio unum Secretariatus Apostolici de numero participantium, quod Marcellus Augustinus, et unum praesidentis annonae, quod Anastasius Pozzuti, ac aliud simile, quod Hieronymus Lippomanus, et duo portionum Ripae officia, quae Marcus Cornelius, dum viverent, obtinebant, per liberam resignationem dilecti filii magistri Antimi Marchesani, datarii nostri, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, aut alias quibusvis modis et ex quorumcumque personis vacantia, necnon quaecumque, quotcumque et qualiacumque alia dictae Curiae officia, similia vel dissimilia et qualitercumque qualificata, ad dispositionem Romani Pontificis pro tempore existentis pertinentia, pretio concedi solita, quae praedicta omnia simul valorem septuaginta millium ducatorum auri in auro conficiant, ab ipso proximo summatore conquirenda et comparanda, ex nunc, prout ex tunc et e contra, perpetuo unimus et annectimus et incorporamus. Ita ut quisque summator, qui pro tempore fuerit, itidem secretarius, praesidens, portionarius et omnium aliorum futurorum officiorum huiusmodi titularius existat, illorumque omnium corporalem possessionem per se vel alium seu alios, propria auctoritate, libere apprehendere valeat.

Quaedam officia hic enunciata, valoris scutorum 70 millium, dicto officio summatoris annectit;

1 *Exemptum esse* legit Cherub. (R. T.).

Recognitoribus praedictis dotem constituit;

§ 7. Singulis vero quatuor officiis recognitorum, pro dote ipsorum, decem aut plura loca seu portiones cuiuscumque montis seu montium in Urbe seu ditione temporali sanctae Romanae Ecclesiae constitutorum non vacabilium, quorum fructus hic solvuntur, sumptu eiusdem proximi summatoris conficienda et exhibenda, perpetuo applicamus et appropriamus. Declarantes quod, si dicto officio summatoris tot alia quae ad valorem praedictum septuaginta millium scutorum, ut praedictum est, non ascendant, vel si nulla alia quam praedicta, quae iam vacarunt, uniantur, nihilominus praesentes valere et plenarium effectum sortiri debere.

Indulta, privilegia, iurisdictiones, emolumenta summatoribus competentia, huic summatoris officio concedit et approbat;

§ 8. Ceterum, ex praedictis et aliis, quæ ad dictum summatoris officium quocumque modo pertinent et in eo consueverint et observantur, nihil prorsus detrahere, sed illa ac omnia et quaecumque privilegia, facultates et auctoritates, exemptiones et indulta ipsi officio et eius personis quomodocumque concessa, confirmata et extensa, quae, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, habemus pro expressis, perpetuo stabilia et inviolata esse intendentes, ac futuros omnes summatores et dicti officii personas, tam coniunctim quam divisim, in illis omnibus potiri; ac etiam omnia et quaecumque iura, salaria, regalia, recognitiones et emolumenta praedicta et alia consueta et ab officialibus et collegiis supradictis praestari solita, quemadmodum praedictus Petrus Donatus cardinalis et quicumque ante eum summatores amplissime obtinuerunt, eodem modo, iure et titulo habere et possidere volentes; quin etiam, omnia et quaecumque iura, iurisdictiones, facultates, consuetudines et indulta dicti officii, et illud necnon expeditionem dictarum litterarum concernentia, a quibuscumque aliis, cuiuscumque qualitatis et conditionis, personis et officiis usurpata, et quantocumque tempore usitata, ad ius et proprietatem ipsius revocantes, perpetuo statuimus et ordinamus ut ad dictum officium unus ex sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus assumatur, et dicta quatuor recognitorum officia cum quibusvis aliis dictae Curiae officiis compatibilia sint, et ad liberam summatoris pro tempore existentis dispositionem omnino pertineant; qui etiam hac prima vice et deinceps perpetuum illa, seu per obitum [1] seu quemcumque alium modum vacabunt, concedere, vendere, transferre, et de eis ac super eis cum quibuscumque convenire, pacisci et decernere libere et licite valeat; quemadmodum de aliis ipsius Curiae officiis fieri consuevit, pro pretio concedantur; viros probos et peritos ad ea admittat, qui per suam quisque, et alias pro materiarum qualitate et rerum exigentia, eius vel praesidentis arbitrio, expeditioni incumbant.

Formam examinandi litteras apostolicas praescribit;

§ 9. Omnes litterae, quae, secundum communem in dicto officio cursum, absque difficultate expediri consueverunt, ab illorum cognitore, qui tunc vicem obtinebit, praesente summatore vel praesidente, diligenter et accurate examinentur et ipsi referantur, ut illis tunc demum subscribat, et ipsas de more iubeat expediri.

Dubiaque insuper occurrentia decidendi;

§ 10. Ad ea vero dubia dissolvenda, quae in litteris ipsis occurrere contigerit, summator certum diem in singulas hebdomadas constituat, quo die coram se seu praesidente suo omnes recognitores conveniant; et praeterea, si ipsi summatori visum fuerit, aliquot alii egregii viri, harum rerum usum habentes, ab eodem summatore adhibeantur, ut dubia omnibus proposita cum maturo eorum omnium iudicio decidantur; gravioribus tamen et obstructioribus dubiis, propter quae Romanus Pontifex merito consulendus erit,

1 Cherub. legit *et deinceps in perpetuum illa, seu per resignationem seu per obitum* (R. T.).

nostrae et successorum nostrorum declarationi nihilominus reservatis.

Summatori etiam absenti officium per substitutos exorcendi facultatem concedit, et auctoritatem dictorum substitutorum designat;

§ 11. Ad haec omnis summator, sive in dicta Curia praesens, sive ab ea quantocumque tempore absens, etiam omnia officia praedicta unita, praesentia et futura, quotcumque et qualiacumque, ac etiam unius et eiusdem collegii, per substitutum seu substitutos, omnino exercere possit, qui menstruis ac omnibus aliis congregationibus intersint, vota, vocem et suffragia tam active quam passive habeant. Ad officia refensoriatuum, mensariatuum ceteraque omnia munera, functiones et negocia, publica et privata, etiam pro singulis eiusdem collegii officiis, etiam eodem tempore et veluti principales, admittantur; litteris apostolicis et aliis scripturis et instrumentis subscribant; vestibus et insignibus officialium cuiuscumque collegii, in Palatio Apostolico, processionibus, pompis et aliis omnibus actibus, publicis et privatis, incedant et sedeant, et pro antiquitate praecedant, et prorsus omnia ut principales faciant et exequantur, pro singulis officiis, etiam unius et eiusdem collegii, quantumcumque in eo fuerint, quorum pluralitas et multitudo nullum prorsus impedimentum sibi invicem nullamque incompatibilitatem faciant; singula congregationum et munerum omnium emolumenta et salaria, ordinaria et extraordinaria, percipiant, et alias quemadmodum ipse summator faceret facereque posset, si, eadem officia ut non unita possidens, ibi adesset. Eosdem enim, ad effectum omnium praedictorum dumtaxat, secretarios, scriptores et alios omnium collegiorum huiusmodi officiales et titularios creamus et instituimus.

Emolumenta dari praecipit eodem;

§ 12. Praeterea omnis summator, nullo omnino intermisso mensium, dierum aut alterius temporis spatio, per consuetudines et statuta, etiam iurata et confirmata, seu privilegia et indulta secretariorum apostolicorum et aliorum collegiorum praefinito, sed statim a principio, fructus, emolumenta congregationum, salaria et iura omnia singulorum officiorum huiusmodi, praesens et absens, integre capiat.

Statuta pro officialibus condere,

§ 13. Ad omnes autem in suo officio continendos, summator quaecumque statuta, prosperum officii statum concernentia, condere; condita corrigere et mutare, aliaque rursus et quotiescumque sibi videbitur edere.

Iurisdictionemque in eis corrigendis habere declarat;

§ 14. Praelatos et quoscumque alios officiales, personas dictae expeditionis participes, quicumque fuerint, quoad ea quae ad expeditionem ipsam concernunt, castigare, corrigere et punire, ac contra eos civiliter et criminaliter procedere, vicesque suas, tam in his quam supradictis omnibus et singulis, alii vel aliis delegare libere et licite possit.

Exemptionos camerarii necnon clericorum tribuit;

§ 15. Itemque omnibus et quibuscumque privilegiis et exemptionibus, etiam Ripae et Ripettae ac dohanae Urbis, quae camerarius noster, clerici præsidentes et alii camerales habent, eodem iure libere potiantur et gaudeant.

Praesidentis et recognitorum litteras apostolicas gratis expediri decernit;

§ 16. Praesidens vero et recognitores omnes praedicti litteras apostolicas, etiam monasteriorum et ecclesiarum cathedralium, pro se gratis ubique, prout litterarum apostolicarum scriptores, expediant. Et propterea omnibus et quibuscumque aliis privilegiis, facultatibus, exemptionibus et indultis, eisdem scriptoribus et eorum collegio concessis, eodem modo quo illi, gaudent, et quisque pro se super his apostolicas litteras, tam coniunctim quam divisim, expedire poterunt.

Summatoris officium resignari posse concedit.

§ 17. Postremo omnis summator, quandocumque ei videbitur, officium ipsum summatoris in manibus Pontificis pro tempore existentis, in favorem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis aut alterius cuiuscumque personae per nos approbandae, etiam pacto pretio, resignare, et alias

de eo disponere etiam libere et licite valeat, quemadmodum de ceteris dictae Curiae officiis pretio receptis cuique est permissum, *etc.*

Clausulae praeservativae.

§ 18. Decernentes omnia supradicta firma et inviolata perpetuo consistere, vimque validi et efficacis contractus, inter nos et Sedem et Cameram Apostolicam, necnon omnes deinceps summatores habere; ac irritum et inane quicquid secus super his per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Iussio admittendi praedictos officiales.

§ 19. Iubemus igitur omnium collegiorum et officiorum praedictorum defensores, mensarios, depositarios necnon vectigalium redemptores et ceteros omnes, ad quos pertinet, ut quisque pro se, alia a nobis non expectata iussione aut mentis nostrae declaratione, praedictum summatorem et ab eo substituendum et substituendos, necnon praesidentem et recognitores omnes, tam coniunctim quam divisim, ad praedicta omnia recipiant et admittant, eisque de ipsis omnibus integre respondeant, et ab aliis faciant responderi. Qui contrafecerint, eos tamdiu ab officiorum exercitio suspendimus, et emolumentorum perceptione privamus, donec, satisfactione praevia, meruerint a Romano Pontifice restitutionis beneficium obtinere.

Derogatio contrariorum.

§ 20. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quaesito et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac secretariatus, scriptoriae, archivii ceterorumque officiorum et collegiorum, necnon Cameræ Urbis et vectigalium prædictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, usibus et naturis, quantocumque tempore observatis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque praesidentibus, ministris et personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam per modum statuti perpetui ac initi et stipulati contractus, et aliter, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis restitutivis, praeservativis, derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, et motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, necnon consistorialiter, ac ex causis, quantumcumque onerosis, concessis, confirmatis, innovatis, extensis et moderatis. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus. Quodque aliquibus, communiter vel divisim, a praedicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 21. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, octavo kalendas iulii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 24 iunii 1570, pontif. anno v.

CLXIII.

De decimis aliisque subsidiis non solvendis a fratribus Ordinis Praedicatorum [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militanti Ecclesiae, licet immeriti, disponente Domino, praesidentes, circa curam ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet illorumque personarum, præsertim Ordinum fratrum Mendicantium, solertia reddimur indefessa solliciti ut, iuxta debitum pastoralis officii, eorum occurramus dispendiis, et profectibus, divina

1 Ex Bull. huius Ordinis, tom. v, pag. 241.

cooperante clementia, salubriter intendamus.

Diplomatis causa.

§ 1. Sane, licet nos fratres et monachos ac sorores et moniales ac alias utriusque sexus personas Ordinum praedictorum illorumque monasteria ac bona ab omnibus et singulis decimis, vectigalibus, subsidiis, etiam caritativis, ac exactionibus et aliis impositionibus, per quasdam sub annulo Piscatoris, die videlicet vigesimanona iulii, primo, et per alias nostras sub plumbo expeditas litteras, sub data videlicet decimoseptimo kalendas iunii, secundo anno nostri pontificatus, liberaverimus et exemerimus, prout in singulis litteris praedictis latius continetur; ac propterea fratres dictorum Ordinum ad quorumcumque onerum contributionem minime teneantur; nihilominus nonnullae universitates et communitates certarum civitatum et locorum ac castrorum et oppidorum, necnon thesaurarii ac clerici officialesque Camerae Apostolicae, dictorum Ordinum fratres et alias personas, praetextu cuiusdam decreti ab ipsa Camera die secunda mensis iunii anni Domini millesimi quingentesimi sexagesimi septimi emanati, et dictarum exemptionum moderativi et declarativi, ad solutionem subsidii triennalis et quaterni carnis cogere, multasque illis molestias inferre non verentur, non sine maximo dictorum Ordinum praeiudicio, et divini cultus, cuius officia ob id plerumque retardantur, detrimento.

Roborat antiqua privilegia, et contrarias sententias invalidat.

§ 2. Quare nos, praemissis, pro pastoralis nostri officii debito, opportunum remedium adhibere, ac illos, quo facilius se in huiusmodi officiis continere et perseverare possint, maioribus et amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes; et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon singularum litterarum et decreti huiusmodi ac inde secutorum tenores, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, non ad ipsorum fratrum aut quorumvis aliorum desuper nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, perpetuo singulas nostras litteras praedictas ac, prout illas concernunt, omnia et singula privilegia, exemptiones, indulta et alias gratias, dictis Ordinibus a nobis hactenus concessa, in illis litteris contenta et inde secuta quaecumque, confirmamus et approbamus, ac illis perpetuum et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, ac, potiori pro cautela, prædictas nostras litteras, cum omnibus et singulis clausulis et decretis, quibus descriptae sunt, innovamus; necnon praedictum decretum ipsius Cameræ, ad effectum praesentium litterarum, in civitate Bononiensi ac provincia Romandiolæ tantum, ac alia omnia et singula contraria praefatis nostris litteris hactenus a quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et quibusvis aliis personis emanata et inde sequuta quaecumque, etiamsi illorum hic expressa, specifica ac de verbo ad verbum mentio aut insertio esset de necessitate facienda, revocamus, cassamus et annullamus.

Concessio de qua in rubrica.

§ 3. Et insuper, quo facilius fratres Ordinis Sancti Dominici, qui officiis sanctae Inquisitionis haereticae pravitatis, ad contagiosa haeresum passim pullulantium zizania salubriter amputanda, hactenus diligenter incubuerunt et adhuc sollicitis studiis incumbunt, onera huiusmodi sustentare valeant, illos illorumque utriusque sexus personas et a subsidio triennali et quaterni carnis, tam pro portionibus hactenus decursis quam in posterum decurrendis, modo et forma præmissis, perpetuo eximimus et liberamus; reliquos vero fratres Ordinum Mendicantium a contributione subsidii triennalis, quoad portiones usque in hunc diem decursas, exemptos;

quoad vero in posterum decurrendas ab huiusmodi subsidio, donec aliter a nobis ordinatum fuerit, minime exemptos esse volumus; portiones autem reliquas, dictos fratres Ordinum Mendicantium tangentes, praeteritas et nondum usque ad hunc diem solutas, illis gratiose et liberaliter donamus; reliqua omnia in dictis nostris litteris privilegiorum et exemptionum contenta, quoad omnes dictorum Ordinum Mendicantium fratres et personas, volumus inviolabiliter et perpetuo observari.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 4. Ac praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari nullatenus posse, minusve sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus et aliis contrariis dispositionibus, tam per nos quam etiam successores nostros Romanos Pontifices quomodolibet ac cum quibusvis clausulis et decretis, factis et faciendis, quorumcumque tenorum existant, includi; sed illis non obstantibus, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, etiam sub data per eos eligenda, de novo concessas esse, et ita incommutabilis voluntatis et intentionis nostrae esse; et ad hoc ut perpetua firmitate subsistant, vim validi et efficacis contractus inter nos et Sedem Apostolicam et praedictorum Ordinum fratres haberi debere; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Exequutores deputati.

§ 5. Mandantes propterea dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus Camerae Apostolicae camerario, praesidentibus et clericis ac commissariis et officialibus quibuscumque, in virtute sanctae obedientiae, quatenus praesentes litteras ac omnia et singula in eis contenta recipiant et admittant, registrent et permittant, et faciant cum effectu dictos fratres, religiosos, moniales, sorores et alias personas praedictas dictorum Ordinum praemissis ac litteris et in eis contentis quibuscumque libere et pacifice uti, frui et gaudere. Quocirca dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori huiusmodi, necnon quarumcumque tam cathedralium quam collegiatarum ecclesiarum decanis, praepositis, archipresbyteris, archidiaconis, thesaurariis et quibusvis aliis in eisdem ecclesiis dignitates obtinentibus, ubilibet et in quibuscumque regionibus, terris et civitatibus existentibus, motu simili, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium aut alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi vel quando opus fuerit, faciant firmiter observari, non permittentes eos vel eorum aliquem desuper per camerarium, praesidentem, clericos et commissarios Camerae huiusmodi, necnon legatos, vicelegatos, gubernatores, collectores, gabellarios et exactores, universitates, communitates et quoscumque alios, ad aliquam solutionem, contributionem vel præstationem, præmissorum occasione quomodolibet faciendam, cogi et compelli, aut aliter contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, aut eis gravamina, iniurias atque damna inferri seu quomodolibet irrogari; ac etiam summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, contra quoscumque, cuiuscumque qualitatis aut conditionis existant, et quacumque ecclesiastica, etiam cardinalatus et archiepiscopali, patriarchali vel episcopali aut mundana forent dignitate et exemptione munitis, in quibuscumque causis per eos movendis, quacumque ratione vel causa, quae excogitari possit, eis ministrent iustitiae complementum, exequendo quod per eos fuerit ordinatum; contradictores quoslibet

et rebelles per sententias, censuras et pœnas, etiam ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, et legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, et eas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii sæcularis.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifatii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, vigore praesentium, ad iudicium non trahatur, necnon quibusvis aliis apostolicis ac, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam contra exemptos quomodolibet editis et edendis, ac etiam dictae Camerae et quarumcumque civitatum, provinciarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere et in specie, etiam motu et scientia paribus, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, pari motu derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, aut alicuius praelati vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII iunii, millesimo quingentesimo septuagesimo, pontificatus nostri anno V [1].

Dat. die 27 iunii 1570, pontif. anno V.

CLXIV.

Forma expediendi litteras apostolicas monitoriales de excommunicandis his qui bona deperdita vel subtracta restituere aut revelare recusant [1].

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Pius divina providentia Papa V.

Mandata excommunicandi dentur ad instantiam quorum civiliter interest.

§ 1. Volens super expeditione mandatorum, quæ fiunt in forma *Significavit*, pro rerum subtractarum aut deperditarum restitutione, seu illarum et illas subtrahentium revelatione, modum et formam statuere (manente in aliis reformatione officii correctoris litterarum contradictarum a Sanctitate Sua edita) præsenti, quod perpetuo observari vult, scripto ordinat ut mandata pro restitutione seu revelatione huiusmodi dentur (modo super illis supplicationes in præsentia Suæ Sanctitatis signatae fuerint) ad eorum dumtaxat instantiam, quorum civiliter interest.

Res et bona exprimantur.

§ 2. Quæ supplicationes rem ipsam de qua agitur reique valorem nominatim et specifice exprimant, nisi forte sint pro ecclesiis, locis piis, communitatibus,

1 Quid autem servare debeant episcopi, cum litteras monitoriales ipsi decernunt, docuit Con. Tridentinum, sess. XXV, *De Reform.*, capite III.

universitatibus, collegiis aut universalibus successoribus, quos verisimile est certam rerum notitiam non habere; tunc etenim, hac ipsa personarum qualitate expressa, ita demum fieri poterit quædam in genere designatio rerum, si designatio neque nimis vaga et incerta atque adeo inverisimilis sit, et tamen ostendat res ipsas (id quod præcipue in omnibus attendendum est) minime vulgares existere.

Mandata prædicta episcopis aut eorum vicariis committantur sub forma concilii Tridentini, sess. XXV, cap. III.

§ 3. Committantur autem episcopo ordinario loci vel eius vicario in spiritualibus generali, sub hac forma verborum, quæ est ex concilio Tridentino, videlicet: Si causa diligenter et magna maturitate per ipsum examinata, pro rei, loci, temporis et personæ qualitatibus, sibi pro sua conscientia videbitur expedire.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes irritum *etc.*

Placet. Publicetur et describatur. M.

Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romæ in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicæ 1570, die vero martis, XXVII mensis iunii, pontificatus praelibati sanctissimi D. N. D. Pii divina providentia Papae V anno V.

Io. Lomellinus, custos.

Publ. die 27 iunii, pontif. anno V.

CLXV.

Declarat privilegia et exemptiones Ordinum Mendicantium aliis Ordinibus communicata, his non suffragare in iis quae temporalitatem respiciunt [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis aequa et circumspecta providentia, ne gratiae aliorsum atque ab eo emanatae sunt trahantur, declarationibus et aliis opportunis consuevit providere remediis.

Plos alias Ordinibus Mendicantibus nonnullas concesserat exemptiones, quas certis aliis Ordinibus atquo institutis communes reddiderat.

§ 1. Sane, licet alias nos, cupientes Mendicantium Ordines, qui sedulum in vinea Domini exhibent famulatum, gratiose favore prosequi, ac ex certis aliis inde expressis causis, diversa concilii Tridentini decreta, quae ipsis contraria videbantur esse, declaraverimus; variaque privilegia et indulta, tam spiritualia quam temporalia, concesserimus; deinde vero illa omnia ad dilectos filios canonicos regulares Ordinis S. Augustini congregationis Lateranensis, ac S. Crucis Colimbriensis, ac etiam monachos S. Benedicti congregationis et Ordinum Cassinensis, Montis Oliveti, Vallis Umbrosae, necnon congregationis Cisterciensis et Chartusiensis, ac S. Hieronymi Hispaniarum, et Camaldulensis, ac fratrum Militiae Iesu Christi, Reformatorum nuncupatorum, et forsan alios Ordines non Mendicantes perpetuo extenderimus et ampliaverimus. Ita tamen ut ipsi a contributione, ratione seminariorum pauperum clericorum iuxta ordinem concilii Tridentini erigendorum et instituendorum, nec non subsidiorum apostolica auctoritate impositorum, ac quaestuatione eleemosynarum dumtaxat, minime excepti essent, prout in diversis apostolicis litteris iteratis, et forsan pluribus vicibus, etiam in fundatione, etiam clericis Societatis de Iesu, ut omnibus privilegiis Mendicantibus concessis et concedendis gaudeant, concessis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent praesentibus, haberi volumus pro expressis, de verbo ad verbum insertis, plenius continetur.

Sed cum huiusmodi communicationem ecclesiis earumque rectoribus noxiam esse animadverterit,

§ 2. Attendentes nihilominus, tam ex communicatione et concessione huiusmodi, locorum ordinariis, parochialium ecclesiarum rectoribus aliisque beneficiatis et personis diversa inferri praeiudicia, ac propterea intentionis nostrae numquam extitisse nec esse quatuor Ordinum Mendicantium privilegia, quae temporalitatem concernunt, eis communicare, nec vigore privilegiorum eorumdem communicata esse; cum absurdum sit eos, qui Mendicantes ex quatuor Ordinibus non sunt, sub Mendicantium huiusmodi colore a solutionibus eximi; ac propterea, tam praemissis ea quae convenit remedia adhibere, quam mentem nostram declarare satagentes, necnon dictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes.

§ 3. Motu proprio ac de apostolicae po-

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

Omnes exemptiones, quae temporalitatem respiciunt, revocat;

testatis plenitudine, omnia et singula privilegia, exemptiones et alia praemissa, quae temporalitatem, etiamsi sit solutio decimarum, primitiarum, quartae, medietatis vel alius funerum et oblationum partis, concernunt, praeter et contra mentem nostram emanasse declaramus et attestamur, illaque tamquam talia, necnon alia quaecumque illis, sub quibuscumque verborum formis, concessa, communicata et ampliata, illorumque confirmationes, exemptiones et indulta similia concernentia privilegia huiusmodi, quorum omnium tenores similiter haberi volumus pro expressis, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus viribusque evacuamus, illasque nullatenus suffragari, nec eis aliquam, tam in iudicio quam extra, fidem haberi volumus.

Omnibusque iudicibus prohibet quominus, super his, Ordinibus non Mendicantibus faveant.

§ 4. Quinimo omnibus et singulis, tam saecularibus quam ecclesiasticis et aliis quibuscumque iudicibus, etiamsi causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales existant, districte praecipiendo mandamus ne deinceps canonicos vel monachos aut clericos de Iesu praedictos, privilegiorum huiusmodi communicationem praetendentes, nisi super iis quae spiritualia, nulla prorsus temporalitate admixta, sunt et spiritualitatem tantum concernunt, audiant, illisve aliquod subsidium vel auxilium exhibeatur, sed perpetuum super illis silentium imponant. Nos enim ab ipsis, quoad ea quae temporalitatem concernunt, procedendi auctoritatem et facultatem adimimus.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 5. Decernentes praesentes litteras ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari aut ad terminos iuris reduci non posse; minusque causam vel causas, propter quam vel quas praemissa a nobis emanarunt, coram quocumque iudice verificari debere, aut sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus et aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullatenus posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse; et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam cardinales et auditores praedictos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio exequutorum.

§ 6. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Caesaraugustanensi et episcopo Conchensi ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes, motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, praesentes litteras ac in eis contenta quaecumque, ab omnibus ad quos spectat observari faciant, sub sententiis, censuris et poenis eorum arbitrio moderandis et applicandis; contradictores quoslibet et rebelles ac eis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas huiusmodi auctoritate nostra compescendo; necnon illos, legitimis super his subeundis servatis processibus, censuras et poenas ipsas incurrisse declarando, ac illas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis ultra tres diaetas, vigore praesentium, ad iudicium non trahatur, ac litteris nostris praedictis, quas ad hoc extendi minime debere volumus et declaramus; easque nullas decernimus, ac nostra de non tollendo iure quaesito et quibusvis apostolicis aliis; necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; et etiam, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, in-

dultis et litteris apostolicis concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, pro illorum sufficienti derogatione, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima iunii, millesimo quingentesimo septuagesimo, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 30 iunii 1570, pontif. anno v.

CLXVI.

Missalis Romani ad rite missas celebrandas, concilii Tridentini decreto reformati, approbatio et aliorum abolitio.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam

Exordium.

Quo primum tempore ad apostolatus apicem assumpti fuimus, ad ea libenter animum viresque nostras intendimus et cogitationes omnes direximus, quae ad ecclesiasticum purum retinendum cultum pertinerent, eaque parare, et, Deo ipso adiuvante, omni adhibito studio, efficere contendimus.

Ex decreto concilii Tridentini catechismus, missale et breviarium emendanda erant, et breviarium iam fuit emendatum, et ab iste Pontifice confirmatum.

§ 1. Cumque, inter alia sacri Tridentini concilii decreta, nobis statuendum esset de sacris libris, catechismo, missali et breviario edendis atque emendandis, edito iam, Deo ipso annuente, ad populi erudictionem, catechismo, et, ad debitas Deo persolvendas laudes, breviario castigato, omnino ut breviario missale responderet, uti congruum est et conveniens (cum unum in Ecclesia Dei psallendi modum, unum missae celebrandae ritum maxime deceat), necesse iam videbatur ut quod reliquum in hac parte esset, de ipso nempe missali edendo, quam primum cogitaremus.

Et mox emendari fecit missale, quod nunc confirmat, ac recipi et iuxta illud ubique celebrari iubet, nisi alia institutio, a Sede Apostolica approbata, vel consuetudo supra ducentum annos observata sit;

§ 2. Quare eruditis delectis viris onus hoc mandandum duximus, qui quidem, diligenter collatis omnibus cum vetustissimis nostrae Vaticanae bibliothecae, aliisque undique conquisitis, emendatis atque incorruptis codicibus, necnon veterum consultis ac probatorum auctorum scriptis, qui de sacro eorumdem rituum instituto monumenta nobis reliquerunt, ad pristinam missale sanctorum Patrum normam ac ritum restituerunt. Quod recognitum iam et castigatum, matura adhibita consideratione, ut ex hoc instituto coeptoque labore fructus omnes percipiant, Romae quamprimum imprimi, atque impressum edi mandavimus; nempe ut sacerdotes intelligant quibus precibus uti, quos ritus quasve caeremonias in missarum celebratione retinere posthac debeant. Ut autem a sacrosancta Romana Ecclesia, ceterarum ecclesiarum matre et magistra, tradita ubique amplectantur omnes et observent, ne in posterum, perpetuis futuris temporibus, in omnibus christiani orbis provinciarum patriarchalibus, cathedralibus, collegiatis et parochialibus, saecularibus et quorumvis Ordinum monasteriorum, tam virorum quam mulierum, etiam militiarum regularibus ac sine cura, ecclesiis vel cappellis, in quibus missa conventualis alta voce in choro aut demissa celebrari iuxta Romanae Ecclesiae ritum consuevit vel debet, alias quam iuxta missalis a nobis editi formulam decantetur aut recitetur, etiamsi eædem ecclesiae quovis modo exemptae Apostolicae Sedis indulto, consuetudine, privilegio, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel aliis quibusvis facultatibus munitae sint, nisi ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quae vel ipsa institutio super ducentos annos missarum celebrandarum

in eisdem ecclesiis assidue observata sit, a quibus, ut praefatam celebrandi constitutionem vel consuetudinem nequaquam auferimus, sic si missale hoc, quod nunc in lucem edi curavimus, iisdem magis placeret, de episcopi vel praelati capitulique universi consensu, ut, quibusvis non obstantibus, iuxta illud missas celebrare possint, permittimus; ex aliis vero omnibus ecclesiis praefatis eorumdem missalium usum tollendo, illaque penitus et omnino reiiciendo.

Illudque immutari prohibet.

§ 3. Ac huic missali nostro nuper edito nihil umquam addendum, detrahendum aut immutandum esse decernendo, sub indignationis nostrae poena, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus et ordinamus. Mandantes ac directe omnibus et singulis ecclesiarum praedictarum patriarchis, administratoribus aliisque personis, quacumque ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiam si sanctae Romanae Ecclesiae cardinales aut cuiusvis alterius gradus et præeminentiae fuerint, illis in virtute sanctae obedientiae praecipientes ut, ceteris omnibus rationibus et ritibus ex aliis missalibus, quantumvis vetustis, hactenus observari consuetis, in posterum penitus omissis ac plane reiectis, missam iuxta modum ac normam, quae per missale hoc a nobis nunc traditur, decantent ac legant, neque in missae celebratione alias caeremonias vel preces, quam quae hoc missali continentur, addere vel recitare praesumant. Atque ut hoc ipsum missale, in missa decantanda aut recitanda in quibusvis ecclesiis, absque ullo conscientiae scrupulo aut aliquarum poenarum, sententiarum et censurarum incursu, posthac omnino sequantur, eoque libere et licite uti possint et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, etiam perpetuo concedimus et indulgemus. Neve praesules, administratores, canonici, cappellani et alii quocumque nomine nuncupati presbyteri, saeculares aut cuiusvis Ordinis regulares, ad missam, aliter quam a nobis statutum est, celebrandum teneantur, neque ad missale hoc immutandum a quolibet cogi et compelli.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Praesentesve litterae ullo umquam tempore revocari aut moderari possint, sed firmae semper et validae in suo existant robore similiter statuimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; necnon ecclesiarum praedictarum in usu, longissima et immemorabili praescriptione, non tamen supra ducentos annos roborata, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque.

Haec constitutio quando incipiat ligare.

§ 6. Volumus autem et eadem auctoritate decernimus ut, post huius nostrae constitutionis ac missalis editionem, qui in Romana adsunt Curia presbyteri, post mensem; qui vero intra montes, post tres; et qui ultra montes incolunt, post sex menses, aut cum primum illis missale hoc venale propositum fuerit, iuxta illud missam decantare vel legere teneantur.

Impressores non imprimant missale absque licentia.

§ 7. Quod, ut ubique terrarum incorruptum ac mendis et erroribus purgatum praeservetur, omnibus in nostro et S. R. E. dominio mediate vel immediate subiecto commorantibus impressoribus, sub amissionis librorum ac centum ducatorum auri Camerae Apostolicae ipso facto applicandorum; aliis vero in quacumque orbis parte consistentibus, sub excommunicationis latae sententiae et aliis arbitrii nostri poenis, ne, sine nostra vel specialis ad id apostol. commissarii in eisdem partib. a nob. constituendi licentia ac nisi per eumdem commiss. eidem impressori missalis exemplum, ex quo aliorum imprimendorum ab ipso impressore erit accipienda norma, cum missali in Urbe secundum magnam impressionem impresso collatum

fuisse et concordare, nec in nullo penitus discrepare, prius plena fides facta fuerit, imprimere vel proponere vel recipere ullo modo audeant vel praesumant, auctoritate apostolica et tenore praesentium similibus inhibemus.

Iussio publicandi et fides exemplorum.

§ 8. Verum, quia difficile esset praesentes litteras ad quaeque christiani orbis loca deferri, ac primo quoque tempore in omnium notitiam perferri, illas ad basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae Apostolicae valvas et in acie Campi Florae de more publicari et affigi, ac earumdem litterarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius publici tabellionis subscriptis, necnon sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus indubitatam fidem ubique gentium et locorum haberi praecipimus, quae praesentibus haberetur, si ostenderentur vel exhiberentur.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, pridie idus iulii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 14 iulii 1570, pontif. anno v.

CLXVII.

Magister sacri Palatii creatur canonicus theologalis basilicae S. Petri de Urbe, ut S. Thomae doctrinam, quam ab Ecclesia catholica receptam et aliis magis tutam et securam dicit, doceat [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In eminenti militantis Ecclesiae specula, meritis licet imparibus, divina disponente clementia, constituti, licet ecclesiarum quarumlibet decori et venustati, ac personarum in illis divinis laudibus insistentium animarum saluti consulere debeamus, ad basilicam praesertim beati Petri principis apostolorum de Urbe, tamquam nobis peculiarem et domesticam, nostrae considerationis aciem extendere nos convenit, ut circa illius statum et decorem, providamque canonicatuum et praebendarum inibi institutorum directionem, et ad ea, per quae eadem basilica personarum utilium, ad divini nominis gloriam et animarum salutem, opportunis fulciatur praesidiis, officii nostri partes, prout rerum et temporum necessitas exigit, propensius impartiamur.

Diplomatis causa.

§ 1. Cum itaque, iuxta antiquam et laudabilem consuetudinem, ac etiam secundum sacri concilii Tridentini dispositionem, in qualibet cathedrali ecclesia una praebenda theologalis instituenda sit, nos, qui dudum inter alia voluimus quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, attendentes D. Thomae, qui theologiae et Ordinis Praedicatorum professor fuit, doctrinam theologicam, ab Ecclesia catholica receptam, aliis magis tutam et securam existere, ac praebendam theologalem huiusmodi in dicta basilica alicui alteri, quam magistris sacri Palatii Apostolici, qui doctrinam praedictam profitentur, quique ex Ordine Praedicatorum huiusmodi semper eligi solent, securius et commodius conferri et assignari non possit; idcirco basilicae praedictae illiusque personis percommodius valdeque utile et necessarium esse censentes ut unam theologalem praebendam in dicta basilica instituamus, illamque officio magistri Palatii huiusmodi adscribamus, quo facilius magister dicti Palatii pro tempore existens personis basilicae et Palatii huiusmodi, doctrina et opera sua ac sacrarum litterarum et doctrinae eiusdem D. Thomae interpretatione et lectura, prodesse, ac onera officii huiusmodi, sibi pro tempore

1 Ex Bull. Ordinis Praed., tom. v, pag. 245.

incumbentia facilius perferre commodiusque sustentari possit.

Mandatum. § 2. Motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae instantiam petitionis, sed de mera liberalitate ac ex certa scientia nostris, canonicatum et praebendam dictae basilicae, quorum et illis forsan annexorum fructus, redditus et proventus centum ducatorum auri de Camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, si vacant ad praesens, aut cum primum per cessum vel decessum seu quamvis amissionem alicuius ex canonicis eiusdem basilicae, aut alias quovis modo et ex cuiuscumque persona, etiam apud Sedem Apostolicam, etiam commenda illorum cessante, si commendati, aut unione dissoluta, si uniti fuerint, ac commenda seu unio huiusmodi de illis apud Sedem praedictam vacantibus aut alias facta extiterit, ac etiam huiusmodi canonicatuum et praebendarum reservatione per constitutionem nostram super hoc editam facta; aut alias cessante, non tamen per resignationem seu cessionem vacare contigerit, etiamsi illi dispositioni apostolicae specialiter vel alias, ratione familiaritatis, continue commensalitatis nostrae aut praedecessorum vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum seu S. R. E. cardinalium, ac per Cancellariae Apostolicae regulas et alias constitutiones apostolicas, editas et edendas, aut alias ex quavis causa, qualiscumque sit et undecumque resultet, generaliter reservari, seu ex generali reservatione apostolica effecti, ac sacerdotales, diaconales vel subdiaconales existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum annexis huiusmodi et plenitudine iuris canonicati ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, officio magistri Palatii huiusmodi, ex nunc, prout ex tunc et e contra, cum oneribus in decretis concilii Tridentini huiusmodi expressis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

Primus canonicus theologalis Thomas Manrique. § 3. Ita quod liceat dilecto filio Thomae Manrique, dicti Ordinis professori et magistro in theologia, moderno et pro tempore existenti magistro Palatii huiusmodi, corporalem, realem et actualem possessionem canonicatus et praebendae praedictorum, si vacant, aut cum vacaverint, ut praefertur, ac annexorum iuriumque ac pertinentiarum praedictarum, per se vel alium seu alios eius nomine, propria auctoritate, libere apprehendere, et in eadem basilica, ut illius canonicus residere, ac stallum in choro, ac locum et vocem activam et passivam in capitulo, processionibus ac ceteris locis et actibus publicis et privatis ipsius basilicae habere; dictorumque canonicatus et praebendae fructus, redditus, proventus, obventiones, distributiones, emolumenta ac iura omnia, ordinaria et extraordinaria, percipere, exigere et levare ac in suos usus et utilitatem ac sustentationem convertere, ceteraque omnia, quae ad canonicum dictae basilicae pertinent, facere, gerere et exercere, cuiusvis licentia aut consensu desuper minime requisito.

Prohibitio archipresbytero necnon canonicis eum impediendi etc. § 4. Districtius inhibentes dilecto filio archipresbytero et capitulo ac pro tempore existenti hebdomadario canonico eiusdem basilicae, ac alii vel aliis, ad quos, huiusmodi reservationibus cessantibus, collatio, provisio et quaecumque alia dispositio eorumdem canonicatus et praebendae, communiter vel divisim, pertinet et pertinebit quomodolibet in futurum, ne in canonicatu et praebenda praefatis, vacantibus vel vacaturis, sese intromittere vel interponere audeant seu praesumant, aut alias dictum Thomam Manrique et pro tempore existentem Palatii huiusmodi

magistrum desuper quomodolibet impedire, molestare vel perturbare; decernentes quoque ex nunc plenum ius ipsis officio et magistro in vacantibus vel vacaturis canonicatu et praebenda huiusmodi acquisitum esse; ipsumque Thomam et pro tempore existentem Palatii magistrum huiusmodi solum illorum fructuum perceptionem spectare, de regulis iuris de non tollendo cuiquam iure quaesito, ac de annali et triennali possessore, omnibusque earum partibus, ceterisque iuribus et beneficiis, quibus diutini possessores pacifici utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possent et deberent, pariter uti, potiri et gaudere posse et debere; ac praesentes litteras, etiam temporibus successorum omnium dicti Thomae Manrique, donec plenarium effectum sortitae sint, valere. Et si in primo effectum sortiri nequiverint, illas in secundo loco et deinceps quocumque tempore, in vacantibus canonicatu et praebenda eiusdem basilicae, consequi debere; ac quascumque collationes, provisiones, praesentationes seu alias dispositiones de vacantibus seu vacaturis canonicatu et praebenda basilicae huiusmodi, etiam per nos et dictam Sedem aut archipresbyterum, capitulum et hebdomadarium seu alium vel alios praefatos pro tempore factas, viribus et effectu omnino carere, ac nullas et invalidas existere, nullumque per eos unquam ius acquiri, seu etiam coloratum possidendi titulum tribui posse.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 5. Ipsasque praesentes sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam specificam et specialem earumdem praesentium mentionem facientibus, minime comprehendi; sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum, etiam sub quacumque data, per Thomam Manrique et pro tempore existentem magistrum Palatii huiusmodi eligenda, restitutas, repositas, et plenarie reintegratas ac de novo concessas, sicque nostrae incommutabilis voluntatis esse; ipsasque unionem, annexionem et incorporationem praesentesque litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari seu impugnari posse, minusque causam seu causas, propter quas factae sint, coram aliquo verificari debere; nec propterea, aut etiam ex eo quod interesse putantes vocati non fuerint, vel in id non consenserint, aut ipsa basilica cathedralis non sit, per subreptionem obtentas praesumi, aut viribus propterea carere; sicque per quoscumque iudices, etiam causarum dicti Palatii auditores vel S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, in quavis causa et instantia, iudicari et definiri debere.

Exequutores deputati.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Amerino et Maceratensi episcopis, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae auditori generali, per apostolica scripta, motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Thomae Manrique et pro tempore existentis magistri Palatii huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra Thomam Manrique et pro tempore existentem magistrum Palatii huiusmodi praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eum desuper quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo. Et nihilominus, legitimis super

his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium erogatio.

§ 7. Non obstantibus priori voluntate nostra praefata, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis; necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus; ac dictae basilicae, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, basilicae et archipresbytero ac capitulo et hebdomadario praefatis, necnon dilectis filiis populo Romano, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis; necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu et scientia similibus, etiam iteratis vicibus, etiam per nos concessis, approbatis et innovatis, quibus inter alia caveri dicitur expresse quod canonicatus et praebendae aliaque beneficia ecclesiastica dictae Urbis aliis quam civibus Romanis et originariorum civium Romanorum filiis, et forsan aliis certo modo qualificatis, conferri non possint; et aliter etiam de illis per Sedem praefatam factae collationes et aliae dispositiones nullae sint. Quodque iisdem privilegiis et indultis, nullatenus aut nonnisi modo et forma in illis expressis, derogari possit; et si illis aliter derogari contingat, derogationes huiusmodi nemini suffragentur. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus. Quodque Thomas Manrique, qui nunc est, et pro tempore existens magister Palatii huiusmodi non erit forsan civis Romanus ac originarii civis Romani filius, et alias iuxta privilegia et indulta praefata qualificatus, contrariis quibuscumque. Aut si aliqui, apostolic. præfata vel alia quavis auctoritate, in d. basilica in canonicos sunt recepti, vel ut recipiantur insistunt; seu si super promissionibus sibi faciendis de canonicatibus et praebendis ipsius basilicae speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in dicta Urbe generales, dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem litteras et processus habitos per easdem, et inde secuta quaecumque, necnon omnes et singulas gratias expectativas, speciales vel generales, etiam mensales, reservationes, similes vel dissimiles uniones, annexiones, incorporationes, coadiutorias, non tamen de consensu, praeventiones, ac providendi, reservandi, uniendi, annectendi et incorporandi, praeveniendi et alias, non tamen regrediendi, et accedendi facultates et mandata ac alia privilegia, indulta et litteras apostolicas, in favorem quarumcumque personarum, etiam familiarium nostrorum, continuorum commensalium, etiam antiquorum et descriptorum, ac dictae Curiae officialium et aliorum, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis vel præeminentiae, etiam cardinalatus honore fulgentium, sub quibusvis verborum formis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus et insolitis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu et scientia similibus, per nos vel Sedem praefatam aut alias quomodolibet con-

cessa hactenus et in posterum concedenda, quorum omnium vim et effectum, tenores eorum praesentibus pro sufficienter expressis habentes, quoad hoc, omnino eisdem motu et scientia et auctoritate suspendimus, et in huiusmodi vacatione effectum sortiri non posse neque debere decernimus (illis quoque specialiter et expresse derogamus, donec praesentes suum plenarium et omnimodum consequutæ fuerint et consequentur effectum); ad dictos canonicatum et praebendam vel munus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem canonicatuum et praebendarum seu beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; quibusvis aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, specialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis; proviso quod propter unionem, annexionem et incorporationem praefatas dicti canonicatus et praebenda debitis non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta; seu si idem Thomas et pro tempore existens Palatii magister non fuerit praesens ad praestandum de observandis statutis et consuetudinibus dictae basilicae solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem idoneum, et cum ad basilicam ipsam accesserit corporaliter, illud praestet. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae. § 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, mandati, suspensionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, quarto kalendas augusti, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 29 iulii 1570, pontif. anno v.

CLXVIII.

Contra disputantes seu alias quaestiones facientes aut male sentientes de constitutione Sixti IV super conceptione Beatae Mariae Virginis edita [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae ferendae huius constitutionis.

§ 1. Si scandala vitare et culpam temeritatis effugere satis curarent illi, quibus gravissimum munus praedicandi ad populum Dei committitur, deberent, quoties sermo de conceptione Beatae Mariae Virginis incideret, servare id quod super ea re a piae memoriae Sixto Papa IV, praedecessore nostro, constitutum et sancitum fuit. Verum, sicut non sine dolore accepimus, reperiuntur nonnulli diversorum Ordinum regulares et clerici saeculares ac etiam laici, qui, etsi sciunt eum, ut scandalis occurreret ex nimia quorumdam pertinacia et pugnantibus inter se disputationibus oriri solitis, laudabili temperamento usum prohibuisse, ne quis controversia nondum ab Apostolica Sede diiudicata, vel eos damnaret qui gloriosam Dei Genitricem, ab originalis peccati macula in conceptione sua fuisse crederent praeservatam, vel illos reprehenderet, quibus contraria sententia probabilior videretur, quas eius constitutiones nuper a sacro quoque generali concilio Tridentino approbatas fuisse non ignorant; usque

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

eo tamen vel huic vel illi sententiae addicti sunt, tantumque sensui et iudicio suo tribuunt ut, huius Sanctae Sedis et ipsius concilii auctoritate neglecta, non solum in privatis sermonibus, sed in publicis etiam disputationibus et concionibus, omnes alios in suam ipsorum sententiam adducere atque attrahere conentur, prae nimio tuendae sententiae suae studio, ne iurgiis quidem et maledictis abstinentes, non sine gravi omnium qui adsint offensione.

Sanctio de qua in rubrica.

§ 2. Cum igitur huic rei providere, et quae ex hac eorum pervicacia oriri in Ecclesia Dei solent scandala removere, pro commisso nobis officio, cupiamus, ipsius Sixti quarti constitutiones de hac re, sicut a concilio quoque Tridentino renovatae fuerunt, perinde ac si huic constitutioni nostrae ad verbum insertae essent, confirmare et innovare, interdicimus et prohibemus ne quis posthac, vel in concionibus ad populum vel in publicis aut privatis disputationibus vel quovis alio modo quaestionem hanc tractando, verbum ullum adversus eas constitutiones facere, nec rationes, argumenta auctoritatesve sacrae Scripturae aut sanctorum Patrum ex utraque vel altera parte confirmandi refellendive causa proferre, neve aliquem de ipsius beatissimae Mariae conceptione a se dissentientem palam vel occulte reprehendere, irridere aut laedere audeat, sed vel hac de re omnino sileat, id quod sane rectius et tutius fuerit, aut certe quod sibi probabilius videbitur, ea qua decet modestia, exponat, contrariam non improbando sententiam, et dignis ipsam sanctissimam Virginem laudibus prosequendo, quamquam eius meritis et laudibus nulla par haberi potest oratio.

Poenae contra inobedientes.

§ 3. Quisquis autem adversus hanc nostram et ipsius praedecessoris nostri ac praedicti sacri concilii constitutiones fecerit, ultra poenas in praedictis constitutionibus contentas, mandamus ac districte praecipimus omnibus locorum ordinariis, sub poena suspensionis a divinis, in quam sine alia declaratione statim incidant, ut cum haec sciverint, eum, quisvis fuerit, in carcerem coniiciendum et custodiendum curent, deinde Sedem Apostolicam de eius culpa faciant certiorem, responsum ab ea, etiam de alia poena quam is afficiendus fuerit, expectantes.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque, etiam si aliquibus ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia, generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam, praesentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Praesentium litterarum publicatio.

§ 5. Volumus autem quod praesentes litterae in valvis basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis et Principis apostolorum de Urbe publicentur.

Transumptorum fides.

§ 6. Et quia difficile foret easdem praesentes ad singula quaeque loca deferri *etc.*

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, septimo idus augusti, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 7 augusti 1570, pontif. anno v.

CLXIX.

Quod gubernatori almae Urbis, quicquam de mandato Papae dicere vel facere asserenti, plene credatur [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Cum Apostolica Sedes quasi lucerna super candelabrum sit constituta, ne civitas, quae supra montem posita est, abscondi possit, nos, qui ei, licet immeriti, praesidemus, diligenti debemus cura satagere ut non solum ita luceat lux nostra coram hominibus, ut videntes opera nostra glorificent Patrem luminum, a quo bona cuncta procedunt, verum etiam ceteri christifideles curae nostrae divinitus commissi, ubique locorum, sed praecipue in alma Urbe nostra existentes, quos Domini timor ad virtutes non allicit, iuris rigore perterriti, gressus suos in eiusdem Domini mandatorum via dirigendo impellantur.

Causae huius concessionis.

§ 1. Quod ut magis votive nobis succedat, cum, conditionis humanae defectu, omnia per nos ipsos exequi nequeamus, vices nostras aliis committimus, qui sciant, velint et valeant mandata nostra fideliter et prudenter exequi; quod profecto in dilecto filio magistro Monte de Valentibus, Urbis praedictae gubernatore, notario et familiari nostro, nos comperisse fateri audemus. Hac sane ratione allecti et adducti, facere nullo modo possumus quin continue ei gravissima peragenda imponamus negocia, ad quorum executionem ipsi procedenti, si, prout negociorum gravitas exigit, pro illorum singulis peculiare esset assignandum voluntatis nostrae testimonium, facile foret ut voluntas nostra non ea, qua volumus, celeritate executioni demandaretur. Volentes itaque praemissis ea adhibere remedia, ne ullo umquam tempore ipsius Montis gubernatoris auctoritati et iurisdictioni iniquorum calumniis derogari contingat, aut ipse Mons gubernator, voluntati nostrae exequendae anhelans, illius occasione molestetur, salubriter providere.

Gubernatori aliquid dicenti vel facienti de ordine Papae plene credatur.

§ 2. Motu simili *etc.*, et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, volumus et declaramus omnes et singulas sententias, decreta, bannimenta, proclamationes aliaque ipsius hactenus gesta et in posterum gerenda et tam in scriptis quam alias, etiam ex sui officii mera auctoritate, in quibus ipse Mons gubernator ex ordine nostro hactenus processisse attestatus fuerit vel in posterum procedere attestabitur, eam prorsus vim et efficaciam idemque robur obtinere, et ab omnibus inviolabiliter observari, omnesque, quos illa concernunt, ita et perinde afficere ac si ea omnia de speciali et expressa commissione nostra, de qua etiam per cedulam manu nostra, etiam motu proprio signatam, constaret, emanassent, ipsiusque Montis gubernatoris assertioni, absque aliqua per ipsum exhibenda probatione stari, eumque merum mentis et voluntatis nostrae executorem super sic per eum, ut praemittitur, gestis, tam in iudicio quam extra, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices seu de eorum mandato, per quoscumque molestari, inquietari aut perturbari ex quavis causa non posse.

Praeceptum quod desuper molestari non possit.

§ 3. Interdicentes quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis ac ordinis existentibus, et quacumque dignitate, facultate et auctoritate fungentibus, et in praemissis, tam de nostro quam successorum praedictorum mandato procedentibus, eumdem Montem gubernatorem super praemissis vel eorum aliquo molestandi, inquietandi aut perturbandi facultatem.

1 Alias gubernatoris iurisdictiones vide in Leonis X constit. IX, *Etsi pro*, tom. V, pag. 614.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Decernentes quoque praedictas et desuper conficiendas litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae aut quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris deduci, in ius vel controversiam vocari nullatenus posse, minusque sub quibusvis, similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullatenus posse, sed ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie, etiam sub quacumque data per ipsum Montem eligenda, reintegratas esse, vimque validi et efficacis contractus inter nos et Sedem Apostolicam ac eumdem Montem gubernatorem initi sortiri.

Clausula sublata etc.

§ 5. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices *etc.*, etiam causarum Palatii Apostolici ac S. R. E. cardinales, sublata *etc.*, iudicari debere; irritum quoque *etc.* decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus quibusvis apostolicis, necnon synodalibus et provincialibus editis constitutionibus et ordinationibus; ac legibus, etiam municipalibus et imperialibus, etiam in corpore iuris clausis; ac dictae Urbis et quibusvis aliis, etiam iuramento *etc.*, quibus omnibus *etc.*, etiamsi de illis *etc.*, illorum tenores *etc.*, hac vice latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Fiat. Motu proprio, M.

Clausularum epetitio.

§ 7. Et cum absolutione a censuris ad effectum *etc.*; et de declaratione, statuto, mandato, decreto, reductione, attestatione, interdicto et aliis praemissis, quae hic pro repetitis habeantur, et ad partem in forma gratiosa latissime extendendis; et cum opportuna, si videbitur, iudicum et executorum deputatione, qui assistant, et praemissa observari faciant sub censuris *etc.*, cum potestate citandi *etc.*, aggravandi *etc.*, invocato *etc.* saecularis *etc.*; et cum derogatione Bonifacianae latissime extendendis.

Sola signatura sufficit.

§ 8. Et quod praedicti motus proprii sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula quacumque contraria non obstante, seu, si videbitur, litteræ desuper cum maiori præmissorum expressione expediri possint.

Fiat. M.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXX, quinto idus augusti, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 augusti 1570, pontif. anno V.

CLXX.

Prohibitio a Pio IV edita contra frumenta de Statu Ecclesiastico extrahentes extenditur ad extrahentes quodcumque genus grasciae.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium

Romani Pontificis providentia circumspecta praedecessorum suorum gesta, quæ praecipue pro annona et ad usum vivendi necessaria facta sunt, pensatis opportunis occasionibus confirmat, innovat atque extendit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Pius IV edidit bullam CXX pag. 386.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Pio Papa IV, praedecessore nostro, emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet, *Pius Papa IV, motu proprio*, etc. *Inter multiplices curas*, etc [1].

Hic Pontifex approbat,

§ 2. Nos praemissa firmiter observari, perpetuaque roboris firmitate subsistere sinceris desiderantes affectibus, revocationem, cassationem, annullationem, de-

1 Omittitur tenor huius constitutionis, quia habes pag. 386 huius tomi.

cretum, declarationem, innovationem, voluntatem et inhibitionem praefata, ex certa nostra scientia ac de eiusdem potestatis plenitudine, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, dictamque motus proprii cedulam innovamus.

Extendit que ad omne genus grasciae;

§ 3. Ac illam ad licentias et facultates quodcumque genus grasciae, etiam in carnibus, ovibus, agnis et aliis animalibus, necnon oleo ac rebus aliis quibuscumque consistentis, quomodocumque et qualitercumque nuncupatis, concernentes, quibuscumque (praeterquam ex causa onerosa praefata) quomodocumque concessas, ita ut illae similiter revocatae, cassae et irritae sint et esse censeantur, auctoritate, potestatis plenitudine et motu similibus extendimus et ampliamus.

Executorem deputat.

§ 4. Necnon eidem Vitellotio cardinali, praeter ordinariam sui facultatem, quoad extensionem et ampliationem huiusmodi, eamdem exequendi, publicandi et notificandi ac declarandi potestatem, facultatem et auctoritatem, quae illi quoad contenta in praeinserta motus proprii cedula ab eodem praedecessore concessa, data et attributa extitit, damus, concedimus et impartimur.

Contrariis non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus omnibus quae dictus praedecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Prohibitio u-tendi licentiis vel indultis absque patenti' us camerarii.

§ 6. Volumus autem ut deinceps perpetuis futuris temporibus nulli, quarumcumque licentiarum, etiam ex causa onerosa, etiam si propria auctoritate extractio illis permissa sit, concessarum et concedendarum vigore, extractiones granorum, bladorum et leguminum, necnon carnium, olei et aliorum, ut supra specificatorum, etiam cuiuscumque alterius generis, etiam, ut praefertur, specificatae grasciae huiusmodi, absque eiusdem camerarii cardinalis patentibus desuper concedendis litteris, aliquo pacto in toto Statu Ecclesiastico facere possint aut valeant; necnon quoscumque contrafacientes in praefatas poenas incidisse et incurrisse declaramus, et ab eodem cardinali camerario declarandos esse decernimus, *etc.*

Signatura sola sufficit.

§ 7. Quodque sola praesentis motus proprii signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula seu constitutione apostolica contraria non obstante.

Placet. Motu proprio, M.

CLXXI.

Moniales Ordinis S. Dominici in articulo mortis constitutae professionem emittere possunt ante annum probationis expletum, dummodo sint legitimae aetatis.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Summi sacerdotii cura, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissa, requirit ut votis illis, per quae animarum christifidelium, praesertim sanctimonialium, virtutum Domino sub suavi Religionis iugo virgineaque perpetuae castitatis laureola famulantium, saluti spiritualique consolationi consulitur, libenter annuamus, illaque favoribus prosequamur opportunis.

Causae constitutionis.

§ 1. Sane exhibita nobis nuper, pro parte dilectarum in Christo filiarum monialium novitiarum, nuncupatarum ad Regulam profitendam S. Dominici fratrum Praedicatorum petitio continebat quod, quoniam aliquando accidit ut illæ, durante tempore probationis illarum ad emittendum professionem regularem et ante illius emissionem, ab hac vita migrant, et in dicto tempore probationis,

obstantibus constitutionibus sive statutis et ordinationibus dicti Ordinis, non valentes dictam professionem emittere, carent coelesti merito, quo, ex dono et benignitate Sedis Apostolicae, ceterae dicti Ordinis moniales professae, in dicta professione et Regula decedentes, gaudent. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ex benignitate apostolica dignaremur.

Declaratio de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, qui salutem animarum dictarum monialium novitiarum, sic ante professionis emissionem et durante tempore probationis earumdem decedentium, sincero desideramus affectu; ipsasque moniales novitias et earum singulas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem monialibus novitiis nunc et pro tempore existentibus et earum singulis, ut quando et quoties aliqua ex eis nondum professa, de alicuius medici consilio, ab hoc saeculo transitura conspicitur, ipsa, pro consolatione animae suae, professionem praedictam ante tempus requisitum (quatenus tamen aetate legitima constituta sit) ad illam emittendam in manibus abbatissae seu priorissae vel alterius superioris novitiarum ipsius monasterii seu domus, ita tamen quod ipsae moniales novitiae sic decedentes, indulgentiam et alias gratias, quas moniales vere professae decedentes consequuntur, consequi possint, emittere in articulo mortis libere et licite valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus. Necnon eisdem monialibus novitiis, ita tunc professis decedentibus, plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in forma Iubilaei, misericorditer in Domino eisdem auctoritate et tenore largimur.

Clausulae praesertim abrogatoriae.

§ 3. Ac concessionem, indultum et elargitionem huiusmodi ac praesentes litteras, sub quibusvis similium vel dissimilium indulgentiarum et gratiarum suspensionibus, revocationibus et limitationibus, etiam in favorem quorumcumque factis et faciendis, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et de novo concessas existere, ipsisque monialibus et professionem emittentibus suffragari posse.

Clausula sub lata.

§ 4. Et sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales et sacri Palatii Apostolici causarum auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasterii seu domus et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis

habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceteri-que contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII augusti, millesimo quingentesimo septuagesimo, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 23 augusti 1570, pontif. anno V.

CLXXII.

Facultas collegio fabricae S. Petri cognoscendi causas pendentes super alienationibus bonorum ecclesiasticorum, factis absque licentia Sedis Apostolicae.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Exigit incumbentis nobis apostolicae servitutis officium ut fabricam basilicae Principis apostolorum de Urbe, tamquam peculiari nostrae curae commissam, specialiori cura complectentes, non modo ea, quae illi concessa reperimus, conservemus, verum etiam novis semper concessionibus decoremus, ut exinde, maioribus suffulta praesidiis, celerius ad finem debitum perducatur.

Hic Pontifex facultatem dedit collegio fabricae S. Petri revidendi et rescindendi alienationes bonorum ecclesiasticorum factas absque licentia Sedis Apostolicae, aut non servatis solemnitatibus, vel in damnum ecclesiarum.

§ 1. Sane, licet alias nos, ex certis tunc expressis causis per alias nostras motu proprio confectas litteras dilectis filiis collegio et fabricae praefatae deputatis, eorumque pro tempore auditoribus et ministris, ut omnes et singulas alienationes, in emphyteusim seu censum perpetuum aut ad tertiam vel aliam generationem seu hominis vitam vel aliud tempus, ultra triennium, locationes vel concessiones seu permutationes aut occupationes de quibusvis terris, possessionibus aut aliis bonis immobilibus seu rebus et iuribus, tam spiritualibus quam temporalibus, ecclesiarum, monasteriorum et domorum, hospitalium et aliorum piorum locorum quorumlibet, sine Sedis Apostolicae licentia, aut illius forma non servata, vel in damnum ecclesiarum, seu solemnitatibus a iure requisitis aut constitutionibus ipsorum monasteriorum seu domorum minime servatis, aut alias nulliter eatenus factas, revidere; et constito sibi quantum sufficere videretur de aliquo ex praemissis, illas et contractus superinde, sub quibusvis formis et verborum expressionibus factos et celebratos, etiam si iuramento et confirmatione apostolica vallati existerent, ac alias sub certis modo et forma, apostolica auctoritate, ad solius ipsius fabricae procuratoris instantiam, etiam parte invita et contradicente, facta sibi prius intimatione per tres menses, rescindere, irritare, cassare et annullare; ipsosque detentores et occupatores ad terras, possessiones et bona, necnon res et iura praefata, ut praeferiur, detenta et occupata, relaxandum, et de fructibus, tam eatenus perceptis et qui percipi potuissent, quam in posterum percipiendis, realiter satisfaciendum cogere et compellere; bonorumque et fructuum huiusmodi tertiam partem ipsi fabricae, reliquis duabus partibus ecclesiis, monasteriis, beneficiis, domibus, hospitalibus et piis locis, ad quae bona ipsa spectarent, cum effectu consignatis, vendicare et applicare possent et valerent, facultatem et auctoritatem concesserimus, prout in dictis litteris plenius continetur.

Quae tamen multae causae eorum dissensionibus pendebant nondum expeditae. Pontifex dat facultatem collegio illas ad se arcandi et cognoscendi.

§ 2. Nuper tamen, sicut nos accepimus, in prosecutione litterarum huiusmodi in hac alma Urbe et multis aliis civitatibus et locis collegium praefatum et eius ministri invenerint nonnullas causas super recuperatione huiusmodi terrarum, possessionum et aliorum bonorum immobilium, rerum et iurisdictionum di-

versis iudicibus, etiam causarum Palatii Apostolici auditoribus, commissas et delegatas, vel ordinaria auctoritate agitatas, in quibus a multo tempore citra, abbatum, priorum et commendatariorum, rectorum, administratorum, canonicorum, capitulorum et aliorum beneficiatorum negligentia seu impotentia aut alia ex causa, aliquis iudiciarius actus relevans servatus non extitit, et interim monasteria, ecclesiae, domus, hospitalia et alia loca praefata detrimentum non modicum sustineant. Nos, singularum causarum praefatarum status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, eisdem deputatis et collegio eorumque commissariis, auditoribus et ministris, ut omnes et singulas causas huiusmodi, in quibus saltem per biennium aliquis iudiciarius relevans actus ultra fatalium prorogationes servatus non fuerit, in eisdem statu et terminis, in quibus reperiuntur, a quibuscumque iudicibus, tam ordinariis quam delegatis, etiamsi causarum Palatii huiusmodi auditores fuerint, ad solius praefatae fabricae procuratoris instantiam, etiam abbatibus, prioribus, commendatariis, administratoribus, rectoribus, cappellanis, hospitalariis et aliis beneficiatis invitis, reassumere et avocare; illasque, postquam, ut praefertur, reassumptae et avocatae fuerint, iuxta privilegia et facultates eidem collegio concessas et indultas, et prout procedere possunt contra eiusdem fabricae debitores et in causis relictorum ad pias causas, cognoscere, decidere ac fine debito terminare, facultatem concedimus.

§ 3. Insuper, cum, sicut etiam accepimus, licet in civitate nostra Bononiensi venerabilis frater noster episcopus Bononiensis, vigore concilii Tridentini et Ravennatensis, nonnullos ex clero ad locationes bonorum ecclesiasticorum revidendas et rescindendas deputasset, et ipsi admodum paucas fine debito terminassent; tamen, post emanatas dictarum facultatum nostrarum in dictae fabricae favorem litteras, sub nomine ipsorum deputatorum certum edictum publicatum fuerit, per quod, inter cetera, omnes et singulae personae ecclesiasticae necnon rectores et administratores ecclesiarum, monasteriorum et piorum locorum moniti fuerunt ut, pro adimplemento sacrorum canonum et constitutionum factarum tam a nobis quam praedecessoribus nostris, omni adhibita diligentia, curarent recuperationem bonorum ecclesiasticorum per triginta annos ante concilium Tridentinum quocumque titulo male alienatorum, eisdem iubendo uti omni studio et diligentia in officio praefatorum deputatorum, et posse eorum notarii, infra certum statutum terminum, omnium bonorum, a triginta annis ut praefertur computandis, occupatorum, eorumque occupatorum, cum ipsorum nominibus et cognominibus et ipsorum bonorum descriptionibus et confinibus, notitiam dare, ac quaecumque instrumenta et scripturas tales causas concernentia exhibere deberent, ad hoc ut ipsi facilius in huiusmodi causis procedere possent; et successive, postquam commissarius praefatae fabricae suum edictum iuxta tenorem praefatarum nostrarum litterarum publicari fecerat, idem episcopus a nobis quasdam litteras in forma brevis obtinuerit, per quas eidem et pro tempore existenti episcopo, praesuli seu administratori aut eius vel illius vicario in spiritualibus generali, necnon dilectis filiis iudicibus et revisoribus ac syndicis ad id ab eodem episcopo in synodo dioecesana deputatis et pro tempore

Item, quia episcopus Bononiensis in causis alienationum huiusmodi in sua dioecesi procedebat, et ideo facultates fabricae impediebantur,

deputandis, concessimus et indulsimus ut omnes et singulas ac quascumque alienationes et concessiones quorumcumque bonorum ecclesiasticorum, factas et faciendas, civitatis et dioecesis Bononiensis, et illarum causam et causas revideret et cognosceret summarie, simpliciter et de plano, ac sola facti veritate inspecta, et in illis quae constitutiones felicis recordationis Symmachi secundi et Pauli etiam secundi, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et in damnum ecclesiarum, monasteriorum et piorum locorum facta fuisse comperissent, praehabita super inde congrua revisione, adhibitisque legitimis probationibus, procederent, et prout iuris foret decideret et alia facerent, prout in edicto et litteris praefatis plenius continetur; quarum litterarum vigore aliud edictum super similibus publicatum extitit, quibus ipsae personae ecclesiasticae, ut decet, obtemperantes, dictas denunciationes in eorum officio detulerunt, et ut commissarium praefatum deluderent, praefati deputati ab edicto per eumdem commissarium facto appellarunt, et ipsum fere in omnibus causis praefatis prævenerunt.

Propterea Pontifex declarat fabricae deputatos cognoscere posse omnes causas ecclesiarum et locorum exemptorum a iurisdictione ordinariorum;

§ 4. Nos, attendentes praemissa, prout in civitate Bononiensi hactenus occurrerunt, etiam in multis aliis civitatibus et diœcesibus simili vel alio modo occurrere posse, et si praefata fabrica sic impediretur, hoc non sine gravi ipsius detrimento succedere posse; volentesque propterea eiusdem fabricae utilitati consulere, ac edictorum et litterarum nostrarum praefatarum tenores similiter praesentibus pro expressis habentes, motu et scientia similibus, collegio, deputatis, auditoribus, commissariis et ministris fabricae praefatae, ut ipsi in omnibus et singulis causis monasteriorum, abbatiarum, prioratuum, domorum et aliorum exemptorum, sub iurisdictione ordinaria non comprehensorum, necnon aliis, in quibus processus nondum est instructus, etiam si in eis ordinarius virtute litterarum nostrarum vel ipsa ordinaria auctoritate praevenerit, modo et forma, quibus per praefatas litteras vel alias concessum existit, procedendi easque cognoscendi et fine debito terminandi, liberam et amplam facultatem concedimus per praesentes.

Eidem collegio concedit bona sic pro locis piis recuperata, de novo in evidentem illorum utilitatem dare in emphyteusim vel ad tertiam generationem aut aliter, et super fructibus componere;

§ 5. Praeterea, cum per litteras nostras praefatas eisdem collegio et deputatis concesserimus facultatem cogendi quaslibet personas ad restituendum bona, proprietates et redditus monasteriorum, ecclesiarum, beneficiorum, domorum et piorum locorum, ut praemittitur, alienata sive detenta et occupata, una cum eorum fructibus per possessores et alios perceptis, et de facili evenire posset ut plurimae personae, quae per multos annos ipsa bona possederunt, et in eis plurima meliorامenta fecerunt, ne bonis ipsis priventur, canones, census, redditus, quae pro bonis ipsis solvunt, cuperent augere, ita ut cederent in evidentem utilitatem ipsorum monasteriorum, ecclesiarum, beneficiorum, domorum, hospitalium et locorum piorum. Aliique tanta premerentur necessitate, ut ipsis, de fructibus per eos et eorum antecessores et alias personas perceptis, integre satisfaciendi nulla sufficiat facultas, onerosumque eis omnino videatur, cum ipsi forsan bonae fidei possessores fuerint, talem summam solvere. Nos, super praemissis paterna pietate providere cupientes, volumus collegium et deputatos praefatos eiusque commissarios, auditores et ministros, postquam bonorum partem debitam huiusmodi, iuxta formam litterarum nostrarum, monasteriis, ecclesiis, domibus, capitulis, cappellanis, beneficiatis et piis locis, ad ius et proprietatem monasteriorum, ecclesiarum, domorum, capitulorum, rectorum, cappellanorum, beneficiorum et piorum locorum, quorum

antea erant, reduxerint, posse et valere eisdem possessoribus aut aliis personis, de consensu eorum, quorum intererit, sub honesto canone sive censu, aut alias, prout iustum eis videbitur, in evidentem tamen utilitatem ipsorum monasteriorum, ecclesiarum, domorum, capitulorum, parochialium ecclesiarum, cappellaniarum et beneficiorum ac locorum piorum, de novo in emphyteusim seu censum perpetuum aut ad tertiam vel aliam generat. seu hominis vitam aut aliud tempus eorum arbitrio locare et concedere, ac super fructibus male perceptis huiusmodi, si beneficiatorum eorumdem ad id accesserit assensus, componere. Deque tertia parte bonorum et fructuum huiusmodi, ipsi fabricae per dictas nostras litteras assignata, arbitrio suo, etiam sine pro tempore existentium abbatum, priorum, commendatariorum, administratorum, canonicorum, capitulorum, rectorum et beneficiatorum eorumdem consensu, et eis etiam invitis, disponere et componere, ipsosque possessores et alias personas cum eis contrahentes quietare et absolvere posse.

Possessoresque bonorum in utilitatem Ecclesiae, sed non servatis solemnitatibus, alienatorum, penis pecuniariis, fabricae applicandis, punire pro tali excessu et fructibus perceptis et certum terminum praefigere ad obtinendum confirmationem a Sede Apostolica etc.;

§ 6. Cumque, ut similiter accepimus, inveniantur multa bona in evidentem utilitatem monasteriorum, ecclesiarum et piorum locorum huiusmodi, sed consuetis solemnitatibus vel aliis, de iure vel ex forma Ordinum et constitutionum monasteriorum, capitulorum, ecclesiarum, domorum, hospitalium et piorum locorum requisitis, non observatis, ac sine licentia vel confirmatione apostolica alienata, collegium et deputatos et eorum commissarios ac ministros praefatos, possessores ipsos, pro excessibus et temerario ausu ac fructibus perceptis indebite huiusmodi, eorumdem collegii deputatorum, commissariorum et ministrorum arbitrio, poenis pecuniariis, omni et quacumque appellatione remota, in ipsius fabricae utilitatem convertendis, punire et mulctare, eisdemque possessoribus et detentoribus competentem terminum sub praefatis poenis ad obtinendum debitam confirmationem a nobis et Sede Apostolica praefigere; quod si neglexerint, ipso termino elapso, ad incursus poenarum huiusmodi et ipsorum bonorum privationem, omni appellatione postposita, procedere etiam posse volumus et declaramus.

Possidentes quoque monere ut instrumenta concessionum huiusmodi ac pacificam possessionem et canonis solutionem ostendant, alioquin eos bonis ipsis privare etc.

§ 7. Ulterius quoque cum plurima reperiantur monasteria, ecclesiae, beneficia, hospitalia et pia loca, quae instrumenta alienationum bonorum suorum penes se non retineant, sed solum eis canones seu census illarum ratione persolvuntur, licetque qui ea possident forsan penes se talia instrumenta habeant, illa tamen ostendere minime volunt, seque tuentur, quod per multum temporis spatium in bonorum eorumdem solutionis possessione existunt, eisdem collegio, deputatis, commissariis et ministris ut omnes et singulas personas bona ecclesiastica, ut praefertur, retinentes, possidentes vel detinentes, nisi legitimam causam habuerint se excusandi, ad exhibendum per documenta et instrumenta publica titulos suos, quorum vigore bona huiusmodi possident, intra terminum eis praefigendum, sub poenis et censuris sibi benevisis, monere; quod facere recusantibus aut non curantibus, iidem collegium et deputati, in iis in quibus dicti possidentes a quadraginta annis citra non extenderint dicta instrumenta, et ab inde pacifice possedisse et solvisse, ac de canone solito ipsis beneficiatis respondisse, ad poenarum et censurarum huiusmodi incursum ac ipsorum bonorum privationem, fructuumque eorumdem solutionem procedere possint, concedimus et indulgemus.

Fructus bonorum, pro quibus prima sententia pro fabrica lata fuerit, deponi faciendi penes depositarium idoneum ad finem litis;

§ 8. Et quoniam indignum videtur, quod monasteria, ecclesiae, loca pia ac fabrica ipsa, dum per litium anfractus circumduci contingit, fructibus bonorum, pro quibus primam sententiam in eorum favorem obtinuerint, priventur, volumus quod colle-

gium et deputati praefati, necnon eorum commissarii, auditores et ministri, post primam latam sententiam, si ab ea appellari et causam prosequi continget, fructus bonorum super quibus lis verti contigerit, sub arcto sequestro, aut penes idoneum depositarium, per ipsum collegium et eorum ministros eligendum, usque ad eius cognitum in secunda sententia, deductis tamen his, quae alias ex forma locationum praecedentium rectoribus, administratoribus, monasteriis et piis locis fuerint persolvenda, quae minime retardari debeant, et sine litis ac iurium monasteriorum, ecclesiarum et piorum locorum ac partium praeiudicio ponant, dent et deponant.

Notarios, etiam rogatos de scripturis bonorum ecclesiasticorum et alios informatos cogere ad illas notificandum;

§ 9. At quoniam ecclesiarum bona, confinia, canones, census, redditus et proventus, iura, instrumenta, scripturae a diversis avaritia obcaecatis occultantur, adeo quod a multis abbatibus, prioribus, commendatariis, capitulis, canonicis, rectoribus, cappellanis, guardianis et aliis beneficiatis beneficiorum suorum bona et illorum confinia et instrumenta ignorentur, eisdem collegio et deputatis eorumque commissariis, auditoribus ac subdelegatis, substitutis et ministris, ut, sub pecuniariis et in illarum subsidium ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, ac aliis iuris et facti remediis opportunis, omnes et singulos utriusque sexus christifideles de praemissis informatos, ac notarios et tabelliones ac alios quoscumque de instrumentis et scripturis ac documentis in praemissis et circa ea necessariis rogatos, in ecclesiis, dum divina celebrantur, vel alias, etiam per edictum publicum vel simplicem citationem, ut ea omnia ipsis monasteriis, ecclesiis, beneficiatis et piis locis denuncient, propalent, notificent, exhibeant et consignent, citare et monere, ac contra contumaces et inobedientes, ad incursus poenarum et censurarum huiusmodi declarationem usque ad illam effectualem obedientiam, omnibus et singulis iuris et facti remediis opportunis, procedere possint et valeant, concedimus et indulgemus.

Causasque huiusmodi cognoscere et terminare et procedere sicut in causis debitorum fabricae.

§ 10. Et quoniam iustum esse censemus ut causae, quae per ipsos collegium, deputatos, eorumque auditores, commissarios et ministros cognoscuntur, tractantur et deciduntur, celerem et optatum finem accipiant, volumus quod collegium et deputati eorumque auditores, commissarii et ministri, in omnibus causis, quas ipsos et eorum quemlibet pro tempore avocare, agere, cognoscere, decidere et fine debito terminare contigerit, illas, iuxta privilegia et facultates eidem collegio concessas et indultas, ac prout procedere possunt contra eiusdem fabricae debitores, et in causis legatorum piorum, una cum illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, procedere, cognoscere, decidere et similiter fine debito terminare; necnon partes in illis interesse habentes citare; et si absentes aut sui copiam non facientes aut alias non reperibiles fuerint, dummodo prima vice personaliter citati fuerint, facta prius diligentia de eos reperiendo, per unum ex cursoribus nostris vel mandatariis praefatae fabricae, domi, ubi alias resederint, dimissa copia, vel per edictum in valvis basilicae S. Petri huiusmodi et in acie Campi Florae affigendum vel alias, prout in obligationibus in forma Camerae fieri solet, arbitrio suo simili modo citare; necnon viduis, pupillis et aliis personis de iure curatore indigentibus, curatores ipsos ex officio deputare; ac quibusvis, tam apostolica quam ordinaria auctoritate deputatis, etiam S. R. E. cardinalibus vel causarum Palatii Apostolici auditoribus aliisque iudicibus, necnon quibus et quoties opus fuerit, sub poenis pecuniariis arbitrio suo imponendis ac censuris ecclesiasticis, inhibere, aliaque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna facere possint et valeant.

Inhibitio contra molestantes fabricam et eius deputatos super praemissis, aut illorum executionem impedientes.

§ 11. Districtius inhibentes quibusvis locorum ordinariis, etiam S. R. E. cardinalibus et aliis personis, quavis auctoritate, etiam apostolica, fungentibus, etiam cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub suspensionis a divinis et excommunicationis latae sententiae, aliisque nostro arbitrio moderandis, infligendis poenis, ne eosdem collegium et deputatos molestare, aut praemissorum executionem quoquomodo impedire, vel in eis se directe vel per indirectum ingerere vel intromittere possint seu audeant vel praesumant. Decernentes quoque praesentes litteras ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint, notari, in ius vel controversiam seu alias revocari non posse, nec per subreptionem vel obreptionem obtentas praesumi, et ob id viribus carere, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus, quantumvis generalibus, ac fortissimis clausulis et decretis irritantibus roboratis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum, etiam sub data per collegium et deputatos huiusmodi eligenda, plenarie restitutas esse.

Decretum irritans.

§ 12. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam auditores et cardinales praefatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 13. Non obstantibus praemissis, ac nostra de non tollendo iure quaesito, et quibusvis apostolicis, etiam per nos, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, etiam collegii cardinalium et auditorum, eorumdem ac aliorum tribunalium, necnon quorumcumque monasteriorum, ecclesiarum, domorum, beneficiorum, ordinum, capitulorum et piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis, etiam ipsis auditoribus et aliis iudicibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili et ex certa scientia concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae derogatoriae.

Duae partes bonorum recuperandorum consignentur ecclesiis, ad quas spectant.

§ 14. Volumus autem quod dicti deputati, retenta tertia parte bonorum per eos pro tempore recuperatorum huiusmodi, reliquas duas partes suis quibusvis ecclesiis pro rata consignare debeant et teneantur.

Fides transumptorum.

§ 15. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu secretarii fabricae

huiusmodi subscriptis, et sigillo eiusdem fabricae sigillatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, tertio idus septembris, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 11 septemb. 1570, pontif. anno v.

Sequitur facultas fabricae circa applicationem fructuum.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, cui, disponente Domino, praesidemus, ad ea libenter intendimus, per quae quarumlibet ecclesiarum fabricae, praesertim basilicae nostrae Principis apostolorum de Urbe, cuius cura nobis peculiaris est attributa, congruam suscipiant sustentationem, utque id felicius subsequatur, nonnumquam ea quae per nos ad ipsarum favorem ordinata sunt, quaeque non ita felicem successum habitura credimus, ad aliam formam reducimus, prout, locorum et temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Sane, licet alias, etc. *ut supra* [1].

Pontifex applicat fabricae omnes fructus ex iliis bonis a conductoribus vel ab aliis occupatoribus indebite perceptos sive fructus unius anni percipiendos;

§ 2. Verum quia, ut accepimus, dictae fabricae difficile foret tertiam partem proprietatis bonorum, eidem fabricae, ut praefertur, assignatam, vendere et in usum dictae fabricae convertere, cum non de facili emptores reperirentur, et plurima bona non ita commodam divisionem patiantur, ut tertia ab ipsis pars sine duarum partium detrimento dismembrari et separari possit. Cupientes indemnitati dictae fabricae consulere, arbitrantesque quod si, loco dictae tertiae partis proprietatis bonorum recuperandorum, ut praefertur, dictae fabricae assignatae, omnes fructus contra leges et canones ac constitutiones antecessorum nostrorum per quosvis conductores et successores, universales vel singulares, quomodolibet indebite ex dictis bonis percepti et qui percipi potuerunt, et non sine animae eorum periculo retineri possunt, quatenus exigibiles sint; et in alienationibus in quibus pauci aut nulli fructus indebite percepti fuerunt, [1] vel ex quavis causa vel occasione per ipsos deputatos arbitranda, nullum vel modicum emolumentum reportare posset (cum non sit conveniens quod ex eius bono opere detrimentum sentiat), omnes fructus, redditus et proventus integri unius anni ex huiusmodi bonis recuperatis exigendi et percipiendi dictae fabricae assignarentur et appropriarentur, celeriorem utilitatem tam dictae fabricae quam ecclesiae ipsae consequerentur. Eosdem itaque collegium et deputatos ac auditores et ministros eorumque quoslibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon litterarum praefatarum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos fructus, redditus, proventus, canones, census, afficta et seu alias responsiones, quocumque nomine nuncupentur, quomodolibet, tam per conductores bonorum ecclesiasticorum quam eorum successores quoscumque, universales vel singulares aut particulares, ac alios de-

1 Omittitur relatio constitutionis praecedentis.

1 *Vel ex inopia debitorum* addit Cherub (R. T.).

tentores, occupatores et debitores, sub quovis praetextu et invalido contractu, contra leges, canones, extravagantes et constitutiones antecessorum nostrorum aut alias indebite, nulliter et invalide perceptos, et ob infectam radicem primi contractus invalidi, aut alias nulliter cum ecclesia celebrati, vel occupationis, detentionis et usurpationis factae indebite dictorum bonorum; si vero, vel quia modici aut nulli admodum fructus sint exacti, vel ex debitorum inopia vel quavis alia causa, per ipsos deputatos arbitranda, fructus praedicti non essent exigibiles, tunc fructus, redditus, proventus, census et canones integros unius anni ex dictis bonis recuperatis percipiendos, loco dictae tertiae partis, plenarie et integre dictae fabricae assignamus et applicari mandamus. Ita quod eisdem collegio et pro tempore existentibus deputatis, auditoribus et ministris praedictis liceat illos propria auctoritate recuperare, exigere et levare, illosque locare, vendere et alienare ac in usum et utilitatem dictae fabricae convertere, Sedis Apostolicae vel superiorum ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum eorumdem vel ordinarii aut cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita.

Fabricaeque deputatis facultatem concedit componendi et transigendi in casibus dubiis, ita ut qui secum litis gerintampiis molestari queant.

§ 3. Et ut facilius ecclesiæ integram proprietatem, et fabrica fructus, ut praemittitur, sibi assignatos consequi possit sine litium cursu, eisdem collegio et deputatis concedimus et elargimur ut, quoties eis videbitur opportunum, per seipsos tantum in causis praedictarum alienationum sive detentionum bonorum ecclesiasticorum, in quibus ius ecclesiarum, monasteriorum, domorum, hospitalium, beneficiorum et piorum locorum praefatorum non adeo clarum existit, ut de facili bona et fructus pro ecclesiis, monasteriis, domibus, beneficiis praefatis et fabricae vendicari possint, ius ipsum debitum sit cum dictis detentoribus, possessoribus et successoribus, universalibus vel particularibus, sub beneplacito Sedis Apost., transigere et componere, de consensu rectorum, eorumdem arbitrio, possint et valeant. Quodque, aucta et soluta parte in qua convenerint seu pro qua composuerint, occupatores, possessores vel successores praedictos absolvere et liberare, ita ut de cetero a nemine, sub praetextu quarumcumque constitutionum, canonum, legum, extravagantium ac bullarum per antecessores nostros praedictos et per nos super rescissione et recuperatione bonorum et fructuum ecclesiasticorum editarum, quomodolibet molestari, inquietari vel perturbari possint et valeant; sed facta solutione praedicta, sint et esse intelligantur etiam liberati tam ab omni periculo quam ab omnibus poenis et mulctis, quas, occasione dictorum fructuum indebite perceptorum, incurrissent; et contractus necessarios conficere, qui postquam celebrati fuerint idem robur obtineant ac si a Sede Apostolica confirmati fuissent, et super præmissis omnibus et singulis perpetuum silentium impositum sit et esse censeatur.

Inhibitio contra molestantes fabricae ministros super præmissis.

§ 4. Districtius inhibentes quibusvis, cuiuscumque status, gradus et conditionis existentibus, et quacumque auctoritate fungentibus, in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis aliisque nostro arbitrio moderandis et imponendis poenis, ne eosdem collegium et deputatos, eorumque auditores et ministros praefatos in praemissis molestare, perturbare vel inquietare audeant vel praesumant.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Ac decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio vel intentionis nostrae aut quopiam alio defectu notari, impugnari aut invalidari, etiam ex eo capite quod interesse habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci, minusque in ius vel controversiam vocari quovis modo posse, sed semper validas et efficaces

existere, suosque plenarios effectus sortiri, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus et derogationibus comprehendi ullatenus posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum, etiam sub quacumque data per ipsos eligenda, restitutas esse et censeri.

Decretum irritans.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio et facultates.

§ 7. Et nihilominus venerabilibus fratribus nostris Amerino et Maceratensi ac Aquinatensi episcopis, motu simili per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte collegii deputatorum, auditorum et ministrorum praefatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, sibique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praesentes litteras et in eis contenta quaecumque ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observari, non permittentes eos vel eorum aliquem desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super iis habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis, vigore praesentium, ad iudicium non trahatur, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, nostris de non tollendo iure quaesito, ac unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et exprimendo valore; necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis; et quibusvis aliis apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et scientia similibus ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Per praesentes autem litteras derogatum non esse nec in-

Clausulae derogatoriae.

telligi volumus, in parte vel toto, primis et secundis cedulis motu proprio confectis, et in favorem dictae fabricae, super bonis Ecclesiae alienatis, nisi tantum quoad dictos integros fructus, etiam facultatem percipiendi fructus unius anni, ut praefertur; in omnibus vero aliis et singulis in dictis cedulis et litteris concessis omnia stent et esse intelligantur firma et in suo robore valida, ac si praesentes a nobis non essent emanatae.

Exemplorum fides.

§ 9. Insuper quoque statuimus ut earumdem praesentium transumptis, manu secretarii et sigillo dictae fabricae subscriptis et munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, kalendis februarii, pontificatus nostri anno VI.

CLXXIII.

Confirmatio privilegiorum et gratiarum societatis Cruce Signatorum, pro sanctae Inquisitionis contra haereticos praesidio antiquitus institutae [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacrosanctae Romanae et universali Ecclesiae, divina disponente clementia, meritis licet insufficientibus, praesidentes, omnem pastoralis nostri officii curam atque vigilantiam in id potissimum adhibere debemus, ut fides catholica ubique terrarum, quantum in nobis est, integra inviolataque conservetur, et impii ac detestandi haereticorum conatus, ipsam unam fidem violare satagentium, omnibus rationibus comprimantur. Unde si quae, ad iuvandum huiusmodi nostrum propositum ac debitum, alias pie instituta ac concessa fuisse a praedecessoribus nostris comperimus, libenter approbamus, et alias desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Societas Cruce Signatorum instituta fuit pro inquisitorum praesidio, et a praedecessoribus privilegiis donata.

§ 1. Cum itaque inter ceteras, quae in Ecclesia Dei hactenus institutae sunt, christifidelium societates, illa satis uberes christianae religionis fructus afferre videatur, quae sub Cruce Signatorum vocabulo ad assistendum haereticae pravitatis inquisitoribus, auxiliumque, quando et quoties opus sit, in catholicae fidei negociis adversus haereticos, etiam vita ipsa praestandum, instituta existit, ut non immerito a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris specialibus gratiis et privilegiis fuerit decorata.

Pontifex eidem ea quae sunt in usu, et Trident. concilio non repugnant, confirmat.

§ 2. Nos, attendentes quod ea maiorem obtinent roboris firmitatem, quae pluries apostolicae confirmationis praesidio sint communita, utque paternum nostrum erga ipsam societatem caritatis affectum ostendamus, eiusdem societatis Cruce Signatorum creationem et institutionem ac privilegia, quae sunt in usu, necnon indulgentias, praerogativas, facultates, gratias et indulta quaecumque eidem societati et illius utriusque sexus confratribus Cruce Signatis pro tempore existentibus, tam per Innocentium IV, Innocentium VIII, Iulium II, Leonem X, Clementem VII, quam quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis hactenus quomodolibet concessa et confirmata, decretis tamen concilii Tridentini non repugnantia, necnon litteras desuper emanatas, illorum omnium et singulorum

[1] Huiusmodi gratias et indulta vide in Innocentii IV constitutione XXXVIII, *Ut nihil*, tom. III, pag. 585; et constit. XLI, *Malitia*, ibid., pag. 590; et Urbani IV constitutione IV, *Licet*, § 13, ibid., pag. 687; et Clementis VII constit. XXXIII, *Cum sicut*, tom. VI, pag. 134.

tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus, approbamus et innovamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 4. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII octobris millesimo quingentesimo septuagesimo, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 13 octobris 1570, pontif. anno V.

CLXXIV.

Tonsores monetae tam aureae quam argenteæ in Urbe aliisque locis S. R. E. mediate et immediate subiectis, ultimo supplicio plectuntur.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Proœmium.

Cum nil magis humanae vitae commercio sit necessarium quam pecuniarum usus, quae hominibus cuncta humano victui necessaria praebent, decet Romanum Pontificem ad ea libenter intendere, per quae pecuniae ipsae non solum non adulterentur, verum etiam in primaevo illarum statu ab omnibus illesae conserventur. Quod et si cunctis in locis, praecipue tamen in hac alma Urbe nostra, quam gloriosi apostolorum Principes martyrio suo consecrarunt, et ad quam, veluti communem omnium matrem, gentes undequaque concurrunt, singulisque aliis dominiis, terris et locis, nobis et Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectis, curandum est, ut et ad illam venientibus vitiorum exempla non proponantur, et quibusvis peccandi materies succidatur.

Causa constitutionis.

§ 1. Attendentes itaque quod, licet monetarum aurearum tonsoribus ultimi supplicii de iure sit inflicta poena, argenteas tamen monetas tondentibus satis minor poena imposita sit; ac animo revolventes quam par sit utrinsque delictum, cum ii qui argenteas minuunt, nulla alia de causa ab aurearum mutilatione, nisi ob earum defectum, subsistant, ac propterea eodem iuris rigore in utroque saeviendum esse aequum reputantes.

Sanctio de qua in rubrica.

§ 2. Motu simili, *etc.*, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, eos, qui argenteas tondent monetas, ultimi supplicii et ea, qua aurearum tonsores hactenus puniti sunt et de iure puniri debent, poena puniendos esse, et ita ab omnibus quibus iudicis officium, tam in Urbe nostra quam alibi in toto Statu Ecclesiastico, commissum est, quovis nomine censeantur et quavis auctoritate praefulgeant, iniunctum est, puniri volumus et mandamus.

Barones non impediant iudices in hoc.

§ 3. Districtius inhibentes singulis terrarum, locorum et civitatum dominis in temporalibus, ne iudices praefatos, in praemissis hoc modo saevientes, sub excommunicationis *etc.* impedire, molestare inquietare audeant vel praesumant.

Clausula sublata.

§ 4. Decernentes quoque sic et non aliter, per praefatos et quoscumque alios iudices, *etc.*, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata *etc.*, iudicari debere; irritum quoque *etc.*

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et

ordinationibus; ac legibus, etiam imperialibus, etiam in corpore iuris clausis, ac tam municipalibus et particularibus, quam quibusvis aliis, etiam iuramento *etc.* roboratis, statutis *etc.*; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam motu simili *etc.*, etiam consistorialiter *etc.*, concessis *etc.*, quibus omnibus, illorum tenores *etc.*, hac vice latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis et consuetis.

Fiat. Motu proprio; M.

Clausularum repetitio.

§ 6. Et quod quorumcumque privilegiorum, stabilimentorum, poenarum, statutorum, legum et aliorum necessariorum tenores habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi ac de verbo ad verbum inseri possint. Et de declaratione, sanctione, mandato, inhibitione, decreto et aliis praemissis, quae hic pro repetitis habeantur, et ad partem perpetuo in forma gratiosa. Et cum deputatione, quatenus opus sit, iudicum, qui assistant *etc.*, invocato *etc.*, saecularis, cum derogatione diaetarum latissime extendendis.

Iussio publicandi.

§ 7. Et cum decreto opportuno quod, ut praesentes ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque deinceps adversus eas aliquam excusationem praetendere aut ignorantiam allegare queat, quod illae imprimantur et in valvis basilicae Principis apostolorum et S. Ioannis Lateranensis ac Cancellariae Apostolicae, necnon acie Campi Florae affigantur, et inibi earum copiae dimittantur; quodque affixio huiusmodi omnes perinde afficiat ac si fuissent personaliter exhibitae, intimatae et ostensae.

Exemplorum fides.

§ 8. Quodque earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius praelati aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Signatura sola sufficit.

§ 9. Et quod praesentis motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula quacumque contraria non obstante, seu litterae super illis cum maiori praemissorum expressione per breve expediri possint.

Fiat. M.

Datum Romae apud S. Petrum, octavo kalendas novembris, anno v.

Dat. die 25 octobris 1570, pontif. anno v.

CLXXV.

Contra fraudulentos et dolosos decoctores, capitali poena plectendos [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Causa constitutionis.

Postquam eousque humana processit intemperantia ut christifideles, qui, in sacri Baptismatis susceptione, diabolo ac omnibus vanitatibus eius sponte ac solemniter renunciarunt, diabolica fraude seducti, ita mundi huius illecebras expetant, ut pro illis assequendis, non modo filii prodigi in Evangelio per Dominum demonstrati exempla sequentes, sua luxuriose vivendo profundant; verum etiam, illis absumptis, aliena appetant, grande aes alienum a proximis suis, qui id eis, prout mutuum fert hominum commercium, sub variis instrumentorum obligationibus liberaliter mutuant, extorquendo; ac deinde, dum id eis sub paupertatis specie restituere negligunt, proximos suos una cum tota familia aliquando mendicare cogunt; facere nullo modo possumus quin et pastoralis officii nostri debito, cui, disponente Domino, praesidemus, moniti, et ea qua Christus prior dilexit nos caritate impulsi, clementiae et misericordiae reiectis viis, iustitiam et iudi-

1 De materia autem cessionis bonorum et dilationum, vide Pii IV constitutionem XLIX, *Cupientes*, pag. 145 huius tomi.

cium in tales acriter insurgendo assumamus, iurisque rigorem acriorem reddamus, ut saltem per hoc eos, quos timor Domini a malo non retrahit, ultimi supplicii poena exterreat, sicque universas dominici gregis oves ad ovile ad quod, dante Domino, omnes dirigi cupimus, salubriter perducamus.

Paulus IV statuit debitores obtinentes alternativas vel dilationes tenere deferre biretum viride.

§ 1. Sane, licet alias felicis recordationis Paulus Papa quartus, praedecessor noster, inter cetera dilectis filiis populo Romano concessa privilegia, per quasdam suas litteras voluerat quod dilationes quaecumque, nisi iuxta dispositionem iuris ac formam statutorum almae Urbis concedi nullatenus possent, et qui illas obtinerent, semper biretum viride portare tenerentur, ac alias prout in dictis litteris plenius continetur.

Multi autem eorum bona prodigalitate et luxu dilapidabant et tandem cessione bonorum creditores dolose deludebant

§ 2. Nihilominus, diversi iniquitatis filii, praemissis non attentis, propriaque temeritate confisi, postquam propriis eorum bonis, non adversa fortuna aut fortuitis casibus, sive hostium incursu vel ventorum marisque violentia atque iniuria (quod quidem vel certe ferendum esset, cum ab iis facile caveri nequeat humana providentia), sed sua ipsorummet incuria, negligentia, prodigalitate atque luxu in explendis propriis voluptatibus, penitus dilapidatis, proximos suos ad varia eorum bona sibi mutuanda, sub spe restitutionis, compulerunt, illis similiter profusis, creditores suos cessione bonorum deludentes, ac tam litteras praefatas quam alia per nos contra huiusmodi decoctores, fallitos nuncupatos, edita statuta deridere audent, in grave apostolicae auctoritatis vilipendium, proximorum suorum detrimentum et gravamen ac animae suae periculum non modicum.

Hi igitur Pontifex decernit huiusmodi personas, nedum

§ 3. Nos, praemissa conniventibus oculis pertransire nequeuntes, et attente considerantes nulla alia de causa in fures ultimi supplicii poenam esse impositam, nisi ut, talia perpetrandi hominibus via interclusa, liberum esset unicuique sua absque periculo possidere et uti; hos autem adeo furibus et latronibus similes esse, ut ab illis in nihilo differant, nisi ut quod eis, nisi cum vitae suae periculo agitur, hoc decoctoribus impune liceat; volentesque propterea ut par, immo gravius, delictum parem etiam sortiatur poenam, iurisque rigorem in hos graviorem reddere, ac genus hoc hominum, tamquam humano generi infestum, e ceterorum coetu segregandum merito esse diiudicantes, omnium et singularum legum et constitutionum, tam imperialium quam apostolicarum, etiam in corpore iuris descriptarum, tenores et formas, ac si de verbo ad verbum inserti forent praesentibus, pro expressis habentes, sine illarum aliquo praeiudicio, quinimmo illas revalidantes et confirmantes, motu proprio, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, statuimus et declaramus quod deinceps perpetuis futuris temporibus quaecumque persona, tam saecularis quam ecclesiastica, etiam si clericali et ecclesiastico foro gaudeat, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existat, et quacumque dignitate, tam mundana, etiam si domicellus, comes aut aliter nobilis aliquando fuerit, quam ecclesiastica, non tamen episcopali, praefulgeat, qui omnem eorum substantiam, non praemissis de casibus fortuitis, sed incuria, negligentia, prodigalitate et luxu suis, proprias voluptates explendo, et cupiditatibus non mediocri intemperantia servientes, subverterint et dilapidaverint; necnon qui se bona sua decoxisse simulantes, illa in fraudem creditorum suorum occultant, et eorum pecuniam totam in eorum utilitatem forsan converterint, ut eorum creditores ad secum componendum facilius alliciant, ultimi supplicii et ea qua fures ipsi, de iure vel consuetudine aut particulari vel

at cessionem bonorum non esse admittendas, sed ultimo supplicio plectit debere.

municipali statuto, plecti solent, puniri debeant.

Executorum deputatio.

§ 4. Mandantes tam Urbis praefatae gubernatori et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, quam omnibus et singulis nostris et Sedis Apostolicae in quibuscumque provinciis legatis et vicelegatis, necnon quorumcumque civitatum, terrarum, oppidorum et locorum, nobis et eidem Sedi tam mediate quam immediate subiectarum, gubernatoribus, praetoribus, capitaneis, commissariis et aliis quibuscumque iudicibus, quavis, etiam subdelegata, potestate fulgentibus, ut praesentes nostras inviolabiliter in eorum iudiciis observent, nec contra tales, nisi illarum forma servata, procedere audeant vel praesumant.

Inhibitio contra impedientes eos, qui ita super praemissis iudicaverint.

§ 5. Districtius quoque inhibentes quibuscumque terrarum, oppidorum et locorum dominis in temporalibus, in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis *etc.* poenis, ne sic in praemissis iudicantes, eorum saeculari auctoritate molestare, inquietare, perturbare vel impedire audeant vel praesumant.

Clausulae praeservatrices.

§ 6. Decernentes postremo praesentes et desuper conficiendas litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae defectu notari, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus comprehendi, vel illis derogari nullo modo, tacite vel expresse, posse, nisi de illis eorumque totis tenoribus ac eorum Datum de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio et expressio facta fuerit; aliterque factas derogationes nullius roboris vel momenti fore, et tamquam tales a nemine attendi, nec ulli suffragari posse.

Decretum irritans.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices *etc.*, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales eorumque collegium, sublata *etc.*; irritum quoque *etc.*

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus; ac legibus, etiam imperialibus, etiam in corpore iuris, ut praefertur, clausis; ac quibusvis, etiam municipalibus et particularibus, etiam iuramento *etc.* roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis *etc.*, sub quibuscumque tenoribus *etc.*, etiam motu simili *etc.*, etiam consistorialiter *etc.* ac sub quibusvis verborum formis concessis *etc.* Quibus omnibus, etiam si de illis *etc.*, illorum tenores *etc.*, illis alias *etc.*, latissime, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Fiat. Motu proprio, M.

Forma et effectus publicationis.

§ 9. Et quod quorumcumque statutorum, constitutionum et legum *etc.* tenores habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi, ac de verbo ad verbum inseri possint. Et de sanctione, statuto, declaratione, decreto, inhibitione, mandato et aliis praemissis, quae hic pro repetitis habeantur, et ad partem perpetuo in forma gratiosa, et cum opportuna, si videbitur, iudicum deputatione, qui assistant *etc.*, invocato *etc.* saecularis; et cum opportuno decreto quod, ut praesentes ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque deinceps adversus eas aliquam excusationem praetendere aut ignorantiam allegare queat, quod illae imprimantur, et in valvis basilicae Principis apostolorum et S. Ioannis Lateranensis ac Cancellariae Apostolicae, necnon in acie Campi Florae affigantur et inibi earum copiae dimittantur. Quodque affixio huiusmodi omnes perinde afficiat, ac si fuissent personaliter exhibitae, intimatae et ostensae. Quodque earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo ali-

cuius praelati aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sola signatura sufficit.

§ 10. Et quod praesentis motus proprii sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula quacumque contraria non obstante, seu litterae super illis cum maiori praemissorum expressione per breve expediri possint.

Fiat. M.

Datum Romae apud S. Petrum, kalendis novembris, anno v.

Dat. die 1 nov. 1570, pontif. anno v.

CLXXVI.

Reformatio Tribunalis Curiae causarum Camerae Apostolicae auditoris, una cum taxa expeditionum [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Proœmium.

Inter illa quae in singulis in Urbe curiis et officiis emendanda seu rectius disponenda decrevimus, haec de Curiae causarum Camerae Apostolicae generalis auditoris officio ac tribunali seorsum ab universali reformatione, apostolica auctoritate perpetuo statuimus et ordinamus, quae et ab auditore et ab eius locumtenentibus, curiaeque ipsius iudicibus et notariis, exactissime servari praecipimus.

Non damnetur debitor ex procuratoris confessione.

§ 1. In primis, ne quisquam ex confessione debiti a procuratore suo, ad id in ipsamet obligatione in posterum constituto, in iudicio vel alibi facta, condemnetur, nisi idem etiam procurator ad defendendum in iudicio fuerit constitutus, et ipse, cum constitueretur, defendendi onus huiusmodi sponte praesens acceptaverit.

§ 2. Neve quisquam, ratione sui consensus in contractu seu quasi contractu, aut alias, in iudicio vel extra iudicium, per se vel alium quocumque modo, etiam in susceptione, quam vocant, censurarum, de cetero praestiti, pure aut sub conditione aut in diem, censuris ecclesiasticis innodetur aut innodatus declaretur.

Nequo excommunicetur.

Procuratoris constitutio aut censurarum susceptio in obligatione non apponatur,

§ 3. Quinimmo, nec procuratoris ad confitendum debitum constitutio in ipsa debiti obligatione, nisi et ad defendendum una constituatur, et ipse defendendi onus acceptet, ut praefertur, nec censurarum consensus aut susceptio huiusmodi usquam recipiatur vel admittatur sive etiam describatur, neque de his quisquam rogetur, etiam in cameralis obligationis formula, sive principaliter sive incidenter, neque iudicium ullum aut ulla executio inde fiat aut decernatur.

Nisi de rebus Camerae agatur.

§ 4. Excipimus autem ab his, quae de confessione debiti et procuratoris ad id constitutione supra statuimus, obligationes, quae de rebus ac iuribus ad Cameram Apostolicam pertinentibus factae iam sunt, aut in posterum fieri oportuerit, in quibus, quoad huiusmodi confessionem et constitutionem, liceat illud idem fieri quod hactenus est observatum.

Forma strictioris obligationis hic traditur.

§ 5. Quod si quando aliqui seipsos in Urbe efficacius obligare voluerint, ut in exactionibus laborandum non sit, quas pro commodiori hominum commercio faciles esse expedit, poterit iudex parti praesenti et se obliganti praecipere ut die certa tunc statuenda solvat; monens quod, si ea die sponte non solverit, nulla exinde facta personali citatione, sed praevia tantum unica dilatione, quae per affixionem locis consuetis intimabitur, ad executionem contra ipsum procedet, et in subsidium, ubi executio realis personalisve facile fieri non poterit, in ipsum tamquam contumacem contemptoremque sui praecepti, excommunicationem decernet. Haec tamen quoad excommunicationem moni-

1 Aliam eiusdem tribunalis reformationem praefinivit Pius IV in constit. LXIX, *Inter multiplices*, pag. 207 huius tomi.

tio, ubicumque facilis futura esset executio, non adhibeatur.

Obligati in Curia quomodo citandi.

§ 6. Cum autem praescripta dies cesserit, ea distinctio servetur, ut si obligatio vel in Urbe erit contracta, vel in Urbe sit solvenda, sola intimationis affixio praedicta sufficiat.

Obligati extra Curiam ut citandi.

§ 7. Si vero extra Urbem et obligatio contracta et solutio destinata fuerit, non aliter ad executionem procedatur, nisi facta legitime debitori intimatione dilationis huiusmodi. Rursus, ubi in obligatione extra Urbem facta, pariter solutio extra Urbem destinata fuerit, praeter dictam dilationem, detur etiam alia, pro loci distantia, intra quam docere possit et debeat debitor se solvisse.

Confitentes debitum quam dilationem habere possint.

§ 8. Quod si parti petenti ac debitum agnoscenti danda videbitur aliquando longior aliqua dilatio ad solvendum (intra quam nullum omnino mandatum aliudque executionis genus relaxari poterit), ea erit dierum triginta aut saltem viginti, arbitrio iudicis, qui, pro debitoris qualitate et debiti summa, utrum voluerit de praedictis terminis, eliget.

Dilatione finita, mandatum antea relaxatum sufficiat.

§ 9. Qua in re illud observetur, ut si forte post decretum et relaxatum atque etiam actori a notario traditum mandatum executivum, visum fuerit iudici dilationem hanc concedere, non alio postea iudicio aut etiam mandato opus sit actori, si reus intra dilationem ipsam non solverit, sed eodem illo, quod antea traditum aut relaxatum sive decretum fuerat, executionem suam prosequatur.

Excommunicatio quando sit danda contra obligatos.

§ 10. Sed et in omnibus, quæ aliter quam cum supradictis praecepto et monitione ubicumque locorum factae fuerint, obligationibus et alias semper illud omnino servetur, ut ad excommunicationem cuiusquam non deveniatur, nisi cuius fuerit erga iudicem contumacia, ipso etiam, nec tantum procuratore suo, quamvis specialiter constituto, prius legitime citato.

Causae obligationis camerales sint Aud. C. tantum, nisi contra Romanos laicos in Capitolio,

§ 11. Verum, sicuti antea, earum quae in forma Camerae erant obligationum, ita et harum quae futurae sunt, pro illis iudicium sive cognitio et executio in Urbe ad auditorem Camerae solum spectet in universum, iuxta suas facultates. Romanos tamen debitores laicos liceat creditoribus etiam in Curia Capitolii convenire, iuxta privilegia populo Romano concessa.

Vel contra clericos in Curia vicarii.

§ 12. Quo vero ad clericos, ratione originis vel beneficii, Romanos, locus sit praeventioni inter ipsum auditorem et nostrum in Urbe vicarium.

Appellationes a sententiis extra Curiam latis quando et quomodo recipi debeant.

§ 13. Ceterum idem auditor appellationes non aliter audiat sive admittat, quam si exhibita fuerit notario in actis ab appellante fides publica seu publicum instrumentum sententiae, a qua extitit appellatum, eaque sit definitiva vel vim habeat definitivae, neque aliter earum ratione inhibeat, quam inserto in litteris inhibitionis toto fidei seu instrumenti huiusmodi tenore. Quare iudices, a quibus appellari continget, eorumque notarii, fidem seu instrumentum huiusmodi partibus petentibus et debitam notariis mercedem solventibus tradent in tempore; alioquin iudices officio iudicandi, notarii exercitio notariatus tamdiu suspensi sint, donec appellanti omnia damna et interesse propterea passa, ab ipso auditore extraiudicialiter aestimanda, resarserint. Et nihilominus, facta ab appellante fide de sua petitione, et iudicis sive notarii derogatione, idem auditor inhibere et in causa procedere possit.

Litteras apostolicas quando et quomodo exequi Aud. C. possit.

§ 14. Litteras apostolicas, quibus certus, qui per seipsum procedat, executor praescriptus est, nullo modo exequatur, sed et omnes praeterea, in quarum executione pars vocanda fuerit, non aliter exequatur, quam servatis, pro rerum contingentia, constitutionibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus

diaetis, nisi ipsius constitutionibus derogatum fuerit expresse in litteris, quae fuerint exequendae, sed et tunc, ne quemquam extra dioecesim ultra tot diaetas evocet, quot in ipsis litteris expressum erit, neve alii vices suas committat vel subdeleget, quam constitutis in dignitate ecclesiastica aut cathedralium ecclesiarum canonicis, exceptis litteris pensionum, quarum solutio in Romana Curia destinatur, et his omnibus, quibus ipse nominatim executor praescriptus fuerit; his enim casibus possit ad se undecumque et quotcumque partes evocare.

Monitoria generalia non dentur.

§ 15. Monitoria generalia, vulgo *Significavit* appellata, quae, scilicet, ut aliquid reveletur seu restituatur vel probetur, cum censuris ecclesiasticis publicari solent, nullo modo decernat sive expediat.

Episcopi et alii non impediantur in executionem concilii Tridentini.

§ 16. Similiter nihil, sine speciali nostra commissione, decernat aut faciat aut mandet, quod episcopos aut alios locorum ordinarios impedire possit ne ad executionem decretorum sacri concilii Tridentini correctionemque morum libere procedant.

Expeditiones non dentur in his quae non pertinent ad iurisdictionem.

§ 17. Ab omnibus autem et singulis iis, quae ad eius iurisdictionem secundum praemissa pertinere volumus[1], usque adeo abstineat, ut neque monitoria neque citationes neque inhibitiones neque sequestra neque mandata de manutenendo neque aliud quicquam, quocumque sub praetextu, super iis aut ipse decernat aut ab aliis decreta revocet; et pariter eius notarii nihil omnino expediant aut etiam scribant, sub poena amissionis officii.

Nihil in contumaciam expediatur in causis civilibus.

§ 18. In causis vero sui fori civilibus, etiam in quibus summarie et ad instar beneficialium procedendi ei concessa est facultas, numquam omnino ad poenas contumaciales deveniat; sed potius, receptis probationibus ad negocium principale spectantibus, datoque competenti termino parti absenti, demum, super his servatis servandis, definitive pronunciet, etiam sine litis contestatione.

Non dentur mandata de manutenendo, non citata parte.

§ 19. Mandata de manutenendo, numquam, nisi parte legitime citata, et compendiosa ac summaria causae cognitione adhibita, decernat.

Nec sequestra.

§ 20. Idem et in sequestris servetur, nisi aliqua ratione timendum sit, iudicis arbitrio, de suspicione fugae vel bonorum dilapidatione.

Commorantes extra Italiam non citentur ad comparendum, invito Papa.

§ 21. Ne autem contingat ut absentes et in remotissimis ab Urbe partibus degentes, si ob praetensum aliquod crimen moneantur ad personaliter comparendum, deinde inculpabiles reperti, maxima itineris incommoda et dispendia nulla sua culpa passi sint, neminem posthac extra Italiam existentem ad comparendum personaliter moneat, nisi facto verbo nobiscum, de quo verbo habito fiat mentio in litteris monitoriis.

Expeditiones extra Curiam ab auditore subscribantur.

§ 22. Postremo notarii nihil umquam cuiusvis generis scripturae ad iudicium pertinentis, quod extra curiam mittendum sit, expediant et parti tradant, nisi cum subscriptione auditoris vel eius locumtenentis.

Reformet circa expensas.

§ 23. Circa impensas autem, quae a partibus pro scripturis et expeditionibus faciendae sunt, ultra ea, quae in universum in omnibus curiis observari volumus, infrascripta specialiter in eadem Curia auditoris, etiam in causis pendentibus, observentur.

Causae ordinariae non efficiuntur commissariae per supervenientem commissionem.

§ 24. In causis, quae ordinarie, secundum auditoris facultates in eius tribunali introductae fuerint vel introduci potuerint, sive post coeptam causam superveniat commissio, sive ante impetrata sit, sive in prima sive in ulteriori instantia, nulla in re augeat impensam, sed quoad hoc habeatur semper causa per ordinaria, ita ut, etiam ratione sententiae, neque notarii neque iudices quicquam propterea accipiant, ultra id quod accipere potuissent, si commissio non adesset,

1 Cherub. legit *nolumus* (R. T.).

Sive igitur adsit commissio sive non, in causis ordinarie ad hunc forum pertinentibus exigatur ut infra, et non amplius.

Sit itaque pretium perfectae expeditionis, taxa et aliis omnibus comprehensis.

Taxa expeditionum in causis civilibus tribunalis A. C.

§ 25. Pro monitorio speciali ad partes, iul. novem.

Pro monitorio speciali per edictum, iul. duodecim.

Pro monitorio in vim bullae Eugenianae, iul. duodecim.

Pro Eugeniana per edictum, iul. quindecim.

Pro monitorio in vim bullae Coenae Domini, iul. duodecim.

Pro citatione cum inhibitione, vigore appellationis extra Curiam, cum insertione instrumenti sententiae a qua appellatur, iul. decem.

Pro instrumento remissoriae, iul. novem.

Pro instrumento litis pendentiae extra Curiam, iul. novem.

Pro transumpto simplici unius bullae seu instrumenti aut cedulae, vel etiam plurium similium vel aliorum iurium in eodem transumpto descriptorum, si fuerint in forma *Probanti*, iul. duodecim.

Si vero in forma *Vidimus*, iul. novem, habita tamen ratione excessus scripturarum arbitrio iudicis, quoad laborem notarii.

Pro sequestro extra Curiam, iul. novem.

Pro litteris superviventiae, quae non taxentur, iul. quatuor, una cum sigillo.

Pro fide legalitatis apponendae instrumentis notariorum, in totum, una cum sigillo, iul. duos.

Pro mandato de exequendo, iul. novem.

Pro nota sententiae nihil exigatur.

Pro sportulis etiam nihil.

Taxa expeditionum in causis commissariis Curiae A. C.

§ 26. At in causis quae per commissionem introducuntur, et ab initio sunt commissariae, neque alias ad huius fori cognitionem spectant, solvatur ut sequitur.

Pro citatione vigore commissionis, absque inhibitione extra Curiam, iul. nov.

Pro citatione cum inhibitione simplici, iul. undecim.

Pro citatione cum inhibitione sub censuris, iul. quatuordecim.

Pro citatione cum inhibitione sub censuris per edictum, etiam pro necessario examine, iul. decem et octo.

Pro inhibitione simplici extra Curiam, iul. novem.

Pro inhibitione extra Curiam sub censuris, iul. duodecim.

Pro inhibitione in Curia, iul. tres cum dimidio.

Pro monitorio speciali, iul. quindecim.

Pro notis sententiarum definitivarum, quae in scriptis proferuntur, in prima instantia, iul. quadraginta; in secunda, iul. triginta; in tertia, iul. viginti.

Pro nota absolutoria ab observatione iudicii, iul. quindecim.

Pro nota interlocutoriae, iul. quindecim.

Pro nota declaratoriae, iul. octo.

Pro mandato de exequendo, iul. quindecim.

Pro sequestro, iul. quindecim.

Pro sportulis iudicum pro sententiis definitivis ex scripto proferendis, non ultra id quod in aliis Curiae tribunalibus ordinariis a felicis recordationis Pio Papa quarto praescriptum est.

Taxa expeditionum, actorum ac scriptorarum in causis ordinariis et commissariis Curiae A. C.

§ 27. De ceteris vero actis, scripturis et expeditionibus infrascriptis, sive causae sint ordinariae sive commissariae, solvatur tantummodo infrascriptum pretium, videlicet:

Pro compulsorialibus, generalibus sive specialibus, iul. duodecim.

Pro palmo rotuli remissoriae, iul. tres. Sit autem palmus linearum triginta, et linea syllabarum decem et octo.

Pro instrumento remissoriae, iul. duodecim.

Pro instrumento litis pendentiae in Curia, iul. quatuor cum dimidio.

Pro interdicto speciali, iul. quindecim.

Pro instrumento relaxationis interdicti, iul. quindecim.

Pro executorialibus, iul. triginta sex.

Pro mandato de immittendo in possessionem vigore litterarum apostolicarum seu in forma brevis, iul. decem.

Pro absolutione sive absolutionis commissione, pro uno, iul. novem.

Pro duobus litis consortibus, iul. quatuordecim.

Pro tribus litis consortibus, iul. decem et octo.

Pro quatuor litis consortibus, iul. viginti tres.

Ultra quatuor quotcumque addantur personae litis consortes, nihil augeatur pretium expeditionis.

Pro capitulo, collegio, confraternitate aut universitate, iul. quinquaginta.

Pro instrumento absolutionis, iul. duodecim.

Pro decretis a iudice prolatis non ex scripto, etiam vim definitivae habentibus, eorumve nota et sportulis, nihil.

Pro simplici fide etiam plurium actorum, iul. duos.

Pro examine testium, cum articulis et interrogatoriis, in causa quae sit aestimationis a quinquaginta scutis supra, usque ad quamcumque summam, si articuli non excedant numerum vigintiquinque, interrogatoria numerum trigintaquinque, in domo vel officio notarii, iul. quatuor; extra vero officium, non ultra duplum.

In causa aestimationis a quinquaginta scutis infra, solvatur tantum pro dimidia. Quod si articuli excedant numerum vigintiquinque, et interrogatoria trigintaquinque, solvatur merces notarii, arbitrio iudicis.

Pro instrumento sententiae, si extrahatur, iul. quindecim.

Pro instrumento declaratoriae, non tamen vigore obligationis in forma Camerae, iul. duodecim.

Pro brachio saeculari, ob non paritionem monitorii aut litterarum apostolicarum vel executorialium, iul. triginta.

Pro mandato suspicionis fugae, usque ad quamcumque summam, etiam in vim obligationis cameralis decreto, iul. quatuor cum dimidio.

Pro mandato de consignando vigore sequestri, etiam ubi pro illius verificatione debitor prius fuisset conventus via executiva, vigore obligationis cameralis, iul. quatuor cum dimidio.

Pro mandato de consignandis pignoribus subhastandis aut deliberandis, iul. quatuor cum dimidio.

Pro mandato de relaxando, pro debito civili, iul. quatuor cum dimidio.

Pro mandato in causis civilibus loco litterarum, pro parva summa, iul. quatuor cum dimidio.

Computato in his omnibus mandatis iulio sigilli.

Divisio pretii dictarum expeditionum.

§ 28. De pretio autem sic praescripto, in omnibus supradictis expeditionibus, sive ordinariis sive commissariis, dentur auditori et massae notariorum, item (quoad ordinarias) camerario eædem portiones, quae et prout antea pro eisdem expeditionibus dabantur, nulla ex parte diminutae. Reliquum quod, iis portionibus detractis, supererit, sit notarii expeditionis, praeterquam in expeditione absolutionis sive commissionis absolvendi, in qua singulis detrahatur pro rata, ita ut non tantum portio notarii, sed cuiusque aliorum minuatur ad eam rationem, ut tantum unicuique portioni pro eius modo decrescat, quantum omnibus in universum detraximus.

Taxa mandatorum executivorum.

§ 29. Pro mandato executivo, sive brachio, ubi invocatione opus fuerit, saeculari, per omnia expedito omnibusque comprehensis, pretium sit ut infra, videlicet:

Ab uno scuto usque ad quindecim, iul. quatuor cum dimidio.

A scutis quindecim usque ad vigintiquinque, iul. viginti duo.

A scutis vigintiquinque usque ad quingentos, iul. triginta tres.

A scutis quingentis usque ad mille, iul. sexaginta sex.

A scutis mille usque ad quamcumque summam, iul. centum et decem.

Divisio pretii mandatorum executivorum.

§ 30. Hoc autem pretium ita dividatur, ut ex iuliis viginti duobus, auditor habeat iulios sex, camerarius pro sigillo habeat iulios quatuor cum dimidio, massa notariorum habeat iul. quatuor cum dimidio, reliquum habeat notarius expeditionis.

Ex iuliis triginta tribus, auditor habeat iulios octo et baiochos duos cum dimidio; sigillum, iulios quinque cum dimidio; massa habeat iul. octo et baiochos duos cum dimidio; residuum notarius.

Ex iuliis sexaginta sex, auditor habeat iulios sexdecim cum dimidio, sigillum iulios undecim, massa iulios sexdecim cum dimidio, notarius quod superest.

Ex iuliis centum et decem, auditor habeat iulios vigintiquatuor et baiochos septem cum dimidio, sigillum iulios sexdecim cum dimidio, massa iulios viginti duos, notarius reliquum.

Ad constituendas autem supradictas summas, computentur iulii undecim pro singulo scuto; quilibet vero iulius sit decem baiochorum.

Taxa expeditionum censurarum ecclesiasticarum.

§ 31. Censurarum ecclesiasticarum nomine nihil accipiatur, vel in expeditione mandati executivi seu brachii saecularis, vel deorsum ab eo, neque usquam alias, nisi ubi ad illas rite processum fuerit re ipsa.

Cum vero ad illas procedi contigerit, tunc pro declaratoria, aggravatoria et reaggravatoria simul iunctis, et totali earum omnium expeditione, tantundem exigatur quantum pro brachio saeculari, habita ratione praedictae distinctionis summarum; ita ut omnis impensa utriusque expeditionis, mandati scilicet vel brachii saecularis et censurarum simul collecta, duplum non excedat eius pretii quod mandato seu brachio saeculari supra taxatum est, pro qualibet supradictarum summarum. Excepta ultima maiori summa, videlicet a mille supra. In ea enim summa, etiam si contingat, ultra vel post mandatum executivum seu brachium saeculare, censuras quoque relaxari, nihil tamen earum nomine exigatur; sed tantum praeter id pretium, quod pro solo mandato seu brachio saeculari supra taxatum est, accipi possit iusta merces pro scriptura.

Numquam tamen cogantur partes invitae, una cum mandato executivo seu brachio saeculari, censurarum quoque expeditionem accipere, aut earum expeditionis pretium solvere, etiam si ad censuras ipsas in subsidium contra contumacem index comminando rite processerit, et extra loca temporali dominio sanctae Romanae Ecclesiae subiecta vel etiam extra Italiam expeditio mittenda foret.

Quod si forte quisquam, legitime servatis processibus, utramque expeditionem, mandati scilicet seu brachii saecularis et censurarum, eodem tempore habere voluerit, tunc apponantur verbis expressis in ipsa expeditione, quoad censuras, ne is pretium quod illarum ratione expendit, ullo modo repetere possit ab iis, contra quos decretae et prolatae fuerunt, nisi adversus eosdem, vigore mandati executivi seu brachii saecularis non satisfacientes aut alias non parentes, censuris ipsis necesse fuerit uti.

Divisio pretii expeditionum.

§ 32. Ipsius vero expeditionis censurarum pretium praedictum eadem ratione et eisdem portionibus dividatur, quibus pretium mandati executivi seu brachii saecularis, ut supra dictum est.

§ 33. Pro duplicatis etiam post quod-

Pro duplicata nihil detur.

cumque tempus expeditis, nihil exigatur praeter scripturae mercedem.

Taxa sigilli

§ 34. Pro sigillo parvo appenso in qualibet expeditione, solvatur iulius unus tantum, ubi non adest minor taxa.

Ma data non expedit. non s lvantu.

§ 35. Pro mandatis executivis vel aliis quibuscumque expeditionibus notarii nihil recipiant, nisi illis effectualiter partibus consignatis.

Nemo cogatur accipere expeditionem.

§ 36. Nec partes ipsae cogantur accipere aliquam expeditionem, nisi eam quam voluerint.

Pauperes et miserabiles

§ 37. Pauperibus item expeditiones in forma pauperum; miserabilibus vero gratis omnino tradant etiam scripturae mercedem; distinctio vero istarum personarum iudicis arbitrio remittitur.

Gratis hic indicata habeant.

§ 38. Pro terminis coram iudice servandis, iudicibus informandis, scripturis ad eos deferendis seu etiam in officio perquirendis, regestis seu extractibus transportandis et aliis huiusmodi, notarii vel eorum substituti, et in eorum officiis scribae et copistae, etiam nomine regalium seu bibaliorum, nihil prorsus, etiam a sponte dantibus, accipiant.

Taxa in causis criminalibus sit tertiae partis in praedictis; in aliis causis servetur taxa Pii quarti

§ 39. In causis criminalibus expeditionum, quae erunt eiusdem generis seu nominis, cuius sunt suprascriptae, pretium augeri non possit ultra tertiam partem eius, quod supra in civilibus praescriptum est; in regestis, extractibus, copiis iudiciorum et alterius quam supradicti generis seu nominis expeditionibus criminalibus, servetur taxa ab eodem Pio praedecessore aliis tribunalibus ordinariis Urbis praescripta.

Expensa notetur in calce expeditionis.

§ 40. In omnibus expeditionib., immo[1] earum parte, notarius apponat integram summam eius quod vere expositum fuit sub his verbis, videlicet: *Exposuit in totum tantum;* idemque etiam in libro expeditionum ipsius notarii describatur.

§ 41. Et ut praemissa omnibus pateant, sciatque quilibet quid et quantum in praemissis exponere debeat, quilibet notarius auditoris teneatur posthac tabulam supradictorum pretiorum expeditionum litteris maiusculis ordinate et distincte scriptam, in eius officio, palam, loco eminenti et cognito, proponere et semper retinere.

Tabella retinatur.

Aliae reformationes non contrariae confirmantur

§ 42. Constitutiones item quae, tam a nobis quam ab aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ad reformationem huius Curiae pertinentes, emanarunt et in futurum emanabunt, modo his contrariae non sint, omnino in eadem Curia observentur.

Poenae contravenientium.

§ 43. Districtius inhibentes auditori, sub indignationis nostrae, et locumtenentibus sive iudicibus ac notariis praedictis, sub privationis officiorum suorum huiusmodi et aliis etiam gravioribus, nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis et applicandis, poenis, ne de expeditionibus et aliis sibi per praesentem interdictis, ac contra praesentis formam et tenorem, etiam quorumvis privilegiorum et indultorum ac litterarum eis quomodolibet concessarum aut consuetudinis et styli, immemorabiliter observati, vel alio quovis praetextu se intromittere quoquomodo audeant seu praesumant.

Annullatio in contrarium gestorum.

§ 44. Decernentes quaecumque decreta et acta ab eisdem auditore, iudicibus, notariis pro tempore, contra praesentis formam et tenorem emanata et facta, nulla et invalida ac extorta, subreptitia nulliusque roboris vel momenti fore et censeri, neminique propterea suffragari posse vel debere.

Decretum irritans.

§ 45. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et au-

1 *In ima* legit. Cherub. (R. T.).

ctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 46. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac stylo, consuetudine ac quocumque temporis cursu, etiam immemorabili, roboratis; privilegiis quoque, indultis eidem tribunali ac illius auditoratus officio et auditori, etiam in eiusdem officii erectione et institutione, ac iudicibus et notariis ipsis illorumque collegio, etiam simili motu, etiam consistorialiter *etc.*, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie et alias quomodolibet, etiam per nos, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; et quibuslibet aliis privilegiis, indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesenti non expressa vel totaliter non inserta, effectus praesentis impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus specifica et individua et expressa ac de verbo ad verbum habenda esset mentio specialis.

Forma publicandi.

§ 47. Ut autem praesens motus proprius ad omnium notitiam deducatur, ac omnes, quorum interest vel interesse poterit, afficiat, volumus et mandamus illius copiam in Palatii nostri Apostolici ac domus seu Curiae praedicti auditoris valvis, necnon in acie Campi Florae affigi, et ibidem relicta eius copia aliquandiu detineri.

Sola signatura sufficit.

§ 48. Volumus item quod praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria non obstante.

Fides exemplorum.

§ 49. Quodque eius transumptis, notarii publici manu subscriptis, et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo signitatis, plena et indubia fides eaque prorsus adhibeatur, quae ipsi adhiberetur, si foret exhibitus et ostensus.

Placet, et ita motu proprio statuimus et mandamus. M.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, duodecimo kalendas decembris, anno v.

Dat. die 20 novemb. 1570, pontif. anno v.

CLXXVII.

Prohibitio disputandi in publicis praedicationibus de conceptione Beatae Mariae Virginis, aut de ea vulgari sermone scribendi vel dictandi [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Super speculam Domini, viribus licet exiguis, constituti, prophetae sollicitudinem imitantes, die noctuque ad diversos Ecclesiae status nostrae mentis aciem intendimus, studiose providentes ut communi Domino ab omnibus gradibus fideliter serviatur, ac illis maxime, quibus digniora ministeria divini Spiritus favore credita sunt, inter quos divini verbi prae-

1 De praedicatorum autem officio et approbatione vide in Leonis X constitutione XXII, *Supernae*, tom. v, pag. 681. De conceptione B. Mariae habes in concilii Tridentini sessione v, *De peccato originali*, in fin.; et constit. huius Pontificis num. 168.

dicatores adnumerandos esse nemo dubitare poterit, qui eorum munus ab ipso Domino consecratum, apostolis praecipue iniunctum fuisse animadvertet, qui, si adepto gradu digne fungerentur, evangelizantes pacem, annunciantes bona, praedicantes salutem, non solum vox eorum dulcis, verum et speciosi pedes viderentur, et fraternae salutis uberes fructus referentes, multam fiduciam haberent in die Domini. Verum, quod neque sine animi dolore accepimus nec referre possumus, quidam diversorum Ordinum regulares clericique saeculares, omissis quae divinæ Maiestatis gloriam et sanctissimae Dei Genitricis aliorumque divinorum venerationem atque fidelium pietatem promovere poterant, quod Apostolus in quibusdam arguit, languent circa quaestiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiae et contentiones ceteraque vitiorum monstra; potissimum vero cum de gloriosae Virginis Mariae conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si de illis dogmatibus esset, quae corde credere ad iustitiam, et ore confiteri ad salutem necessarium est. Quibus illud prophetae convenire videtur, dicunt *Ait Dominus, cum ego non sim locutus;* cum sancta Romana Ecclesia, omnium ecclesiarum magistra et doctrix disciplinae, de ea re hucusque non definierit, nemo absque temeritate praeiudicare vel alterius partis sententiam damnare potest; et quasi desint praeclarissima Inventricis gratiae merita, quae nec angelica quidem lingua satis digne referri possunt, et quasi ex illo uberrimo fonte puteoque aquarum viventium non possint saluberrimas haurire aquas, quibus fidelis populus magna cum utilitate atque dulcedine reficeretur, ad dissipatas cisternas occurrunt, stultas scilicet et sine disciplina quaestiones, quae generant lites, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri sapientes, qui capiunt, utiliter percipere valeant; praesertim quoniam, ut experimento didicimus, ipsorum concionatorum, qui ad quæstiones huiusmodi proponendas facilius erumpere solent, maior numerus, materiae difficultatem prorsus ignorantes, neque intelligentes quae loquuntur aut de quibus affirmant, simplicium animos, indiscretae devotionis obtentu vel potius loquacitatis et ostentationis affectu ad tumultus et simultates concitant, quos tumultuantes atque dissidentes componere sedareque potius oportebat. Cumque parvulis in Christo lac infundere, provectis solidum cibum apponere deberent, dum in huiusmodi controversiis interminatis versantur, omnibus ubera proferunt arentia, quod non absque maledictionis nota legimus in propheta.

Confirmatio decreti Sixti IV, approbati a conc. Trident., sess. v, *De peccato originali*, in fin.

§ 1. Nos igitur, qui praedecessorum nostrorum saluberrima decreta pro viribus salva esse cupimus, potissimum illa, quae a sacrosancta synodo Tridentina denuo sunt confirmata, liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controversiæ quamlibet partem, prout vel magis piam vel magis probabilem esse iudicaverit, praedictorum igitur concionatorum aliorumque contentioni atque temeritati populorumque scandalis occurrere studentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, statutum felicis recordationis Sixti quarti, praedecessoris nostri, super ea re, quod a praefata synodo innovatum est (illud præsentibus, ac si de verbo ad verbum esset insertum, pro plene et sufficienter expresso et inserto habentes), apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus.

Prohibitio disputandi in po-

§ 2. Atque, ut deinceps efficacius a cunctis observetur, perpetuo statuimus

pularibus concionibus de conceptione B Mariae Virginis aut de ea vulgari sermone scribendi vel dictandi.

et ordinamus ac per apostolica scripta mandamus quatenus nemo, cuiuscumque ordinis, gradus, conditionis vel dignitatis existat, in popularibus concionibus vel ubicumque promiscua virorum et mulierum multitudo convenire solet, de huius controversiae alterutra parte disputare, rationibus vel doctorum auctoritate, afferendo propriam sententiam, et contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac ipsa quaestione, cuiusvis pietatis aut necessitatis praetextu, vulgari sermone scribere vel dictare praesumant. Qui contrafecerit, suspensionis poenam a divinis, absque nova declaratione, ipso facto incurrat, si modo fuerit in sacris constitutus; et quocumque praeterea gradu sive dignitate vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso iure privatus, et ad eadem vel similia munera obtinenda vel obeunda perpetuae inhabilitatis censurae ipso etiam facto sit obnoxius; super quibus nisi a Romano Pontifice pro tempore existente dispensari sive absolvi non possit, et nihilominus aliis poenis, si opus fuerit, a proprio praelato pro delicti mensura infligendis subiiciatur, prout subiicimus.

Permissio disserendi de conceptione in disputationib., cessante occasione scandali.

§ 3. Ceterum, quamdiu per apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit oppositaque sententia condemnata, liceat viris doctis, in publicis academiae disputationibus, sive generalium aut provincialium capitulorum vel ubi alias intersunt, qui rem capere possunt, nec scandali ulla subest occasio, de illa quaestione disserere, et argumentis utramlibet partem vel asserere vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea praedicetur, serventurque illa omnia, quae a dicto Sixto praedecessore nostro statuta sunt, quorum singula, ut praefertur, etiam quantum ad alias poenas, duximus innovanda et innovamus per praesentes.

§ 4. Ut autem haec nostra constitutio et praemissa omnia ad eorum omnium, quorum interest, notitiam congruentius pervenire possint, in virtute sanctae obedientiae et sub poena privationis ab ingressu ecclesiae, etiam eo ipso incurrenda, si in his quae mandamus exequendis se negligentes exhibuerint, praecipimus et mandamus omnibus et singulis locorum ordinariis ac eorumdem vicariis suffraganeis et officialibus quibuscumque et aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat et pertinet, quatenus huiusmodi nostram constitutionem singulis suae dioecesis vel districtus praedicatoribus et aliis, quibus expedire indicaverint, opportune insinuent et publicent, ac insinuari et publicari faciant. Et ne quis in posterum quoquomodo ignorantiam de praemissis possit praetendere, aut se contra praemissa valeat excusare.

Iussio publicandi hanc bullam ubique.

Forma et effectus publicationis in Urbe.

§ 5. Volumus et similiter eadem auctoritate decernimus et mandamus quod praesentes litterae per aliquos ex nostris cursoribus in basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis apostolorum et Cancellariae Apostolicae valvis, ac in acie Campi Florae de Urbe, de more publicentur et affigantur, et illis inde amotis, remaneant in eisdem locis earumdem exempla affixa: quae publicatio et affixio ita omnes, ad quos spectat, afficiat et arctet ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Clausula derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus ac quibusvis indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam quantumcumque qualificatis, et in quacumque, etiam cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali, episcopali et quavis alia dignitate et honore constitutis; etiam quod interdici, suspendi vel excommunicari nequeant, quomodolibet concessis, quae eis contra praemissa in aliquo suffragari non posse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus insuper et decernimus

Praesentium vis. quod praesentes vim perpetuae et irrefragabilis constitutionis obtineant, et quod illarum transumptis, etiam impressis, *etc.*

Sanctio poen. § 8. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, pridie kalendas decembris, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 30 nov. 1570, pontif. anno v.

CLXXVIII.

Facultas canonicorum regularium congregationis Lateranensis, Ordinis S. Augustini, festum illius celebrandi etiam die dominica, si in ea illud vel illius octava occurrerit, et celebrandi etiam festa nonnullorum sanctorum sui Ordinis iuxta antiquum ritum 1.

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Licet Ecclesia Dei sponsa tunc verae iubilationis suae fructum reportet, cum christifideles omnes ad precum effundendarum exercitium excitat, eumdemque orandi psallendique ritum et morem omnibus proponit; alienum tamen a ratione minime censendum erit si aliquos, sanctorum quorumdam patrocinio specialius suffultos, ad eorumdem particularem venerationem, etiam per crebras illorum commemorationes, sese excitare permiserit, ut peculiare ipsorum meritum agnoscentes, eorum quoque vestigia sequi quam maxime studeant.

Hic Pontifex Breviarium edidit, et iuxta illud sacra celebrari iussit. § 1. Hinc est quod nos, licet alias, ex certis tunc expressis causis, omni alio Breviarii usu interdicto, Breviarium quod imprimi curavimus, ac psallendi precandique formulam in omnibus universi orbis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et locis, etiam exemptis, in quibus iuxta ritum Romanae Ecclesiae dici debet aut consuevit, sub certis modo et forma servari mandaverimus, statuentes Breviarium ipsum nullo unquam tempore in toto vel in parte mutandum aut ei aliquid detrahendum, ac alia fecerimus, prout in ipsis litteris, quas in cuiuslibet Breviarii praedicti principio imprimi voluimus, plenius continetur.

Nunc autem dat congregationi licentiam festa de quibus hic celebrandi iuxta Ordinis ritum etc. § 2. Attendentes tamen dilectos filios canonicos regulares congregationis Lateranensis, Ordinis S. Augustini, eorum patrem ac primum apostolici illius Ordinis reformatorem, S. Augustinum praedictum, ac praeterea insigniores eiusdem Ordinis sanctos martyres ac confessores, quorum meritis eadem congregatio per orbem propagata et illustrata extitit, et in dies eiusdem congregationis personae adiuvantur atque proteguntur, debita, ut par est, veneratione cupere, in eorum praesertim diebus, quibus in Domino obdormire eisdem obtigit, celebrare. Nos propterea, pium eorum desiderium plurimum in Domino commendantes, motu proprio, non ad dictorum canonicorum seu alicuius eorum super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, congregationi dictorum canonicorum concedimus primum quod, ultra consuetas Salvatoris Lateranensis et S. Augustini praedicti eorum patris ad vesperas et laudes commemorationes, eiusdem S. Augustini festum die vigesima octava augusti occurrens, per totam illius octavam, tam in canonicis horis quam in missae celebratione, prout hactenus, celebrare possint, videlicet in ipsa quidem die et octava, sub duplici; infra octavas autem, sub semiduplici, cum commemoratione festorum simplicium occurrentium. De decollatione autem Sancti Ioannis Baptistae fiat suo die, cum commemoratione octavae. De dominica autem, si occurrat infra octavas, fiat de ea cum commemoratione octavae; sin autem in ipsa die vel octava dominica occurrerit, fiat de Sancto cum do-

1 De materia autem huius congregationis vide in Paschalis II constitut. XXIX, tom. II, pag. 246.

minicæ commemoratione, cum antiphonis videlicet, hymnis, responsoriis ac reliquis ipsorum canonicorum propriis, ordinatis a divo Thoma Aquinate, iuxta eorum antiquum morem, seu et prout melius ac congruentius videbitur ab ipsis reformandis, dum tamen tres primae lectiones sint de Scriptura; intra octavas quidem, de occurrente; in ipso autem die et octava, de Scriptura assignata ab ipsis canonicis atque congruentius eidem festo aptata. Mediae tres, partim de vita eiusdem patris, collecta e dictis eiusdem, in libris paccipue confessionum, necnon et Possidonii eius contemporanei ac socii, qui, cum per annos quadraginta cum eo familiarissime vixisset, vitam etiam eius veriori et integriori modo descripsit; partim de sermonibus eiusdem patris de communi vita clericorum. Tres vero postremae lectiones de homilia S. Ioannis Chrysostomi super Evangelium Matthaei: *Vos estis sal terrae;* pariter et eius conversionem die quinta maii, cum lectionibus ut supra authenticis ex ipso S. Augustino et Possidonio, necnon et cum lectionibus in ultimo nocturno divi Gregorii Papae, super Evangelio Lucae: *Erant appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores.* Primam quoque eius, quae undecima octobris, et secundam, quae ultima die februarii occurrit, translationes, necnon et quolibet mense semel ipsius commemorationis festum, die in quo festum alicuius sancti non occurrerit, sub duplici possint celebrare. Et similiter sanctorum Aniani episcopi, die decembris secunda; S. Thomae Cantuariensis episcopi et martyris, vigesimanona decembris; Aquilini martyris, ianuarii vigesimanona; Guarini episcopi, februarii sexta die; Theotoni confessoris, decima octava die februarii; Albini episcopi, prima martii; Herculani episcopi et martyris, martii secunda; Patritii episcopi, martii decimasexta; Monicae viduae, maii quarta; Ubaldi episcopi, maii decimasexta; Ivonis episcopi, maii vigesima; Bernardi confessoris, iunii decimaquinta; Ioannis, octobris decima; Fridiani episcopi, novembris decimanona; Gelasii Papae, novembris vigesima prima; Prosperi episcopi, novembris vigesimaquarta. Omnium quoque aliorum dictae congregationis et Ordinis sanctorum festa etiam sub duplici officio celebrare, atque iis omnibus et singulis proprias eorum atque authenticas lectiones seu et orationes, servata praedicta Breviarii forma, accommodare valeant; officiaque praedicta recitantes debito suo perinde censeantur satisfecisse, ac si ea quae in Breviario assignantur recitassent, nec ad aliam ulterius recitationem ullo umquam tempore possint compelli; praedictaque eorum particularia officia seorsum et separatim a Breviario, ubicumque illis placuerit, absque alia nostra vel commissarii nostri in illis partibus licentia, imprimi facere libere et licite valeant.

Inhibitio contra molestantes canonicos super praemissis.

§ 3. Districtius inhibentes tam locorum ordinariis quam quibusvis librorum impressoribus, ceterisque, quavis auctoritate fungentibus, in virtute sanctae obedientiæ, ac sub excommunicationis maioris necnon indignationis nostrae poenis, ne eosdem canonicos super recitatione horarum aut impressione officiorum huiusmodi impedire, molestare vel inquietare audeant vel praesumant.

Clausulae praeservativae huius concessionis.

§ 4. Ac decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari nullatenus posse, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus comprehendi ullatenus posse, sed quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum, etiam sub quacumque data per ipsos eligenda, restitutas, repositas

et plenarie reintegratas esse, sicque ab omnibus censeri; et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum huius bullae deputatio.

§ 5. Quocirca dilectis filiis nostris Flavio Ursino et Paulo ab Ecclesia, S. R. E. presbyteris cardinalibus, et causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum canonicorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes litteras et in eis contenta quaecumque firmiter observari, non permittentes eos seu eorum aliquem desuper contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae contrariorum derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ultra tres diaetas ad iudicium non trahatur; ac litteris nostris praedictis, quas eosdem canonicos ligare nullatenus posse volumus; ac quibusvis aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus; necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII decembris millesimo quingentesimo septuagesimo, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 18 dec. 1570, pontif. anno V.

CLXXIX.

Privilegium praecedentiae canonicorum regularium congregationis Lateranensis, Ordinis S. Augustini, ante alios quoscumque regulares, post clerum saecularem [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Proœmium

Cum ex Ordinum universitate, qui in Dei Ecclesia reperiuntur, illa castrorum aciei comparetur, illius autem gubernium

1 Quae hanc respiciunt congregationem vide in Paschalis II constitutione XXIX, *Quanto*, tom. II, pag. 246. Et de praecedentia cum monachis S. Benedicti, congregationis Cassinensis, extat declaratio Pii IV in eius const. XCI, *Sedis*, pag. 273 huius tomi.

Romano Pontifici, beati Petri vero successori sit demandatum, mirum nemini videri debet, si ille curae sibi divinitus commissae invigilans, cuilibet quod suum est benigne concedendo, et quae clara etiam sui ipsorum natura sunt, ne in recidivae contentionis scrupulum relabantur, opportunae declarationis ac novae concessionis remedio consolidat, ut, quibusvis sublatis obstaculis, quilibet pacis amoenitate frui libere possit, ac scandalorum occasio penitus tollatur.

Canonici regulares ab apostolis originem traxerunt.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii universi canonici regulares Ordinis S. Augustini congregationis Lateranensis, qui ab apostolis originem traxerunt, quique ab eodem S. Augustino eorum reformatore, iterum per reformationis viam mundo geniti, merito praetendere possunt se omnes alias personas ecclesiasticas, tam saeculares quam regulares, in processionibus et aliis actibus publicis praecedere debere.

Praecedentia taque eis datur immediate post clerum saecularem.

§ 2. Cum tamen non liceat membra a capite separare; sed tamen eis locum debitum assignare, ipsorumque indemnitati, ut sine populi scandalo in publicum prodire, exemploque potius ceteris christifidelibus esse possint, consulere volentes, ac omnium et singularum litium, quae forsan super praemissis exortae sint aut exoriri quoquomodo possint, status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad dictorum canonicorum vel alicuius alterius pro eis super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra et de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos canonicos praedictos, ubicumque locorum existentes, quos deinceps processionibus et aliis actibus, publicis vel privatis, interesse contigerit, statim ipsum clerum saecularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo praecedunt, dum vero praecedendo praecedunt, illum immediate sequi debere, auctoritate apostolica per praesentes declaramus. Ac insuper in omnibus locis, in quibus talis viget consuetudo, in processionibus, ut dicti clerici non exempti, praecipuae quando canonici alicuius ecclesiae cathedralis paramenta ecclesiastica induunt, ut cultus divinus magis vigeat, ac ut sanctissimum Corpus Christi seu aliae reliquiae, quae processionaliter deferuntur, decentius et honorificentius associentur; aut quando hoc ipsius ordinarii mandato continget, ipsi canonici similiter ac illi pluvialia, planetas, tunicellas et alia paramenta super eorum clericalem habitum deferre, necnon pro cruce associanda quaecumque luminaria deferre libere et licite possint, statuimus et ordinamus.

Inhibitio in perturbatores.

§ 3. Districtius inhibentes quibusvis locorum ordinariis, etiamsi patriarchali, provinciali, archiepiscopali, episcopali aut alia dignitate praefulgeant, sub excommunicationis maioris et indignationis nostrae poena, ne eosdem canonicos seu aliquem eorum molestare, aut praemissa quovis modo declarare vel interpretari audeant.

Clausulae huius privileg. praeservativae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod locorum ordinarii aut alii forsan interesse habentes vocati non fuerint, aut nullitate notari, imputari, invalidari, ad terminos iuris deduci, in ius vel controversiam vocari, causamque vel causas quare praemissa a nobis emanaverint, verificandum nullatenus teneri, nec ob id viribus carere; minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, sustentationibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi; sed semper ab illis exce-

ptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas ac plenarie reintegratas, etiam sub data per ipsos canonicos eligenda, esse, sicque ab omnibus censeri. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et ipsosmet ordinarios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§ 5. Quocirca dilectis filiis dictae congregationis protectori, seu eius viceprotectori, et causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac vicario venerabilis fratris nostri episcopi Laudendis in spiritualibus generali, per apostolica scripta, motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eor., per se vel alium seu alios, præsentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte canonicorum prædictorum vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem canonicos illorumque singulos praemissis omnibus et singulis vi praesentium continentia et tenore pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos seu eorum aliquem desuper per quoscumque indebite molestari, perturbari et inquietari; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, illos censuras et poenas ipsas incurrisse declarando, necnon eas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Papae Bonifacii, praedecessoris nostri, etiam qua caveatur ne quis extra civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede Apostolica deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant, ac de duabus diætis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur; ac aliis apostolicis, in provincialibus ac synodalibus conciliis editis specialiter vel generaliter, constitutionibus et ordinationib.; ac etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis ecclesiis, congregationibus, capitulis, collegiis, monasteriis et aliis locis, eorumque superioribus et personis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, motu, scientia et potestate similibus, etiam consistorialiter, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio seu quaevis alia expressio habenda aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod

interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo *etc.*

Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, x kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 23 dec. 1570, pontif. anno v.

CLXXX.

Revocatio facultatum testandi et quovis alio modo disponendi de acquisitis ex bonis ecclesiasticis, ac de aliis rebus etiam proprio labore partis, aut patrimonialibus, ad commodum illegitimorum etiam legitimatorum, non tamen hospitalibus expositorum et orphanorum; et abrogatio habilitationum eorumdem illegitimorum succedendi in dictis bonis aut rebus feudalibus et emphytheuticis a piis locis profectis 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Quae ordini ecclesiastico noxia esse et scandala obiicere perhibentur, necesse est e medio submovere.

Exordium.

§ 1. Quod nos, pro nostri muneris officio, inter alia incommoda, quae in oculos nostros incurrunt, de Christi peculio, ne ab indignis et reiectis ignominiose consumatur, neve illorum causa ecclesiis et pauperibus praeripiatur, curam praecipuam habere volentes, de nobis attributae potestatis plenitudine, revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia, licentias, dispensationes et indulta faciendi testamenta, donationes, sive inter vivos sive causa mortis, legata et quascumque alias dispositiones de dominiis, terris, castris, domibus et quibuslibet aliis bonis et rebus, immobilibus, mobilibus et semoventibus, necnon pecuniis, iuribus et actionibus, ex beneficiis, fructibus, pensionibus et aliis rebus ecclesiasticis, qualibuscumque confectis, acquisitis et alias quomodocumque provenientibus, necnon de peculio et aliis, etiam sola industria, labore, muneribus aut quocumque alio modo partis, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, speciei, naturae et valoris existentibus, in quoscumque illegitimos, sive suos sive extraneos, etiam legitimatos, eosdemque ex toto vel in parte haeredes instituendi et substituendi, seu quod ipsi in praedictis ab intestato succedant, ceterasque huiusmodi facultates et permissiones, ac etiam habilitationes et capacitates succedendi in bonis et rebus feudalibus et emphytheuticis, ab ecclesiis, monasteriis et piis locis profectis, quibuscumque personis saecularibus et quorumcumque Ordinum necnon militiarum et hospitalium regularibus, ac Romanae Curiae officialibus et aliis curialibus Curiamque ipsam sequentibus, et etiam urbis Romae civibus, ac palatia, aedes, census aliaque bona in ea eiusque districtu habentibus, nostris quoque et aliorum Romanorum Pontificum familiaribus, ecclesiarum praelatis, etiam S. R. E. cardinalibus et aliis, cuiuscumque dignitatis, ordinis et conditionis existentibus, illorumque et aliis ecclesiis, capitulis, conventibus, Ordinibus, militiis, hospitalibus, collegiis, officiis et locis, ac praedictae Urbi aliisque civitatibus, provinciis et dominiis, eorumque domnis, populis, civibus et incolis, tam per felicis recordationis Sixtum IV, Innocentium VIII, Alexandrum VII, Iulium II, Leonem X, Clementem VII, Paulum III, Iulium III, Pau-

Revocatio de qua in rubrica.

1 De facultate legitimandi, vide in Iulii II constitutione XVIII, *Sicut*, tom. V, pag. 488; ac Pii IV constitutione XXIX, *Quamvis*, pag. 93 huius tomi.

lum IV, Pium IV et, qui ante illos fuerunt, alios quoscumque Rom. Pontifices ac nos et Sedem Apostolicam eiusque legatos, etiam de latere, nuncios, notarios, comites, collegia, officia et loca, etiam per modum statuti perpetui, generalis legis, initi et stipulati contractus seu quasi, et alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis restitutivis, praeservativis, mentis attestativis, derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, deque simili potestatis plenitudine, ac praedictorum cardinalium consilio et matura deliberatione in consistorio habita, necnon consideratione, intuitu, contemplatione vel ad instantiam imperatoris, regum et aliorum principum, etiam ob remunerationem laborum et obsequiorum nobis et dictae Sedi impensorum, refectionem damnorum, compensationem iurium cessorum vel ablatorum, navatae militiae contra haereticos et infideles, seu pro praedictae Urbis ornatu et frequentatione ac quibuscumque aliis usibus ac etiam necessariis et piis causis concessa et multiplicatis vicibus confirmata, innovata, extensa et moderata et quantocumque tempore pacifice observata, quoad eam partem quae illegitimos praedictos tangit dumtaxat, etiam si illa contineant quod omnes curiales Curiam sequentes et alii, sive ecclesiastici, etiam cardinales, sive mundani, qui palatia, domos et praedia urbana vel rustica aedificaverint, aut census aliave bona acquisiverint aut alias acquisita habuerint in dicta Urbe, et circum eam ad milliaria decem, ex bonis seu fructibus ecclesiasticis, hi tales de illis necnon iuribus et iurisdictionibus omnibus, in favorem illegitimorum ac quomodolibet inhabilium et incapacium, sive inter vivos sive causa mortis, disponere, eosque haeredes et successores universales vel particulares instituere et substituere; et si intestati decesserint, ipsi illegitimi et incapaces in illis succedere possint; quodque per quascumque revocationes, derogationes aut alias contrarias dispositiones illis, quorum interest, praeiudicari nequeat; et si ullo umquam tempore praeiudicatum aut derogatum quoquomodo apparuerit, ius quaesitum ablatum et litterae revocationum et derogationum huiusmodi iuris quaesiti ablatae censeantur. Sicque per quoscumque iudices iudicari debeat et etiam definiri.

Revocatio facultatum legatorum, nunciorum et aliorum similia concedendi.

§ 2. Ac pariter tollimus et abrogamus omnes et quascumque facultates similia concedendi legatis, nunciis, notariis, comitibus, collegiis, officiis et aliis supradictis, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, habemus praesentibus pro expressis. Ita ut privilegiorum, dispensationum, facultatum, habilitationum, capacitatum, indultorum et aliorum supradictorum sic revocatorum, aut etiam litterarum legitimationis praetextu, nullus omnino de huiusmodi bonis, rebus, pecuniis, iuribus, iurisdictionibus et actionibus, in commodum et favorem illegitimorum utriusvis sexus, sive eorum filiorum sive consanguineorum affiniumve sive extraneorum, etiam in statu saeculari procreatorum ac legitimati, quacumque auctoritate donatorum, et ad huiusmodi res et bona eiusque successionem, testato vel intestato, idoneorum et capacium effectorum, sive testamento sive donatione sive legato sive eleemosyna sive alio quocumque titulo et pio opere (exceptis in communi, ac omni fraude, conventione seu compositione cessante, hospitalibus expositorum et orphanorum), disponere nec illegitimi ipsi in eis ab intestato, sive protinus sive per interpositas personas ac quomodocumque succedere, aut illa alias ad eos, etiam per quemcumque circuitum

multiplicatarum in alios capaces successionum, ullo tempore devenire possint.

Contrariæ dispositiones, quæ effectum non sunt sortitae, annullantur.

§ 3. Ac etiam nulla esse et pro infectis haberi volumus omnia et quaecumque facta hucusque testamenta, legata, donationes et alia disposita huiusmodi, quae viventibus adhuc testatoribus aut alias locum non habuerunt, ac pariter ab intestato successiones, non tamen litigiosas, quae plenarium non sunt effectum sortitae.

Prohibitio disponendi ut aliquid ipsis illegitimis concedatur.

§ 4. Dehinc vero districtius prohibemus ne talia sive in praedictos illegitimos utriuslibet sexus sive in illorum coniuges sive ipsorum parentes, filios, descendentes, ascendentes vel alios cognatos, sive viventibus sive defunctis illegitimis, etiam paupertatis, dotis aut alterius cuiuscumque pii operis intuitu, fiant; neve ipsi umquam in rebus, bonis, pecuniis, iuribus, iurisdictionibus et actionibus praedictis, sive totis sive in parte succedant; aut illa ad ipsos, quavis dispensatione suffultos, etiam per praedictum circuitum deveniant; neve de eis ulla in alium seu alios concessio, donatio, translatio aliave dispositio fiat, ut alia bona, similia vel dissimilia, illegitimis aut aliis supradictis concedantur.

Annullatio dispositionum aliis feudarum et poena disponentium.

§ 5. Quod si praedictorum quisquam fuerit praesentium violator, testamentum, donatio, legatum et dispositio omnino non teneat, nec etiam quoad alios capaces et res alias valeat; sicque disponens, privilegio, dispensatione, facultate et indulto praedicto eiusque usu et commodo, etiam in ceteris omnibus, ipso iure sit privatus. Nemo, quantumvis capax, illius praetextu, fructus, res, pecunias aut prorsus alia bona sua faciat, nec illa detinens praescriptione aut ullo alio iuris praesidio adiuvetur, sed ad integram illorum restitutionem, quocumque temporis lapsu non obstante, debeat coercери.

Successores in beneficiis bona, de quibus aliter provisum esset, recuperare possint, et non insistentibus idem faciant locorum ordinarii pro Sede Apost.

§ 6. Ita ut omnes in ecclesiis, monasteriis et beneficiis successores, tam coniunctim quam divisim, quisque videlicet pro rata parte sua, illa omni tempore recuperare possint, et qui primus, ceteris ab eo monitis et negligentibus, iudicium intenderit, ei soli res tota merito vendicetur. Nullis vero huiusmodi successoribus pro praedictis insistentibus, ac etiam de peculio alias quam ex rebus ecclesiasticis confecto locorum ordinarii, tam concessorum et relictorum illegitimis eorumve causa, quam quorumcumque aliorum bonorum immobilium, mobilium et semoventium, necnon pecuniarum, fructuum, rerum et iurium, alias sub d. testamentis, donationib., legatis et dispositionib. comprehensorum, corporalem possessionem, amotis inde et expulsis quibuscumque detentoribus, sive incapacibus sive capacibus, per se vel alium seu alios, libere apprehendant, et apprehensam huius Sedis nomine custodiant, donec ipsa Sedes de illis, uti tum tulerit piorum operum necessitas, duxerit providendum.

Bona ecclesiastica feudalia non existentibus legitimis ad eccles. devolvuntur.

§ 7. Bona vero, res et iura feudalia vel emphytheutica (aliis legitimis ad ea forte vocatis non existentibus), eo ipso devoluta, et iuri ac proprietati suarum ecclesiarum et locorum restituta, et cum reliquis eorum bonis consolidata esse declaramus.

Decretum irritans.

§ 8. Decernentes irritum et inane quicquid scens per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulæ derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac statutis et consuetudinibus ecclesiarum, capitulorum, conventuum, Ordinum, militiarum, hospitalium, urbium, provinciarum, collegiorum, etiam cardinalium, et officiorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia communitis et in consistorio praedicto seu conclavi habitis; aliisque privilegiis, indultis et litteris apostolicis generalibus et specialibus, illis eorumque et aliis quibuscumque personis, cum quibusvis clausulis et decretis, etiam supradictis fortio-

ribus, ac etiam disponentibus quod praedicta per quascumque litteras, numquam aut sine consensu illorum quorum interest, revocata aut sublata intelligantur, et alias, cuiuscumque tenoris existant, per quae, praesentibus non expressa aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus ad verbum habenda esset in nostris litteris mentio specialis, quae omnia, quatenus praedictis adversentur illorumve executionem disturbare possint, viribus prorsus et effectu carere decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque. Quia vero difficile nimis esset praesentes, quocumque illis opus erit, perferre.

§ 10. Volumus ut earum exempla, etiam impressa *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXXI, VI kalendas februarii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 27 ian., 1571, pontif. anno VI.

Sequitur extensio dictae constitutionis etiam ad bona patrimonialia.

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ad Romanum spectat Pontificem sua sollicitudine indefessa diligenter providere ut ea, quae ab eo emanata sunt, ita suae declarationis adminiculo dilucidentur, quod nulla desuper dubitandi occasio ei relinquatur.

Pii IV const. § 1. Licet enim *etc.* [1].

Alia Pii V. § 2. Nos deinde per quasdam nostras sub datum sexto kalendas februarii, pontificatus nostri anno VI, confectas in forma motus proprii litteras, *etc.* [2].

Dubitatum est an constitutio intelligatur etiam quo ad bona patrimonialia. § 3. Quia tamen, sicut postea accepimus, lite et causa in partibus coram dilecto filio gubernatore civitatis nostrae Faventinae inter dilectum filium Bartholomaeum de Lanzonibus, laicum Faventinum, ex una, et quemdam Sanctum filium spuriumque Barnabae etiam de Lanzonibus presbyteri, ipsius Bartholomaei proximioris, de et super haereditate et bonis dicti Barnabae praesbyteri defuncti, quam et quae Bartholomaeus tamquam proximior seu alias quomodolibet de iure; Sanctus vero praefatus tamquam assertus haeres testamentarius et prius legitimatus eiusdem Barnabae, ad se spectare respective contendunt; ac dictus Sanctus de eodem Barnaba tunc presbytero illegitime natus fuit, et defectum natalium patitur, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi deductis et illorum occasione deducendis in Romana Curia pendentibus, partibus ex altera, contingit dubitari an contra tales illegitimos dictae nostrae litterae editae, loquantur et intelligantur etiam de bonis patrimonialibus; ipseque Bartholomaeus sit pauper, eius facultates ad sustinendum litem non suppetant, ac propterea dictus Bartholomaeus cupiat mentem et intentionem nostram super praemissis expresse declarari.

Declar. modo idem Pontifex eandem constitutionem procedere etiam quoad bona patrimonialia. § 4. Nos, huiusmodi dubium elucidare et voluntatem nostram patefacere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium declaramus dictas litteras nostras loqui et intelligi etiam de quibuscumque bonis patrimonialibus, tam mobilibus quam immobilibus et semoventibus, iuribus et actionibus quibuscumque, sicque, etiam ab initio, intentionis et incommutabilis mentis nostrae fuisse et esse attestamur.

Decretum irritans. § 5. Ac ita in praemissis ab omnibus censeri, ac per praefatos et quoscumque alios iudices, etiam Curiae et Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales de latere legatos, sublata ipsis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpre-

1 Omittitur hic relatio bullae Pii IV, *Quamais*, quia ipsam totam habes pag. 95 huius tomi 2 Ut supra in bulla, quae praecedit.

tandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; et si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis et quacumque alia litis pendentia, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac regula nostra de non tollendo iure quaesito in Cancellaria Apostolica edita; ac legibus et statutis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, necnon omnibus aliis, quae in dictis litteris nostris voluimus non obstare, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die quinta martii, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, pontificatus nostri anno VII.

CLXXXI.

Cambiorum illicitorum declaratio et prohibitio [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In eam, pro nostro pastorali officio, curam diligenter incumbimus, ut Domini nostri ovibus opportuna pro animarum salute remedia adhibere minime differamus.

Causa constitutionis.

§ 1. Cum itaque ad aures nostras pervenerit legitimum cambiorum usum, quem necessitas publicaque utilitas induxit, saepenumero, ob illiciti quaestus cupiditatem, depravari, ut sub illius praetextu usuraria pravitas a nonnullis exerceatur; nos petitionibus, quae super his nobis nuper factae sunt, hac perpetuo valitura decretali respondendum esse duximus, ut neque dolosis [1] suffragetur, neque ignaros perdat inscitia: sic enim pastoris officium exequimur, dum gregem nobis commissum ab aeternae damnationis periculo eripere modis omnibus studemus.

Cambiorum illicitorum declaratio et prohibitio.

§ 2. Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quae sicca nominantur, et ita confinguntur ut contrahentes ad certas nundinas seu ad alia loca cambia celebrare simulent, ad quae loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur ut, transacto tempore unde processerant, inanes referantur; aut etiam, nullis huiusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus; nam inter dantes et recipientes usque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat; neque quisquam est, qui in nundinis aut locis supradictis, huiusmodi litteris receptis, solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cum pecuniae sive depositi sive alio nomine ficti cambii traduntur, ut postea eodem in loco vel alibi cum lucro restituantur. Sed et in ipsis cambiis, quae realia appellantur, interdum, ut ad nos perfertur, campsores praestitutum solutionis terminum, lucro ex tacita vel expressa conventione recepto seu etiam tantummodo promisso, differunt. Quae omnia nos usuraria esse declaramus, et ne fiant districtius prohibemus. Porro, ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo possumus, occasiones peccandi fraudesque foeneratorum, statuimus ne deinceps quisquam audeat, sive a principio sive alias, certum et determinatum inte-

1 De poenis eiusmodi cambiorum attende Pii IV constitutionem I, *Cum sicut*, pag. 1 huius tomi. Sed praetextu usurariae pravitatis non retardatur exactio creditorum ad instantiam fisci coram A. C. ut in eiusdem Pii IV constitutione LXIX, *Inter multiplices*, ibidem, pag. 207.

1 *Sua fraus* addit Cherub. (R. T.).

resse, etiam in casum non solutionis, paciscl, neque realia cambia aliter quam pro primis nundinis, ubi illae celebrantur, ubi vero non celebrantur, pro primis terminis, iuxta receptum locorum usum, exercere, abusu illo prorsus reiecto, cambia pro secundis et deinceps nundinis sive terminis exercendi. Curandum autem erit in terminis ut ratio habeatur longinquitatis et vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne, dum longiores praefiguntur, quam loca destinatae solutionis desiderant, foenerandi detur occasio.

Contravenientium poenae.

§ 3. Quicumque contra hanc nostram constitutionem commiserit, poenis a sacris canonibus contra usurarios inflictis se noverit subiacere. Eos vero, qui conspirationes fecerint vel congestam undique pecuniam ita ad se redegerint, ut quasi monopolium pecuniae facere videantur, poenis quae a iure contra exercentes monopolia constitutae sunt, retineri sancimus.

Forma publicationis.

§ 4. Volumus autem quod praesentes litterae in Camera Apostolica et ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe, et Cancellariae etiam Apostolicae publicentur, et in ipsa Camera rescribantur.

Transumptorum fides.

§ 5. Et quia difficile foret eas ad singula quaeque loca deferri, quod earum transumptis *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, v kalendas februarii, pontificatus nostri anno vi.

Dat. die 28 ian. 1571, pontif. anno vi.

CLXXXII.

Extinctio Ordinis fratrum Humiliatorum, cum reservatione Sedi Apostolicae beneficiorum et bonorum propterea vacantium [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quemadmodum sollicitus pater, qui unice carum educavit filium, via salutis egressum revocare cupiens, primum hortatur, indulget, praetermittit, increpat, alia praeterea atque alia tentare non desinit, dum quod expetit modo aliquo consequatur; omnia denique expertus, cum nihil iam proficere intelligit, desperata prorsus salute, omnem de illo parentis animum eiicit, domo expellit, indignum existimans qui parta haereditate fruatur. Sic Romanus Pontifex, quem divina Maiestas patrem et pastorem omnium Ecclesiae suae Ordinum constituit, sicubi quampiam sacrarum congregationum a Regula et vitae praescripto aberrare percipit, modo admonendo, modo concedendo, modo corripiendo, connititur eam vel primis institutis restituere, vel certe quo pacto emendatam, in aliquo statu illi magis cohaerenti continere, omnibus tandem ad illius sanitatem conquisitis, ubi salutaria remedia fastidire, et in viam iniquitatis obstinatius procedere, atque adeo in pravum indurescere animadvertit, ut potius confringi quam corrigi possit, omni curatione reiecta, de ipsa removenda decernit, ne inveterati atque indomiti mali vis in alias insurgat, eisque exitio sit futura. Quod (ut nostrum hac in re studium flagrat) cum in plurimis, tum maxime in fratrum Humiliatorum familia enixe curavimus, nihil inexpertum relinquentes, quin illa multis iampridem modis affecta, etsi non protinus, certe accommoda rerum moderatione directa, ad pristinum institutum paulatim regrederetur.

Causa huius extinctionis.

Cardinalis Borrhomaeus multa statuit pro fratrum Humiliatorum emendatione [1].

§ 1. Etenim, postquam dilectus filius noster Carolus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Borrhomaeus, huius Ordinis protector et Apostolicae Sedis delegatus, animadvertens dictos fratres in luxum iampridem effusos esse, multa de ratione cultus

1 Alia de exinde secutis vide in constitutione subsequenti.

1 Iste cardinalis in sanctorum numerum relatus est a S. D. N. Pauli V.

divini, de obedientia et vita, ut antea communi, deque modo recipiendorum et educandorum religiosorum providenter statuerat, cum intelligeremus eos illa ceteraque omnia Regulae suae instituta omnino aspernari, vitamque omnium voluptatum consertam ducere, ac praepositos et qui ex eo Ordine rerum administrationem habebant, bonam magnamque fructuum partem, veluti propriam, in vanitatibus mundanis turpitudinibusque flagitiose profundere, innumeraque scelera committere.

Et hic Pontifex alia praefinivit pro eorumdem reformatione.

§ 2. Nos, vias omnes, quae illos in aperta huiusmodi pericula atque incommoda coniecerant, excludere conati, pleraque alia de ipsorum vita, moribus et proprietate Regulae inimica, deque modo et tempore gubernandae cuiusque praepositurae, necnon ratione administrationis bonorum, et dispensatione proventuum, aliisque muneribus et officiis, ad prolapsi huius status disciplinae regularis reparationem maxime conferentibus, edidimus, sperantes illa prosperos tandem successus dicto Ordini allatura.

Sed tamen iidem fratres flagitiosam vitam retinent;

§ 3. Sed, obsistente bonarum rerum perturbatore, plerique omnes (quoniam otio et desidia nimium assueverant) Regulae instituta et emendationem abhorrentes, etsi statuta et praecepta nostra communi consensu palam acceptarunt, clam tamen quibus illa modis supprimerent comminiscentes, nefarias protestationes in occulto fecerunt, necessarios suos et alios potentiores laicos ad intestinas seditiones concitarunt, suasores praeterea et impulsores ad intimos summorum principum ministros dimiserunt, qui magnis praemiis et pollicitationibus eos pellicerent in animos praedictorum principum inducere ut nos ad illam rescindendam inclinarent, multaque alia de ea tollenda pravis artibus sunt conati, ut turpem illam et flagitiosam vitam suam retinerent, laetalesque mundi voluptates sequerentur, inter quos non defuit, qui altius praecipitatus, etiam a catholica fide ad haereticos et impia illorum dogmata declinarit; quibus cognitis, omnium gravissimum impoenitentiae peccatum in eis animadvertimus, qui toties frustra correpti, in eadem obstinatione perdurare contendunt, non satis habentes talia attentare, nisi et ii, qui inter ipsos quid posse putant, illis in primis, qui saluti eorum sedulo invigilant, exitium machinentur, illius stimulis concitati, qui scelestum ludam in funestum avaritiae morbum iniecisse non contentus, etiam ad prodendum Dominum suum pecunia impulit. Huius nimirum spiritus nequissimi ductu, quondam Hieronymus Lignana, praepositus praepositurae S. Christophori Vercellensis et plures alii conscelerati huius Ordinis in necem dicti Caroli cardinalis propitiatoris sui conspirantes, ut pecuniam ad tantum nefas expetitam conficerent, de trucidando in primis dilecto filio Fabio Simoneta fratre dicti Ordinis, proventuum praepositurae Braedae Medionalensis depositario, apud quem nummos invenire credebant, secreto convenerunt, inde ad ecclesiam dictae praepositurae, in qua ipsum orantem laqueo suffocare decreverant, profecti, sed inter se de modo aggrediendi, misericordia Salvatoris nostri, discordes, hoc conatu destiterunt, mutatoque consilio sacra aurea et argentea furati sunt. Quibus clam venditis seu pignori datis, praedictus Hieronymus quondam Donatum Farinam, comprofessorem suum, apostatam, pacta pecunia induxit ut ipsum Carolum cardinalem occideret; qui, nacta loci et temporis opportunitate, in eum vesperi de more in sacello cum familia precantem, ut transverberaret, sclopum glandibus confertum, igne admoto, exoneravit; sed telorum parte ad vestes orantis exinanita, aliis utrinque in proximo violentia ictus defixis, inno-

Nonnullis in haeresim usque delapsi.

Alii cum Lignana cardinalis Torrhomari necem machinantur.

centem divina pietas salvum et incolumem conservavit. Quare ambo et quidam alii huius nefandi criminis participes, postea capti, poenas debitas persolverunt.

Ideo hic Pontifex Ordinem fratrum Humiliatorum extinguit;

§ 4. Quando igitur familiam praedictam, nulli studio ad Ecclesiae Dei utilitatem proficienti incumbentem, nulli disciplinae ecclesiasticae deditam, nullum omnino futurae virtutis specimen ostendentem, tam detestandis facinoribus infectam, tam atroci sacrilegio contaminatam, et praeterea impoenitentem atque incorrigibilem agnoscimus, omni de illa spe prorsus exclusa, ipsam tandem tollere constituimus, tamquam malam arborem fructus pessimos proferentem. Habita itaque cum fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio et nobis attributae potestatis plenitudine, extinguimus et abolemus Ordinem praedictorum fratrum Humiliatorum et officium praepositi generalis ac provincialium et quaecumque alia ministeria Ordinis sic suppressi, necnon omnia et quaecumque statuta, consuetudines et decreta eiusdem, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel alia quacumque firmitate munita, et pariter privilegia et indulta, generalia et specialia, quorum omnium tenores, ac si ad verbum insererentur praesentibus, habemus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, necnon irritantibus aliis decretis et vinculis roborata.

eiusdem et aliis omnibus officiis, beneficiis, conventibus et bonis privat;

§ 5. Privamus generalem ac ceteros omnes praepositos et fratres omnibus praepositurís, dignitatibus, administrationibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, necnon domibus, conventibus et locis, immobilibus, mobilibus et semoventibus, in Italia et ubicumque gentium constitutis, sacra quoque et communi supellectile, ac ipsorum omnium usu, usufructu, administratione ac possessione, spirituali et temporali ac etiam iure et actione, sive per statuta nostra sive alias quomodolibet pertinente. Ac tollimus eis omnimodam facultatem, usum et auctoritatem generalia, provincialia et alia capitula de cetero celebrandi.

Et professos in locis eis assignandis regularem vitam ducere, aut ad pares vel strictiores Ordines transire praecipit;

§ 6. Volumus tamen ut omnes fratres, qui nunc sunt, qui professionem regularem emiserunt, deinceps in domibus et locis, quos eis cum victu et aliis necessariis proxime assignandis curabimus, omnino redigantur, ut ibi vitam ducant regularem, suae professioni conformem, sub cura et visitatione ordinariorum locorum aut alterius vel aliorum, quos eis duxerimus delegandos; vel, iuxta iuris communis dispositionem, transeant ad pares vel strictiores Ordines approbatos.

Non professos expell;

§ 7. Novitii vero et alii quicumque non professi, detracto Religionis habitu, ex professorum consortio et domibus expellantur.

Aliosque ad hunc Ordinem recipi et alia loca acquiri prohibet;

§ 8. Quibus professoribus nominatim praecipimus atque interdicimus ne posthac quemquam expulsorum aut omnino alium, etiam voventem, ad professionem vel habitum admittant, nec novas domus vel loca recipiant vel acquirant; quod si secus fiat, professio sit inanis, neminemque obliget neque in specie neque in genere sic professum. Novarum domorum seu locorum receptiones vel acquisitiones viribus et effectu careant, et contrafacientes excommunicationis sint sententia eo ipso innodati, a qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit, absque Romani Pontificis licentia speciali.

Reservatque Sedi Apostolicae beneficia secularia ob huiusmodi privationem vacantia et loca et bona huius Ordinis.

§ 9. Ceterum, intendentes et cultui divino et ecclesiae ministris quamprimum prospicere, omnes praeposituras, dignitates, personatus, administrationes, officia ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, quae deinceps saecularia sint, per privationem praedictam apud Sedem Apostolicam vacantia, necnon

domos, conventus, loca, supellectilem, bona, res, actiones et iura supradicta, eorumque proprietatem et dominium, nostrae et dictae Sedis liberae dispositioni specialiter et expresse reservamus. Decernentes irritum et inane quicquid secus per praedictos aut quoscumque alios, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Fides exemplorum.

§ 10. Volumus autem ut praesentium exempla *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, septimo idus februarii, pontificatus nostri anno VI.

Ego PIUS catholicae Eccles. episcopus.

Sequuntur subscriptiones cardinalium et publicatio.

Dat. die 7 febr. 1571, pontif. anno VI.

CLXXXIII.

Praepositurarum nuper extincti Ordinis fratrum Humiliatorum distributio et applicatio, ipsorumque fratrum divisio, cum locorum et alimentorum assignatione, et cum earumdem dignitatum et beneficiorum saecularium dicti Ordinis reservatione dispositioni Sedis Apostolicae.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Constitutionis praecedentis summam refert;

Quoniam, per extinctionem Ordinis fratrum Humiliatorum et privationem generalis ac ceterorum omnium praepositorum et fratrum illius omnibus praeposituris, dignitatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, nuper a nobis, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine factas, intendentes et cultui divino et ministris ecclesiasticis quamprimum prospicere, praeposituras, dignitates, officia et beneficia praedicta, quae deinceps saecularia essent, necnon bona, domos, redditus, res, actiones et iura Ordinis sic suppressi, nostrae et Apostolicae Sedis dispositioni specialiter et expresse reservavimus. Praeterea voluimus ut omnes fratres, qui professionem emiserant regularem, deinceps in domibus et locis, quae eis cum victu et aliis necessariis assignandos curaremus, omnino redigerentur, ut ibi vitam ducerent regularem suae professioni conformem, sub cura et visitatione ordinariorum locorum, aut alterius vel aliorum quos eis delegaremus, vel, iuxta iuris communis dispositionem, transirent ad pares vel arctiores ordines approbatos.

Et modo dissolvit uniones præpositurarum dicti Ordinis,

§ 1. Nunc autem, ad inducendum novum in dictis praeposituris et locis statum cuique, quantum potest, convenientem, et item subveniendum aliis ecclesiis, conventibus, piis locis, officiis et ministris ad religionis cultum et fidei catholicae propagationem et tutelam utilibus et necessariis, simulque ad praedictorum fratrum distributionem et divini officii celebrationem, paterna caritate intenti, ut ea quae facere instituimus, omni impedimento soluta, plenarium consequantur effectum; de simili potestatis plenitudine, dissolvimus omnes et quascumque uniones, annexiones et incorporationes, perpetuas et temporales, praeposituarum S. Mariae Elisabeth de Busto Parvo, Mediolanensis dioecesis, S. Catharinae Cremonensis, ac forsan aliarum quae nominatim praesentibus exprimuntur, sive ut aliae aliis sive ut invicem aut alias, quacumque causa antehac factas, restituentes eas in liberum et solutum statum, quantocumque ipsae tempore ut unitae pacifice sint possessae.

§ 2. Rursus, verum annuum valorem

Quarum aliquas distribuit et applicat;

fructuum, redditiuum et proventuum singularum praeposituraruin, necnon ecclesiarum, capitulorum, domorum, conventuum, collegiorum, hospitalium et aliorum locorum omnium praesentibus comprehensorum, secundum communem illorum aestimationem, et quantumcumque sint, necnon fructuum reservationes et pensionum assignationes, quos et quas perpetuo vel ad tempus seorsum facere intendimus, praesentibus pro expressis habentes, perpetuo unimus, annectimus et incorporamus: praeposituram S. Petri Bergomensis, cum omnibus rebus et iuribus suis et quae ei competunt actionibus, praepositurae Ss. Simonis et Iudae; ac simili modo praeposituram S. Mariae Ticini, Novariensis diocesis, praepositurae S. Crucis Novariensis; et praeposituram S. Iacobi Moncalerii, praepositurae SS. Trinitatis Avilliani, Taurinensis dioecesis; et praeposituram S. Ioannis Baptistae de Damaso, praepositurae S. Ursulae de Surrigo; et praepositurae S. Michaelis de Paganica et S. Corpetis, praepositurae S. Mariae Cigoli; et praeposituram Sancti Bartholomaei Aquensis, mensae episcopali Aquensi; et praeposituram Sancti Georgii Canturii, mensae capitulari ecclesiae S. Vincentii plebis Galliani ad Canturium; et praeposituram S. Syri Alexandrini, cui cura parochianorum imminet animarum, hospitali pauperum Ss. Blasii et Antonii, cura et parochianis omnibus ad viciniorem parochialem ecclesiam, quam ordinarius loci aptiorem commodioremque viderit, translatis; et praeposituram S. Bartholomaei Veronensis, officio Inquisitionis haereticae pravitatis, apostolica auctoritate ibi statuto. Ad haec, in singulis domibus de Canonica et Sancti Ioannis Evangelistae, et Sanctissimae Trinitatis Mediolanensis, et S. Bartholomaei Bergomensis, et S. Francisci Paduanae, et S. Marci Terdonae, et Sancti Odorici et Omnium Sanctorum Papiensis, et etiam Omnium Sanctorum Modoetiae supprimimus perpetuo et extinguimus nomen, titulum, dignitatem et essentiam praepositurae, omniaque insignia veteris instituti; dividimus et separamus omnia harum sic suppressarum praepositurarum bona, res, actiones et iura a sua quaque ecclesia et domo, necnon hortis, viridariis et pertinentiis intra clausuram cuiusque domus consistentibus, in hos, qui sequuntur, usus, perpetuo assignatis. Siquidem concedimus ecclesias, aedes, hortos, viridaria et pertinentias, intra praedictam clausuram existentes ipsarum suppressarum praepositurarum, videlicet de Canonica Sancti Ioannis Evangelistae et Sanctissimae Trinitatis Mediolanensis, ad usum seminarii seu aliorum collegiorum, congregationum et hospitalium, prout dilecto filio Carolo cardinali Borrhomaeo, ecclesiae Mediolanensis praesuli, videbitur utilius expedire; Sancti Francisci vero Paduan., ad eumdem usum seminarii, arbitrio episcopi statuendi; et Omnium Sanctorum Papiensis, Ordini et fratribus Carthusiensibus; necnon S. Odorici, collegio Ghisleriorum, quod in universitate Studii generalis Papiensis nuper instituimus; et Sancti Bartholomaei Bergomensis, tam cum hortis, viridariis et pertinentiis intra suam clausuram existentibus, quam etiam ei contiguis terrenis, pratis et vineis suis, fratribus Ordinis Praedicatorum regularis Observantiae provinciae Lombardiae, iuxta morem eius Ordinis, qui illam ad mores suos reforment; et S. Marci Terdonensis, fratribus domus S. Francisci Ordinis Minorum, qui, hac sua domo et eius ecclesia episcopo et capitulo Terdonensi, pro illorum futura, loco occupatae, cathedrali, relicta, in dictam ecclesiam S. Marci debeant demigrare; ac etiam concedimus congregationi regularium Sancti Pauli

Decollati, Barnabitarum nuncupatae, ecclesiam et domum praepositurae suppressae Omnium Sanctorum Modoetiae, cum omnibus bonis, rebus, iuribus et actionibus suis ubicumque constitutis, ut illas habeant et instituant quemadmodum aliae suae congregationes diriguntur.

Aliarum distributionem committit card. Borrhomaeo.

§ 3. De praeposituris autem Lugani, Lucarni et S. Laurentii de Canobio et Sanctae Catharinae de Pallantia, earumque bonis, rebus, iuribus et actionibus hac vice disponendis, praedicto Carolo cardinali, qui in ipsarum Lugani et Lucarni erectione et restitutione qualicumque laboriosam operam praestitit, delegamus vices nostras, ut vel ipsas Societati Iesu vel alteri congregationi aut Ordini approbato, vel seminario ad usum collegiorum seu etiam hospitalium aut aliorum piorum operum tribuat, sive illas uniat, appropriet et applicet, vel alias de illis eorumque bonis et proprietatibus praedictis, aliisve modis, libere disponat, uti, temporis, rerum et temporum qualitate, conditione et necessitate perspecta, noverit commodius convenire.

Aliis ipse Pont. applicat bona dicti Ordinis;

§ 4. Postremo applicamus et appropriamus perpetuo omnia et quaecumque alia bona, res, actiones et iura, divisa et separata, praedictarum praeposituarum suppressarum, videlicet de Canonica S. Ioannis Evangelistae et Sanctissimae Trinitatis, praepositurae Sanctorum Bredae Mediolanensis; et alia S. Bartholomaei Bergomensis, praepositurae Sanctorum Simonis et Iudae; et alia Sancti Francisci, domui et fratribus Beatae Mariae Paduanae dicti Ordinis Praedicatorum; et alia Sancti Odorici et Omnium Sanctorum, etiam domui et fratribus S. Thomae Papiensis super quibus, videlicet S. Odorici et Omnium Sanctorum, pensionem annuam, omnino liberam et exemptam, centum ducatorum auri in auro de Camera, infirmariae domus a nobis constitutae Sanctae Crucis et Omnium Sanctorum ad oppidum Boschi ipsius Ordinis annis singulis integre persolvendam, seu per priorem et fratres dictae domus ad Boschum, si et quoties maluerint, super pinguioribus et liquidioribus proventibus illorum propria auctoritate exigendam, et in praedictae infirmariae usus penitus convertendam, perpetuo reservamus; et alia S. Marci, pro dimidia in dotem unius archidiaconatus et unius cantoriae dignitatum praedictae ecclesiae Terdonensis; et pro alia dimidia parte, domui S. Martini Terdonae, constitutae ad usum fratrum dicti Ordinis Praedicatorum, in ea superioribus annis introductorum. Ita ut liceat tam futuris omnibus principalium praeposituraruum praepositis, necnon Aquensi capitulo ecclesiae Canturii, rectoribus hospitalis Sanctorum Blasii et Antonii ac ministris Officii Inquisitionis Veronensis, unitarum praeposituraruum, prout cuique tangit, quam etiam aliis omnibus, quibus ecclesiae et domus aliarum suppressarum praeposituraruum conceduntur, quorumque praeposituris, domibus, collegiis et locis, bona, res et proprietates, actiones et iura praedicta appropriantur, per se vel alium seu alios, corporalem possessionem illorum, necnon iurium et pertinentiarum suorum omnium, propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, ac fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta omnia eorumdem in suos necnon praeposituraruum, domorum, mensarum, collegiorum, hospitalium, officii et locorum praedictorum usus et utilitatem convertere, dioecesanorum locorum aut quorumvis aliorum licentia super his minime requisita.

Fratresque distribuit cum alimontorum et locorum assignatione;

§ 5. Hanc autem de distributione et alimentis fratrum extincti Ordinis praedicti rationem futuram esse volentes, statuimus

ut de iis, qui nunc sunt, ecclesia Bredae, viginti octo presbyteros et septem servientes; aliae vero sequentes ecclesiae, videlicet Sancti Abundii Cremonensis, sexdecim presbyteros et quatuor servientes; B. Mariæ de Glarea Veronensis, octo presbyteros et duos servientes; S. Catharinæ Cremonensis, tres presbyteros et unum servientem; S. Mariae de Ronderario, cum ecclesia Sancti Martini in suburbiis, Comensis, alios tres et unum servientem; Sanctorum Petri et Pauli, cum ecclesia Sanctæ Mariæ Caravagii, quatuor presbyteros et unum servientem; S. Agathae de Urbe, duos presbyteros et unum servientem; Sanctorum Simonis et Iudae, Bergomensis, tres presbyteros; Sanctissimae Trinitatis Avillianae, alios tres; Sanctae Crucis Novariensis, duos; Sanctæ Ursulæ de Surrigo, cum illi unita praedicta, duos; singulae ecclesiae S. Mariae Veteris Varensii, Sanctorum Iacobi et Philippi Brixiensis, S. Nicolai Ballani, S. Ioannis Evangelistae Appiani, S. Elisabeth de Busto, S. Pauli Conilliani, S. Pauli Soncini, Sancti Marini Cremae, S. Mariae Cigoli, et Sancti Thomae Senensis, singulos presbyteros recipiant et retineant ad deserviendum ibidem in divinis; quibus, ut ibi, plures assignantur, in commune vivant, pro suis alimentis praedictis reservamus, constituimus et assignamus pensiones annuas prorsus liberas et exemptas, videlicet trigintaquinque personis ecclesiae Bredae, mille et quadringentorum scutorum auri et viginti; S. Abundii, octingentorum et decem; B. Mariae de Glarea, quadringentorum et quinque; Sanctorum Petri et Pauli ac S. Mariae Caravagii, ducentorum; et ubi quatuor personae, centum sexaginta; ubi tres, centum viginti; ubi duo, octoginta; et denique ubi singuli destinati sunt, quadraginta scutorum similium super earum praepositurarum et ipsarum annexorum fructibus, redditibus et proventibus, etiamsi super illis aliae pensiones annuæ aliis assignatae aut illorum reservationes factae sint, eorumque dimidiam partem longe excedant, per omnes deinceps praepositos suos, quos et etiam suarum praepositurarum fructus et bona omnia ad id efficaciter obligamus, annis singulis, pro una videlicet in B. Ioannis Baptistae, a proxime futura incipiendo, pro rata temporis, et altera medietatibus singularum pensionum huiusmodi, in Domini nostri Iesu Christi Nativitatum festivitatibus integre persolvendas; ita tamen ut dictis trigintaquinque personis ecclesiae Bredæ, sive singulis sive simul pluribus decedentibus aut ad alios Ordines transeuntibus, pariter rata dictae pensionis mille et quadringentorum scutorum eo ipso extincta sit, praepositoque accrescat, donec hi omnes ad numerum viginti, et inter eos omnes sexdecim sacerdotes deveniant; ac tunc demum eis octingenta dumtaxat scuta similia quotannis modo praedicto persolvantur; quibus ad dictum numerum redactis, postea diminuentibus ac etiam aliis aliarum ecclesiarum praedictarum dehinc quandocumque deficientibus, statim alius vel alii, eiusve vel earum, usque ad præscriptum in quaq. ecclesia numerum, ac totidem sacerdotes regulares sive saeculares subrogentur, donec, omnibus de medio sublatis vel alio translatis, ecclesiae ipsae de aliis ad eumdem numerum presbyteris huiusmodi regularibus vel ibi perpetuis beneficiatis saecularibus idoneis, a suo quoque praeposito libere assumendis et instituendis, illico reformentur; qui cum suis, ubi statuuntur, servientibus, deinceps loco suae pensionis annuum eiusdem quantitatis redditum de bonis praepositurae pro mensa communi, ubi quantitas et numerus personarum id postulaverit, conficiendum, sin autem, in singulos statuendum futuris deinceps temporibus perpetuis

habeant et ex eo foveantur. Volentes supradicta omnia omni tempore inviolata fore, et ab omnibus firmiter custodiri.

Executores deputat;

§ 6. Quocirca omnibus locorum ordinariis, praesertim in quorum civitatibus et dioecesibus praepositurae distributos fratres praedictos habentes consistunt, per apostolica scripta mandamus ut quisquis, per se vel alium seu alios, ubi et quandocumque opus fuerit, praedictis omnibus efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra numerum praefinitum presbyterorum et aliorum praedictorum in singulis ecclesiis et locis, in quibus sic a nobis disponuntur, integrum conservari, omnes pensiones supradictas omnibus illis quibus assignantur integre persolvi; eos, quibus ecclesiae, domus, aedes, bona, res, iura, actiones et alia prædicta conceduntur, ac prorsus universos et singulos alios, quos praesentes litterae concernunt, illis et earum effectu pacifice frui et gaudere; mensas et redditus annuos institui et assignari, ceteraque omnia eisdem praesentibus contenta, semper et ubique observari, non permittentes quemquam contra ipsarum tenorem per quoscumque molestari, vel alias quomodolibet impediri. Contradictores quoslibet ac praedictis non parentes, per censuras et pœnas ecclesiasticas ceteraque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, censurasque et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat;

§ 7. Non obstantibus nostris de unionibus ad partes committendis et valore fructuum utrinque exprimendo, ac etiam de fructibus beneficiorum in omnibus gratiis, etiam motu proprio factis, secundum verum annuum valorem exprimendis, alioquin gratiae ipsae non valeant, et de non tollendo iure quaesito, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac etiam de unionibus beneficiorum in diversis dioecesibus consistentium non faciendis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon ecclesiarum, Ordinum et locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; ac quod causae propter quas praedictas uniones et applicationes facimus, prius coram locorum ordinariis examinatae et approbatae non fuerint, quae propterea per subreptionem obtentae numquam intelligantur; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia et quaecumque alia praedictis impedimentum praestantia aut praestare valentia omnino tollimus et abrogamus, ac nemini contra ipsas praesentes et earum executionem atque effectum suffragari posse decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Concedit fabricae ecclesiae Terdonensis ius redimendi nonnulla bona etc. usque ad valorem decem M scutorum;

§ 8. Cum autem alias, pro necessitatibus huius Sedis, quaedam bona seu census vel livelli nonnullarum praeposituraruin praedictarum, usque ad valorem decem millium scutorum auri in auro, diversis personis, cum pacto illos relevandi intra certum tempus tunc expressum et nondum elapsum, auctoritate nostra venditi fuerint, nos novae fabricae ecclesiae prædictae Terdonensis, suadente iampridem illius civitatis tutela, occupatæ, quantum in nobis est subvenire cupientes, ius

relevandi sive redimendi omnia bona seu census aut livellos praedictos, omnemque actionem olim dicto extincto Ordini et illius praepositis competentia, pro usu et commodo dictae fabbricae, uti postea statuemus et declarabimus, nobis et dictæ Sedi retinemus.

Reservatque Sedi Apostolicæ beneficia dicti Ordinis vacantia et vacatura.

§ 9. Demum pio studio inducti, ut sancta et salubris huius novi status ratio per peculiarem sollicitudinem omni tempore capiatur, tam praedictas quam omnes alias praeposituras ac cetera beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, suppressi Ordinis praedicti, extra Romanam Curiam quibusvis modis et ex quarumcumque personis vacantia et deinceps quandocumque et quotiescumque vacatura, nostrae et successorum nostrorum Romanorum Pontificum ac dictae Sedis dumtaxat collationi et dispositioni, specialiter et expresse in perpetuum reservamus. Decernentes irritum et inane quicquid secus super his ac aliis supradictis per quoscumque, etiam S. R. E. cardinales et de latere legatos, etiam praetextu facultatum, privilegiorum et indultorum ac alias quomodocumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Fides exemplorum.

§ 10. Quia vero difficile nimis esset *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, VI idus februarii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 8 febr. 1571, pontif. anno VI.

CLXXXIV.

Episcopi regni Siciliae quotannis inventarium actorum criminalium conficere et custodire tenentur.

Pius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Muneris nostri est aditum prohibere, per quem salubris delictorum animadversio perperam disturbatur. Nefarium etenim facinus in plerisque episcopatib. regni Siciliae, citra et ultra Farum, audivimus exoriri quod, cathedralibus ecclesiis praesule viduatis, vicarii a capitulis constituti, gratia, timore, odio vel sordibus, quas volunt inquisitiones et testimonia rerum et causarum criminalium violant, subripiunt et lacerant, ne delictorum cognitio vel vindicta uspiam consequatur.

Causa huius constitutionis.

Praeceptum quod episcopi conficiant inventarium actorum criminalium quolibet anno, et confectum custodiant.

§ 1. Nos, ad hoc malum, qua potest industria, coercendum, pro nostro officio intenti, praecipimus omnibus archiepiscopis et episcopis dicti regni, praesentibus et futuris, ut deinceps inventarium authenticum omnium et quarumcumque suae curiae querelarum, accusationum, inquisitionum, denuntiationum, testificationum, instrumentorum, processuum, ceterorumque actorum, causarum et negociorum criminalium, etiam mixtorum, quæ apud curiae suae notarium fuerint, quotannis in perpetuum conficiant; confectum et dicti notarii manu subscriptum, penes se custodiant, donec super iis fuerit iudicatum. Et si eos de vita decedere interim contigerit, illud universum sigillo suo obsignatum, fidei sacerdotis, cui peccata confitentur, morte impendente, committant, qui, ea secuta, protinus ipsum praelato ac domui seu conventui digniori regularium illius civitatis debeant resignare, ut ab eis tute et fideliter asservetur, donec futurus advenerit praesul, cui illud itidem clausum, et integrum tribuatur; quod ipsimet per se faciant, si quando necesse habuerint peregre proficisci, ita ut illud ipsum, statim cum praesentes redierint, recipiant ab eisdem.

Poenarum impositio contra subtrahentes, aut corrumpentes ipsa acta et scripturas.

§ 2. Quicumque autem testimonia, processus, scripturas et instrumenta huiusmodi quocumque modo violaverit, corruperit, subtraxerit, combusserit, suppresserit ac iusserit id fieri, seu auxilium, consilium vel favorem praestiterit, omni sit dignitate, officio et beneficio, praesentium

auctoritate, privatus et ad futura inhabilis eo ipso. Idem quoque et pariter notarius, cui quid praedictorum defuerit, aut alias deliquerit in praedictis, tamquam falsi reus declaretur, poenasque omnes subeat, quæ sunt in huiusmodi rerum falsarios per sanctiones canonicas et constitutiones legitimas irrogatae.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, kalendis martii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 mart. 1571, pontif. anno VI.

CLXXXV.

Clericorum Camerae Apostolicae collegium ad duodenarium numerum adaugetur, cum emolumentorum ipsis de cetero exhibendorum praefinitione [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Romanus Pontifex, tamquam providus pater familias, operarios et ministros quandoque diminuit et quandoque auget, prout eorum ministerio Sedem Apostolicam, quae est vinea Domini, indigere et pro eius conservatione expedire prospicit.

Ob erectionem collegii militiae Sancti Georgii diminutus numerus clericorum R. C. A. cum aliquali preludicio eiusdem Camerae.

§ 1. Sane, cum collegium dilectorum filiorum militum Sancti Georgii, pro centum quinquaginta militibus pridem a felicis recordationis Paulo Papa III, praedecessore nostro, institutum, non admodum nostrae reipublicæ necessarium, collegium vero Camerae Apostolicae clericorum, quod cum soleat egregiis viris refertum existere, decreto tamen piae memoriae Eugenii Pontificis IV, etiam praedecessoris nostri, ab eodem Paulo praedecessore, etiam interveniente pecunia, approbato, quoniam ad septenarium numerum reductum extitit, nobis nimis arctatum e angustatum visum fuit, ita ut, si aliqui ipsorum clericorum vel adversa valetudine, vel quia ad alia dictae Sedis graviora negocia distrahantur, aut alio quovis modo impediantur, ipsius Camerae munia, prout eorum exigit magnitudo, ab his, qui supersunt, tractari et perfici omnino nequeant, illud igitur dissolvere et extinguere, hoc vero adaugere deliberavimus.

Sublatis itaque litteris huiusmodi erectionis,

§ 2. Quamobrem litteras erectionis collegii militum, reductionis collegii clericorum ad huiusmodi septenarium numerum, privilegiorumque et indultorum eisdem collegiis, militibus et clericis quomodolibet concessorum, innovatorum et approbatorum, praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habentes; ac reductionem et decretum de septenario numero huiusmodi statutumque eiusdem Pauli prædecessoris desuper quomodolibet factum et quaecumque alia quovis modo effectum præsentium impedientia penitus abrogantes.

Dissolutisque officiis dictae militiae,

§ 3. De fratrum nostrorum consilio ac de apostolicæ potestatis plenitudine, collegium militum S. Georgii praefatum, eiusque essentiam, usum et exercitium ac ipsius officia, tenore praesentium, penitus dissolvimus, extinguimus et abolemus.

Necnon restituta singulis militibus pecunia,

§ 4. Ne autem dicti collegii extincti nuper milites, ex extinctione prædicta, nimium dispendium patiantur, dilecto filio thesaurario generali nostro per praesentes iniungimus et mandamus quatenus in kalendis aprilis summam septuaginta quinque millium scutorum, quibus in occurrentibus tunc necessitatibus eamdem Sedem tempore institutionis ipsorum collegii subvenerunt, singulis pro rata nuper existentibus militibus, iuxta praefati Pauli praedecessoris in litteris ipsius collegii institutionis appositum decretum, quo, in-

1 Ex Regest. in Archiv. Vat.

ter alia, cavetur quod si aliqua ratione vel causa per Romanum Pontificem collegium praefatum extingueretur, summa integra praefata restitueretur, hic Romæ realiter persolvat et restituat, interimque ipsis militibus de fructibus, redditibus et proventibus solitis et consuetis pro rata respondeat et responderi faciat: ita quod, dicto termino elapso, nulli militum aliquid amplius de fructibus, redditibus, proventibus et emolumenti huiusmodi solvi debeat.

De nova erigitur collegium clericorum C. A. cum auctione numeri ad duodenarium.

§ 5. Collegium vero clericorum, qui nunc sex viventium tantum existunt, uno ex eius officiis per obitum bonae memoriæ Iulii Saulii, olim dum viveret, praefatae Camerae clerici, apud Sedem eamdem defuncti vacante, quod, ad effectum præsentium, extinguimus et abolemus, adeo ut amplius discerni aut cognosci non possit, sed cum actione ac numero duodecim clericorum infrascripto incorporatum atque confusum intelligatur, dictis de causis et aliis animum nostrum moventibus, ad duodenarium numerum perpetuo augemus, illudque pro duodecim clericis de cetero instituimus: ita ut deinceps sex alii viri, per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem eidem collegio clericorum ascribendi et deputandi, una cum nunc existentibus dictae Camerae clericis, unum corpus et collegium integrum et indistinctum constituant et efficiant, et duodecim officia, pro duodecim Cameræ clericis et Sedis praefatarum cappellanis, omni prorsus sublata inter eos differentia, omnino similia et parilia et aequalia in omnibus et per omnia, eiusdemque iuris, potestatis, iurisdictionis et auctoritatis existant.

Cui collegio vetera omnia communicantur privilegia ab unoquoque clerico in pari gradu obtinenda.

§ 6. Ipsumque collegium, sic auctum et institutum et in unum corpus prorsus redactum, et duodecim clerici praefati pro tempore existentes eisdem privilegiis, exemptionibus, facultatibus, praerogativis et gratiis quibuscumque indifferenter potiantur, utantur et gaudeant, quibus antea ipsum collegium et septem illius clerici, quovis modo, coniunctim vel separatim, potiebantur, utebantur et gaudebant; necnon redditus, proventus et emolumenta, iocalia et omnia alia et singula, tam ex communi massa, quam alibi quocumque tempore debita et debenda, ordinaria et extraordinaria, aequaliter percipiant; ac munera, functiones et officia, tam publica quam privata, etiam castrorum, civitatum, locorum et provinciarum, semper sortiantur, obtineant et exercean et exequantur, prout prius, ante auctionem ad duodenarium numerum huiusmodi, collegium ipsum et illius septem clerici habebant, percipiebant et obtinebant, perinde ac si principio collegium præfatum, sic auctum, et cum antiquo confusum et unitum et incorporatum, et illius officia pro duodecim clericis instituta fuissent et reductio ac decretum praefata de numero septenario minime emanassent, statuentes quod perpetuis futuris temporibus Camera præfata duodecim clericatuum officia habet inter se promiscua et confusa: ita quod sex clerici eidem collegio ascribendi cum aliis sex nunc existentibus omnino pares et aequales existant, et nullum inter eos discrimen prioritatis, potioritatis aut antiquitatis adsit, quo posteriores a prioribus vel alter ab altero quovis modo discernantur, et sic adveniente vacatione sive antiquorum sive augmentatorum, semper in supplicatione aut motu proprio mentio fiat quod unus ex duodecim vacat, alioquin clerici admittere nequaquam teneantur, neque ad hoc quovis modo cogi possint.

Eis assignata emolumenta æqualiter dividenda.

§ 7. Et insuper, ut praefati duodecim clerici onera sibi incumbentia supportare et iuxta ipsorum qualitatem et dignitatem decentius se substentare valeant, providere volentes, de eorumdem fratrum con-

silio, et authoritate et potestate similibus, redditum annuum novem millium scutorum auri in auro, ex pecuniis thesaurariae provinciae nostrae Romandiolae eiusque cancellariae, necnon proventuum maleficiorum, tractarum frumenti, rata subsidii trecentorum millium scutorum sive augmenti pretii salis et quorumcumque aliorum subsidiorum et redditiuum ordinariorum dictae provinciae exigendum, et alias per eumdem Paulum praedecessorem eidem collegio militum extincto, inter alia, pro dote assignatum, ac omnia et quaecumque alia iura, obventiones et emolumenta dicti collegii extincti, et quæ collegium et milites quovis modo hucusque percipiebant et assequebantur, massæ communi duodecim clericorum praefatorum et ipsi collegio clericorum in omnibus et per omnia, prout collegio huiusmodi extincto concessa fuerant, ita ut liceat eidem collegio clericorum et duodecim illius clericis, coniunctim vel separatim, posthac, una cum aliis ipsius collegii duodecim clericorum redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis, sibi hucusque assignatis seu in futurum assignandis aut quovis modo proveniendis illa percipere, levare, distribuere et dividere, perpetuo applicamus, illaque cum omnibus aliis ipsius collegii clericorum redditibus et emolumentis confundimus.

Praesentis constitution. firmitas et observantia, cum clausula *sublata* etc.

§ 8. Decernentes praedicta omnia et singula omnino ab omnibus adimpleri et observari debere, et praesentes litteras vim validi et efficacis contractus inter Sedem et Cameram praefatas ac nos ipsos et successores nostros Romanos Pontifices ex una, et collegium clericorum et singulos duodecim clericos et ipsius collegii clericorum officia obtinentes et in futurum habituros illorumque successores vel causam ab eis habentes, ex altera partibus, solemniter et legitime initi, perpetuo obtinere; dictamque Cameram ad eosdem clericos omnes et singulos in iuribus praedictis tuendos, et ab omni incommodo, damno, laesione, lite, causa et controversia immunes, indemnes et exemptos conservandos teneri et obligatam esse; et sic per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et Palatii Apostolici causarum auditores, in quacumque causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cautio pro pecuniis a clericis solvenda, ab eisque recipienda.

§ 9. Et pro praefatis omnibus et singulis firmiter observandis et adimplendis, ac pro potiori collegii et XII clericorum praedictorum cautela, tam pro pecuniis quam pro Camerae et Sedis praefatarum occurrentibus necessitatibus, iam solverunt et imposterum solvent, quam pro fructibus, redditibus et proventibus sibi assignandis assignatisque, numquam in sortem principalem computari volumus; ac damnis, expensis et interesse passis, factis, patiendis et faciendis, omnia et singula dictae Camerae bona mobilia et immobilia, iura, actiones et emolumenta ac redditus et proventus praesentia et futura, ita quod liceat, propria ipsius collegii auctoritate, nullo alio a nobis seu R. Pontifice pro tempore existente desuper ex mandato [1], licentia seu decreto, dictorum bonorum, redditiuum seu proventuum, pro dictis pecuniis, damnis, expensis et interesse, possessionem capere et retinere, harum serie obligamus et perpetuo hypothecamus.

Obstantium derogatio.

§ 10. Non obstantibus eorumdem Eugenii et Pauli aliorumque Romanorum Pontificum decretis, statutis, constitutionibus, ordinationibus apostolicis ac regulis Cancellariae, etiam de non tollendo

1 Forte *expectato mandato* (R. T.).

iure quaesito; ac extincti collegii militum et Camerae ac collegii praefatorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, praefato collegio et illius clericis, etiam ex causa onerosa, et interveniente quarumcumque pecuniarum quantitate, etiam notabili, ac per modum statuti perpetui et solemniter initi et stipulati contractus, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, concessis, confirmatis et approbatis, extensis et moderatis, cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeant quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris habenda esset mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, nonis martii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 7 martii 1571, pontif. anno VI.

CLXXXVI.

Officii B. Mariae nuper reformati approbatio, cum indulgentiarum elargitione pro illud recitantibus, et aliorum similium officiorum abolitione.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Superni omnipotentis Dei providentiæ ac benignitatis exemplo excitati, qui, ut humanum genus ab errorum tenebris vendicaret et in veritatis semitam perduceret, suae gloriae splendorem e coelis in terram demittere, lucisque aeternae radiis bonos pariter et malos perfundere dignatus est, meditatio cordis nostri ad id potissimum tendit ut fides catholica non solum ubique augeatur et floreat, sed etiam ne errorum tenebrae atque superstitionum abusus piis christifidelium mentibus inducantur, et si quae irrepserunt, protinus evellantur.

Hic Pontifex iuxta concilii Triden. decreta emendari fecit Cathechismum, Breviarium et Missale; nunc et officium B. M. V.;

§ 2. Cum itaque, in executionem decretorum sacri concilii Tridentini, gratia divina assistente, Catechismo ad populi eruditionem edito, Breviario ad sacras preces, laudes et gratias Deo optimo Maximo ab utriusque sexus ecclesiasticis persolvendas reformato, atque Missali, ut sacerdotes intelligerent quibus precibus uti, qui ritus, quaeve caeremoniae in missarum celebratione observandae sint, ad pristinam sanctorum Patrum normam restituto, eamdem curam et operam adhiberi mandaverimus in emendando ac corrigendo gloriosissimae Dei Genitricis B. Mariae Virginis officio; cuius recitatio sicut pusillis et rudibus christifidelibus peculiaris esse dignoscitur, ita multis superfluis, non sine legentium etiam scandalo, et quae ad varias superstitiones facile rudes ipsos inducere possunt, avaritia impressorum, fuit refertum, qui, ut christifideles ad emendum eiusdem officii libros a se impressos facile allicerent, multa, sub colore pietatis et animarum spiritualis consolationis, ex eorum capite addiderunt, iamque ad antedicti Breviarii uniformitatem, eiusdem Dei Genitricis, ut credimus, intercessione, eruditorum et piorum virorum, quos ad hoc delegimus, studio, officium ipsum, resecatis quae aliena et incerta erant, correctum fuerit et a nobis probatum, Romae imprimi et impressum divulgari iusserimus, ut inde spiritualis, quam optamus, christifidelium animabus proveniat consolatio.

Et modo illud observari praecipit;

§ 3. Motu proprio *etc.* et ex certa scientia nostris ac de apostolicae potestatis plenitudine, officia quaecumque, in primis Italico seu quovis alio vulgari idiomate et sermone quomodolibet composita, atque officium anno proxime praeterito millesimo quingentesimo septuagesimo Venetiis apud Iunctas impressum, his verbis, licet falso, inscriptum: *Officium B. Mariae Virginis per concilium Tridentinum, Pio V Pontifice Maximo, reformatum;* denique omnia et singula alia officia huiusmodi, etiam latino sermone, sub *Hortuli animae* seu *Thesauri spiritualis compendii* aut quovis alio titulo et nomine quomodolibet pervulgata, omnemque illorum usum approbatione apostolica ac consuetudine et institutione (inveteratis infra dicendis semper salvis), harum nostrarum serie, perpetuo ab omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, saecularibus vel ecclesiasticis, etiam quorumvis Ordinum regularium et militiarum religiosis, qui de iure, consuetudine, usu, statuto, institutione ac constitutionibus, etiam eorumdem Ordinum militiarum et Regulae seu alias quomodolibet ad recitationem officii B. Mariae tenentur et obligati sunt, tollimus et abolemus.

Aliaque officia tollit et abolet nisi in prima eorum institutione vel a consuetudine supra cc annos approbata fuerint et non sint vulgari sermone composita;

§ 4. Ipsisque in virtute sanctae obedientiae interdicimus ne aliud quam hoc de mandato nostro emendatum B. Mariae Virginis officium, et in impressoria officina populi Romani, pro fideliter et incorrupte imprimendis libris sacris in alma Urbe nostra erecta, impressum, quovis praetextu dicere, recitare, legere seu tenere quoquo modo audeant vel praesumant; omni vero alio usu ipsis (ut uniformiter ab omnibus sic adstrictis et obligatis recitetur, nec inter eos diversitas illud recitandi ullo unquam tempore oriatur) interdicto, praefatum hoc nostrum officium ac precandi psallendique formulam per universum orbem, in privatis domibus ac ecclesiis, monasteriis, conventibus, cappellis, oratoriis, Ordinibus, militiis et locis, etiam exemptis, tam virorum quam mulierum, in quibus officium ipsum Beatae Mariae Virginis recitari, ut praemittitur, quomodolibet debet, praecipimus legi, dici et observari; illis tamen officiis exceptis (dummodo vulgari sermone, ut praefertur, non sint composita), quae ab ipsa prima eorum institutione a Sede Apostolica expresse approbata fuerunt, vel quorum officiorum certum usum consuetudine aut ipsa institutione, supra tamen ducentos annos, assidue in ecclesiis, monasteriis, domibus et locis utriusque sexus ecclesiasticorum observatum fuisse constiterit. Quibus sic adstrictis et obligatis, ut inveteratum illum ritum dicendi et psallendi suum officium (dummodo, ut praemittitur, vulgari sermone non sit compositum) non adimimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum, quod modo pervulgatum est, magis placet (dummodo episcopus vel praelatus et universum capitulum in eo consentiant), ut illud etiam in choro dicere et psallere possint permittimus.

Hortatur omnes alios non obligatos recitare officium B. Mariae, ut officio ipso reformato uti velint;

§ 5. Ab eis vero, qui ad eiusdem officii B. Mariae Virginis recitationem non aliqua obligatione tenentur, omnem eorumdem officiorum vulgari sermone quomodolibet compositorum atque similis idiomatis vulgaris orationum, etiam aliis officiis latini sermonis insertarum, usum penitus etiam auferimus; illos nihilominus, ne vanis involvantur superstitionum erroribus, quibus alia fere omnia [1] latino sermone referta esse deprehensum fuit, in Domino hortantes ut ab aliorum Beatae Mariae quam huius nostri officii lectione ac usu abstineant, firmiterque credant eisdem aliis officiis multas sub falsis et confictis sanctorum nominibus confictas orationes fuisse insertas, de quibus, sicut de indulgentiis peccatorum-

1 *Huiusmodi officia etiam* addit (B. T.).

que remissionibus, quae recitantibus plerasque ex orationibus aliis officiis huiusmodi insertis, prout rubricis ibidem appositis designatur, conceduntur, nullam certam extare apud Ecclesiam rationem; propterea ritui et ordinationi, huius officii recitatione sic a nobis in universali Ecclesia instituti, se conformantes, aliud eiusdem Beatae Mariae quam hoc nostrum officium non perlegant vel recitent.

Officiaque antiqua inquisitoribus consignari mandat;

§ 6. Ac ut ipsorum officiorum vulgaris idiomatis et sermonis abusus reipsa penitus aboleatur, eadem omnia per omnes et singulos saeculares vel ecclesiasticos, etiam ad recitationem antedictam nequaquam adstrictos, inquisitoribus haereticae pravitatis, absque spe illorum unquam recuperationis, alia vero latino sermone et aliis libris inserta, ad effectum emendandi et a maculis seu erroribus expurgandi, sibi postmodum, cum sic per eosdem inquisitores expurgata fuerint, restituenda, consignari quam primum iubemus.

Officium vero reformatum immutari non posse statuit;

§ 7. Statuentes huic nostro officio nuper edito nihil ullo umquam tempore per quemcumque, quavis auctoritate fungentem, quovis praetextu addi, detrahi vel immutari debere. Ac omnes et singulos, qui ipsum B. Mariae officium, ut praefertur, dicere, psallere et recitare tenentur, ex huius nostri Romani officii praescripto et ratione ad id omnino obligatos esse et neminem muneri suo, nisi hac forma, satisfacere posse.

Indulgentias illud recitantibus concedit;

§ 8. Ac, ut fidelium omnium voluntas et studium magis ad salutarem huius nostri officii B. Mariae Virginis et orationum in eo reductarum lectionem et usum invitetur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis, qui ad recitationem huiusmodi non tenentur, quoties istud sic de mandato nostro reformatum, quinquaginta dies; qui vero Defunctorum officium eodem volumine insertum, alios quinquaginta; qui septem psalmos[1] aut graduales, etiam eodem volumine insert., alios quinquaginta; et qui aliquam ex orationibus ibidem pariter insertis devote recitaverint, alios quindecim dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus; obligatis vero eas dumtaxat indulgentias concedimus, quae litteris nostris super reformatione novi Breviarii editis designantur, et huiusmodi Beatae Mariae Virginis aut Defunctorum officium vel septem psalmos aut graduales recitantibus conceduntur.

Praelatis etiam praecipit ut illud introducant;

§ 9. Mandantes omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus et ceteris ecclesiarum praelatis ut reliqua omnia B. Mariae Virginis, etiam per nos privatim constituta, ab omnibus ad recitationem huiusmodi quomodolibet adstrictis; ipsa vero vulgaris idiomatis et sermonis officia, etiam ab his qui nullo pacto ad id adstricti sunt, penitus omitti, reiici; atque vulgari sic et pariter alia, etiam latino sermone composita, etiam aliis libris inserta, inquisitoribus praedictis, ad effectum antedictum, tradi et consignari iuris opportunis remediis curent. Officium vero istud nostrum B. Mariae Virginis in omnibus et singulis suarum civitatum et dioecesum ecclesiis, monasteriis, conventibus, Ordinibus, militiis, oratoriis, domibus et locis etiam laicorum, introducant; et tam ipsis quam ceteris omnibus presbyteris, clericis et aliis utriusque sexus saecularibus et regularibus personis ecclesiasticis, necnon militibus, etiam exemptis, quibus dicendi, recitandi psallendique officium huiusmodi quomodolibet, ut praefertur, iniunctum est, ut ex huiusmodi formula ubique illud recitare et psallere procurent, praedicta institutione vel consuetudine ducentos annos

1 Add. forte *poenitentiales* (R. T.).

superante (non tamen quod ad vulgaris sermonis officia) semper salva.

Concionatoribus et confessoribus idem praecipit;

§ 10. Concionatoribus quoque verbi Dei atque confessoribus, ut in eorum praedicationibus atque confessionibus omnibus utriusque sexus christifidelibus prohibitionem et abolitionem dictorum officiorum vulgari idiomate et sermone compositorum; quodque inquisitoribus haereticae pravitatis quamprimum consignari debeant; insuper alterius quam huius nostri officii usum et lectionem periculo superstitionum non carere; ac illud et alia eo inserta, ut praefertur, recitantibus supradictam de iniunctis sibi poenitentiis relaxationem nostram significare, et eos ad conformandum se in hoc prompta devotione ritui et ordinationi a nobis institutis excitare, ad usumque et recitationem huiusmodi nostri officii pietatis zelo hortari studeant. Ceterum haereticae pravitatis inquisitorum, quibus officia haec et libros tradi et consignari continget, munus et officium praecipuum erit omnia superstitiones et errores in fide catholica redolentia omnino delere.

Illudque Romae tantum imprimi posse declarat.

§ 11. Quod nostrum B. Mariae Virginis officium, ut ubique terrarum incorruptum ac mendis et erroribus purgatum praeservetur, omnibus in nostro et sanctae Romanae Ecclesiae dominio mediate vel immediate subiecto commorantibus, vel ad illud quovis praetextu advenientibus impressoribus et aliis quibuscumque, sub amissionis librorum ac quingentorum ducatorum auri de Camera ipso facto, quoties contravenerint, Officio Sanctissimae Inquisitionis applicandorum; reliquis vero, in quacumque orbis parte consistentibus, sub excommunicationis latae sententiae et aliis arbitrii nostri poenis, inhibemus ne illud infra sex annos proximos separatim vel aliis libris insertim, sub praedictis Hortuli animae, Thesauri spiritualis compendii vel aliis quibusvis nominibus et titulis, imprimere aut alibi quam in alma Urbe nostra et antedicta Pontificis Romani officina impressum tenere, recipere, donare aut venundare publice vel occulte audeant vel praesumant. Dictis vero sex annis elapsis, id etiam aliter non liceat, nisi cum nostra et Romani Pontificis pro tempore vel specialis ad id commissarii apostolici in singulis christiani orbis regnis et provinciis deputandi expressa licentia.

Clausulae praeservativae.

§ 12. Quas quidem nostra perpetua roboris firmitate subsistere, et nullo umquam tempore revocari, alterari, suspendi, limitari aut moderari posse.

Forma publicandi hanc constitutionem.

§ 13. In valvisque Principis apostolorum de Urbe necnon Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae de more publicari et affigi, per huiusmodique publicationem et affixionem omnes et singulos in eis comprehensos, videlicet qui in Romana Curia adsunt, lapso mense; qui vero alia loca, intra montes, post tres; qui ultra incolunt, post sex menses, aut cum primum sibi officium hoc nostrum venale propositum fuerit, ita volumus obligatos esse et adstrictos ac si ipsismet illae coram lectae et intimatae essent; ipsarum quoque exempla, manu notarii publici et sigillo praelati ecclesiastici aut illius curiae obsignata, vel etiam dicti officii nostri B. Mariae Virginis voluminibus, absque praedicto vel alio quopiam adminiculo, Romae tamen et in officina antedicta impressa, eamdem prorsus ubique fidem facere, quae praesentibus adhiberetur, si essent ostensae vel exhibitae.

Decretum irritans.

§ 14. Et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, etiam S. R. E. cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere; necnon irritum et inane decernimus quidquid secus

super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Non obstantibus praemissis ac in quibusvis synodalibus, provincialibus vel generalibus ac universalibus conciliis editis, aliisque, etiam apostolicis, constitutionibus et ordinationibus; necnon ecclesiarum, militiarum et Ordinum quorumcumque statutis, usibus, naturis et consuetudinibus, etiam iuramento roboratis, quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa et individua mentio habenda esset, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poen.

§ 16. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, quinto idus martii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 martii 1571, pontif. anno VI.

CLXXXVII.

Iurisdictio S. R. E. cardinalis protectoris et iudicis causarum archiconfraternitatis Trinitatis nuncupatae, ad pauperes peregrinos atque convalescentes recipiendos picque alendos in Urbe institutae [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Causa huius constitutionis.

Cum, sicut accepimus, archiconfraternitas seu societas sub invocatione Sanctissimae Trinitatis Convalescentium et Peregrinorum regionis Arenulae de Urbe, eiusque custodes et confratres, ob lites, quaestiones, controversias civiles, criminales, profanas, spirituales, meras et annexas, inter archiconfraternitatem seu societatem eiusque administratores et gubernatores et deputatos huiusmodi, per diversa Urbis tribunalia litigantes, occasione locationum, censuum, donationum, haereditatum, legatorum, domorum et diversarum aliarum rerum, tam agendo quam defendendo, pro ipsius archiconfraternitatis seu societatis iuribus defendendis et consequendis iugiter implicita existat, ex quo saepissime quamplurima damna et interesse patiatur, ac impensa litis valorem rei, de qua ex tempore agitur, saepenumero exuperet;

Commendatio confraternitatis Sanctissimae Trinitatis

§ 1. Nos, archiconfraternitatem seu societatem praedictam, in qua piissima charitatis et misericordiae opera, tam pauperes et alias quasvis personas utriusque sexus christifideles, ex quibusvis mundi partibus ad Urbem peregrinantes, ad hospitale huiusmodi devotionis causa confluentes, recipiendo, et eos tribus ac quandoque pluribus diebus hospitando et nuntriendo ac caritative tractando, quam pauperes convalescentes, qui dum ab infirmitate liberi sed debiles, ex aliis hospitalibus emissi, quo se recipiant non habentes, in eodem suo hospitali similiter excipiendo, ac eos non solum corporaliter, donec robustiores evadant, pie alendo, verum etiam rudes et ignaros interim, dum ibidem morantur, in mandatis Domini audiendo, in divini nominis obsequium et S. R. E. exaltationem exercere noscuntur, quantum cum Deo possumus, sublevare volentes;

Facultas protectoris et iudicis archiconfraternitatis cognoscendi quascumque causas illius interesse concernentes, et ab aliis iudicibus reassumendi;

§ 2. Motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, venerabili fratri nostro Othoni, S. R. E. cardinali Augustano nuncupato, nunc et pro tempore archiconfraternitatis seu societatis huiusmodi existenti et ab eadem confraternitate eligendo protectori, omnes et singulas causas, quaestiones, lites et controversias inter dictam archiconfraternitatem seu societatem seu eiusdem dilectos filios custodes, officiales et mini-

1 Institutionem habes in Pii IV constitutione VII, *Illius*, pag. 23 huius tomi.

stros et quascumque alias personas, laicas seu ecclesiasticas, cuiuscumque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis et praeeminentiae existentes, etiam cardinalatus dignitate fulgentes, universitates, societates, congregationes, monasteria et alia loca pia huiusmodi, etiam si coram S. R. E. camerario, clericis et praesidentibus Camerae Apostolicae et eiusdem Camerae causarum auditore generali, necnon vicario, gubernatore ac senatore Urbis praedictae, eorumque locumtenentibus, collateralibus et iudicibus, ac dictae Urbis causarum appellationum capitaneo et Sacri Palatii etiam causarum auditoribus et eiusdem S. R. E. cardinalibus aliisque iudicibus, ordinariis seu delegatis, hucusque motas pendentes et quomodolibet movendas, de et super quibuscumque locationibus, venditionibus, legatis, fideicommissis, testamentis, haereditatibus ac illarum distributionibus, ac quorumcumque iurium et actionum certioribus aliisque quibuscumque, inter vivos et causa mortis, et quasi contractibus, etiam vigore obligationis in forma Camerae executionibus, revocationibus, bonis rebusque, iuribus et actionibus ad archiconfraternitatem seu societatem praedictam eiusque custodes, gubernatores, administratores, officiales et deputatos ministros eorumque litis consortes, tam coniunctim quam divisim, ac tam active quam passive, tam secundario quam principaliter, interesse concernentes spectantibus et pertinentibus, ad archiconfraternitatem seu societatem ipsam, in quacumque instantia (quorum omnium et singulorum statum et merita, necnon iudicum et collitigantium nomina et cognomina et qualitates ceteraque etiam de necessitate exprimenda pro expressis habentes), in statu et terminis, in quibus reperiuntur, nunc harum serie ad nos avocantes, illasque omnes et singulas, motas et pendentes, ac quam et quas archiconfraternitas seu societas, gubernatores, officiales, administratores et deputati necnon pauperes ibi degentes habere velint contra easdem personas, universitates, monasteria et alia huiusmodi pia loca, pro rebus, bonis, haereditatibus, iuribus, actionibus huiusmodi, nunc et pro tempore archiconfraternitatis seu societatis praedictae existenti protectori, una cum illarum dependentibus, emergentibus, incidentibus, annexis,

Summarieque etc. procedendi;

§ 3. Summarie, simpliciter et de plano et sola facti veritate inspecta, ac sine strepitu et figura iudicii, per seipsum seu alios a se deputandos, in quacumque instantia, usque ad finem audiendi, cognoscendi et fine debito terminandi, ac etiam alibi introducendi seu committendi, reassumendi, auctoritate apostolica, tenore praesentium, committimus et mandamus; ipsumque protectorem, nunc et pro tempore existentem, in dictis causis motis, pendentibus ac in futurum movendis, in iudicem ordinarium, cum facultate easdem causas in quacumque instantia usque ad finem, et per seipsum seu alium vel alios eius auditores, decidendi et terminandi, et aliis facultatibus praedictis, facimus et constituimus et deputamus.

In Curia et extra inhibendi;

§ 4. Necnon cum potestate citandi et inhibendi quos, quibus et quoties opus fuerit in Curia et extra eam, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu; eidemque ac quibusvis aliis eiusdem Urbis iudicibus ac personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quibus et quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis et pecuniariis, quibus sibi, seu ab eo pro tempore deputando auditori videbitur, inhibendi, et, in eventum non paritionis, contra inhobedientes, contumaces et rebelles ad declarationem incursus poenarum et censurarum huiusmodi, exactionem illarumq. aggravationes

et reaggravationes, et alias, iuxta morem et stylum curiarum Urbis in similibus servari solitum et prout sibi videbitur, procedendi, sententiasque suas debitae executioni demandandi sive demandari faciendi, auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, omniaque alia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi et exequendi.

Et singulis diebus et locis, praeterquam in honorem Dei feriatis procedendi;

§ 5. Ac in omnibus et singulis causis praedictis, singulis diebus et locis, feriatis et non feriatis, praeterquam in honorem Dei, etiam tempore feriarum ob necessitatem hominum indictarum et indicendarum, procedendi.

Notariosque deputandi.

§ 6. Ac quemcumque notarium sibi bene visum in causis huiusmodi deputandi.

Mandatarii huic iudici serviant omnes

§ 7. Volumus etiam quod citationes, monitiones et intimationes, quae in dictis causis fieri oportuerit, etiam per Curiae almae Urbis vicarium, et quoscumque alios mandatarios fieri possint.

Executoresque omnium curiarum.

§ 8. Et quicumque executores Urbis possint et debeant effectualiter executioni demandare omnes et singulas sententias, decreta et mandata prædicti cardinalis protectoris, sive ab eo deputatorum; quique, non obstante regula Cancellariae, sub eius parvo sigillo expediri possint.

Sententiae aliorum iud cum nullae sint.

§ 9. Et insuper archiconfraternitatem seu societatem praedictam eiusque priores, administratores et gubernatores ac deputatos huiusmodi ex nunc deinceps, occasione praemissorum, principaliter seu secundario, alibi quam coram prædicto cardinali protectore conveniri, aut ad alios conveniendum constringi non posse; ac processus, sententias et decreta per alium seu alios, tam ordinarios quam delegatos, iudices in causis praedictis quomodolibet pro tempore formata, lata et facta, cum inde secutis quibuscumque, nulla, irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti fore.

Clausulae praeservativae.

§ 10. Praesentemque cedulam, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus exemptionibus et limitationibus seu revocationibus similium vel dissimilium concessionum et gratiarum, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices et Sedem praedictam vel eius legatos, etiam per regulas Cancellariae Apostolicae pro tempore factas, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis penitus et omnino exceptas, ac quoties illae emanabunt, præsentem cedulam in pristinum robur restitutam esse et censeri debere, nec eidem cedulae per quascumque litteras, etiam quasvis regulas generales et speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, irritantiaque et alia decreta, sub quacumque verborum expressione continentes, posse, et si illis ullo unquam tempore ex aliqua, etiam quantumvis necessaria et urgenti causa derogari contingat, nisi tenor cedulae de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et huiusmodi derogatio per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, administratoribus, [1] gubernatoribus, deputatis et confratribus huiusmodi, omnibus et singulis, legitime intimata et insinuata fuerit, eorumque ad id accesserit assensus, derogationem huiusmodi nemini suffragari et nullius esse roboris vel valoris.

Clausula sublata.

§ 11. Et sic per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata *etc.*; ac irritum iudicari et definiri debere.

Clausulae derogatoriae.

§ 12. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo non ultra tres diaetas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutio-

1 *Primiceriis* addit Cherub. (R. T.).

nibus et ordinationibus apostolicis; necnon basilicae Principis apostolorum de Urbe, ac hospitalium, ecclesiarum, monasteriorum et aliorum quorumcumque piorum locorum et Ordinum iuramento corroboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis conservatori, exemptionibus et litteris apostolicis eisdem ac dilectis filiis populo Romano, eorum iudicibus, notariis et tribunalibus eorumque personis, per quoscumque etiam Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos ac dictam Sedem, etiam motu et scientia similibus, concessis, approb. et innovatis, etiam disponentib. quod causæ huiusmodi ad forum seu curiam Capitolii reassumi debeant. Quibus omnibus et singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque, etiam in vim contractus concessis et concedendis; vel si praedictis aut quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca, curias et tribunalia ad iudicium trahi non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indultis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ praesentibus non expressa aut totaliter non inserta, iurisdictionis ipsius protectoris explicatio impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda sit praesentibus *etc.*

§ 13. Volumus autem praesentium solam signaturam sufficere, et ubique fidem facere, in iudicio et extra, regula contraria non obstante; et earumdem transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo protectoris seu archiconfraternitatis seu societatis huiusmodi munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus manu nostra subscriptis; ac etiam litteras ad partem expediri posse. Fides exemplorum.

Placet. Motu proprio, M.

Datum Romae apud S. Petrum, XII kalendas aprilis, anno VI.

Dat. die 21 martii 1571, pontif. anno VI.

CLXXXVIII.

Facultas magistri generalis et praelatorum Ordinis fratrum Praedicatorum S. Dominici creandi et deputandi fratres ipsius Ordinis in notarios pro executione mandatorum apostolicorum [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Debitum pastoralis officii nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissi, nos admonet et inducit ut circa Religionum quarumlibet, praesertim Ordinis fratrum Praedicatorum S. Dominici, ad quem patrio quodam iure peculiarem gerimus paternae caritatis affectum, statum prospere dirigendum, et rescripta apostolica quaecumque publicam ac alias privatam dicti Ordinis et fratrum sive monialium eiusdem utilitatem concernentia, per probos et idoneos eiusdem Ordinis religiosos personis, quibus opus fuerit, intimanda et insinuanda, ac debite exequenda, studiis Exordium.

1 De hoc Ordine vide in Honorii III constitutione II, *Religiosam*, tom. III, pag. 309.

invigilemus assiduis, ac alias omnibus illorum incommodis et necessitatibus consulamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Causa hujus constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis, dum in minoribus constituti essemus, satis comprobatum fuit quod fratres religiosi et moniales dicti Ordinis fratrum Praedicatorum S. Dominici, sive Ordinem ipsum vel illius Regulam profitentes, quem quidem Ordinem expresse professi fuimus, tam universaliter quam particulariter, quamplura damna, incommoda et detrimenta patiuntur, et impensas sustinent ex eo quod notarii, tam clerici quam laici saeculares, etiam apostolica, imperiali, regali aut alia auctoritate creati et constituti, in plerisque mundi partibus, regionibus, regnis, provinciis, dominiis et locis existentes, ex eis oriundi sive alias inibi commorantes, mandata, concessiones, gratias, privilegia et indulta aliaque rescripta apostolica tam ad publicam quam privatam utilitatem emanata sive concessa, et bonum sive commodum publicum sive privatum concernentia, dominis temporalibus sive potestatibus, regibus, ducibus, principib. [1] ac aliis dominis et personis, quibus intimanda sive insinuanda veniunt, ac intimare et insinuare oportet, intimare, notificare sive insinuare variis confictis respectibus recusant sive non audent, contra eorumdem officii liberum et publicum exercitium debitamque Sedis Apostolicae obedientiam, ac in non modicum publicae et privatae utilitatis et commodi praeiudicium et detrimentum.

Privilegium de quo in rubrica.

§ 2. Nos igitur, cupientes, quantum cum Deo possumus, in praemissis Ordini et fratribus praefatis ac etiam monialibus ipsis de opportuno remedio providere, et incommodis, detrimentis, expensis et damnis eorum obviare, neve mandata, privilegia, gratiae, concessiones, indulta et rescripta apostolica, in genere vel in specie, dicto Ordini seu ipsius Ordinis magistro generali, provincialibus aliisque superioribus, prioribus et fratribus et eorum singulis, dictisque monialibus sive earumdem abbatissis, priorissis, et earumdem etiam singulis eiusdem Ordinis, sive dictum Ordinem et illius Regulam profitentibus, quomodolibet, in genere vel in specie, concessa, aliaque mandata et rescripta apostolica, publicam vel privatam ipsius Ordinis utilitatem quomodolibet concernentia et emanata, ob id debito careant effectu et vacua remaneant, providere volentes; ipsosque Ordinem ac illius magistrum generalem, vicarium, procuratorem et fratres ac abbatissas, priorissas et moniales eorumque singulos specialibus favoribus et gratiis prosequentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon nomina, cognomina magistri generalis, provincialium, vicariorum, procuratorum et aliorum superiorum ac dictarum abbatissarum, priorissarum et monialium, invocationesque, denominationes et dependentias monasteriorum, domorum, conventuum et aliorum regularium locorum, tam virorum quam mulierum dicti Ordinis, ac etiam mandatorum, concessionum, indultorum et rescriptorum aliarumque gratiarum tenores, praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, modernis et pro tempore existentibus dicti Ordinis magistro generali, vicariis et provincialibus, tam citra quam ultra montes ac alias ubilibet consti-

1 *Marchionibus* addit Cherub. (R. T.).

tutis, quod in unaquaque eorum provincia, unum, duos, tres, quatuor vel quinque aut plures eis bene visos dicti Ordinis religiosos seu fratres, probatos tamen ac fide et doctrina idoneos et ab ipsis approbatos, in notarios creare, constituere et deputare. Qui sic creati, constituti et deputati, sine aliquo respectu et omni cessante recusatione, libere, quoties requisiti fuerint, omnia et singula mandata, privilegia, concessiones, gratias et indulta apostolica aliaque tam universalia quam particularia dicti Ordinis, ac quibusvis aliis quae de Observantia sunt tantum locis, domibus, conventibus, monasteriis et ecclesiis, tam virorum quam mulierum et seu eiusdem Ordinis magistro generali, provincialibus, vicariis, prioribus et aliis superioribus fratribus ac abbatissis, priorissis, monialibus et aliis personis sub Regula dictorum fratrum degentibus, et quae sunt Observantiae tantum, in genere vel in specie, et ad universam sive privatam utilitatem concessa et emanata, rescripta apostolica eisdem regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus et dominis aliisque personis ecclesiasticis et saecularibus quibuscumque, ubi et quoties opus fuerit, ac ad id requisiti fuerint, notificare et intimare. Ac eosdem, iuxta mandatorum, concessionum, indultorum, privilegiorum et rescriptorum huiusmodi formam, continentiam et tenorem, monere et requirere, aliaque omnia et singula circa ea requisita et opportuna facere, agere, exercere et exequi, ac de eisdem omnibus et singulis publicos et publica actus et instrumenta coram testibus ad hoc requisitis conficere et stipulari ac in notam redigere, et exinde, semel vel pluries, prout ad id requisiti fuerint, unum vel plures ac plura publicos et publica actus et instrumenta, quibus eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio et extra ac ubique, ac si per alios quoscumque publicos et authenticos rogatos notarios stipulata, confecta et publicata et authenticata fuissent, conficere, et debitis signis et characteribus subscribere, publicare et authenticare, libere et licite possint et valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem impartimur, concedimus et indulgemus: eisdemque actis, notis, instrumentis et scripturis, per dictos religiosos, ut praefertur, notarios deputatos stipulatis, confectis et, ut praefertur, authenticatis, indubitatam fidem ubique, tam in iudicio quam extra, adhibere, ac eosdem sic intimatos, monitos et requisitos eis affici et arctari debere volumus, statuimus et ordinamus.

Iussio quod praedicti notarii non impediantur.

§ 3. Mandantes propterea, in virtute sanctae obedientiae et indignationis nostrae ac suspensionis a divinis, quoad archiepiscopos et episcopos; quoad alios vero inferiores, sub maioris excommunicationis latae sententiae poenis, locorum ordinariis et aliis quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, et quacumque, etiam dictae Sedis, auctoritate, facultate seu potestate, etiam legati de latere ac cardinalatus honore fungentibus, ne ipsos notarios, ut praefertur, deputatos et electos, sive eorum aliquem in executione supradictorum omnium quovis modo impediant, seu impedire aut perturbare audeant vel praesumant.

Clausulae praeservativae huius privilegii

§ 4. Ac decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu intentionis nostrae vitio seu defectu notari seu impugnari, ac sub quibusvis revocationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, a nobis vel successoribus nostris emanandis, comprehensas, sed semper ab illis exceptas existere, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum et va-

lidissimum, etiam sub data per eosdem magistrum generalem, provinciales et alios supra nominatos eligendam, concessas, restitutas et plenarie reintegratas existere. Et sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§ 5. Quocirca dilectis filiis Iacobo tituli S. Mariae in Cosmedin presbytero cardinali de Sabellis nuncupato, nostro in alma Urbe vicario, et Curiae causarum Cameræ Apostolicae generali auditori, et Cancellariae Apostolicae regenti, nunc et pro tempore existentibus, per præsentes, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte magistri generalis, procuratorum, provincialium et aliorum praedictorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos et eorum singulos indulto, concessione, voluntate, statuto, ordinatione, mandato et decreto nostris huiusmodi, iuxta eorumdem praesentium tenorem, pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslib. et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas ac alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas praedictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilio generali de duabus diaetis, dummodo quis auctoritate praesentium ultra tres diaetas ad iudicium non trahatur, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam dictae Sedis de latere legatis, nunciis, locorum ordinariis et aliis quibusvis personis, in præiudicium praemissorum, per quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros ac nos et Sedem praefatam, tam sub plumbo quam in forma brevis, et etiam motu et scientia similibus, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem quod transumptis praesentium *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum,

sub annulo Piscatoris, die XXI martii MDLXXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 21 martii 1571, pontif. anno VI.

CLXXXIX.

Quod fratres Eremitae S. Hieronymi congregationis B. Petri de Pisis, Regulam S. Augustini dudum professi, ultra gratias dictae congregationis, perfruantur privilegiis omnibus ab isto Pontifice Mendicantium Ordinibus elargitis [1].

Pius Papa V dilectis filiis congregationis fratrum Eremitarum Beati Petri de Pisis, Ordinis Sancti Hieronymi.

Exordium

Religionis zelus eximiumque regularis observantiae desiderium, ac illibatus sincerae devotionis erga nos et Sedem Apostolicam affectus, quibus in Domino flagrare comprobamini, promerentur ut nostram quoque et Sedis praedictae paternam sentiatis benignitatem et clementiam.

Confirmatio omnium gratiarum Ordinis, cum clausula *quatenus* etc.

§ 1. Hinc est quod nos, congregationem vestram fratrum Eremitarum B. Petri de Pisis, Ordinis S. Hieronymi, dictosque fratres et alias eiusdem congregationis personas aliqua nostra et dictae Sedis benevolentia amplecti ac specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, motu proprio, non ad vestram aut alicuius vestrum seu alterius pro vobis super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, facultates, libertates, immunitates, exemptiones, praerogativas, indulta et alias gratias universas, spirituales et temporales, vobis et dictae vestrae congregationi illiusque capitulo et personis ac monasteriis et locis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et etiam forsan nos ac Sedem praedictam, et etiam illius legatos, necnon etiam locorum ordinarios quorumlibet hactenus et in praesentem usque diem, ac etiam a quantumvis antiquo tempore concessa (quatenus sacri Tridentini concilii decretis et regulari observantiae contraria non sint, et quoad ea quae decretis concilii et regulari observantiae huiusmodi non contrariantur), necnon desuper confectas litteras, instrumenta, documenta et scripturas quascumque in eis contenta, ac inde secuta et sequenda quaecumque, illarum et illorum ac praemissorum omnium et aliorum necessariorum tenores et etiam datas, cum inde secutis, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes et haberi decernentes, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus ac innovamus, et etiam de novo perpetuo concedimus, necnon illis plenariae, inviolabilis et perpetuae firmitatis apostolicae robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti et quoscumque alios defectus, si qui forsan intervenerint quomodolibet in eisdem, supplemus, illaque valida et efficacia fuisse, esse et perpetuo fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, necnon vobis et congregationi vestrae praedictae illiusque fratribus, personis, monasteriis et locis suffragari, ac ab omnibus et singulis, quos ea quomodolibet concernunt et pro tempore concernent, inviolabiliter perpetuo observari debere; vosque et congregationem vestram ac illius fratres, personas, monasteria et loca, super praemissis et infrascriptis, per quoscumque, quavis auctoritate, quomodolib. molestari vel impediri non posse, decernimus et declaramus.

Inhibitio contra perturbatores.

§ 2. Districtius etiam inhibentes omnibus et singulis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel

1 De his fratribus vide in Eugenii IV constitutione XV, *Provenit*, tom. V, pag. 29.

conditionis ubilibet existentibus, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostræ ac aliis arbitrii nostri pœnis, ne vos aut aliquem vestrum, super præmissis, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, quomodolibet molestare, inquietare, impedire vel perturbare audeant seu praesumant.

Indulgentia pro congregatione.

§ 3. Ac insuper, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, vobis et dictae vestrae congregationi illiusque fratribus et personis ac vestrum et eorum singulis plenariam omnium peccatorum vestrorum indulgentiam et remissionem a culpa et poena in forma Iubilaei amplissima, quarto die dominico cuiusslibet quadragesimae, in perpetuam rei memoriam professionis trium votorum, quam vos fratres dictae congregationis, præeunte dilecto filio fratre Ioanne Baptista de Monselice, vestro et huius congregationis generali, prompto et libenti animo in manibus nostris solemniter sub Regula S. Augustini et sub constitutionibus dictae congregationis, Romæ, in ecclesia monasterii Sancti Honuphrii, die decima octava mensis martii, anni Domini millesimi quingentesimi sexagesimi noni, emisistis, eisdem auctoritate et tenore, misericorditer in Domino perpetuo concedimus et impartimur.

Communicatio omnium gratiarum ab isto Pont. Mendicantium Ordinibus concessarum.

§ 4. Et praeterea vos et eamdem congregationem vestram illiusque fratres et personas ac monasteria et loca, bullae confirmationis novaeque concessionis privilegiorum omnium Ordinum Mendicantium per nos nuper seu dudum editae, illius etiam tenores et datam, cum inde secutis, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes in omnibus et per omnia, ac adinstar dictorum Ordinum et aeque principaliter, ex nunc et perpetuo, auctoritate et tenore praedictis, aggregamus, ac pro aggregatis haberi, censeri et teneri, in iudicio et extra iudicium ubilibet, volumus, declaramus et mandamus.

Clausulæ præservativae.

§ 5. Praesentes quoque de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari vel impugnari, seu alias quomodolibet infringi vel retractari, suspendi vel revocari, seu eis in aliquo derogari nullatenus unquam posse, sed illas semper validas et efficaces existere, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, necnon ab omnibus et singulis, quos ea quomodolibet concernunt et pro tempore concernent, inviolabiliter, ut praefertur, observari; sicque etiam in praemissis et supradictis omnibus et singulis ab omnibus censeri.

Clausula sublata.

§ 6. Ac ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam locorum ordinarios, etiam tamquam a Sede Apostolica delegatos, necnon etiam Rotae auditores seu locatenentes ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos seu nuncios, eorumque vicelegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia, iudicari, sententiari et definiri debere, necnon quidquid super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus et declaramus.

Executorum deputatio.

§ 7. Quocirca dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori ac Sedis Apostolicae legatis, etiam de latere, et nunciis, ubilibet nunc et pro tempore existentibus, praesentibus et futuris, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, si et postquam praesentes nostrae litterae eis praesentatae fuerint, per se vel alium seu alios, litteras ipsas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus

fuerit, ac quoties super hoc pro parte vestra aut alicuius vestrum fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque et cuilibet vestrum in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi, firmiter observari, vosque et quemlibet vestrum illis pacifice frui et gaudere. Non permittentes vos aut vestrum quempiam per quoscumque contra earumdem praesentium tenorem desuper quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et pœnas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede Apostolica deputati, extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere seu alii vel aliis vices suas committere praesumant, ac in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur, et quibusvis aliis apostolicis ac universalibus, provincialibus et synodalibus, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam quibusvis personis et locis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, ac etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, et etiam consistorialiter ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die trigesima martii, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 martii 1571, pontif. anno VI.

CXC.

Reductio ad terminos iuris communis constitutionum a Sixto IV, Leone X et Pio IV ac aliis Pontificibus editarum, super iure congrui et super novis (exceptis tamen sacris aut publicis) aedificiis construendis aut ampliandis in Urbe.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Ad hoc nos Deus militanti Ecclesiae praeficere dignatus est, ut, singulorum

prædecessorum nostrorum gesta (Eo inspirante qui dat spiritum bonum petentibus se) revolventes, ea quae certis tunc suadentibus rationabilibus causis emanarunt, ex aliis non minus attendendis rationibus ad rationis tramitem reducamus, prout, rerum et temporum qualitate digesta, salubriter in Domino conspicimus expedire.

Sixtus IV citatus in rubrica iussit vicinos domos vendere vicinis ad ornatum Urbis.

§ 1. Sane, licet alias felicis recordationis Sixtus Papa IV, motu proprio et ex eius certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, statuerit et ordinaverit quod tunc et pro tempore existentes Romanae Ecclesiae camerarius et magistri aedificiorum et stratarum dictae Urbis, ad requisitionem dominorum quorumcumque domorum et aliorum bonorum, tenerentur in certis expressis casibus compellere vicinos ad domos et alia bona expressa vendendum pro pretio per peritos existimando, quodque vicini vendere volentes nonnisi vicinis emere volentibus vendere possent, et alias ac latius, prout in dicti praedecessoris litteris continetur, sub datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo octogesimo, pridie kalendas iulii, pontificatus sui anno IX.

Leo etiam X, ut in rubr.

§ 2. Et successive Leo decimus, sub datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis praedictae millesimo quingentesimo decimo sexto, quarto nonas novembris, pontificatus sui anno IV.

Pius IV eorum constitutiones ampliavit.

§ 3. Ac Pius IV, sub datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis praedictae millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, decimo kalendas septembris, pontificatus sui anno VI, et alii Romani Pontifices praedecessores nostri litteras praedictas Sixti confirmaverint, declaraverint, ampliaverint et extenderint, et alias prout latius in dictis litteris continetur.

§ 4. Cum autem, sicut accepimus, occasione litterarum praedictarum diversae lites, quaestiones et controversiae ortae, ac diversa gravamina et laesiones, perturbationes et incommoda diversis personis generata et illata, ac litterae huiusmodi, quae correctoriae iuris communis existunt, secundum propriam significationem stricte interpretari deberent, rigorosae executioni, etiam in casibus in illis forsan non expressis, demandatae fuerint et in dies demandentur, in earumdem personarum animorum molestiam non modicam, ac propterea plurimorum ad nos querelae delatae fuerint et in dies deferantur, conquerentium potissimum de rigore vel potius iniustitia litterarum praedictarum.

Hic modo Pontifex, ad tollendum lites desuper ortas,

Eas reducit ad terminos iuris communis.

§ 5. Nos, attendentes quod ea, quae iuri communi et sacris canonibus contrariantur, et ex certis necessitatibus imminentibus et ita forsan requirentibus statuta et admissa sunt, perpetua esse non debent, et quod si legi civili multa rigorosa admittenti gravis visa est iniuria, quae inani honestatis colore velatur, ut homines de rebus suis facere aliquid cogantur inviti, neque suo arbitratu vendenda distrahere possint, et propterea constitutiones cassaverit, quae liberum arbitrium distrahendi res proprias impedirent, multo gravior nobis esse videtur, qui, sanctorum Patrum decretis inhærentes, nitimur ut nonnisi ea, quae ad pietatem et aequitatem ac liberam disponendi de rebus suis facultatem, et ad quietem et tranquillitatem subditorum nostrorum et querelarum ac litium praefatarum amputationem tendunt, admittamus. Litterarum omnium præfatarum veriores necnon processuum desuper formatorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, necnon quarumcumque litium super forsan motarum, et in quacumque instantia, etiam super iustitiae vel iniustitiæ revisione, pendentium status, merita, ac nomina et cognomina iudicum et collitigantium praesentibus pro expressis habentes, illasque ad nos harum

serie advocantes et extinguentes, perpetuumque super praemissis silentium imponentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione et de apostolicæ potestatis plenitudine, litteras et constitutiones Sixti, Leonis, Pii et aliorum praedecessorum nostrorum huiusmodi, quoad pendentes in quacumque instantia, refectis tamen expensis illis qui sub praetextu dictarum bullarum iustam hucusque habuerunt causam litigandi, et futuras causas, ac si numquam emanassent, ad ius commune et terminos et viam iuris communis omnino reducimus revocamusque, cassamus et annullamus ac viribus vacuamus. Ita quod in causis huiusmodi secundum iuris communis dispositionem, posthabitis litteris praefatis, procedi, sententiari et definiri debeat.

Praeterquam in sacris vel publicis aedificiis, ut hic.

§ 6. Excipimus tamen a praesenti nostra reductione et cassatione, quod si pro una vel pluribus aedibus sacris, aedificiis, viis et plateis publicis construendis, ampliandis vel dirigendis, aliquae domus vel alia aedificia et bona essent in totum vel in parte incorporanda, demolienda vel restringenda, quod in casibus praefatis et non aliis possint vicini et habentes domos, sedimina, plateolas et alia quaecumque bona, etiam si aliter vendituri non essent, compelli ad ea vendendum. Ita tamen quod compulsi praefati ultra aestimationem domus, sediminis, plateolae et aliorum bonorum praedictorum faciendam per duos peritos communiter eligendos, et in casu discordiae, per magistros viarum loco tertii, quartam partem pretii, ultra valorem ut supra aestimandum, consequantur.

Iussio sic et non aliter iudicandi.

§ 7. Districtius inhibentes quibusvis *etc.*, ne aliter quam ut praemittitur iudicare, vel contra praemissa sententiare, aut lites praedictas prosequi quovis quaesito colore audeant vel praesumant. Decernentes quoque omnes et singulas, aliter quam ut praefertur ferendas sententias, nullas, irritas, inanes nulliusque roboris vel momenti, et tamquam tales nemini suffragari, nec a quoquam exequi, quovis praetextu deberi.

Clausulæ præservativae.

§ 8. Praesentes vero vim perpetuae constitutionis et legis habere, et inter extravagantes constitutiones nostras registrari ac publicari debere, nec ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam vocari, quacumque occasione vel causa minime posse, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus et limitationibus comprehendi nullatenus posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices, quacumque auctoritate fungentes, etiam causarum sacri Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis aliter iudicandi potestate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus a quoquam, quavis auctoritate, contigerit attentari.

Mandamusque propterea dilectis filiis *etc.*

Non obstantibus litteris Sixti, Leonis et Pii praefatis et aliis apostolicis, necnon *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, quarto idus aprilis, anno VI.

Placet. Motu proprio, M.

Dat. die 10 aprilis 1571, pontif. anno VI.

Sequitur extensio supradictae reductionis etiam ad inquilinos.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Tanta est praesentis saeculi depravata malitia, ut dum uni inconvenienti *etc.*, *ut supra.*

Causa huius extensionis.

§ 1. Cum tamen nuper ad notitiam nostram devenerit alias in Camera Apostolica, inter alia, decretum fuisse quod exinde in posterum nullae venditiones de domibus aliis locatis, per earumdem domorum, sive illi Romani essent sive curiales, etiam si pupilli vel vigintiquinque annis iuniores vel mulieres, laici vel clerici, seu etiam religiosi seu alias quarumcumque ecclesiarum rectores, sive earumdem domorum, iure quorumvis beneficiorum per eos obtentorum, ius aut dominium habentes [1], etiam si cum iuramento et quavis etiam obligatione in ampliori forma Camerae Apostolicae seu alias quibuscumque excogitari possent cautelis et modis contractae essent, valerent seu alicuius roboris vel momenti existerent, nisi primitus et ante omnia iidem domorum domini earumdem inquilinis, per authentica instrumenta, et in praesentia notarii publici et testium fide dignorum, bis cum intervallo decem dierum requisitis si, pro iustis conditionibus et eisdem pretiis, pactis et conventionibus, easdem domos in eamdem emptionem habere vellent, alias dictae venditiones exinde nullius essent roboris vel momenti, ac alias prout in dicto decreto camerali plenius dicitur contineri. Quod si profecto remaneret, eadem inconvenientia sequerentur, quae ex dictis praedecessorum nostrorum litteris orta fuerunt.

Extensio dictae reductionis etiam ad inquilinos

§ 2. Licetque non immerito censeri posset in dictarum litterarum revocatione etiam decretum camerale praefatum, saltem ex identitate rationis, ne quis de rebus suis disponere arbitrio suo prohibitus videatur, comprehensum fuisse et esse, ut tamen scrupolosis omnibus, qui varia litium semina subministrare non cessant, cavillandi materiam succidamus, decreti praefati tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso habentes, motu simili *etc.* declaramus atque decernimus decretum praefatum sub eadem cedula nostra comprehensum fuisse et comprehendi debere quoad liberas domorum venditiones, earumdem inquilinis irrequisitis, per earum dominos factas (dummodo super earum tractatione lis mota per inquilinos et plenarie hucusque finita non fuerit) et in futurum contrahendas, perinde ac si de dicto decreto specialis, specifica et expressa mentio facta fuisset. Et nihilominus, pro praemissorum maiori cautela et firmitate, omnia et singula, quae in dicta cedula contra praedecessorum litteras praefatas statuimus et ordinamus et observari volumus, eadem omnia, cum omnibus et singulis clausulis et derogationibus in dicta nostra cedula contentis, ac si de verbo ad verbum hic expressa essent, quoad huiusmodi decretum et liberam vendendi facultatem, inquilinis domorum non requisitis, statuimus et ordinamus et observari volumus et mandamus.

Decretum irritans.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis *etc.*, decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus dicto decreto camerali huiusmodi, etiam pluries confirmato, ac aliis praemissis, ac, quatenus opus sit, nostra de non tollendo iure quaesito, etiam quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon iuramento *etc.* roboratis statutis, consuetudinibus, necnon legibus, etiam municipalibus; privilegiis quoque *etc.*, sub quibuscumque tenoribus *etc.* concessis *etc.*, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque, statum et merita causarum praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes.

Placet. Motu proprio, M.

Datum Romae apud S. Petrum, quinto nonas iulii, anno VI.

Dat. die 3 iulii, pontif. anno VI.

[1] *Etiam pro eorum quavis necessitate vel causa*, Cherub. (R. T.).

CXCI.

Confirmatio privilegiorum collegii secretariorum apostolicorum [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Romani Pontificis, in quo divina dispositione potestatis plenitudo consistit, providentia circumspecta ad ea, quae prospero statui dilectorum filiorum secretariorum nostrorum, qui Curiae Romanae decori et ornamento commoditatique esse dignoscuntur, profutura conspicit, operosis studiis intendit, et his, quae per Romanos Pontifices praedecessores suos illis gratiose concessa comperiuntur, ut perpetuo firmiori subsistant robore, suum et Sedis Apostolicae munimen et patrocinium libenter adiicit, eaque de novo concedit et alia super his disponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Causa concessionis.

§ 1. Sane cum, sicut accepimus, plurima privilegia, facultates et indulta per felicis recordationis Innocentium VIII, Alexandrum VI, Leonem X, Clementem VII ac forsan alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, eisdem secretariis et eorum collegio per eorumdem praedecessorum litteras concessa fuerint. Nos quoque eosdem secretarios eorumque collegium specialis gratiae favore prosequi, et ut eorum privilegia, facultates et indulta huiusmodi firmiora persistant, et si quae forsan in usu non sint aut revocata fuerunt, in integrum restituantur, providere volentes, eosdem secretarios et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon litterarum praedictarum et privilegiorum in eis contentorum tenores, praesentibus pro sufficienter expressis habentes.

Confirmatio privilegiorum.

§ 2. Motu proprio, non ad ipsorum secretariorum aut alicuius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, singulas eorumdem praedecessorum litteras, omniaque et singula privilegia, facultates, indulta, gratias, libertates, immunitates, exemptiones, antelationes, honores, quatenus concilii Tridentini decretis non adversentur, etiamsi illa in usu non sint, ac forsan per nos aut Romanos Pontifices praedecessores nostros revocata fuerint, nec non salaria ac emolumenta et alia quaecumque eisdem secretariis per dictos praedecessores concessa et assignata, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, nec non illis omnibus perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; defectus, si qui fuerint aut intervenerint in eisdem, sive ex iure sive ex facto processerint, supplentes; et pro potiori cautela, privilegia, facultates, indulta, gratias, libertates, immunitates, exemptiones, antelationes, honores, salaria et emolumenta huiusmodi iisdem modo et forma, quibus per praedictos praedecessores eisdem secretariis et eorum collegio concessa fuerunt, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, auctoritate et tenore praedictis de novo concedimus et assignamus.

Huiusmodi privilegia infringi non possunt, nisi restituta prius singulis secretariis pecunia.

§ 3. Volentes et statuentes illa ullo unquam tempore per nos aut Romanos Pontifices pro tempore existentes revocari, reduci, alterari aut moderari, seu collegium ipsum, vel extingui non posse, nisi restitutis prius realiter et cum effectu singulis secretariis tunc viventibus, integre et absque ulla diminutione, pecuniis, pro quibus eos officia emisse aut habuisse constiterit, sicque nostrae incommutabilis voluntatis fuisse et esse attestantes.

1 Ex Regest in Archiv. Vatic.

Praesentes litterae nullo umquam vitio notandae.

§ 4. Ac decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae defectu, vel per fraudem extortas fuisse notari, redargui vel impugnari posse. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, etiam S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter interpretandi, iudicandi et diffiniendi facultate, interpretari, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam motu simili in contrarium quomodolibet concessis, quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse, in omnibus et per omnia, quatenus praemissis adversentur vel repugnent, pari motu derogamus; necnon omnibus et singulis aliis, quae dicti praedecessores nostri in eorum litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die sexta maii MDLXXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat die 6 maii 1571, pontif. anno VI.

CXCII.

Declaratio quod canonici saeculares congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum praecedant etiam canonicis regularibus congregationis Lateranensis, Ordinis S. Augustini [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Cum alias nos, postquam dilecti filii rector generalis et canonici congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum, mandatis nostris obtemperando, professionem regularem emiserant, nosque propterea ipsos sub nostra et Sedis Apostolicae protectione receperamus, ac inter alia per quasdam volueramus quod rector et canonici praedicti in processionibus et actionibus publicis, prout antea soliti erant, praecederent, ex certis causis tunc expressis, omnes ac singulos canonicos regulares Ordinis S. Augustini congregationis Lateranensis, ubique locorum existentes, quos deinceps processionibus et aliis actibus, publicis vel privatis, interesse contigisset, statim ipsum clerum saecularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo praecedunt, dum vero praecedendo praecedunt, illum immediate sequi debere per alias nostras litteras declaraverimus, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur; a nonnullis non immerito dubitari posset an per posteriores litteras praedictas prioribus ita derogatum sit, ut canonici regulares praedicti canonicos congregationis S. Georgii praedicti praecedere debeant, quod profecto, si ita declaretur, non sine maximo ipsius rectoris et canonicorum S. Georgii praeiudicio et gravamine esse posset.

Hic Pontifex istis canonicis saecularibus dedit praecedentiam; et deinde praecedentiam etiam dedit canonicis regularibus Lateranensibus. Ideo dubitari posset an haec posterior bulla praecedenti deroget.

§ 1. Nos, praemissa declaratione debita dilucidare satagentes, nolentesque litteras nostras, quae non sine causae cognitione prodierunt, in alienum sensum ac aliorum praeiudicium distrahi, litteras nostras ultimo datas, ac si de verbo ad verbum insertae forent, praesentibus pro expressis habentes seu exprimi et inseri posse decernentes, motu simili declaramus et in verbo Romani Pontificis attestamur intentionis nostrae nunquam fuisse nec esse secundo datas litteras prioribus ita praeiudicare, ut ipsi canonici congregationis S. Georgii locum mutare debere censeantur aut censeri possint, sed locum ipsis canonicis regularibus assigna-

Hic modo Pontifex non derogare declarat, et praecedentiam canonicorum saecularium praeservat;

1 Hoc privilegium praecedentiae, quoad alios regulares, concessit hic idem Pontifex dictae congregationi S. Georgii, ut sup. in constit. CXXXVIII, *Ex incumbenti*, pag. 772. Institutionem vero huius congregationis vide in Gregorii XII constit. II, *Illis*, tom. IV, pag. 645.

tum citra ipsorum canonicorum congregationis S. Georgii praeiudicium concessum fuisse ac esse intelligatur, ipsique canonici congregationis S. Georgii deinceps et perpetuis temporibus sub nomine cleri saecularis venire; et ita ab omnibus censeri, nec super eo a quoquam molestari posse vel debere.

Observantiamque huius bullae praecipit;

§ 2. Districtius inhibentes omnibus et singulis, tam ecclesiasticis quam saecularibus iudicibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis ac conditionis existentibus, et quacumque auctoritate, etiam apostolica, fungentibus, et praesertim secundo dictis litteris deputatis, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis maioris aliisque arbitrio nostro moderandis et infligendis poenis, ne contra praedicta, quovis quaesito colore, venire, aut quominus illa suum plenarium ac integrum sortiantur effectum impedire audeant vel praesumant; quinimmo eos et alios quoscumque poenas in eis appositas incurrere minime posse volumus.

Clausulas huius declarationis praeservativas apponit;

§ 3. Decernentes quoque praesentes et desuper conficiendas litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod dicti canonici regulares aut alii forsan interesse habentes vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari aut contra illas de nullitate opponi, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam vocari, causamque vel causas, propter quas a nobis praesentes emanaverint, verificare nullatenus teneri, nec ob id viribus carere, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutae, repositae et plenarie reintegratae esse, etiam sub quacumque data per ipsos canonicos dictae congregationis S. Georgii eligenda, vimque validi et efficacis contractus inter nos et Sedem Apostolicam ac eosdem canonicos, etiam cum iuramento initi ac stipulati, sortiri; sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S.R.E. cardinales, sublata eis *etc.*, iudicari debere; irritum quoque *etc.*

Contrariis omnibus derogat.

§ 4. Non obstantibus litteris nostris praefatis, quas, quoad huiusmodi effectum, et in ea parte qua praesentibus contrariant, revocamus et annullamus, ac quibuscumque litium pendentiis (quas ad nos harum serie avocamus et extinguimus), perpetuum super illis silentium imponimus, illarumque status et merita, nominaque et cognomina iudicum, praesentibus pro expressis habentes, ac quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis dictis canonicis regularibus et quibusvis aliis, sub quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis; irritum, *etc.*, hac vice latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Fiat. Motu proprio, M.

Repetitio clausularum.

§ 5. Et cum absolutione a censuris *etc.*, et quod singularum litterarum praefatarum tenores habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi ac de verbo ad verbum inseri possint. Et de declaratione, attestatione, voluntate, deliberatione, decreto et aliis praedictis pro repetitis habeantur, et ad partem perpetuo in forma gratiosa *etc.*, et cum deputatione iudicum et executorum, qui assistant et praemissa observari faciant, etiam sub censuris *etc.*,

cum potestate citandi, inhibendi et aggravandi et reaggravandi ac interdicendi *etc.*, et cum derogatione *etc.* de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo non ultra tres, ac praedictorum et singulorum praesentibus quomodolibet contrariorum. Quorum *etc.* latissime extendimus; et quod praemissorum omnium *etc.*, et per breve litterae expediri possint.

Datum Romae apud S. Petrum, XI kalendas iunii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 22 maii 1571, pontif. anno VI.

CXCIII.

De electione et officio ministri generalis et aliorum superiorum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia; et de modo recipiendi novitios.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii nobis divinitus iniuncti assidua sollicitudo nos admonet ut omni cura ac vigilantia ad ea semper intendamus, per quae omnes personae regulares, sub suavi Religionis iugo Altissimo famulantes, in regularium ac salutarium institutorum observatione non modo conserventur, sed ad alia observanda modis et rationibus congruentibus admoneantur et impellantur. Considerantes autem quam uberes fructus Ordo fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, qui in humilitate et patientia potissimum fundatus existit, hactenus in agro Domini attulerit, et in dies magis, cooperante Eo a quo bona cuncta procedunt, afferre non cesset, nonnulla ordinanda et a fratribus praedictis observanda censuimus, per quae, Deo omnipotente auctore, dictus Ordo, per nostrae providentiae ministerium, felicia in Domino suscipere possit incrementa. Motu igitur proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia maturaque deliberatione nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura sanctione statuimus et ordinamus.

Proœmium.

§ 1. Quod illi fratres eiusdem Ordinis posthac in generalem ministrum et reliquos superiores solum eligantur, qui Regulam ipsius beati patris Seraphici bene observare, et qui in choro, victu et vestitu, quantum officii necessitas concesserit, cum aliis se conformare soleant ac debeant, super quo Barchinonenses constitutiones harum serie innovamus, omnesque tam superiorum quorumcumque quam definitorum, custodum et discretorum electiones per vota secreta fiant, iuxta sacri concilii Tridentini decreta; aliter electiones factae pro tempore nullae et penitus irritae sint et inanes, electique poenas in dictis decretis contentas incurrant eo ipso.

Qui et quomodo possint eligi in huius Ordinis superiores,

§ 2. Quodque minister generalis, commissarius vel procurator generales et provinciales, in eo capitulo, quo absolvi debent, definitores non sint, neque vocem habeant, sed, facta successoris electione, discedant, ut si quis eos accusare velit, libere agat.

Et illi quando vocem habeant in capitulo.

§ 3. Quod provincialium ministrorum electio libere per vota secreta, ut supra, fiat, ita ut commissarius generalis vel qui electioni praesederit, si formam praedictam transgredi, seu electores quo minus libere eligant quovis modo impedire convictus fuerit, officio privatus existat.

Provincialium ministrorum electio fiat per vota secreta.

§ 4. Qui vero in electionibus omnibus, vel ante eas per sex menses, pro se vel pro alio subornaverit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, a qua nisi a Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi non possit, ac voce activa et passiva perpetuo careat; ac subornatus vel alius, etiam pro quo subornatio fiet, qui subornantem non detulerit, eamdem poenam incurrere censeatur.

Subornantes et subornati in elect. excommunicantur.

§ 5. Qui autem ad officium obtinendum quorumvis favorem extra Religionem procuraverit, ultra praedictas poenas, per mensem carceri mancipetur.

Favorem procurantes extra Regulam coercentur.

§ 6. Quod officium generalis ministri octo annos duret; commissarii et procuratoris generalis ac provincialis, quatuor; ipsique, semel officio functi, ad idem eligi non possint, nisi post sexdecim annos; nec minister generalis in commissarium vel procuratorem generales, nec commissarius generalis in ministrum seu procuratorem generales, nec procurator generalis in ministrum vel commissarium generales, nisi post dictos sexdecim annos, ut munus sibi iniunctum cum maiori fructu exercere valeant. Possit tamen minister provincialis in alia provincia provincialis esse; et capitulum, quod dicitur intermedium, post quatuor annos ab electione generalis celebrari debeat.

Praelatorum officium quando expletur.

§ 7. Quod generalis minister habeat duos discretos secum, unum ex qualibet familia, quorum consilio uti debeat in gravioribus, sintque immediate subditi ministro generali, ac in generali et provincialibus capitulis habeant vocem, et praecedant omnes alios, tam in loco quam in voce, nisi illos dumtaxat qui ministri generalis munus obierint; unaquaeque autem familia suum eligat post electionem ministri generalis et definitorum. Si moriantur aut occupentur a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente occupatione longa, arbitrio ministri generalis, vel ab ipso ministro generali legitime priventur, alium seu alios eligat minister generalis, praecedente voto provincialium eiusdem familiae, eorumque officium cum ipso ministro generali expiret, tametsi in capitulis generalibus officio discretorum huiusmodi functi vocem habere possint.

Discretorum officium et praecedentia.

§ 8. Quod generalis minister duos secretarios habeat, alterum videlicet ex altera familia, quocum negocia cuiuslibet familiae expediat, eisque arbitrio suo uti possit.

Secretariorum officium et numerus.

§ 9. Quod sacrae theologiae lector, qui quatuor cursus absolverit, activa et passiva voce utatur in provinciali capitulo.

Theologiae lectores quando habeant vocem in capitulo provinciali.

§ 10. Quod magister generalis, commissarius, provinciales et alii visitatores et domi et foris, ita parce et modeste in expensis se gerant, ut, sanctae paupertatis memores, tam conventus relevare quam proximos aedificare procurent. Qui tamen hoc non servabit, si generalis fuerit a definitoribus capituli generalis; reliqui a superioribus condigne puniantur.

Officiales servent paupertatem.

§ 11. Postremo, quod in novitiis recipiendis fiat inquisitio de moribus et vita eorum iuxta Regulam eiusdem Beati Francisci quae ait, *Diligenter examinent eos de fide catholica et de ecclesiasticis sacramentis* etc. Et fiat inquisitio de progenitorum suorum defectu: volentes quod iis, qui ex maumethanorum vel iudaeorum genere descendunt, cum, post susceptum ab eis sacrum Baptisma, graeci et iudaei distinctio esse non debeat, nullatenus defectus generis huiusmodi, quo minus in Ordinem praedictum recipiantur, et ad consequendas in dicto Ordine dignitates, gradus et officia Religionis, vel cuipiam alteri nocere possit vel debeat. Et quoad descendentes ex haereticis, videlicet conversis, pariter minime circa praemissa quicquam obstet.

Novitiorum recipiendorum qualitates.

§ 12. Quoad vero illos qui ex haereticis damnatis et non conversis, vel quorum statuae combustae fuerint, originem ducunt, per lineam paternam usque ad secundam generationem, per lineam autem maternam usque ad primam tantum in praemissis obesse decernimus, et idem servetur in fratribus, qui ad sacros, etiam presbyteratus, ordines admittuntur.

Qui recipiantur descendentes ab haereticis.

§ 13. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quibusvis dicti Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam

Clausulae derogatoriae.

iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis Ordini et superioribus huiusmodi per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam nos et Sedem Apostolicam, etiam motu, scientia ac potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus et efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmitatis et saepius innovatis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, die 28 maii, pontificatus nostri anno VI.

Publicatio in generali congregatione.

Anno Incarnationis dominicae 1571, indictione 13, die vero ultima mensis maii, pontificatus SS. in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae V anno sexto, retroscriptae litterae apostolicae lectae et publicatae fuerunt in generali retroscriptorum fratrum Minorum de Observantia, videlicet ministrorum generalis et provincialium ac vocalium, congregatione, habita in conventu S. Mariae de Aracaeli de Urbe, per me Robertum Fontanum, Archivii cursorem, scriptorem, clericum Mutinensem, praesentibus illustrissimo et reverendissimo D. Alexandro card. Cribello vice-protectore, et R. P. D. Hieronymo Albernoz electo Tucumanensi episcopo, testibus *etc.* In quorum fidem hic me subscripsi.

Robertus Fontanus, Archivii Rom. curs., scriptor.

Dat. die 28 maii 1571, pontif. anno VI.

CXCIV.

Facultas praelatorum congregationis Cassinensis, alias S. Iustinae, monachorum Ordinis S. Benedicti, monachos a quibuscumque reatibus, censuris et poenis absolvendi, et cum eisdem dispensandi [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Dum ad congregationem Cassinensem, in qua dilecti filii illius professores mortui mundo, sed Christo, qui est vera vita, sub Regula et Ordine S. Benedicti, transitoriis et caducis huius labilis saeculi illecebris abdicatis, viventes, pro universali salute fidelium preces ad Dominum incessanter fundunt, oculos nostrae pietatis dirigimus, dignum, quin potius debitum, reputamus ut illius monasteriorum pro tempore existentibus abbatibus et praelatis ea liberaliter concedamus, quae pro eiusdem congregationis et aliarum personarum illius regularibus institutis se conformare volentium conscientiarum emundatione et securitate, et irregularitatis et quarumcumque aliarum macularum per easdem personas pro tempore contractarum abolitione credimus profutura.

Facultas de qua in rubrica.

§ 1. Motu itaque proprio, non ad ipsorum abbatum et praelatorum seu alicuius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et de mera liberalitate nostris, apostolicaeque

[1] Institutionem huius congregationis et alia quae ad eam spectant notavi in Iulii II constitutione II, *Super cathedram*, tom. V, pag. 400; et adde quod circa eius privilegia extat alia huius Pontificis const. LVII, *Etsi Mendicantium*, pag. 575 huius tomi.

potestatis plenitudine, omnibus et singulis modernis et pro tempore existentibus abbatibus et praelatis congregationis huiusmodi, quoscumque illius pro tempore existentes monachos, conversos, commissos et oblatos, et tam professos quam unitos [1] in ea tamen perseverantes, a quibusvis criminibus, reatibus, culpis, censuris et poenis, per eos et eorum quemlibet, tam ante quam post illorum in congregationem huiusmodi ac monasteria sub illius obedientia existentia ingressum seu professionem regularem ibidem per eos emissam, ex quavis causa et ob quemvis excessum et delictum, publicum vel occultum, casu seu data opera quomodolibet ab eis et singulis, etiam si homicidium voluntarium seu membri mutilatio, non tamen post ingressum huiusmodi, pro tempore subsecutum seu subsecuta fuerit, incursis et in futurum incurrendis, etiam si de casibus reservatis Sedi Apostolicae vel de comprehensis in bulla, quae die Coenae Domini singulis annis legi consuevit, fuerint, plenarie, toties quoties opus fuerit, iniuncta sibi pro modo culpae poenitentia salutari, quoad reatum homicidii tantum, in foro conscientiae tantum absolvendi et liberandi, ac in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant et fuerant, statum reintegrandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam inde quomodolibet insurgentem ab eis et eorum quolibet prorsus abolendi, secumque quod, praemissis non obstantibus, non promoti ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines promoveri, atque monasteriis eiusdem congregationis in abbates, priores et praelatos praefici, necnon ad quascumque alias dictae congregationis praelaturas eligi et assumi, munusque benedictionis suscipere, et tam illi, quam qui iam ante vel post praemissa sint vel fuerint promoti, praefecti et electi, etiam si munus benedictionis huiusmodi scienter susceperint, irregularitatibus, inhabilitatibus, reatibus, censuris et poenis huiusmodi vel aliis quibuscumque criminibus irretiti et innodati, scienter missas et alia divina officia celebrassent, simulve seu alias munere benedictionis huiusmodi quomodolibet usi essent, in altaris ministerio ministrare et dicto munere uti, necnon omnes et quascumque praelaturas, obedientias, administrationes et officia Ordinis et congregationis huiusmodi retinere, recipere, gerere et exercere libere et licite possint et valeant; nullamque de praemissis in quibusvis privilegiis, facultatibus, dispensationibus et concessionibus, etiam gratiam vel iustitiam seu mixtim concernentibus, etiam per Sedem Apostolicam sibi pro tempore concessis, mentionem facere teneantur, misericorditer in Domino dispensandi licentiam et facultatem liberam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et elargimur.

Declaratio d. concessionis.

§ 2. Statuentes absolutiones, liberationes, reintegrationes, dispensationes necnon omnia alia et singula, quae harum vigore fient et inde perpetuo sequentur, valida et efficacia fore, omnibusque et singulis nunc et pro tempore existentibus monachis, conversis, commissis, oblatis, donatis et personis congregationis huiusmodi ita demum suffragari, si et dummodo donec vixerint in habitu et professione regulari eiusdem congregationis, virtutum Altissimo famulati fuerint, sub obedientiaque praelatorum et superiorum dictae congregationis permanserint.

Clausulae præservativae.

§ 3. Decernentes quoque praesentes litteras perpetua roboris firmitate subsistere, et nullo unquam tempore sub quibusvis similium vel dissimilium facultatum vel licentiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, prohibitionibus, moderationibus aliisve contrariis dispositionibus, et in dicta bulla Coenae

1 Legimus cum Cherub. *novitios* (n. T.).

Domini pro tempore contentis minime comprehensas esse aut comprehendi debere, sed semper ab illis exceptas esse et censeri, et quoties contraria huiusmodi emanabunt, toties easdem praesentes et in eis contenta in pristinum et validissimum statum restituta et perpetuo reintegrata esse. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; ac congregationis et Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio penalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, idibus iunii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 13 iunii 1571, pontif. anno VI.

CXCV.

Quod confraternitates Sanctissimi Nominis Dei in ecclesiis Ordinis fratrum S. Dominici, si extant; sin autem, de licentia prioris eiusdem Ordinis, in aliis ecclesiis instituantur [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem, aequi et boni supremum assertorem, ita cuncta provido suo iudicio discutere, ut scandalis quibuslibet obvietur, et ea quae in divini nominis gloriam sunt stabilita, votivum suscipiant incrementum.

Sodalitas ista ab Ordine S. Dominici processit.

§ 1. Accepimus sane nuper quod licet societas SS. Nominis Dei sive Iuramentorum originem et ortum habuerit ab Ordine Praedicatorum, et quod ab eiusdem Ordinis professoribus fuerit instituta et aucta, necnon, interventu dilectorum filiorum fratrum dicti Ordinis, multae indulgentiae aliaque privilegia et favores dictae societati ab Apostolica Sede fuerunt concessa, tamen multi clerici et parochi in suis ecclesiis dictam societatem erigere student, ita ut aliquando sint plures in eadem civitate societates seu confraternitates dictae invocationis Nominis Dei seu Iuramentorum, in diminutionem observantiae et devotionis, quae ex frequentia convenientium oriri solet, et non sine aliqua confusione, quae ob praefatam causam in die Circumcisionis Domini, quando festum praedictae societatis

1 Ad haec, vide etiam Pii IV constitutionem XCV, *Iniunctum*, pag. 282 huius tomi.

seu confraternitatis celebrari debet, accidere consuevit.

Hic ideo Pontifex eam in ecclesiis Ordinis etc. erigi mandat;

§ 2. Nos, in praemissis, pro nostri pastoralis officii debito, opportune providere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostris ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod in civitatibus, oppidis et locis totius orbis christiani, in quibus fuerint ecclesiae Ordinis Praedicatorum, ibi tantum, videlicet in huiusmodi civitatibus, oppidis et locis, in dictis ecclesiis Praedicatorum dumtaxat, dicta societas seu confraternitas erigi possit, nec deinceps nova societas seu confraternitas huiusmodi instituatur in civitatibus, oppidis aut locis, in quibus non fuerit dicti Ordinis domus, aut in finitimis ecclesiis, absque licentia prioris provincialis seu conventualis dicti Ordinis, in cuius districtu sita fuerit ecclesia, in qua dicta confraternitas seu societas est vel erit erigenda.

Confratresque aliter admissos indulgentias non consequi decernit;

§ 3. Quod si secus factum fuerit, confratres taliter admissi dictae confraternitatis seu societatis indulgentias non consequantur, nec favoribus aut privilegiis gaudeant, quae confratribus legitime adscriptis per Sedem praefatam conceduntur, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus ac etiam districtius inhibemus, sicque volumus et praecipimus.

Et contravenientes coerceri mandat per conservatores eiusdem Ordinis.

§ 4. Et nihilominus dilectis filiis conservatoribus dicti Ordinis per praesentes motu simili mandamus ut contradictores seu attentantes auctoritate nostra prohibeant, ac etiam per censuras ecclesiast. aliasque poenas, etiam pecuniarias, ac cetera iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescant et reprimant, super quibus illis facultatem, potestatem et auctoritatem eisdem auctoritate et tenore concedimus et impartimur.

§ 5. Decernentes praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari, seu alias quomodolibet infringi vel retractari nullatenus unquam posse, sed eas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios ei integros effectus sortiri et obtinere, necnon ab omnibus, quos illae concernunt, inviolabiliter perpetuo observari. Clausulae praeservativae.

Decretum irritans.

§ 6. Sicque in praemissis ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices et commissarios, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac Palatii Apostolici causarum auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres ad iudicium vigore praesentium aliquis non trahatur, et aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus; necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, etiam motu et scientia similibus, etiam consistorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis

alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, a praedicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides exemplorum.

§ 8. Ceterum, quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI iunii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 21 iunii 1571, pontif. anno VI.

CXCVI.

Declaratio quod Religio Clericorum Regularium Societatis Iesu est vere de Ordinibus Mendicantibus, eorumque gratiis et privilegiis tam concessis quam concedendis perfruitur [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Dum indefessae considerationis intuitu perscrutamur quantam christianae reipublicae utilitatem attulerint dilecti filii presbyteri Societatis Iesu, ac plane conspicimus eos vere, mundi huius relictis illecebris, adeo Servatori suo se dedicasse, ut, conculcatis thesauris, quos aerugo et tinea comedit, lumbisque paupertate et humilitate praecinctis, non contenti terrarum finibus, usque ad orientales et occidentales Indias penetraverint, ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, ut etiam, proprii sanguinis prodigi, ut verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario se supposuerint; perque eorum spiritualia exercitia, etiam regna ipsa fidem Christi agnoverint, ac tam inibi quam ubique terrarum caritatis et misericordiae opera exercere studeant, facere nullo modo possumus quin eos, tamquam veros palmites in Christo per caritatem coniunctos, et benigne amplectamur et ea sibi specialiter concedamus quae et paupertatis per eos emissae voto et eorum instituto ac commoditati credimus profutura.

Causa huius declarationis.

§ 1. Hinc est quod nos, attendentes quod, licet dilecti filii praepositus generalis et presbyteri Societatis huiusmodi, tum quia ipsa Societas mendicans existit (quippe quae ex eius instituto et constitutionibus, apostolica auctoritate confirmatis, bona stabilia possidere nequit, sed incertis eleemosynis fidelium que largitionibus et subventionibus vivit), tum quia non minus quam ceteri Mendicantes in excolenda vinea Domini assidue laborant, fructusque ingentes et salutiferos producunt, ac propterea eisdem privilegiis, indultis et gratiis fratribus Mendicantibus hactenus concessis uti, frui, potiri et gaudere merito possint ac debeant, cum tamen illud aliquando in controversiam deduci posset, et ex eo quod dicta Societas collegia habeat secum adiuncta:

Declaratio quod Societas est de Ordinibus Mendicantibus,

§ 2. Nos, ambiguitatem huiusmodi omnino amputare volentes, eosdemque praepositum et Societatem eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon dictae Societatis instituti, constitutionum et dispositionum, tam de iure quam ab homine provenientium; necnon privilegiorum, immunitatum, indulgentiarum et gratiarum Mendicantibus fratribus huiusmodi quomodolibet concessorum, ac litterarum desuper confe-

1 Alia de hac Religione vide in Pauli III constit. XXXIII, *Regimini*, tom. VI, pag. 303.

ctarum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad ipsorum praepositi generalis et Societatis vel alicuius eorum aut alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate et certa scientia nostris, illam et illius praepositum ac singulas personas Societatis huiusmodi vere et non ficte Mendicantes fuisse, esse et fore; et inter aliorum fratrum et religiosorum Mendicantium Ordines, aliosque fratres et religiosos Mendicantes, prout illos, nos connumeramus et connumerari debere; ac omnes et singulas tam iuris quam hominum dispositiones, in favorem religiosorum seu fratrum Mendicantium nunc et pro tempore emanatas, etiam in Societate illiusque domibus, collegiis, praeposito et aliis religiosis locum habere.

Eorumque omnibus gaudet gratiis et privilegiis.

§ 3. Necnon omnia et singula, quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, etiam speciali nota digna, privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones et gratias, tam spirituales quam temporales, litterasque apostolicas, etiam iustitiam sive mixtim concernentia, hactenus per nos et quoscumque alios Romanos Pontifices; tam praedecessores quam successores nostros, et denique Sedem Apostolicam, et illius legatos de latere, sive nuncios, et [1] quavis auctoritate fungentes, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, tam in genere quam in ispecie, et tam communiter et coniunctim, quam particulariter et divisim, etiam per modum extensionis seu communicationis et alias quomodolibet, quibusvis Ordinibus fratrum et sororum Mendicantium, quocumque nomine nuncupentur, illorumque congregationibus, conventibus et capitulis, ac utriusque sexus personis, ac illorum monasteriis, domibus, ecclesiis, hospitalibus et aliis piis locis hactenus concessa et in posterum concedenda, quorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro expressis et insertis haberi volumus, eisdem praeposito ac Societati et omnibus illius personis, domibus ac collegiis ubique terrarum sitis, ita quod Societas, domus, collegia, praepositus et personae huiusmodi omnibus et singulis praedictis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, remissionibus, gratiis et litteris, eisdem fratrum et sororum Mendicantium Ordininibus, congregationibus, conventibus, capitulis, personis, monasteriis, domibus, ecclesiis, hospitalibus et aliis piis locis, ut praefertur, concessis et concedendis, antea potuerint et nunc ac in futurum, dummodo instituto Societatis, et praepositi seu deputatarum personarum huiusmodi voluntati et beneplacito non refragentur, possint libere et licite uti, frui, potiri et gaudere in omnibus et per omnia, non solum ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, absque ulla prorsus differentia, perinde ac si Societati, praeposito, personis, domibus et collegiis praedictis nominatim et specialiter et generaliter concessa fuissent, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo sancimus, volumus et declaramus, ac pariter concedimus, indulgemus et clarginur.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore per nos aut Sedem praedictam revocari aut limitari vel illis derogari posse, neque sub ullis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, nunc et pro tempore emanatis, comprehendi, sed semper ab illis ex-

1 *Quascumque alias personas* (R. T.).

cipi, et quoties revocari, alterari, limitari vel derogari contingat, toties in pristinum et eum, in quo ante præmissa erant, statum restitutas, et de novo, etiam sub posteriori data, per pro tempore existentem Societatis huiusmodi praepositum generalem eligenda, concessas esse et fore; ac ita et non aliter per quoscumque iudices, tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam Sedis Apostolicae legatos de latere et nuncios, ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, ubique et in quavis instantia interpretari, censeri, iudicari, cognosci et decidi debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiep., episcop. ac dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus aut officialibus generalibus, et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, necnon abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, canonicis et capitulis ac aliis, ad quos id quomodolibet spectat et spectabit, per praesentes, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum praepositi et personarum Societatis huiusmodi vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eos praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari: contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus nostra de non expediendis litteris super indulgentiis adinstar, ac felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, et aliis apostolicis constitutionibus; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, præservativis, exceptivis, declarativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie ac alias quomodolibet, etiam pluries, concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit, vel pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, seu aliqua alia forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede in-

dultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII iulii MDLXXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 7 iulii 1571, pontif. anno VI.

CXCVII.

Oppidi Ripae Transonae in provincia Picena in civitatem sublimatio, eiusque parochialis ecclesiae Sancti Benigni in cathedralem et episcopalem erectio.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Illius fulciti praesidio, cuius sunt terrae cardines, et cui cogitationes hominum praeparantur, ac cuius providentia ordinationem suscipiunt universa, ut christifideles nobis et Sedi Apostolicae etiam temporali dominio subditi, ob eorum erga nos et eamdem Sedem fidem et devotionem specialem, consolationem, cum divini cultus augmento, suscipiant, et in oppidis insignibus et populosis novae sedes episcopales plantentur, libenter, cum a nobis petitur, opem et operam nostras impendimus efficaces.

Oppidi Ripae Transon. qualitates enunciantur;

§ 1. Sane cum oppidum Ripae Transonae Firmanae dioecesis, situm in agro Piceno, inter Asculum et Firmum, in conspectu Adriatici sinus, muro et fossa vallatum, mille et ultra familiis constans, et a quatuor viris, antianis nuncupatis, in palatio communis cum honesta familia residentibus, gubernatur, ac multis et variis mercium apothecis et officinis refertum, et diversorum Ordinum virorum et mulierum monasteriis, conventibus seu domibus, et in quibus multa pia et caritatis opera exercentur, quatuor confraternitatibus et uno hospitali, necnon quatuordecim parochialibus ecclesiis et honorificis incolis decoratum, habens amplum territorium, ubi familiae tercentum vel circa inhabitant, et decem et octo sine cura ecclesiae, quarum quaelibet suum habet rectorem, adsint, inter cetera provinciae nostrae Marchiae Anconitanae oppida admodum insignia existat, noverimusque incolas eidem Sedi semper fidelissimos ac devotissimos extitisse, dignum, quin potius debitum, reputamus ut in ea sedes episcopalis collocetur.

Eiusque universitas supplicat pro obtinenda erectione in Sedem episcopal., cui dos assignata fuit.

§ 2. Cumque praesertim ipsius oppidi universitas, quae pluries nobis desuper supplicavit, propriis impensis ecclesiam Sancti Benigni ipsius oppidi, quae parochialis existit, si in cathedralem erigatur, una cum eius domo pro episcopi habitatione ampliare et ornare pollicita est, et validis obligationibus spopondit; necnon ipsam cathedralem erigendam in scutis annuis sexcentum, et fructibus et redditibus, seu terrarum, tenimentorum ipsi ecclesiae erigendae solemniter consignatorum, unius videlicet septuaginta sex in contrada dicta *di Coco*, et alterius capacitatum centum et triginta salmarum, mensurae illarum partium, in contrada Guardianae et territorio dicti oppidi, ad ipsam universitatem spectantium et pertinentium, dotavit, et una cum consiliariis dicti oppidi, qui ut singuli ad id se obligaverunt, mensae episcopali erigendae ecclesiae huiusmodi in proprietatem et in perpetuum assignavit.

Erectio d. oppidi in civitatem, et ecclesiae S. Benigni in Sedem episcopalem pro episcopo, Ripa-

§ 3. Nos, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere annuum valorem etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, et semper in unionibus com-

no nuncupando, una cum archidiaconatu, archipresbyteratu et duodecim canonicatibus.

missio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de illorum consilio et assensu, ac de apostolicae potestatis plenitudine, oppidum praefatum cum toto illius territorio, ecclesiis et personis, tam saecularibus quam ecclesiasticis, a dioecesi Firmana, necnon a iurisdictione et superioritate Firmani, Aprutini et Asculani episcoporum, necnon abbatis vel commendatarii monasterii Campifellonis, Ordinis Sancti Benedicti, nullius dioecesis, pro tempore existentium, vel alterius episcopi, capituli, abbatis et monasterii, quibus in totum vel in parte subesse dignoscitur, perpetuo segregamus, dismembramus, separamus et eximimus; ipsumque oppidum in civitatem, Ripae Transonae nuncupandam, cum iuribus, honoribus et praeeminentiis quibus aliae civitates et earum cives utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum; et ecclesiam Sancti Benigni huiusmodi in cathedralem Sedi praefatae immediate subiectam, sub eadem invocatione Sancti Benigni, et in ea sedem episcopalem, pro uno episcopo, Ripano nuncupando, qui eidem ecclesiae illiusque civitati et dioecesi praesit, illamque in perfectam cathedralis ecclesiae formam ordinet et redigat, abbates, praelatos et alios ad synodum convocet, evellat, destruat, aedificet, plantet, ac omnia et singula officia et iura episcopalia habeat et exercitet, cum suis capitulo episcopali et capitulari mensa ceterisque omnibus cathedralibus et pontificalibus insigniis, necnon iuribus, iurisdictionibus, facultatibus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus et indultis, realibus, personalibus et mixtis, quibus aliae cathedrales ecclesiae, earumque praesules, capitula et personae quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum; necnon, ut ipsa cathedralis ecclesia Ripana ex omni parte reddatur perfecta, in illa duas dignitates, videlicet unum archipresbyteratum, dignitatem inibi post pontificalem maiorem, pro uno archipresbytero, qui curam animarum parochianorum ecclesiae Sancti Benigni in cathedralem erectae huiusmodi exerceat, et unum archidiaconatum, pro uno archidiacono, necnon duodecim canonicatus, cum totidem praebendis per duodecim canonicis, qui eidem ecclesiae in divinis deserviant, et insimul unum capitulum constituant, moderni, quoad ecclesiam Sancti Benigni praedictam, illius rectoris ad hoc accedente consensu, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac eius gloriosissimae Genitricis Virginis Mariae totiusque curiae caelestis honorem et fidei catholicae exaltationem, perpetuo erigimus et instituimus.

Assignatio emolumentorum et proventuum.

§ 4. Oppidumque praedictum civitatis, ipsosque incolas civium, necnon ecclesiam Sancti Benigni praedictam cathedralis ecclesiae honore, nomine, titulo et insigniis decoramus; ac dictae ecclesiae Ripanae et illius mensae episcopali, pro dote, dicta duo petia terrarum, ut praefertur, consignatarum, necnon archipresbyteratui ecclesiae Ripanae huiusmodi res, bona, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque ecclesiae Sancti Benigni praefatae perpetuo applicamus et appropriamus; Archidiaconatui vero Beatae Mariae Annunciationis de Agello, cum suis ruralibus, et uni et unae Ss. Nicolai, Rustici et Eleutherii plebaniae, ac alia et aliae Sancti Angeli de Colle, et alio et aliae Sanctae Mariae de Valle, et alio et aliae Ss. Salvatoris et Antonini, et alio et aliae Sancti Thomae in Cletis, et alio et aliae Sancti Blasii de Platea, et alio et aliae Sancti Hippolyti et Cassiani, et alio et aliae

Ss. Gregorii et Margaritae prioratus, et alio et aliae Sancti Angeli de Rofflano, et alio et aliae Sancti Rocchi et Pastoris, et alio et aliae Sancti Eumerii praepositurae nuncupatae, necnon reliquo et reliquae canonicatibus et praebendis praedictis, reliquam Sancti Salvatoris de Agello parochialis ecclesiae in dicta civitate Ripae Transonae sitas et fundatas, vacantes ex nunc, reliquas vero ex nunc prout ex tunc, cum primum illas seu ipsarum aliquas, per cessum vel decessum aut privationem illas nunc obtinentium aut alias quovis modo, vacare contigerit, etiam si nunc vacantes, per liberas resignationes quorumvis de illis in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus, sponte factas, aut constitutionibus felicis recordationis Ioannis Papae XXII, praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod earum collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem eamdem legitime devoluta, ipsaeque ecclesiae dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter collatae existant, et super eis inter aliquos lites, quarum status praesentibus haberi volumus pro expressis, pendeant indecisae, dummodo earum dispositio ad nos hac vice pertineat, cum omnibus et singulis illarum et earum cuiuslibet annexis, ita quod liceat eisdem archipresbytero, archidiacono et canonicis pro tempore existentibus illarum corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illarumque fructus, redditus et proventus propria auctoritate percipere, exigere et levare, et in suos et cuiuslibet ipsorum usus et utilitatem convertere, perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

§ 5. Ac episcopo et canonicis praedictis, ut, pro salubri directione et prospero statu felicique successu cathedralis ecclesiae erectae huiusmodi et illius personarum praedictarum, divinorumque officiorum in ea celebratione, fructuumque, redditum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum ac distributionum quotidianarum perceptione et inter eos divisione et repartitione, ac quibusvis rebus et concurrentiis suis, quæcumque statuta, ordinationes et capitula (rationabilia tamen et honesta ac sacris canonibus non contraria) condere, et condita, quoties opportunum fuerit, immutare, limitare, corrigere et interpretari secundum rerum et temporum qualitates, et loco illorum, alias ordinationes, capitula et statuta, quoties eis expedire visum fuerit, de novo edere et facere, quæ omnia, postquam edita et facta fuerint, ex nunc prout ex tunc et e contra (si licita et honesta ac sacris canonibus non contraria fuerint) eadem auctoritate, etiam cum defectuum suppletione, confirmata sint et esse censeantur eo ipso, concedimus et indulgemus.

Facultas episcopi et canonicorum edendi statuta pro felici successu cathedralis ecclesiae.

§ 6. Cumque civitas Ripae Transonae praefata in quatuor regiones divisa existat, ita ut in qualibet regione una tantum parochialis ecclesia pro uno parocho, qui curam parochianorum inibi habitantium exercere possit, videlicet in Agelli Sancti Benigni in cathedralem erectae, in Sancti Dominici, Sancti Angeli de Rofflano, in Montis Antiqui Ss. Nicolai, Rustici et Eleutherii, et in Capitis Montis nuncupatis regionibus, Ss. Gregorii et Margaritæ ecclesiae sufficere videantur, parochianos et vicinos omnes et singulos utriusque sexus ab aliis parochialibus ecclesiis civitatis Ripae Transonae et iura parochialium ecclesiarum huiusmodi separamus et dismembramus, et curam animarum in illis perpetuo supprimimus; illosque et illam ac iura praefata, quoad Agelli, ad Sancti Benigni in chatedralem erectam; quoad

Constitutio quatuor ecclesiarum parochialium in quatuor regionibus d. civitatis.

Sancti Dominici, ad Sancti Angeli de Rofflano; quoad Montis Antiqui ad Ss. Nicolai, Rustici et Eleutherii; quo vero ad parochianos et vicinos Capitis Montis regionum huiusmodi, ad Ss. Gregorii et Margaritae parochiales ecclesias praefatas, ita ut quaelibet regio proprium habeat sacerdotem et pastorem, perpetuo transferimus.

Facultas rectorum dictarum parochialium habendi in illis vicarios perpetuos.

§ 7. Necnon eorumdem Sancti Angeli et Ss. Nicolai, Rustici et Eleutherii, ac Sanctorum Gregorii et Margaritae parochialium ecclesiarum rectoribus, dictae cathedralis ecclesiae canonicis, ut illis per vicarios perpetuos ab ordinario loci approbandos in divinis deservire facere, illorumque parochianorum animarum curam gerere possint, indulgemus.

Constitutio archipresbyteratus, archidiaconatus et canonicat. praedictorum,

§ 8. Necnon archipresbyteratus, archidiaconatus ac duodecim canonicatus cum praebendis a primaeva erectione huiusmodi vacantes, ecclesiae videlicet S. Benigni in cathedralem erectae, qui sit archipresbyter dictae ecclesiae Ripanae, et in ea, post pontificalem, dignitatem maiorem obtineat; et ecclesiae Sanctae Mariae Annunciationis de Agello, qui sit archidiaconus eiusdem ecclesiae Ripanae, et dignitatem, non tamen post pontificalem maiorem, obtineat; alias vero parochiales ecclesias, ut praemittitur, unitas, quarum cuiuslibet fructus, redditus et proventus vigintiquatuor ducatorum auri de Camera, secundum communem extimationem, valorem annuum non excedunt, eorumdem rectoribus, qui canonici eiusdem ecclesiae Ripanae existant, conferimus, et de illis etiam cum plenitudine iuris canonici providemus.

Eorumque praecedentiae.

§ 9. Volumusque quod deinceps, perpetuis futuris temporibus, in choro, capitulo, processionibus et aliis actibus publicis seu privatis, archipresbyter primum, archidiaconus secundum locum, canonici vero nuper creati post archipresbyterum et archidiaconum praedictos, iuxta illorum receptionem et admissionem, si ad id consenserint, unusquisque illorum, loca habeant.

Unio beneficii S. Angeli ad dictam ecclesiam cathedralem;

§ 10. Cumque fructus, redditus et proventus canonicatuum et praebendarum dictae ecclesiae Ripanae satis tenues videantur, perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum, sub invocatione Sancti Angeli Villesmagnae, intus dictam civitatem Ripae Transonae, de consensu illius rectoris, perpetuo supprimimus et extinguimus, illiusque et illi annexorum fructus, iura et obventiones quaecumque, nec non decimam fructuum, redditum et proventuum quorumcumque ex novalibus dictae universitatis de Fulgaia nuncupatis, de eiusdem universitatis consensu, singulis annis eidem capitulo et illius mensae capitulari distributiones quotidianas, iuxta providam episcopi Ripae Transonae ordinationem, inter dignitates obtinentes et canonicos praefatos distribuendas, perpetuo applicamus et appropriamus.

Multorumque locorum et personarum, ad alias dioeceses vel ecclesias spectant., pro clero et populo et dioecesi dictae ecclesiae Ripanae.

§ 11. Necnon, pro maiori christifidelium illarum partium commoditate et spirituali consolatione, Columnellae, Aquaevivae, Sancti Benedicti, Marani, Sancti Andreae, Grottarum ad Mare, Gissi, Quinzani, Montis Prandoni, Furcarum, Montis Alti, Montis de Novem, Rotellae, Porculae, Cossignani et Passignani loca, castra et oppida, Asculanae, Firmanae et nullius respective dioecesis, in provincia Marchiae praedictae et ubivis consistentia, et quae nunc et pro tempore existentibus monasterii Farfensis abbatibus seu commendatariis, et Firmanis et Asculanis episcopis, ratione monasterii et Firmanae et Asculanae ecclesiarum huiusmodi, mediate vel immediate respective subiecta reperiuntur, necnon in eis consistentia collegiatas, parochiales et alias ecclesias, monasteria, praeposituras, praepositatus, prioratus et alia quaecumque, quotcumque et qualiacumque,

cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, beneficia ecclesiastica, etiamsi saecularia canonicatus et praebendae, personatus, administrationes, officia, etiam curata et electiva, etiam in collegiatis ecclesiis; regularia vero beneficia huiusmodi, praepositatus, praepositurae, dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes et officia, etiam claustralia, cappellaniae, cappellae, hospitalia et alia pia loca fuerint, et ad dignitates, prioratus, praeposituras et praepositatus huiusmodi consueverit qui per electionem assumi ac eorumdem locorum, castrorum et oppidorum utriusque sexus personas, habitatores et incolas, tam laicos quam clericos, presbyteros, beneficiatos et religiosos quoscumque, cuiuscumque status, ordinis et conditionis existant, a iurisdictione, potestate, dominio et quavis alia superioritate Firmanae et Asculanae ecclesiarum, ac Farfensis monasterii, et illorum nunc et pro tempore existentium episcoporum, abbatum seu commendatariorum, quibus nunc loca, castra et oppida huiusmodi earumque ecclesiae et personae praefatae subiectae dignoscuntur, etiam perpetuo dismembramus, separamus et eximimus; locaque, castra et oppida huiusmodi illorumque personas, tam saeculares quam ecclesiasticas, et quorumvis Ordinum regulares, ecclesias, monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus et alia beneficia ecclesiastica, hospitalia et loca pia huiusmodi, cum ipsorum iuribus et pertinentiis universis, ecclesiae Ripanae praedictae, pro dioecesi, clero et populo, ita quod liceat episcopo, eidem ecclesiae Ripanae tam hac prima vice quam in posterum praeficiendo, per se vel alium seu alios eius nomine, corporalem possessionem seu quasi administrationis, spiritualitatis et omnimodi iuris dioecesani, propria auctoritate, Firmani et Asculani episcoporum ac eiusdem monasterii Farfensis abbatis seu commendatarii nunc et pro tempore existentium licentia desuper minime requisita, libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, de eiusdem potestatis plenitudine similiter perpetuo concedimus et assignamus; ac eiusdem ecclesiae Ripanae illiusque praesulis pro tempore existentis iurisdictioni, dominio, potestati et superioritati, eisdem modo et forma quibus Firmanis et Asculanis ecclesiis, ac monasterio Farfensi, illorumque episcopis, abbati vel commendatario huiusmodi respective suberant, subiicimus et supponimus.

§ 12. Non obstantibus priori voluntate nostra, ac de non tollendo iure quaesito, concilii Lateranensis novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, nec non piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, aliisque apostolicis, ac, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; ac Firmanae et Asculanae ecclesiarum et Farfensis monasterii et Ordinis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Firmanis et Asculanis ecclesiis et Farfensi monasterio illorumque capitulis, conventibus, superioribus et personis, sub quibusvis tenoribus, ac quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam consistorialiter, in genere vel in specie concessis, quibus omnibus et singulis, illorum causas et effectus praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

§ 13. Volumus autem quod Firmanae, Aprutinae et Asculanae ecclesiis, ac Far-

Praeservatio iurium aliarum ecclesiarum et monasteriorum quoad bona temporalia et monasteria in locis dismembratis existentia.

fensi et Campi Fellonis monasteriis, illorumque praesulibus, abbatibus seu commendatariis, nunc et pro tempore existentibus praedictis, per separationem, dismembrationem et exemptionem huiusmodi quoad bona temporalia, si quae in dictis locis ab eis separatis, dismembratis et exemptis huiusmodi habeant; et quoad superioritatem quam Farfense et Campi Fellonis monasteria et illorum abbates seu commendatarii huiusmodi, in monasteriis seu prioratibus regularibus dicti Ordinis, in locis separatis praedictis existentibus, habent, nullum praeiudicium inferatur, sed episcopus Ripae Transonae in monasteriis praedictis eam tantum habeat et exerceat iurisdictionem, quam ceteri episcopi in similibus habere et exercere solent.

Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Dat. Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 10 iulii 1571, pontif. anno VI.

CXCVIII.

Facultas praelatorum Ordinis fratrum Praedicatorum S. Dominici absolvendi suos fratres et moniales, et cum eis dispensandi, sicut episcopi cum clericis, interdicto eis usu cruciatae vel alterius privilegii ad eligendos confessores et obtinendas eiusmodi absolutiones et dispensationes 1.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis circumspecta benignitas, honestis petentium votis, quae personarum sub Religionis iugo Altissimo famulantium statum et salubrem directionem respiciunt ad exauditionis gratiam libenter admittit, et favoribus prosequitur opportunis.

Petitio Ordinis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius prior provincialis provinciae Hispaniae, Ordinis fratrum Praedicatorum, quod eum in bulla Cruciatae Sanctae et aliis privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi solent, detur facultas eligendi confessorem idoneum, ab ordinario approbatum, qui possit christifideles absolvere a casibus ordinario reservatis, et a quibusdam etiam quae dictae Sedi reservata sunt, religiosi dicti Ordinis seu eorum nonnulli etiam his facultatibus uti praesumunt, et illarum praetextu eligunt confessorem aliquando praeter eos qui a suis praelatis, pro audiendis eorum confessionibus, deputati sunt, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum. Quare praedictus prior nobis humiliter supplicari fecit quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Declaratio Papae quod isti fratres, et sorores non utantur cruciata au aliis privilegiis quoad electionem confessorum, e absolutionem a casibus reservatis.

§ 2. Nos igitur, huiusm. inconvenientibus obviare volentes, ac eumdem priorem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, talem concessionem cruciatae sanctae et aliorum indultorum particularium, quantum ad praedictum articulum eligendi confessorem, et absolvendi a casibus reservatis, cum fratribus et sororibus monialibus totius Ordinis praedicti, tam provinciae Hispaniae huiusmodi quam extra eam ubilibet, locum minime habere, nec censeri, sed nostrae

1 Alia de his fratribus vide in Honorii III constitutione II, *Religiosam*, tom. III, pag. 309; et de sororibus vide itidem in Innocentii VII constitutione I, *Sedis*, tom. IV, pag. 636.

intentionis existere, quod iidem fratres et moniales, quantum ad sacramenti Pœnitentiae seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum praelatorum subiecti sint, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo declaramus: eisdem tamen praelatis, ut in usu huius potestatis, se cum subditis benignos et faciles exhibeant, praecipientes et mandantes.

Concessio facultatis praelatis huius Ordinis absolvendi fratres et sorores, et eum eis dispensandi, sicut episcopi cum clericis.

§ 3. Et insuper, quia sacrum œcumenicum generale Tridentinum concilium concessit episcopis ut absolvere possint in foro animae seu conscientiae ab omnibus peccatis, et dispensare in irregularitatibus, prout sess. XXIV, cap. VI habetur, ne prior conventualis et superiores praelati dicti totius Ordinis, tam in dicta provincia quam extra eam ubilibet, in hac parte deterioris conditionis quam clerici aut saeculares existant, eisdem priori conventuali et superioribus praelatis, ut ipsi per se ipsos idem omnino possint in fratres et moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt episcopi in clericos et laicos sibi subiectos, tam quoad absolvendi et dispensandi huiusmodi, quam alias quascumque facultates, eadem auctoritate et tenore, etiam perpetuo concedimus et indulgemus, ac etiam declaramus.

Clausulae praeservativae

§ 4. Decernentes praesentes litteras perpetuo durare et valere, et sub quibusvis illarum consimilium vel dissimilium concessionum, indulgentiarum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, alterationibus, derogationibus vel aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes aut Sedem Apostolicam, etiam ex quavis causa, aut alias quomodolibet, canonice vel de facto, nunc et pro tempore factis et faciendis, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas existere et fore, ac censeri et suffragari debere. Irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae

§ 5. Non obstantibus praemissis et quibusvis apostolicis ac, in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in eis tradita observata, insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI iulii MDLXXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 21 iulii 1571, pontif. anno VI.

CXCIX.

Declaratio quarumdam litterarum super reservatione beneficiorum per crimen haeresis vacantium, quae a solo Romano Pontifice conferri posse statuit, non obstante quocumque privilegio seu iure [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Decet Romanum Pontificem ea, quae ab eodem perpetuo constituta sunt, ne in contentionis scrupulum cuiusvis curiosa interpretatione trahi possint, ita suae declarationis oraculo explanare, quod circa ea nulla imposterum dubitatio oriatur.

Per alias litteras declaraverat Pius quaecumque beneficia vacare per crimen hœresis; eorumque collationem Romano Pontifici reservaverat.

§ 1. Accepimus siquidem quod, postquam nos, per alias nostras, sub datum videlicet sexto kalendas februarii, pontificatus nostri anno II, expeditas litteras, omnia et singula beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani et aliarum quarumcumque militiarum, regularia, quaecumque ac qualiacumque fuerint, etiamsi saecularia canonicatus et praebendae, dignitates, administrationes vel officia in cathedralibus et metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, huiusmodi principales; regularia vero beneficia huiusmodi, monasteria, etiam consistorialia, prioratus, praepositurae, praepositatus, dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes vel officia, etiam claustralia, ac hospitalia et praeceptoriae et alias, quomodocumque qualificata forent, praesertim vacantia tunc et in futurum vacatura, ordinationi et dispositioni apostolicae reservaveramus.

Nonnulli tamen, prœtextu collationis ordinariae vel iuris nominandi huiusmodi beneficia contulerant, non obstantibus litteris apostolicis alinrum favore expeditis.

§ 2. Nonnullae personae, ordinariam confereudi auctoritatem seu aliam de beneficiis ecclesiasticis disponendi de iure vel consuetudine facultatem habentes, etiam patriarchali, archiepiscopali, episcopali ac forsan cardinalatus honore fulgentes, asserentes se, praetextu seu vigore facultatum seu indultorum illis in perpetuum vel ad tempus, donec ecclesiis vel monasteriis praeessent, vel illos eisdem praeesse contingeret, eisdem personis, per nos aut Romanos Pontifices praedecessores nostros, de beneficiis ecclesiasticis, generaliter vel specialiter, quomodocumque dispositioni apostolicae reservatis seu eidem dispositioni quomodolibet affectis, ad quorumvis collationem, provisionem, praesentationem, electionem aut quamvis aliam dispositionem, communiter vel divisim, spectantibus, libere et licite disponendi, per nos et Sedem Apostolicam concessorum, confirmatorum et forsan saepius innovatorum, beneficia per crimen haeresis, ut praefertur, vacantia, nostræ et apostolicae dispositioni duntaxat per dictam constitutionem reservata, etiam vigore facultatum et indultorum ante dictae nostrae constitutionis editionem, ad quam facultatem et indulta praedicta minime respicere poterant, conferre posse, de beneficiis per dictum haeresis crimen vacantibus disposuisse, ac, contra mentem et intentionem nostram, de eisdem disponere temere attentasse, et adversus litteras nostras praedictas alia fecisse seu facere non erubuisse, in grave collationis apostolicae detrimentum et nostrae auctoritatis spretum, plurimorumque malum exemplum.

Huiusmod collationes nullas esse et fore declarat,

§ 3. Nos igitur, praemissis occurrere volentes, et constitutionis nostrae praedictae tenorem praesentibus pro expresso habentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, nullum omnino ordinarium collatorem, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem, praetextu quarumvis

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

facultatum et indultorum conferendi beneficia, eis etiam per Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos quomodolibet concessorum, confirmatorum seu innovatorum, aliqua beneficia ecclesiastica, ut praefertur, qualificata, per haeresim vacantia, per supradictas nostras litteras nostrae et Apostolicae Sedis dispositioni specialiter reservata, quovis quaesito colore, quibusvis personis ullatenus conferre, aut alias de aliis disponere potuisse neque etiam in futurum quoquomodo posse; ac quascumque collationes, provisiones seu alias dispositiones de praedictis beneficiis, ut praefertur, per nos reservatis, per dictos collatores et cardinales quomodolibet hactenus factas et in posterum faciendas, nullas prorsus et irritas fuisse et esse ac fore, et nemini suffragari seu quemcumque illis se iuvare posse; sed pro nullis penitus et infectis ab omnibus haberi et reputari debere; idque nostrae firmae et incommutabilis mentis ac voluntatis fuisse et esse, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus.

Praesentesque litteras nullo unquam vitio notari posse.

§ 4. Necnon praesentes litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de intentionis nostrae aut alio quopiam defectu argui, vel alias impugnari seu notari posse.

Sicque a quibuscumque iudicibus esse definiendum.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; quidquid attentatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attentari, irritum et inane, auctoritate et tenore praedictis, decernimus.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ordinariis collatoribus, etiam praedictis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, sub quibuscumque tenoribus et formis quomodolibet concessis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima iulii MDLXXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 31 iulii 1571, pontif. anno VI.

CC.

Facultas episcopis Indiarum utendi in confectione sacri chrismatis certo liquore seu succo in locum balsami [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Digna reddimur attentione solliciti, illa ad exauditionis gratiam admittere vota, per quae necessitatibus, in sacramentorum confectione, occurri et consuli possit.

In Indiis non reperitur balsamus, sed quidam succus balsamo simillimus.

§ 1. Expositum siquidem nobis nuper fuit quod in partibus Indiarum, ubi antistites commorantur, non invenitur nec inveniri potest balsamus vel oleum ex balsamo, ad conficiendum sanctum chrisma

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

necessarium; reperitur autem quidam liquor seu succus, mira odoris fragrantia, et ad lavanda vulnera admodum conducens, qui communiter habetur pro vero balsamo; praestat enim effectus, quos balsamum ab Alexandria allatum praestitisse perhibetur.

Petitio prælatorum Indiarum.

§ 2. Quare iidem partium Indiarum praesules nobis humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis de aliquo opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultas utendi huiusmodi succo in confectione chrismatis loco balsami

§ 3. Nos igitur, necessitatibus huiusmodi consulere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tam archiepiscopis quam episcopis illarum partium, et pro tempore in ipsis partibus commoraturis antistitibus, ut de cetero perpetuis futuris temporib., in confectione sancti chrismatis, dicto liquore seu succo in locum balsami uti libere et licite possint amplam licentiam et facultatem, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus, ac dicto sancto chrismati, cum dicto succo rite tamen confecto, tantam fidem adhibendam esse, ac si in illo balsamus intervenisset.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, quibusvis apostolicis ac, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II augusti MDLXXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 2 augusti 1571, pontif. anno VI.

CCI.

Alia eisdem praesulibus concessa facultas absolvendi ab irregularitate [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Decens et debitum arbitramur ut in his, quae animarum salutem tranquillumque statum respiciunt, simus favorabiles et benigni.

Ab irregularitate absolvendi facultatem concesserat Pius fratribus Ord. Mendicantium, missionariis in Indiis:

§ 1. Hac igitur consideratione ducti, alias dilectis filiis fratribus Ordinum Mendicantium, in Indiarum partibus degentibus, cum personis, quae tam ex delicto quam ex non delicto irregularitatem contraxissent, super irregularitate huiusmodi dispensandi in aliquibus casibus facultatem concessimus.

Eamdem facultatem episcopis largitur.

§ 2. Nunc vero, venerabilium fratrum patriarcharum et episcoporum illarum partium supplicationibus inclinati, eosdem gratioso favore prosequi, ac in illis partibus degentium personarum commoditati consulere volentes, modernis et pro tempore existentibus eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis partium illarum quascumque personas a delictis, per quae irregularitas contrahitur (homicidio voluntario extra bellum commisso ac simoniae labe dumtaxat excepta), apostolica auctoritate, absolvendi, ac cum eisdem omnibus et singulis, nunc et pro tempore in partibus Indiarum existentibus, personis, quae irregularitatem ex aliis quam ex causis praedictis contraxerint, super irregularitate huiusmodi ex quibuscumque causis, praeterquam homicidii et simoniae occasione contracta, ut praefertur, eadem auctoritate apostolica dispensandi, et illos ad obtenta et obtinenda beneficia ecclesiastica et officia quaecumque, etiam ad altaris ministerium, rehabilitandi, restituendi et reponendi, plenam et amplam licentiam et facultatem, auctoritate praedicta, perpetuo per praesentes concedimus et elargimur; necnon absolutionibus et dispensationibus, per eos et pro tempore existentes patriarchas, archiepiscopos et episcopos prædictos faciendis, stari debere perinde ac si a Sede Apostolica praedicta emanassent, dicta auctoritate etiam statuimus et declaramus.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et

1 Ex Regest. in Secret Brev.

Clausulae pro firmitate huiusmodi privilegii.

commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Absoluti poenitentiam impositam a confessario adimplere tenentur sub poena nullitatis dispensationis.

§ 5. Volumus autem quod iidem, qui absolutionem obtinuerint ut praefertur, poenitentiam per confessores, quos ex approbatis ab ordinariis illarum partium duxerint eligendos, adimplere omnino teneantur, alioquin absolutiones et super irregularitate obtentae dispositiones, quoad eorum conscientiae, nullae sint.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die quarta augusti, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 4 augusti 1571, pontif. anno VI.

CCII.

Bona monasteriorum Ordinis Praedicatorum monialibus destitutorum spectant ad fratres eiusdem Ordinis, quorum curae commissa erant [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Decet Romanum Pontificem, certissimum mentis suae interpretem, si quando quidpiam dubietatis in Romanorum Pontificum praedecessorum suorum rescriptis occurrerit, ne ulterius illud haesitandi materiam praebeat, salubri suae declarationis oraculo quamprimum submovere.

1 Ex Bull. Ord. Praed., tom. V, pag. 284.

Sixtus IV declaravit bona monasteriorum Ord. Praedicatorum monialibus destitutorum, ad fratres ipsos spectare.

§ 1. Sane, sicut accepimus, dudum felicis recordationis Sixtus Papa IV, praedecessor noster, cum aliquando contingeret monasteria monialium Ordinis Sancti Augustini, sub cura, habitu et constitutione fratrum Ordinis Praedicatorum Sancti Dominici degentium, monialibus destitui, adeo ut de eorum reformatione spes nulla superesset, convenientiusque esset quod illorum sic destitutorum monasteriorum bona ad ipsos fratres devenirent, quorum erant curae commissae, quam ad alios, illa, quae sic destituta existebant et destitui contingeret in futurum, cum omnibus et singulis eorum bonis, dicto Ordini, ac fratrum Ordinis Praedicatorum huiusmodi, quibus ex forma regiminis ipsius Ordinis competebat, perpetuis usibus applicavit, ita ut fratres ipsi possent de illis et eorum monasteriorum structuris et aedificiis pro eorum voluntate disponere, proviso tamen quod illorum ecclesiae et oratoria ad profanos usus non redigerentur, sed in illis quandoque divina celebrarentur officia, prout in ipsius Sixti praedecessoris litteris, desuper confectis, plenius continetur.

Orta vero controvers. super monasteriis quae comprehenderentur in litteris huiusmodi,

§ 2. Cum autem, sicut etiam accepimus, a nonnullis haesitetur quaenam et qualia monasteria et quorum monasteriorum bona idem Sixtus praedecessor per praefatas litteras dicto Ordini seu fratribus applicaverit seu applicare voluerit.

Pius Sixti mentem declarat iusta rubricam;

§ 3. Nos, omnem ambiguitatem nostrae interpretationis remedio circa hoc submovere volentes, ac eosdem fratres et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum fratrum

aut alicuius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostris, mentem et intentionem ipsius Sixti praedecessoris, dum dictas litteras concessit et dictam applicationem fecit, fuisse et esse quod, etiamsi monasteria monialium huiusmodi legitima auctoritate aut alias quoquomodo monialibus destitui sive alias extingui contingeret, tunc quod illorum bona ad ipsos fratres devenirent, apostolica auctoritate, tenore presentium, attestamur et declaramus.

Et huiusmodi monasteria Ordini adiicit;

§ 4. Ac ex nunc quandocumque dicta monasteria sive aliquod eorum legitima auctoritate et alias quoquomodo monialibus destitui seu alias extingui continget, ac forsan quoquomodo destituta sive extincta fuerint, illa et illorum bona eisdem Ordini et fratribus Praedicatoribus, auctoritate et tenore praedictis, applicamus et applicata esse volumus, statuimus et declaramus; ac ita deinceps perpetuo observari, et per quoscumque, etiam pro tempore magistrum generalem et alios superiores dicti Ordinis Sancti Augustini, censeri, necnon quoscumque iudices, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac Palatii nostri Apostolici causarum auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere; ac quidquid secus super his ab eisdem seu alio quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Locorum ordinarios et auditorem Camerae Apostolicae deputat executores huius constitutionis;

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus locorum ordinariis et dilectis filiis eorum in spiritualibus vicariis aut officialibus generalibus et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, necnon abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis ac aliis quarumcumque ecclesiarum praelatis et personis in dignitate ecclesiastica constitutis, ubilibet et in quibuscumque regionibus existentibus, per praesentes, motu simili, committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum fratrum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ipsisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes, ac omnia in eis contenta integre et inviolabiliter observari, non permittentes eos desuper per quoscumque, contra earumdem praesentium tenorem, quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et pœnas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; et nihilominus, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et penas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, et quibusvis aliis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon omnibus illis, quae prefatus Sixtus praedecessor in dictis suis litteris non obstare voluit; dictorumque monasteriorum fundationibus ac statutis, etiam iuramento vel quavis alia firmitate roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis clausulis et alias quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio ha-

benda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse, pari motu, derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptis addit.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensæ.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 5 augusti MDLXXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 5 augusti 1571, pontif. anno VI.

CCIII.

Regulares cuiuscumque Ordinis, etiam Mendicantes, lectores aut in theologia graduati, non possint saecularium confessiones audire, nisi fuerint ab ordinariis, praevio examine, approbati.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta nonnumquam gesta per eum, rationabilibus et honestis suadentibus causis, moderatur et commutat in melius, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Causae constitutionis 1.

§ 1. Nuper siquidem quasdam declarationes et moderationes circa nonnulla concilii Tridentini decreta, regulares personas Ordinum Mendicantium eorumque instituta concernentia, edidimus et promulgavimus; et quia, uti accepimus, illarum vigore sacerdotes regulares praedictorum Ordinum, quandoque minus idonei et inhabiles, confessionibus saecularium audiendis ab eorum superioribus praepositi, absque aliqua episcoporum, sed sola magistri Ordinis generalis aut provincialium ministrorum approbatione, admittuntur.

Regulares non audiant confessiones saecularium, nisi ab ordinariis sint approbati 2.

§ 2. Nos, super his, pro debito pastoralis officii, prout tenemur, salubriter providere volentes, tenore praesentium, hac nostra constitutione perpetua sancimus, decernimus et declaramus decretum concilii Tridentini de approbatione regularium audiendis confessionibus saecularium praepositorum, ab episcopis facienda, observari debere etiam in omnibus regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam sub regulari disciplina viventibus, etiam si sint lectores aut in theologia, etiam de superiorum suorum licentia, graduati vel promoti, vel a suis magistris generalibus vel provincialibus ministris, saecularium confessionibus audiendis expositi. Volumus tamen eos, qui semel ab episcopo in civitate et dioecesibus suis, prævio examine approbati fuerint, ab eodem episcopo iterum non examinari. Ab episcopo autem successore, pro maiori conscientiae suae quiete, examinari de novo poterunt.

Inhibitio contra inobservantes.

§ 3. Inhibentes quibuscumque regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ut praefertur, ne, vigore deputationis et approbationis ab eisdem magistris et ministris provincialibus, etiam quod illarum occasione ab ordinariis hucusque tolerati fuerint, absque speciali in posterum licentia et approbatione ab

1 Declarationes, de quibus hic, concilii habentur in constit. LXVII, pag. 593 huius tomi. 2 Ita etiam concil. Trid., sess. XXIII, *De Reform.*, cap. XV.

ordinariis obtinenda, secularium confessiones audire praesumant. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac nostris litteris praedictis et aliis postea quibuscumque regularibus concessis et forsan extensis, quas, quoad ea quae praesentibus adversantur et contrariantur, penitus et omnino revocamus, cassamus et irritamus; necnon monasteriorum et aliorum regularium locorum ac Ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *Mari Magno* seu *Bulla Aurea* aut alias nuncupatis, quibusvis monasteriis et regularibus locis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

§ 5. Ut autem praesentes litterae ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam praetendere aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate statuimus et decernimus ut ipsaemet litterae vel earum transumptum in basilicae Principis apostolorum de Urbe, S. Ioannis Lateranensis ac Cancellariae Apostolicae valvis, ac in acie Campi Florae per aliquos ex cursoribus nostris publicentur, earum exemplo in singulis valvis et acie praedictis affixo et dimisso.

Forma publicandi.

§ 6. Verum, quia difficile foret *etc.* Nulli ergo *etc.*

Fides transumpti

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, octavo idus augusti, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 6 augusti 1571, pontif. anno VI.

CCIV.

Revocatio regressuum, accessuum et coadiutoriarum quibuscumque ad beneficia ecclesiastica concessarum [1].

Pius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta nonnumquam gesta per praedecessores suos, rationabilibus et honestis suadentibus causis, moderatur et revocat, prout id ecclesiarum indemnitati conspicit in Domino expedire.

Revocatio regressuum, atque coadiutoriarum concessarum ad beneficia super quibus litterae apostolicae integraliter expeditae non fuerunt.

§ 1. Hinc est quod nos, volentes omnem haereditariam beneficiorum ecclesiasticorum successionem de Ecclesia Dei tollere, ac libertati beneficiorum huiusmodi providere, et ut de persona magis utili et idonea, prout requiritur, facilius

1 Prohibitionem vero de cetero accessus et regressus concedendi, extendendi aut transferendi, habes in concil. Trid., sess. XXV, *De Reform.*, cap. VII.

provideri valeat, omnes et singulos regressus, accessus et ingressus, etiam eventuales aut poenales, ac coadiutorias, etiam de consensu aut alias quomodolibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis efficacissimis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, clausulis, irritantibus et aliis decretis quomodolibet per quosvis Romanos Pontifices praedecessores nostros ad beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, etiam si saecularia canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, aut collegiatis ecclesiis, et dignitates ipsae in cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales; regularia vero beneficia huiusmodi, monasteria, etiam consistorialia, prioratus, praepositurae, dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes vel officia, etiam claustralia, ac hospitalia et praeceptorias, etiam hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, etiam quarumvis aliarum militiarum, quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, etiam episcopali, archiepiscopali, patriarchali dignitate aut cardinalatus honore pollentibus, concessa, super quibus litterae apostolicae integraliter hactenus expeditae non fuerunt, etiamsi in Plumbaria nostra aut penes summatorem nostrum reperiantur, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, auctoritate apostolica, tenore praesentium, revocamus, cassamus et abolemus.

Cancellariae et Camerae Apostolicae officiales litteras desuper non expediant.

§ 2. Mandantes dilectis filiis nostris vicecancellario et dilecto summatori ceterisque officialibus, tam Cancellariae Apostolicae quam Camerae nostrae, ad quos spectat, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena, ne in futurum super dictis gratiis regressus, accessus et ingressus, necnon coadiutoriarum litteras expediant aut relaxent.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ex nunc irritum et inane quicquid illorum praetextu contra praemissa, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam nostra de non tollendo iure quaesito, regula ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicandi hanc constitutionem.

§ 5. Ut autem praesentes litterae ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam praetendere aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate statuimus et decernimus ut ipsaemet litterae vel earum transumptum, in basilicae Principis apostolorum de Urbe, S. Ioannis Lateranensis ac Cancellariae Apostolicae valvis, ac acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris publicentur, earum exemplo in singulis valvis et acie praedictis affixo et dimisso.

Transumptorum fides.

§ 6. Verum, quia difficile foret *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, pridie idus septembris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 12 sept. 1571, pontif. anno VI.

CCV.

Quomodo rei in contumaciam condemnati, et infra annum capti, admittendi vel non admittendi sint ad defensiones [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

§ 1. Dudum postquam felicis recordationis Pius Papa IV, praedec. noster, cu-

1 Ex edit. typis Bladi.

Causæ edendae constitutionis.

piens subterfugiis delinquentium obviare, per quasdam suas in forma motus proprii editas litteras, sub datum Romae apud S. Petrum decimosecundo kalendas iunii, anno VI, inter alia, statuisset quod rei in contumaciam condemnati ad suas defensiones faciendas admitti non possint, nisi infra sex menses, quoad faciendas videlicet a die condemnationis, quo vero ad iam factas condemnationes a die publicationis earumdem litterarum computandos; per alias nostras etiam in forma motus proprii emanatas litteras, die vigesima mensis iunii, pontificatus nostri anno primo, publicatas, terminum sex mensium huiusmodi ad annum prorogavimus, ac contumacibus huiusmodi defensiones, non nisi post anni elapsi terminum, denegari debere decrevimus. Cumque, sicut accepimus, a nonnullis, ordinationem et dispositionem huiusmodi nostramque et dicti praedecessoris in illis edendis intentionem variis calumniis eludere, et super earum sinistris interpretationibus agentes pro fisco et Camera Apostolica fatigare, et causas in longum protrahere et illas intricare, sententiarumque executionem evitare satagentibus, saepe in dubium verti contingat, licet ex verborum proprietate res clara sit, an scilicet tam sponte comparentes, de quibus loquitur motus proprius praefati praedecessoris, quam etiam capti intra dictum tempus, indistincte admitti debeant ad faciendum suas defensiones, maxime stantibus in eodem nostro motu proprio appositis supra relatis verbis videlicet *ac contumacibus huiusmodi defensiones, non nisi post anni elapsi terminum, denegari debere*, quae indiffinite prolata sunt, et videntur posse comprehendere tam sponte comparentes quam captos; nihilominus considerantes quod verba ipsa nihil aliud disponunt quam prorogationem termini iis, quibus ex forma motus proprii praedicti praedecessoris denegari non poterat.

Declaratio de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, ad tollendum omne dubium, et absurdum evitandum quod capti et sponte comparentes paris essent conditionis; necnon calumniis et aliis inconvenientibus huiusmodi, quantum cum Deo possumus, obviare, omnemque disputandi materiam tollere, et in his opportune providere volentes; necnon singularum litterarum praedictarum ac inditiorum inquisitorum, processuum, condemnationum et sententiarum desuper formatarum et latarum ac formandarum et promulgandarum huiusmodi, aliorumque forsan latius exprimendorum tenores, continentias, formas et compendia, ac reorum delictorum, criminum et excessuum ac poenarum huiusmodi, et iudicum nomina, cognonima, gradus et qualitates ac quantitates et loca, pro plene et sufficienter expressis habentes et decernentes, necnon singulas praenarratas litteras confirmantes et innovantes, motu simili, *etc.*, quod banniti et in contumaciam condemnati in poenam capitis et ultimi supplicii, si capti ad manus curiae devenerint, per iudices ad novas sive alias defensiones faciendas, etiam intra dictum tempus, non admittantur, nisi habita a nobis vel Signatura nostra desuper gratia speciali; nec litterae ipsae, quae in eorum odium editae sunt, eis in aliquo suffragentur, aut illis se iuvare sive defendere possint. Quinimmo quod iudices praefati sententias ipsas condemnatorias, tam in Urbe quam extra eam latas et ferendas, si tamen, legitimis praecedentibus indiciis, ad inquirendum promulgatae fuerint, executioni realiter et corporaliter, suis loco et tempore congruis respective, totaliter et integre, contra sic captos demandent et demandari faciant, hac nostra perpetuo valitura declaratione declaramus et decernimus et, quatenus opus sit, de novo statuimus et ordinamus, et ita mentis et intentionis nostrae fuisse et esse attestamur.

Mandatum iudicibus tribunalium Urbis de exequenda præsenti constitutione.

§ 3. Praeterea almae Urbis nostrae generali gubernatori ceterisque iudicibus ordinariis vel delegatis, in Romana Curia vel extra eam residentibus, quibuscumque, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena, committimus et mandamus, districte praecipiendo per praesentes, quatenus huiusmodi nostram declarationem seu novam constitutionem et ordinationem, necnon ipsas praesentes et in eis contenta omnia et singula, in causis criminalibus seu mixtis ac aliis fiscum et Cameram Apostolicam illiusque interesse quomodolibet concernentia, nunc et pro tempore pendentibus quibuscumque, etiam si forsan aliqui capti nunc in carceribus detineantur, perpetuo inviolabiliter observari mandent et faciant et illi observent; et ita et non aliter, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, *etc.*, etiam S. R. E. cardinales ac Palatii Apostolici causarum auditores, sublata *etc.*, iudicari, interpretari et diffiniri debere; irritum quoque *etc.* decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; statutisque ac consuetudinibus provinciarum, civitatum, oppidorum et locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, universitatibus, communitatibus et hominibus provinciarum, civitatum et locorum praedictorum, ac etiam singulis praenominatis et aliis quibuscumque iudicibus *etc.* per nos et praedecessores nostros concessis, et etiam iteratis vicibus innovatis; quibus omnibus *etc.*, illorum tenores *etc.*, hac vice latissime derogamus, ac stylo Palatii ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§ 5. Volumus autem quod praesentis motus proprii, etiam absque data et registratura, sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria non obstante: eiusque transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae, seu litterae desuper per breve nostrum expediri possint; et, si videbitur, cum omnium et singulorum praenarratorum et expressorum aliorumque necessariorum specificatione et insertione, et cum aliis clausulis opportunis et consuetis.

Observantia huiusmodi motus proprii et transumptorum fides.

Placet. Motu proprio, M.

Datum Romae apud S. Petrum, idibus septembris, anno VI.

Anno a navitate D. N. Iesu Christi millesimo quingentesimo septuagesimo primo, indictione decima quarta, die vero decima septima mensis septembris, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae V anno sexto; retroscriptus motus proprius affixus et publicatus fuit in acie Campi Floræ et ad valvas Cancellariae Apostolicae, dimissis copiis affixis per me Ioannem Andream Panizzam, praefati sanctissimi domini Papae cursorem.

Io. Guerardi, magister cursorum.

Dat. die 13 sept. 1571, pontif. anno VI.

CCVI.

Contra habentes beneficium ecclesiasticum non recitantes horas canonicas.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Leo X decrevit, non recitantes horas canonicas, amittere

Ex proximo Lateranensi concilio pia et salubris sanctio emanavit, ut quicumque habens beneficium ecclesiasticum, cum

fructus beneficiorum pro rata.

cura et sine cura, si, post sex menses quam illud obtinuerit, divinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis officii et temporis, suos non faciat, sed eos, tamquam iniuste perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratae praedictae ratio sit habenda.

Hic modo Pontifex hanc ratam declarat.

§ 1. Nos, huic rei evidentius atque expressius providere volentes, statuimus ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserint, omnes beneficii seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat; tametsi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis praesens adsit, fructusque et distributiones forte aliter assignatas sola praesentia, iuxta statuta, consuetudinem, fundationem vel alias, sibi lucrifecisse praetendat, etiam, praeter fructuum et distributionum amissionem; item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. Declarantes praestimonia, praestimoniales portiones et qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia, obtinentes, cum praedictis pariter conveniri. At quicumque pensionem, fructus aut alias res ecclesiasticas ut clericus percipit, eum modo praedicto ad dicendum officium parvum Beatae Mariae Virginis decernimus obligatum, et pensionum, fructuum rerumque ipsarum amissioni obnoxium.

Sanctio pœn.

§ 2. Nulli ergo omnino hominum *etc.* Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, duodecimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 20 sept. 1571, pontif. anno VI.

CCVII.

Iurisdictio episcoporum visitandi parochiales ecclesias fratrum militum Sancti Ioannis Hierosolymitani, quoad animarum curam et administrationem sacramentorum.

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Exposcit pastoralis officii debitum, cui, disponente Domino, praesidemus, ut ad ea sollicite intendamus, per quae discordiarum et litium ac controversiarum quarumlibet materia tollatur.

Ortae orant lites inter episcopos et istam militiam super iure visitandi.

§ 1. Sane cum nonnulli ex venerabilibus fratribus episcopis dilectos filios magistrum, baiulivos, castellanum empostae, priores, donatos, cappellanos, fratres, milites et alias quascumque personas hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, ratione ecclesiarum curam animarum habentium, illarumque rectores et ministros, ad ipsum magistrum spectantium et pertinentium, iuxta sacri oecumenici concilii Tridentini decreta, visitare, dictus vero magister et alii praedicti ipsos illorumque ecclesias, cappellanos et ministros dictis decretis minime comprehendi, sed ab illis exemptos esse praetenderent, materia quæstionis orta.

Hic Pontifex eas extinguit.

§ 2. Nos igitur, eorum paci et quieti consulere volentes, omnes lites et controversias huiusmodi, tam in Romana Curia quam alibi, coram quibuscumque iudicibus, in quacumque instantia pendentes, illarumque status et merita pro sufficienter expressis habentes, ad nos avocantes, eas cassamus, extinguimus, et

super illis perpetuum silentium imponimus, ac omnes dictae militiae personas a quibusvis censuris, harum controversiarum occasione contra eas per quoscumque latis et incursis, absolvimus.

Iurisdictio episcoporum, de qua in rub.

§ 3. Et ne in futurum aliqua amplius controversia oriri possit, decernimus, declaramus, statuimus omnes et singulos locorum episcopos et alios superiores, tamquam Apostolicae Sedis delegatos, omnes et quascumque parochiales ecclesias, ceteraque beneficia ecclesiastica suarum civitatum et dioecesum, quibus animarum cura imminet, ad dictam Religionem eiusque milites, cappellanos, ministros, rectores quomodolibet pertinentia, etiam quod in eis episcopalem et temporalem iurisdictionem Religio et milites praedicti haberent, eorumque ecclesias, rectores, vicarios et ministros quoscumque (in his tamen dumtaxat, quae animarum cura illiusque exercitium et sacramentorum administrationem respiciunt) visitare, omnesque actus visitationem concernentes exercere posse et debere; ac rectores ceterosque huiusmodi ministros, curam animarum exercentes, minus idoneos repertos, siquidem ad nutum amovibiles sint, statim amovere; sin vero titulares sint, illico suspendere; ac superiores eorum monere ut, intra aliquem brevem terminum, in locum amotorum subrogent alios idoneos, prius tamen per ipsos episcopos et alios superiores examinatos et approbatos; titularibus vero suspensis, deputent alios idoneos pariter examinatos et approbatos, ut supra, in coadiutores seu vicarios, iuxta decretum concilii, sessione vigesima prima, capite sexto. Interea vero dum haec subrogatio seu deputatio fiat, ipsi episcopi et alii superiores, pro necessitate curae animarum, provideant arbitrio suo; quod si superiores dictorum rectorum et ministrorum intra tempus praefixum non subrogaverint aut deputaverint ut supra, tunc, dicto termino elapso, ipsi episcopi et alii superiores alios, praevio examine, iuxta eiusdem concilii formam idoneos repertos, in locum amotorum subrogent. Titularibus vero suspensis, coadiutores deputent iuxta dictum capitulum sextum, sessione vigesima prima, qui tamen in dictis parochialibus perinde inserviant, ac si subrogati aut deputati ab ipsis superioribus Religionis et militum praedictorum fuissent.

I declaratio circa dictam iurisdictionem.

§ 4. Volumus autem quod episcopi et alii superiores praedicti visitationem huiusmodi et praedicta omnia solum tamquam delegati Apostolicae Sedis et gratis et absque ullis dictae Religionis rectorum et ministrorum impensa et onere faciant.

II declaratio

§ 5. In collatione item ordinum, necnon consecratione ecclesiarum et sacrorum vasorum, ac benedictionibus et aliis actibus spiritualitatem concernentibus, ac institutione praesentatorum ab eisdem militibus ad beneficia, aut approbatione seu confirmatione, quas ab eisdem fieri harum praesentium vigore contigerit, gratis omnia faciant, et diligenter attendant ut nullos admittant, qui qualitates a concilio requisitas non habeant, ac praevio examine iuxta eiusdem concilii decreta idonei non existant.

III declaratio.

§ 6. Nolumus autem episcopos et alios superiores locorum suprascripta facultate visitandi uti, qui cum eadem Religione et militibus super iurisdictione episcopali in locis visitandis coram quibuscumque iudicibus litigent, nisi ipsi episcopi et alii superiores in quasi possessione antiqua exercitii iurisdictionis huiusmodi existerent, salvo tunc iure utrique illaeso in petitorio; sed quod episcopi et alii superiores viciniores, ius aliquod in iurisdictione huiusmodi non habentes, nullumque interesse prorsus praetendentes, facultate praedicta utantur.

IV declaratio.

§ 7. Nolumus item per praesentes ullum

afferri praeiudicium iuri visitandi dictas parochiales ecclesias et alia beneficia curam animarum habentia, quod antea Religioni et militibus praedictis competebat.

V declaratio.

§ 8. Inhibemusque expresse dictis episcopis et aliis superioribus ne hac visitandi facultate, eis per praesentes concessa, alio utantur modo quam praescripto.

Clausula sublata etc.

§ 9. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 10. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, in provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus; necnon quibusvis statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium forsan quomodolibet concessis et confirmatis, quibus omnibus, eorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 11. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo secundo septembris, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 22 sept. 1571, pontif. anno VI.

CCVIII.

Iussio instituendi ab ordinariis locorum confraternitates Doctrinae Christianae, ad pueros aliosque divinae legis expertes bonis moribus sanaque doctrina instruendum; et indulgentiarum tam pro confratribus quam per eos instruendis elargitio [1].

Pius Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissi, ad ea libenter intendimus, per quae divinus cultus fideliumque devotio ubique suscipiat incrementum, ac ipsos fideles ad id indulgentiis et remissionibus invitamus, ut christifideles ipsi per temporalia, quae egerint, consequi valeant praemia felicitatis aeternae.

Commendatio operis docendi doctrinam christianam.

§ 1. Nos igitur, attendentes quod infantes et pueri bonis moribus et exercitiis educati, quasi semper vitam pudicam, honestam et exemplarem ac aliquando sanctam agunt; e converso autem qui parentum carentia seu paupertate aut incuria vel ignavia non sic educati, persaepe ducuntur in exitium et, quod peius est, secum ducunt plures in interitum, unde, si diligenter educati et in doctrina christiana instructi fuerint, a vitiis et multis aliis erroribus retraherentur. Considerantes etiam, prout ex fide dignis relatibus intelleximus, quod nonnulli approbatae vitae christifideles, caritate, omnium suprema virtute, circa hoc tam pium tamque reipublicae saluberrimum opus accersiti, in singulis festivitatibus et dominicis diebus in diversis ecclesiis et locis hoc opus sanctissimum amplexi sunt, et ibi eosdem infantes et pueros ac alias miserabiles personas christianae veritatis ignaras congregari faciunt, et eos bonis moribus et sana doctrina instruunt ac diligenter in via

1 Vide concilium Trident., sess. XXIV, *De Reform.*, cap. IV.

mandatorum Domini dirigunt, ex quo salutiferi fructus hactenus provenerunt et in dies magis, auxiliante Domino, speramus; et quod si ad hoc opus sanctissimum ubique locorum exercendum praefatos christifideles paternis favoribus et indulgentiarum muneribus invitaremus, procul dubio non solum eorumdem infantium et puerorum ac personarum aliarum saluti consuleretur, verum etiam devotio christifidelium omnium ad praefatum opus amplectendum multo magis augeretur.

Ordinarii instituant confraternitates Doctrinae Christianae in eorum dioecesibus.

§ 2. Cupientes igitur tam pio tamque laudabili operi viribus totis favere, et animas lucrifacere Creatori, ex certa nostra scientia, universos et singulos patriarchas, archiepiscopos, episcopos ceterosque ecclesiarum praelatos et locorum quorumcumque ordinarios, ubilibet constitutos, praesentes et futuros, rogamus et hortamur attente, eis ac eorum in spiritualibus et temporalibus vicariis seu officialibus generalibus per apostolica scripta mandantes, quatenus hoc opus sanctissimum toto pectore amplectentes, aliquas ecclesias in suis civitatibus et dioecesibus, respective, seu loca honesta, in quibus praefati infantes et pueri ad audiendum doctrinam christianam convenire possint, deputent, et viros ad id idoneos, vita et moribus approbatos, qui diebus saltem dominicis eosdem infantes et pueros, ac alias personas divinae legis expertes, in articulis fidei et praeceptis sanctae matris Ecclesiae instruant, confirment et erigant, atque tot societates seu confraternitates, quot ad hoc tam sanctissimum opus exercendum eis opportunae videbuntur, inibi auctoritate nostra erigant et instituant.

Concessio indulgentiarum pro confratribus, et etiam pro instruendis por eos.

§ 3. Nos enim, ut promptius et alacrius ad hanc curam subeundum omnes christifideles alliciantur, et eo libentius curam ipsam suscipiant, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius refectos; de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, seu statutis a iure temporibus firmum confitendi propositum habentibus, qui in aliqua dictarum societatum seu confraternitatum ubilibet constitutarum intraverint et adscripti fuerint, illis videlicet tam qui alios docuerint quam qui ab aliis in articulis fidei et praeceptis Ecclesiae huiusmodi instructi fuerint, quotiescumque in praefato sanctissimo exercitio se occupaverint, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis auctoritate apostolica, tenore praesentium, misericorditer in Domino relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides transumptorum.

§ 4. Ceterum, quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDLXXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die VI octobris 1571, pontif. anno VI.

CCIX.

Appellationum causae in quibus rei ad favorem fisci R. C. A. in poenam pecuniariam condemnantur, infra sex menses expediri debent per appellantem, alioquin iudex a quo sententiam exequi tenetur [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Licet iuri maxime consentaneum nobisque praecipue cordi sit ut delinquentes condignis poenis afficiantur; tamen re ipsa experiendoque cognovimus quamplures subterfugiis et cavillationibus legum disciplinam vitari.

Causa constitutionis.

§ 1. Siquidem compertum est eos qui tam in alma Urbe nostra, quam in pro-

1 De materia appellationum vide in Pii IV constitutione LXIV, *Et si cuncta*, pag. 186 huius tomi.

vinciis ditionis Ecclesiae in poenis pecuniariis condemnantur, clypeo appellationum suffultos, ab aliis iudicibus inhibitiones obtinere. Cumque tam dicti iudices appellationum, quam qui coram eis iura fisci et Camerae sunt promoturi, de rei et causae qualitate minus informati existant, ac ipsi appellantes non modo appellationem suam prosequi non curant, quinimmo illius expeditionem totis viribus satagunt retardare, quo fit ut modo officialium mutatione, quae interim contingit, modo alio quovis praetextu, condemnatio oblivioni tradatur, et sic delictum impunitatem, et exinde ditionis nostrae tranquillitas perturbationem, ac ipsa etiam Camera Ap. detrimentum non modicum consequatur. Quibus malis providere volentes, cum remedium appellationis contra iudicum iniuriam a legibus introductum minime tollere intendamus, saltem, cum eo homines abuti, et illud in calumniam versum prospiciamus, illius tempus limitandum et restringendum duximus, ut eo magis hominum malitiis occurratur, et bene vivere volentium quieti et securitati consulatur.

Appellationum causae in criminalibus infra sex menses expediri debent.

§ 2. Hac igitur perpetuo valitura constitutione decernimus ut, lata in causis criminalibus sententia continente penam pecuniariam fisco nostro applicandam, appellantes ab ea (in casibus tamen quibus alias de iure communi permissa est appellatio, et servatis iis, quae ex forma constitutionum apostolicarum circa depositum faciendum seu cautionem praestandam sunt servanda) teneantur infra sex menses a die ipsius interpositae appellationis computandos, ita coram iudice appellationis causam suam prosequi, ut etiam expeditionem reportent; quibus elapsis, et expeditione coram iudice a quo non reproducta, teneatur praefatus iudex a quo, ad quamcumque fisci instantiam, etiam si acta fuerint transportata, sententiam praefatam debitae executioni, omni mora postposita, demandare, ita ut effectualis incameratio subsequatur.

Iudices tradi faciant acta appellantibus.

§ 3. Verum, ne malitia iudicis ius litigatorum efficiatur deterius, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae ac privationis officiorum, etiam si illa ex causa onerosa obtineant, ac refectionis omnium damnorum et interesse, quibuscumque iudicibus totius Status nostri Ecclesiastici, quacumque dignitate et praeeminentia fulgentibus, etiam si legati, vicelegati ac provinciarum gubernatores existant, committimus et mandamus ut appellantibus, sine mora, acta et processus quoscumque effectualiter tradi curent et faciant.

Iudices ad quos appellationis causam expediant.

§ 4. Et ipsi iudices, ad quos respective, bona fide, et omni versutia remota, ad causarum legitimam expeditionem procedant, scituri nos acriter vindicaturos si per eorum quempiam in praemissis fuerit appellantibus ipsis praeiudicium generatum.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis legibus et statutis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Placet. Motu proprio, M.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDLXXI, indict. XIV, die vero XVI mensis octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pii divina providentia Papae quinti anno sexto, suprascriptae litterae affixae fuerunt ad valvas Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, per me Ioannem de Soya, cursorem.

Antonius Clerici, magister cursorum.

Pub. die 16 oct. 1571, pontif. anno VI.

CCX.

Institutio undecim vicariarum perpetuarum in totidem basilicis et ecclesiis almae Urbis, cum assignatione portionum et obventionum pro singulis earum [1].

Pius papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Etsi omnibus universi orbis ecclesiis

1 Ad hoc omnino vide aliam huius Pontificis constitutionem LXXII, *Ad exequendum*, pag. 628 huius tomi.

divina dispositione praesidemus, propius tamen ecclesiarum Urbis cura nos tangit ac de illis potissimum, quibus animarum cura imminet, solliciti sumus, utque illa in eis congrue exerceatur, quantum cum Deo possumus, sedulo providemus.

Causa huius institutionis.

§ 1. Unde, nos, attente considerantes quod basilica S. Ioannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe; item Sanctae Mariae in Via Lata, et eiusdem S. Mariae Transtyberim, et S. Laurentii in Damaso, et S. Marci, et S. Angeli in Foro Piscium, necnon S. Quirici in Montibus, et S. Nicolai in Carcere collegiatae; necnon S. Blasii *della Pagnotta*, et S. Catharinae *della Rota* nuncupatae, quae eiusdem basilicae Principis apostolorum, ac S. Pantaleonis, quae ecclesiae S. Eustachii mensis capitularibus perpetuo unitae sunt, parochiales ecclesiae eiusdem Urbis curam animarum et satis amplas parochias habent, quodque animarum cura ab iis, ad quos ea communiter spectat, saepe negligi solet.

Institutio undecim vicariarum de qua in rubrica.

§ 2. Idcirco expediens, immo et necessarium fore duximus ut in singulis basilicis et ecclesiis praedictis singuli vicarii perpetui, congrua fructuum et proventuum portione, qua honeste substentari valeant, eis assignata, prout in sacro concilio Tridentino et alias a nobis per nostras litteras statutum est, ponantur et deputentur, qui animarum curam huiusmodi eo diligentius ac vigilantius gerant, quo magis eam proprie ad se pertinere et sibi incumbere noverint. Quapropter, et eiusdem concilii et nostris huiusmodi statutis inhaerentes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, in singulis ex basilicis et ecclesiis supradictis singulas vicarias perpetuas pro singulis vicariis perpetuis, qui curam animarum basilicis et ecclesiis respective incumbentem gerere, ac sacramenta ecclesiastica ibi ministrare, missas celebrare et alia, iuxta providam ordinationem pro tempore existentis in Urbe vicarii nostri in spiritualibus generalis, cuique assignanda onera subire debeant, ad nominationem dictorum filiorum capituli cuiuslibet ex eisdem basilicis et ecclesiis, quae nominatio sit ex numero approbatorum ab eodem vicario, praevio illorum examine coram examinatoribus ad id in ipsa Urbe deputatis, per dictum vicarium seu vicarii vicegerentem instituendis, ponendis et deputandis, perpetuo erigimus et constituimus.

Assignatio portionum pro vicariis.

§ 3. Singulisque vicariis huiusmodi singulas portiones, videlicet: in qualibet basilicarum praedictarum centum et viginti; in Sancti Blasii vero, septuaginta; in S. Catharinae, sexaginta; in S. Pantaleonis, aliorum sexaginta; in S. Mariae in Via Lata, octuaginta; in S. Mariae Transtyberim, aliorum octuaginta; in S. Laurentii, centum; in S. Angeli, sexaginta; in S. Quirici, quinquaginta; in Sancti Nicolai ecclesiis praedictis, similiter quinguaginta scutorum monetae annuatim ex fructibus, redditibus et proventibus earumdem basilicarum et ecclesiarum, eisdem vicariis per capitula basilicarum et ecclesiarum, in quibus vicariae huiusmodi consistunt, vel quarum mensis capitularibus ecclesiae ipsae unitae sunt, ut praefertur, quorum capitulorum ad haec expressus accedit assensus, pro una in Sancti Ioannis Baptistae, et altera medietatibus portionum huiusmodi in Domini nostri Iesu Christi Nativitatum festivitatibus integre persolvendas; item omnia et singula emolumenta et obventiones, quae, ratione exercitii, curae et administrationis sacramentorum huiusmodi ac officiorum funeralium, quae ipsa die humationis cadaverum celebrabuntur, non autem ratione anniversariorum, et ad ipsas ecclesias et basilicas in posterum pertinebunt, per ipsos vicarios propria auctoritate perci-

piendas, exigendas et levandas, ac in suos usus et utilitatem convertendas et convertenda, loco pensionum annuarum, pro congrua ipsorum vicariorum substentatione perpetuo assignamus et applicamus.

Deputatio vicarii Urbis in executorem.

§ 4. Mandantes motu simili, tenore praesentium, dilecto filio nostro Iacobo tituli Sanctae Mariae in Cosmedin, presbytero cardinali Sabello nuncupato, nostro in alma Urbe vicario in spiritualibus generali, quatenus, per se vel alium seu alios, dictos vicarios ad nominationem et institutionem huiusmodi, in vicariarum praedictarum possessionem corporalem inducat auctoritate nostra, et defendat inductos, amotis ab illis quibuslibet illicitis detentoribus, ac faciens singulis eisdem vicariis de portionibus eis debitis praedictis integre responderi, eosque portionum ipsarum necnon emolumentorum et obventionum eis ut supra assignatorum perceptione et perceptionis pacifica possessione seu quasi pacifice frui et gaudere, non permittens eos desuper a quoquam, quavis occasione, indebite molestari; praemissaque omnia et singula efficaciter adimpleri et ab omnibus inviolabiliter observari curet, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et pœnas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstante nostra, qua statuimus et ordinavimus et declaravimus non maiorem centum nec minorem quinquaginta scutorum annuorum summam, computatis omnibus, etiam incertis, emolumentis et aliis obventionibus communiter percipi solitis, vicariis perpetuis ex praefato concilio erigendis omnino assignari; nisi vicariis temporariis solitum fuisset plus assignari, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac basilicarum et ecclesiarum praefatarum, etiam iuramento, *etc.*; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis basilicis et ecclesiis praefatis earumque capitulis, archipresbyteris, titularibus, cardinalibus et personis ac dilectis filiis populo Romano de non conferendis beneficiis dictae Urbis aliis quam originariis, *etc.*; ac quibusvis aliis in genere vel in specie alias in contrarium quomodolibet, etiam per Leonem X et alios Romanos Pontifices, etiam pluries, concessis, *etc.* Quibus omnibus etc., illorum tenores *etc.*, latissime derogantes, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fiat. Motu proprio, M.

Clausularum repetitio.

§ 6. Et cum absolutione a censuris ad effectum *etc.* Et de erectione, constitutione, assignatione et applicatione, mandato ac derogatione aliisque praemissis, quae hic pro sufficienter repetitis habeantur ad partem, etiam separatim, et in una, nulla facta mentione, ac aliis, et quod sola signatura praesentis nostri motus proprii sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra illud, non obstantibus quibuscumque.

Fiat. M.

Datum Romae apud S. Petrum, nonis novembris, anno VI.

Dat. die 5 nov. 1571, pontif. anno VI.

CCXI.

Contra ambientes dignitates et officia iurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio seu promissione procurantes vel assequentes, aut assecuta manutenentes in Statu Ecclesiastico.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Etsi Romani Pontificis continua indefessaque meditatio circa subditorum suorum commodum et utilitatem continue implicatur, ac quae iis, quos ut filios tenere diligit, obesse posse credit, de medio tollit; negociorum tamen multitudine

pressa, singula in dies singulos considerans, illorum executionem, etiam dietim disponit, ut et negocia ipsa salubrius dirigantur, ac ipsi subditi paulatim sui in eos amoris cognoscant indicia.

Iure civili cavetur iudices et alios Iustitiæ ministros sine quoquam suffragio eligi debere, ut in auth. ut iudices, sivo etc.

§ 1. Sane licet alias, ne ordo iustitiae perverteretur, et ex certis aliis inibi expressis causis, per civiles constitutiones salubriter fuerit statutum ut iudices et alii iustitiae administratores sine quoquo suffragio fieri debeant, gravissimis etiam iniunctis pœnis, qui praemissam constitutionem transgredi ausi quoquomodo fuissent; accepimus tamen nuper, non sine animi nostri displicentia, nonnullos, pro consequendis officiis et dignitatibus iurisdictionis exercitium habentibus, pecunias et alias res solvere et promittere aliquibus curialibus, quorum intercessionibus et favoribus talia officia et dignitates obtinent. Licetque nos, pro nostri pastoralis officii debito, praemissa conniventibus oculis pertransire nequeuntes, omnem adhibuerimus diligentiam, ut tam ambitiosi huiusmodi quam pecuniarum huiusmodi receptores et stipulatores tam publice quam secrete reperirentur; nihilominus exinde nihil certi expiscari hactenus potuimus.

Hic autem Pontifex pœnas omnes in transgressores inflictas innovat et confirmat;

§ 2. Cupientes igitur praemissis modum aliquem imponere, ac eos, quos civilium pœnarum timor a similibus non coercet, per canonicas sanctiones auctoritate apostolica omnino deterreri, et avaritiae huiusmodi genus, iuri et iustitiae huiusmodi tam obnoxium, de medio tollere, constitutionis civilis, ac pœnarum per illas statutarum tenorem et formam praesentibus pro expressis habentes, motu simili, *etc.*, et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas leges, constitutiones, statuta et decreta contra delinquentes huiusmodi, tam a iure civili quam a sacris canonibus facta, ac in illis contenta, punitiones et pœnas quascumque in tales inflictas harum serie innovamus, easque idem robur eamdemque vim obtinere volumus atque statuimus, quod et quam habuissent et haberent, si hactenus ad unguem observatae fuissent, vel a nobis per praesentes emanarent.

Quinimo alias poenas hic expressas imponit procurantibus vel obtinentibus, mediante pecunia etc., dignitates et officia;

§ 3. Insuper quoque, ut earum usus pœnarum multiplicatione stabiliór efficiatur, hac nostra perpetuo valitura constitutione, quamque vim legis etiam inviolabilis habere sancimus, legibus, constitutionibus, statutis et decretis praedictis praeiudicium non inferendo, quinimmo illis addendo, decernimus et ordinamus quod de cetero perpetuis futuris temporibus nemini, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis fuerit, liceat, mediante pecunia vel solutione et traditione ac promissione aliarum rerum etiam per interpositas personas aut alias quovis modo faciendas, aliquas dignitates et officia, exercitium et administrationem iurisdictionis habentia, procurare, assequi vel obtinere; ac si quis his praesentibus contravenisse quoquomodo dici aut censeri potuerit, ipsum contravenientem eo ipso confiscationis omnium bonorum, degradationis et amissionis tam privilegii doctoratus quam quorumcumque per eum obtentorum officiorum, tam saecularium quam ecclesiasticorum, ac demum ultimi supplicii pœnas irremissibiliter incurrere volumus.

Et exceptionem ignorantiæ non admitti decernit;

§ 4. Ceterum, ut fraudibus, quae circa praemissa exoriri possent, facilius occurratur, pari modo statuimus quod, ubicumque et quandocumque compertum fuerit per interpositam personam aliquas pecunias seu alias res traditas seu promissas fuisse alicui curiali, familiari vel cuicumque alteri personae, pro officiis et dignitatibus iurisdictionis administrationem habentibus, is, qui officium huiusmodi obtinuerit, se a praemissis, attenta

interpositione personae huiusmodi, nullatenus excusare queat ; quin immo, nulla admissa ignorantiae excusatione, ipso iure praesumatur solutionem et promissionem huiusmodi de eorum, qui officia et dignitates similia obtinuerint, consensu et mandato penitus esse factas, iisdemque propterea poenis subiacere omnino intelligatur. Postremo, ne ii, qui in praeteritum talia officia seu dignitates, solutionibus seu promissionibus mediantibus, impetraverint, credant se per praesentes absolutos esse, eisdem motu, scientia et potestatis plenitudine perpetuo declaramus eos poenas in tales a iure communi inflictas incurrisse, et contra eos ad poenarum huiusmodi prosecutionem procedi posse.

Solventibusque aliquid ex causa manutentionis officiorum iam obtentorum, easdem poenas infligit;

§ 5. Eos vero qui similibus mediis aliqua officia et dignitates, similiter iurisdictionis administrationem habentia, obtinent, si in futurum quippiam umquam, vigore praecedentium promissionum in assecutione officii huiusmodi factarum, solverint, ipso iure et facto poenas in hac nostra constitutione contentas incurrere, praesentesque nostras tam eos, qui in futurum officia similia et dignitates, solutionibus et promissionibus praecedentibus, obtinebunt, quam eos, qui iam obtinuerunt, si in futurum aliquid manutentionis in eis aut alia causa solverint, ligare volumus.

Promissionesque desuper factas annullat.

§ 6. Decernentes contra praemissa quodvis pactum, etiam iuramento vallatum, ac instrumenta et alias forsan desuper editas scripturas minime in causa esse posse, quo minus solvere habentes, si pro praemissis solverint , poenas praesentibus contentas incurrant. Nos enim pacta, coventiones, promissiones et scripturas ac alia quaecumque, quomodolibet, ut praefertur, inita exinde cassamus, irritamus et annullamus, eosque a iuramentis et aliis nexibus praedictis absolvimus.

Clausulae praeservativae.

§ 7. Necnon praesentes et desuper forsan conficiendas litteras perpetuis futuris temporibus durare, ac omnes et singulos a data praesentium irremissibiliter ligare volumus, illasque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, aut sub quibusvis revocationibus et derogationibus comprehendi nullatenus posse.

Decretum irritans.

§ 8. Sicque per quoscumque iudices *etc.*, et causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata *etc.*, iudicari debere; irritum quoque *etc.* decernimus.

Clausulae derogatoriae

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac quibusvis, etiam almae Urbis et aliarum civitatum, oppidorum, terrarum et locorum, etiam iuramento, *etc.*, roboratis, ac provincialibus, municipalibus et particularibus statutis ac legibus, etiam imperialibus et in corpore iuris scriptis; privilegiis quoque *etc.*, hac vice latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicandi hanc constitutionem.

§ 10. Ut autem praesentium tenor omnibus innotescat, nullusque earum ignorantiam allegare queat, eas in valvis basilicae Principis apostolorum ac Sancti Ioannis Lateranensis, et in acie Campi Florae de Urbe publicari mandamus, ipsasque sic publicatas, omnes et singulos, quos illae concernunt, ita afficere volumus, ac si essent omnibus personaliter intimatae. Decernentes quoque praesentium earumdem solam signaturam sufficere et ubique fidem facere, in iudicio et extra, regula quacumque contraria non obstante.

Fides exemplorum.

§ 11. Ac illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo almae Urbis gubernatoris aut alicuius alterius iudicis munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae ipsis originalibus

litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Placet. Motu proprio, M.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, nonis decembris, anno VI.

Dat. die 5 decemb. 1571, pontif. anno VI.

Extenditur constitutio etiam ad recipientes pecunias et mediatores [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum nuper, ne ordo iustitiae perverteretur, et ex certis aliis causis animum nostrum moventibus, fuerunt *etc. ut sup.*

Declaratio, quod dicta constitutio ligat etiam recipientes pecunias pro impetratura officiorum ac mediatores.

§ 1. Attendentesque quod forte probabiliter dubitari contingat an dicta nostra constitutio comprehendat recipientes huiusmodi pecunias ac res ac promissiones sibi factas, stipulantes ut officia praedicta, exercitium ac iurisdictionis administrationem habentia, conferri faciant, ac mediatores et interpositas personas: propterea nos, motu simili et ex certa scientia et de potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, declaramus et, quatenus opus sit, addendo praedictae nostrae constitutioni, decernimus quod dicta nostra constitutio ac omnes et singulae poenae in ea expressae perinde ligent et afficiant omnes et quoscumque, cuiusvis dignitatis, gradus, conditionis ac præeminentiae existant, qui pro huiusmodi officiis, iurisdictionis administrationem habentibus, conferendis, ac mediatores et interpositas personas quascumque, pecunias vel alias res ut supra receperint, ac si supradicti in dicta nostra constitutione comprehensi essent, et de illis in ea expressa mentio facta esset.

Clausulae præservativae.

§ 2. Necnon praesentes et desuper conficiendas forsan litteras perpetuis futuris temporibus durare, ac omnes et singulos a data praesentium irremissibiliter ligare volumus, illasque nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, aut sub quibusvis revocationibus et derogationibus comprehendi nullatenus posse,

Decretum irritans.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices *etc.*, causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata *etc.*, iudicari debere; irritum quoque *etc.* decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac quibusvis, etiam almae Urbis et aliarum civitatum, oppidorum, terrarum et locorum, etiam iuramento *etc.*, roboratis, ac provincialibus, municipalibus ac particularibus statutis ac legibus, etiam imperialibus et in corpore iuris scriptis; privilegiis quoque *etc.*, etiam motu simili *etc.*, etiam consistorialiter, *etc.*; quibus omnibus, illorum tenores *etc.*, hac vice latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicandi hanc constitutionem.

§ 5. Ut autem praesentium tenor omnibus innotescat, nullusque earum ignorantiam allegare queat, eas in valvis basilicae Principis apostolorum ac S. Ioannis Lateranensis et in acie Campi Florae de Urbe publicari mandamus; ipsasque sic publicatas, omnes et singulos, quos illae concernunt, ita afficere volumus, ac si essent omnibus personaliter intimatae. Decernentes quoque praesentium earumdem solam signaturam sufficere, et ubique fidem facere, in iudicio et extra, regula quacumque contraria non obstante.

Fides exemplorum.

§ 6. Ac illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo almae Urbis gubernatoris aut alicuius alterius iudicis sigillatis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Placet. Motu proprio, M.

Datum Romae apud S. Petrum, pridie idus februarii, anno VII.

[1] Rubricam hanc ex Matthei editione sumpsimus (R. T.).

CCXII.

De electione prioris generalis et aliorum praelatorum congregationis Canonicorum Regularium SS. Salvatoris, Ordinis S. Augustini, bonorumque temporalium administratione.

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter ceteras pastoralis officii nostri curas, illa nos praecipue urget, per quam regularium congregationum illarumque personarum commoditati et felici directioni consulitur, ac monasteria, domos, ecclesias et loca, tam in spiritualibus quam temporalibus, prudentia et vigilantia praelatorum canonice electorum, incrementum suscipere posse arbitramur.

Hic Pontifex iustis de causis priorem generalem congregationis deputavit;

§ 1. Sane, cum nos nuper per alias nostras in forma brevis litteras, iustis de causis animum nostrum moventibus, dilectum filium Stephanum, tunc congregationis Sanctissimi Salvatoris, Ordinis Sancti Augustini, canonicorum regularium priorem generalem, in capitulo generali Bononiae proxime celebrato electum, ab onere sui generalatus officii absolverimus et liberaverimus, ac in ipsius locum dilectum etiam filium Ambrosium de Lamis, Eugubinum, ipsius congregationis priorem generalem substituerimus et deputaverimus prout in dictis litteris plenius continetur.

Visitatores modo et procuratorem generalem deputat.

§ 2. Et arbitrantes pro negocio reformationis congregationis praedictae expedire quod etiam visitatores et procurator generalis eiusdem congregationis a nobis deputentur, idcirco dilectos filios modernos praedictae congregationis visitatores et procuratorem generalem, in praedicto capitulo Bononiae electos, ab onere suorum officiorum etiam absolvimus et liberamus, et in ipsorum locum, quoad praedicta officia, in visitatores, videlicet, N. N. N.; in procuratorem vero generalem, N., dilectos filios ipsius congregationis canonicos, cum honoribus, oneribus, potestatibus, facultatibus, iurisdictionibus et praerogativis solitis et consuetis, substituimus et subroganus.

Canonici in sacris constituti tantum, vocem activam et passivam habeant

§ 3. Cumque per alias nostras litteras statuerimus et ordinaverimus quod nullus ex dicta congregatione canonicus, in capitulis, tam generalibus quam conventualibus, pro tempore celebrandis, vocem activam seu passivam in electionibus faciendis obtineat, nisi sit in sacris ordinibus constitutus, et post per eum legitime emissam professionem in eadem congregatione, quoad electiones in capitulo generali, per septennium; quo vero ad alias electiones in capitulis conventualibus faciendas, per quadriennium laudabiliter vixerit.

De electionib

§ 4. Et quoad vocem activam in capitulo actu praesens fuerit.

Generalis,

§ 5. Eligendique in priorem generalem duas ex tribus partibus.

Aliorum,

§ 6. Alii vero suffragiorum maiorem partem obtinuerint.

Prioris, visitatorum et procuratoris.

§ 7. Quodque in capitulo generali prior et procurator Ordinis generales necnon visitatores eorumque substituti, pro casibus necessitatis dumtaxat, eligantur.

Eligendorum qualitates.

§ 8. Et eligendi in priorem et procuratorem generales necnon in visitatores, scientia, prudentia, vitae integritate ac pietate praediti existant.

Generalis in quibusdam monasteriis priores eligit; in aliis vero capitula conventualia.

§ 9. Factaque ipsorum canonica electione iuxta hoc nostrum statutum et ordinem ac congregationis praefatae regularia instituta, prior generalis sic electus, una cum diffinitoribus, eligat priores pro monasteriis, in quibus non adsunt plures quam sex canonici, ac disponat et ordinet familias solitas et necessarias pro quolibet monasterio, ita quod in qualibet familia sint aliquae personae idoneae, quae possint eligi in priores aut abbates sive praepositos, iuxta cuiuslib. monasterii titulum, ipsorumque vicarios et discretos mittendos ad capitulum generale. Quorum praelato-

rum conventualium et vicariorum electiones non amplius in capitulo generali fiant, sed illi, sicut discreti, in capitulis conventualibus cuiuslibet monasterii, cuius canonici excedent numero sex canonicorum, modo infrascripto eligantur, videlicet.

Formam dictæ electionis in capitulis conventualib. præfiunt

§ 10. Postquam familiæ omnes in capitulo generali, ut præmittitur, pro quolibet monasterio dispositæ et ordinatae, ad locum sibi destinatum statuto tempore pervenerint, antiquior canonicus in quolibet monasterio existens deputet diem et horam ad celebrandum capitulum, et ad sonum campanellæ convocari faciat omnes canonicos habentes vocem activam et passivam. Illisque convocatis et residentibus, præfatus antiquior canonicus advertat an sint omnes præsentes, deinde eos interroget an eis placeat dies et hora ad futuram electionem, et illis annuentibus, præmissa generali confessione a capitulo recitanda, eos absolvat, dicens: *Misereatur vestri* etc. *Et si tenemini aliquo vinculo excommunicationis* etc. *Et dispenso vobiscum super irregularitate* etc. Postea dicatur hymnus *Veni, Creator Spiritus,* etc.; *Kyrie eleison*, etc.; *Pater noster*, etc.; Oratio *Deus, qui corda* etc. Quibus peractis in conspectu omnium, cum duobus aliis de capitulo, qui primitus habitum Religionis susceperunt, ipsum concomitantibus, [1] ad mensam decenter præparatam, cum capsula seu urna, ubi schedulae suffragiorum poni debent, et papyro et atramento ad scribendum processum electionis, accedat. Et quoniam vota seu suffragia, iuxta decreta concilii Tridentini, debent esse secreta, ita quod eligentium nomina nunquam publicentur, singuli electores schedulas accipiant omnino similes, et unusquisque in sua schedula nomen eligendi inscribat vel dicat *Eligo N. in priorem :* antiquior canonicus et alii duo capitulares praedicti, postquam ipsi schedulas, ordine antiquitatis inter eos servato, in urnam seu capsulam demiserint, aliorum schedulas accipiant et in urnam seu capsulam præfatam inferant, et inspiciant an schedulæ sint numero pares cum electoribus ibi præsentibus; et si invenerint esse in maiori vel in minori numero, quam sint capitulariter ibidem præsentes, illas comburant, rursusque ad scrutinium modo præmisso procedant, donec invenerint scrutinium esse canonice factum, et tunc legant schedulas; et si electio numero suffragiorum secuta fuerit, schedulæ etiam comburantur; factaque electione, antiquior canonicus et alii duo scrutatores praedicti publicent electorum nomina, exprimendo numerum suffragiorum quæ quisque habuerit; quod faciendum est, licet aliquis non habuerit vota vel suffragia ad sufficientiam ut ad secundum scrutinium, sicut præmittitur, deveniri possit. Decretum vero electionis ab illo qui inter scrutatores primus fuerit, licet electo suum suffragium non contulerit, per haec verba formetur: *Ego N. vice praesentium capitularium eligo F. in priorem, vicarium seu discretum nostri monasterii;* quod si primus scrutator fuerit electus ad aliquod officium, secundus scrutator ad publicandum scrutinium et formandum decretum succedat, completaque electione, et decreto, ut præmittitur, formato, scrutatores processum electionis compleant atque subscribant, subiungendo: *Invenimus quod N. in priorem, seu vicarium aut discretum nominatus, habuit tot suffragia, et ego N. decreta electionum formavi. In quorum fidem manibus nostris subscripsimus, et sigillo monasterii praefati roboravimus, die, ut supra.* His peractis, antiquior canonicus dicat sine cantu psalmum *Laudate Dominum, omnes gentes*, cum versu *Salvos fac servos tuos* etc. et orationem *Prætende, Do-*

1 Cherubinus addit *simulque cum eo residentibus* (R. T.).

mine, famulis tuis etc., deinde dicat *Adiutorium nostrum* etc., et dicto responso ab omnibus *Qui fecit cœlum* etc., terminetur capitulum, et scrutinium seu processum ac decretum electionis modo præmisso factum transmittitur ad priorem generalem pro confirmatione obtinenda, qui prior generalis cum voto visitatorum, quatenus electio fuerit canonice facta, et personæ electæ nullam patiantur exceptionem, ipsam electionem confirmare et approbare debeat, alioquin, legitima causa subsistente, mandet ad aliam electionem ut præmittitur deveniri, et idem servetur quoties officium prælati conventualis quovis modo vacare contigerit, et hanc formam et ordinem in singulis electionibus. In reliquis vero omnibus et singulis casibus constitutiones, statuta et consuetudines ipsius congregationis inviolabiliter observari volumus et mandamus; et aliter factæ electiones nullius sint roboris vel momenti. Et si quis alias quam ut præmittitur, quovis modo aut quæsito colore, se intromiserit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrisse censeatur. Et cum acceperimus quod nonnulli priores, abbates seu præpositi conventuales dictæ congregationis illorumque vicarii in capitulo prædicto præter vel contra dictarum nostrarum litterarum formam electi fuerunt, vosque cupiamus[1] huiusmodi formam inviolabiliter observari, eosdem priores, abbates seu præpositos eorumque vicarios conventuales, in eodem capitulo electos et deputatos, ab eorum et cuiusque ipsorum officiis similiter absolvimus, eximimus et liberamus; volumus tamen quod singuli eiusdem congregationis conventus, ubi adsunt plures quam sex canonici, cum primum sibi per priorem generalem et visitatores prædictos iniunctum et ordinatum fuerit, ad novam electionem priorum, abbatum vel præpositorum necnon vicariorum, in unoquoque monasterio, abbatia seu præpositura, iuxta prædictum nostrum statutum, deveniant et devenire debeant, quodque interea abbates, priores seu præpositi eorumque vicarii conventuales per nos, ut præmittitur, ab eorum officiis absoluti, donec novæ electiones et confirmationes prælatorum conventualium huiusmodi fiant, eorum officia, ut prius, exerceant, ac si ab eis absoluti non fuissent.

1. Cher., *cupiatis* (R. T.).

Capitulum generale quolibet triennio celebrandum est;

§ 11. Et insuper considerantes quod prædicta congregatio, pro electione prioris generalis, visitatorum, procuratoris etiam generalis et aliis huiusmodi peragendis negotiis, capitulum generale singulo quoque anno, maxima cum impensa et non minore canonicorum incommodo celebrare soleat, ac propterea magna inde evagandi et sese dissolvendi canonicis ipsis occasio præbeatur; cumque prioris ipsius generalis, visitatorum, procuratoris etiam generalis, necnon prælatorum conventualium vicariorumq. prædictorum officia annalia tantum sint, id plerumque usu venire solet, ut prior ipse generalis et visitatores vix omnia ipsius congregationis monasteria et loca, prout eorum officio incumbit, visitare et operam suam illis pro re nata impendere; procurator vero generalis similiter officii sui munus agnoscere, negotia et causas congregationis pertractandas percipere, usum Curiæ Romanæ apprehendere, atque alia ad officium suum spectantia providere; prælati autem conventuales eorumque vicarii et ministri monasteriorum et locorum, curæ et regimini suo commissorum, statum intelligere, res et bona agnoscere, consuetudines percipere, negotia obire vix tam brevi temporis spatio possint; quin etiam quando rerum et personarum vel congregationis aut monasteriorum et locorum aliquam vel mediocrem notitiam et cognitionem habere incipiunt, tum maxime temporis exclusi angustia, eorum officia dimittere, negotia tam spiritualia quam temporalia,

aut intacta, aut certe inchoata atque interrupta novis successoribus relinquere cogantur. Volentes igitur desuper opportunum adhibere remedium, ac ut electiones prælatorum et ministrorum ipsius congregationis canonice, rite et recte fiant, quod de cetero eiusdem congregationis capitulum generale quolibet triennio tantum celebretur, ubi prior generalis, visitatores et procurator generalis eligantur, et cetera eiusdem congregationis negotia iuxta infrascriptum nostrum statutum et ipsius congregationis regularia instituta pertractentur et disponantur.

Diacta autem quolibet anno.

§ 12. Quodque quolibet anno prior generalis et visitatores, una cum tribus aliis ex maioribus prælatis conventualibus ipsius congregationis, eiusdem prioris generalis arbitrio eligendis, die ad id statuta, in aliquo loco commodo ad tractandum negotia congregationis iuxta eorum exigentiam conveniant, significando prius omnibus et singulis prælatis conventualibus diem et locum, ita ut si aliquis ipsorum haberet aliquid in huiusmodi congregatione proponendum, commode, vel ipsemet personaliter ad prædictum locum accedere, vel per nuntium, aut epistolam ea de re priorem generalem et alios praedictos certiores reddere, ipsosque consulere possit.

Generalis, visitatorum et procuratoris officia triennio expleantur, aliorum vero biennio.

§ 13. Necnon quod prioris generalis, visitatorum, procuratoris etiam generalis, in posterum triennalia; prælatorum vero conventualium officia, biennalia sint et esse censeantur; ita tamen ut hac vice prior generalis, visitatores et procurator etiam generalis, ut praemittitur, per nos deputati, usque ad capitulum generale de anno futuro millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, dominica tertia post festum Resurrectionis D. N. Iesu Christi, in loco opportuno, iuxta praedicta regularia instituta celebrandum; praelati vero conventuales iuxta praemissum nostrum statutum iam electi et postmodum eligendi usque ad novam electionem et confirmationem in capitulis conventualibus de anno MDLXXIII, tempore congruo celebrandis, faciendas, eorum officiis fungi possint et valeant atque omnino fungantur. Et sic deinceps perpetuis futuris temporibus capitulum generale de triennio in triennium celebretur, ac prior generalis, visitatores et procurator etiam generalis, per triennium; praelati vero conventuales ipsius congregationis per biennium eorum officia, cum honoribus, oneribus, facultatibus et iurisdictionibus solitis et consuetis, prout antea cum annalia erant, exercean t et exercere possint ac valeant.

Et si interim vacant, provideatur ut hic.

§ 14. Quodque si, triennio vel biennio huiusmodi durantibus, prioris generalis, visitatorum, procuratoris etiam generalis, aut praelatorum seu vicariorum conventualium praefatorum vel alicuius eorum officia per privationem, dimissionem vel obitum aut alio quovis modo vacarent, praelati conventuales iuxta suprascriptum statutum; prior vero generalis, visitatores, procurator etiam generalis praefati, iuxta dictae congregationis regularia instituta eligantur et eligi debeant.

Administratio bonorum temporalium praefinitur.

§ 15. Ac ut res et bona temporalia congregationis praedictae ipsiusque monasteriorum et locorum huiusmodi non solum conserventur, verum etiam augeantur, quod in unoquoque conventu tres probi canonici per prælatum conventualem eligendi constituantur, quorum unus depositarius, alter procurator, reliquus œconomus existat, ita ut procurator pecunias omnes monasterii capiat, easque deinceps depositario tradat et asservandas committat; depositarius vero illas in ærarium sive arcam ad hoc destinatam reponat; et œconomo, ubi opus fuerit, de expresso prælati mandato præbeat; œconomus autem acceptas, ut præ-

fertur, pecunias pro communibus monasterii usibus ac necessitatibus, et prout praelatus iusserit, fideliter eroget ac expendat. Dictaque arca in sit clavibus munita, quarum altera penes praelatum, altera vero penes depositarium custodiatur; arca vero, ubi tutus apud depositarium locus non existat, apud praelatum tutiore in loco statuatur et quam diligentissime asservetur; praefatique procurator, depositarius et œconomus unoquoque mense collatis invicem ratiociniis praelato, astantibus duobus aliis monasterii discretis canonicis, eligendis ab ipso praelato, rationem pro suo quisque officio accurate reddere teneantur, sub poena illis praelati arbitrio imponenda; ipsis vero praelatis privationis officii sui, si id facere neglexerint, hac in perpetuum valitura lege statuimus et ordinamus; irritum et inane decernentes quicquid secus a quoquam, quovis modo, scienter vel ignoranter, attentari contigerit.

Contrariis derogatur.

§ 16. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae congregationis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem congregationi illiusque superioribus et personis in contrarium quomodolibet concessis, innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores, etiam si de illis specialis, specifica ac de verbo ad verbum mentio habenda esset, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 7 decembris MDLXXI. pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 7 decemb. 1571, pontif. anno VI.

CCXIII.

Turcae, qui in bello contra eos peracto captivi sunt effecti, durante bello non dimittantur neque distrahantur.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Hic Pontifex cum rege Hispaniarum, et repub. Venetorum bellum fecit contra Turcas, et victoriam reportarunt, et ex Turcarum classe captivi multi effecti sunt.

Postquam nuper inter nos et Sedem Apostolicam ac carissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum, necnon dilectum filium nobilem virum Aloysium Mocenicum Venetorum ducem et eius reipublicae dominium, inito fœdere, et classe communibus viribus comparata, dilecto filio nobili viro Ioanni ab Austria, eius generali praefecto et ductori, commissum fuit praelium omni posteritati commemorandum, initio illud quidem, quatenus poteramus nobis ab humanis viribus polliceri, periculosissimum, ipso autem exitu felicissimum, hostibus in maximam partem caesis, fugatis, reliquis captivis factis (causam nimirum suam Domino Deo nostro iuvante, proque suo Israele pugnante), perlatum fuit ad nos plerosque christianorum, partim captivos illos sibi ipsis retinuisse, partim vendidisse, alios donasse, nonnullos etiam, pacta pecunia, in spem redemptionis adduxisse.

Ipse modo Pontifex, ex causa hic relata.

§ 1. Quod sane graviter, ut debuimus, accepimus, ab ipsa enim superiorum temporum experientia edocti sumus, quanto semper haec cum christianorum damno facta fuerint; plerosque enim ipsorum captivorum esse navigandi peritissimos, ad classem adornandam, instruendam, ducendam, propter multam maris tempestatum orarumque peritiam, atque ad bellandum utilissimos, et si unquam alias, certe hoc tempore, ceteris suis similibus caesis, esse hostibus pernecessarios, ex quorum missione, ut magna decessio, cum etiam ab omni ratione et iure belli alienissimum sit ut,

ipso bello durante, mittantur illi, qui possunt aliquando ipsis mittentibus bellum instaurare et contra eos venire.

Prohibet captivos huiusmodi relaxari, durante bello;

§ 2. Quod quidem malum, tametsi dilectum filium nobilem virum Ioannem ab Austria, pro eius singulari prudentia, praevidisse eique providisse non dubitamus; tamen, ut ad eius cautionem apostolicae etiam auctoritatis robur accedat, praecipimus et mandamus omnibus et singulis, quocumque sint gradu, conditione, statu, nomine, honore, apud quos captivi aliqui ex classe Turcarum, vel nunc sunt, vel in posterum erunt, sive ipsi eos receperint, sive ab aliis emptione, donatione, permutatione vel alia quacumque ratione acceperint, ne illos, hoc foedere et bello durante, quocumque nomine, ratione, colore, mittere, alienare, liberare, fugere atque abire permittere audeant, sed eos debeant omni cura et diligentia custodire; et eorum numerum, nomina, patriam, parentes, aetatem, dignitatem, sive conditionem et alias, si quae extant, magis certae et particulares demonstrationes nobis aut nostris nunciis, si ibi praesentes fuerint, si vero absentes, ipsarum civitatum et locorum, in quibus dictos captivos habentes reperiuntur, rectoribus, gubernatoribus, iudicibus, locatenentibus aut alio nomine nuncupatis, in ipsa vero classe existentes, nostris aut nostrorum foederatorum ductoribus, praefectis, iudicibus, quam primum a publicatione praesentium indicare. Illi autem, quibus captivi praedicti fuerint indicati, debeant similiter eorum numerum et ceteras omnes circumstantias supradictas, prout eas acceperint, nobis quanto citius significare.

Et contravenientibus poenas hic descriptas imponit.

§ 3. Si qui vero ex praedictis contravenerint, eos excommunicationis maioris latae sententiae, a qua nisi a nobis ac successoribus nostris canonice intrantibus absolvi nequeant, necnon amissionis omnium et singulorum feudorum, dominiorum et aliorum quorumcumque bonorum, tam mobilium quam immobilium, quoad eos, qui ecclesiasticae iurisdictionis fuerint, nobis et fisco nostro; qui vero aliarum ditionum, suae cuiusque ditionis fisco applicandorum, et laesae etiam maiestatis criminis poena eo ipso incurrisse declaramus; sperantes etiam quod dicti nostri foederati huiusmodi nostrum praeceptum in suis quisque locis inviolabiliter observari curabunt.

Executorum deputatio et facultates.

§ 4. Et propterea omnibus et singulis locorum ordinariis illorumque vicariis in spiritualibus generalibus, ac gubernatoribus, iudicibus, locatenentibus, barisellis et aliis executoribus quarumcumque civitatum, oppidorum, terrarum et locorum, contra praecepti et mandati nostri huiusmodi transgressores, ad executionem poenarum praedictarum irremissibiliter, etiam executive et sine figura iudicii ac absque alio a nobis vel confoederatis nostris expectato mandato, procedendi plenam et liberam licentiam, auctoritatem et facultatem concedimus et impartimur.

Sola signatura sufficit.

§ 5. Volumus autem ut praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula seu constitutione apostolica contraria non obstante.

Exemplorum fides.

§ 6. Quodque illius exempla, etiam impressa, edantur, eaque notarii publici manu et cuiuscumque curiae ecclesiasticae aut praelati sigillo obsignata, eandem prorsus fidem ubique faciant, quam ipse praesens motus proprius faceret, si esset exhibitus vel ostensus.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; statutis et consuetudinibus, etiam confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ac etiam legibus,

etiam castrensibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis communitatibus, universitatibus aliisque particularibus personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et alias quomodolibet concessis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fiat. Motu proprio, M.

Datum Romae apud S. Petrum, duodecimo kalendas ianuarii, anno VI.

Dat. die 21 decemb. 1571, anno VI.

CCXIV.

Approbatio congregationis fratrum Ioannis Dei nuncupatæ, ad regimen hospitalium pro curandis pauperibus infirmis nuper institutae, sub ordinariorum correctione et Regula Sancti Augustini.

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Licet ex debito summi pontificatus officii nobis desuper iniuncti, circa piorum locorum quorumlibet profectus nos deceat intentos existere, hospitalium tamen ac in eis degentium pro tempore miserabilium personarum commodo, utilitati et subventioni tanto nos potioribus studiis insistere convenit, quanto, ipsorum miserabili conditione pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Hospitalia quaedam in Hispaniis constructa sunt sub invocatione Ioannis Dei, pro infirmor. pauperum curatione. Et circa eleemosynarum collection. impedimenta præstabantur fratribus ipsa hospitalia regentibus.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Roderici Seguenza, moderni confratris maioris nuncupati, hospitalis Ioannis Dei nuncupati, civitatis Granatensis, petitio continebat quod, licet in dicto hospitali ipsius civitatis, in qua adest cancellaria regia, et ad eam maximus extraneorum numerus pro suis negotiis ibidem pertractandis affluere solet, et unus maior nuncupatus et alii decem vel octo confratres, dicto confratri maiori nuncupato obedientiam praestantes, reperiantur, qui in eleemosynis pro ipso hospitali, in quo diversi Christi pauperes, utpote incurabiles, senes, mente capti et membris impotentes, ad numerum quadringentorum et ultra ascendentes, continue suis infirmitatibus curantur, et aluntur, et pro quorum curatione et alimento summa sexdecim millium ducatorum et ultra, ex eleemosynis a piis christifidelibus ipsis confratribus erogari solitis provenientium, singulis annis exponitur, quaeritandis, ipsisque Christi pauperibus gubernandis sua caritate impendant opera, et in eodem hospitali dictorum Christi pauperum numerus, propter bellum superiori anno in regno Granatensi contra Mauros gestum, admodum auctus existat, et eleemosynae minus frequenter quam antea hodie fieri soleant; ipsique confratres maximo cum labore et pro eorum coepto opere minime retardentur, sed maximo cum fervore opus ipsum adeo laudabile assidue prosequantur. Nihilominus, hominum malitia crescente, nonnulli laici, avaritia ducti, Deique timore postposito, habitu, *capotto* nuncupato, panni vulgariter *layal* in illis partibus nuncupati, quo ipsi confratres indui solent, accepto, sub falso nomine, tam dicti quam civitatis Cordubensis necnon de Madrid, Toletani ac de Lucerna oppidorum Cordubensis respective dioecesibus hospitalium, adinstar dicti hospitalis Granatensis fundatorum, et in quibus similia caritatis opera, quae a confratribus dicti hospitalis Granatensis exerceri solent, eleemosynas quaeritare, illasque in pravos et damnabiles eorum usus convertere ausi sunt, in maximum pauperum christifidelium in eisdem hospitalibus pro tempore existentium necessariae subventionis detrimentum.

Supplicatur propterea huic Pontifici pro opportuna provisione.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Rodericus, ad praemissa e medio facilius tollenda, sibi aliisque, tam Granatensis quam Cordubensis et de Lucerna oppidorum huiusmodi hospitalium, aliorumque ad illorum instar de cetero erigendorum, confratribus, nunc et pro tempore existentibus, scapularium eiusdem panni layal nuncupati super veste seu capotto per eos gestari solito, ad genua usque, ut ipsi ab omnibus christifidelibus eis eleemosynas pro praemissis porrigendas, ab aliis ex eorum confratribus non existentibus, et sub falso nomine dictorum hospitalium vel alicuius eorum eleemosynas dolose et malitiose petentibus, facilius internosci valeant, deferendi; necnon in quolibet eorumdem hospitalium et aliorum ad eorum instar erigendorum, inter eos confratrem unum sacerdotem similem habitum et scapularium, qui missas aliaque divina officia ibidem celebrare, necnon sacramenta ecclesiastica tam ipsis confratribus quam Christi pauperibus in eisdem hospitalibus pro tempore existentibus ministrare, illosque in Dei mandatis pie observandis instruere et confortare debeat habendi et retinendi, necnon eleemosynas, pro eorumdem hospitalium Christi pauperum subventione, non solum in civitatibus et oppidis, in quibus hospitalia ipsa consistunt, verum etiam in toto districtu, dioecesi et provincia earum, de loci ordinarii licentia, petendi et recipiendi, licentiam et facultatem impetrari summopere desideret, nobis humiliter supplicari fecit, quatenus pro desiderio, ac dictorum hospitalium et Christi pauperum in eis nunc et pro tempore existentium statui consulere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 3. Nos, qui Christi pauperum consolationem et subventionem sinceris desideramus affectibus, volentes Rodericum ac confratres in tam pio et laudabili proposito confovere, necnon eumdem Rodericum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Roderico ac omnibus et singulis aliis dictorum hospitalium nunc et pro tempore existentibus confratribus, dummodo sub Regula Sancti Augustini vivant, ut super eorum veste seu capotto per eos gestari solito, scapularium ad genua usque, eiusdem panni layal nuncupati continue deferre, necnon sacerdotem unum in quolibet eorum hospitalium, qui confrater existat, similemque habitum eiusdem panni, maiorem tamen et latiorem ac dignitate sacerdotali decentiorem, loci ordinarii arbitrio pro prima vice designandum, deferat, habere possit, necnon eleemosynas pro praefatis hospitalibus eorumque Christi pauperibus, tam in civitatibus et oppidis in quibus ipsa hospitalia, ut praefertur, consistunt, quam totis eorum districtibus, dioecesibus et provinciis, ab omnibus christifidelibus petere et recipere, illasque in dictorum hospitalium et eorum Christi pauperum usus et subventiones convertere libere et licite possint et valeant, licentiam et facultatem, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et elargimur.

Hic ideo Pontifex eisdem confratrib. dummodo sub Regula S. Augustini vivant concedit habitum et facultatem colligendi eleemosynas pro hospitalibus infirmorum;

§ 4. Necnon tam ipsum sacerdotem quam maiorem nuncupatum et alios confratres huiusmodi sub loci ordinarii iurisdictione, correctione, visitatione et obedientia, etiam perpetuo, supponimus et subiicimus; ipsosque maiorem et alios confratres de eleemosynarum huiusmodi administratione singulis annis, in tempore

Ordinariorum iurisdictioni e correctioni supponit;

eidem ordinario bene viso, legale computum eidem ordinario loci tantum et nulli alteri reddere debere.

Habitum dimittere prohibet;

§ 5. Necnon quod praedicti moderni et pro tempore existentes eorumdem hospitalium confratres, postquam habitum praedictum susceperint, illum dimittere, minusve eum alicui exhibere, nisi de consensu omnium aliorum confratrum hospitalis, in quo habitum ipsum exhiberi contigerit, sub maioris excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda poena, audeant vel praesumant, perpetuo statuimus et ordinamus.

Ordinariis tantum de hospitalium regimine rationem reddendam esse praecipit;

§ 6. Necnon omnibus et singulis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, praeterquam locorum ordinariis, ne quovis praetextu, in regimine, gubernio aut administratione eorumdem hospitalium aut aliorum ad ipsorum instar eligendorum, sub dicta poena per contravenientes similiter ipso facto incurrenda, quomodolibet se intromittere audeant seu praesumant, districtius inhibemus. Decernentes maiorem nuncupatum et alios hospitalium huiusmodi nunc et pro tempore existentes confratres, super libera administratione, gubernio et regimine dictorum hospitalium, a quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, etiam sub praetextu illorum in toto vel parte fabricationum, etiam ex quocumque pio legato vel alias quomodolibet factorum, molestari, perturbari, vexari aut inquietari nullatenus posse.

Clausulas praeservativas huic constitutioni apponit;

§ 7. Praesentesque litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari vel invalidari, aut in ius vel controversiam quacumque ratione vel causa vocari, aut ad terminos iuris reduci, vel quodvis aliud iuris seu gratiae remedium contra illas impetrari posse, causamque vel causas, propter quas praesentes ipsae a nobis emanarunt, coram loci ordinario aut quocumque alio iudice, etiam delegato ac facultate quacumque fungente, verificare non debere, nec ob id viribus carere, aut per obreptionem obtentas; nec minus dictum Rodericum ad verificandum praemissa teneri, minusque, sub quibuscumque, similium vel dissimilium, gratiarum, tam per nos quam Romanos Pontifices successores nostros, quomodolibet ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis pro tempore factis, quorumcumque tenorum existant, includi, sed illis non obstantibus, in suis robore, vigore et efficacia persistere, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas, et sub data per dictum Rodericum et pro tempore existentem maiorem nuncupatum confratrem dicti hospitalis Granatensis eligenda, de novo concessas esse, et ita incommutabilis voluntatis et intentionis nostrae esse. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat;

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Granatensi ac Amerino et Cordubensi episcopis, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Roderici seu maioris nuncupati pro tempore existentis ipsius hospitalis Granatensis confratris fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis

defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praedicta Rodericum et pro tempore existentem maiorem nuncupatum aliosque confratres praedictos, praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere; non permittentes eos seu eorum quemlibet a quoquam quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, illos censuras et poenas ipsas incurrisse declarando, necnon eas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis omnibus derogat.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis, vigore praesentium, ultra tres diaetas ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; ac, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis Ordinibus et locis illorumque superioribus ac personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eisdem praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, kalendis ianuarii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 ian. 1572, pontif. anno VI.

CCXV.

Iurisdictio et facultates S. R. E. cardinalis protectoris et iudicis causarum confraternitatis Annunciationis B. Mariae Virginis, in ecclesia supra Minervam de Urbe dudum institutae, ad miserabilibus puellis dotes elargiendas, pupillosque et egenos sublevandos.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Causa huius constitutionis.

Cum, sicut accepimus, confraternitas seu societas sub invocatione Annunciationis B. Mariae Virginis, in ecclesia domus eiusdem B. Mariae supra Minervam de Urbe, eiusque priores, custodes, officiales et confratres, ob lites, quaestiones, controversias civiles, criminales, profanas, spirituales, meras et mixtas infra confraternitatem seu societatem eiusque priores, administratores, gubernatores ac deputatos huiusmodi, per diversa Urbis tribunalia litigare, occasione locationum, censuum, donationum, haereditatum, legatorum, dotium et diversarum aliarum rerum eiusdem, tam agendo quam defendendo, pro ipsius confraternitatis seu societatis iuribus defendendis, iugiter implicata existat, ex

quo saepissime quam plurima damna et interesse patiatur, ac impensa litis valorem rei, de qua ex tempore agitur, saepenumero exuperet.

Confraternitatis piorum operum enarratio.

§ 1. Nos, confraternitatem seu societatem praedictam, in qua piissima caritatis et misericordiae opera, tam pauperibus et miserabilibus puellis annuatim dotes elargiendo, quam aliis pupillis, viduis et egenis sublevandis, missisque et aliis divinis officiis in sua cappella ibi fundata dictim celebrandis, in divini Numinis obsequium, sanctaeque Matris Ecclesiae exaltationem exercere noscuntur, quantum cum Deo possumus, sublevare volentes.

Iurisdictio iudicis d. confraternitatis cognoscendi omnes eius causas cum facultate

§ 2. Motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, venerabili fratri nostro Alexandro episcopo Tusculano cardinali de Farnesio nuncupato, S. R. E. vicecancellario, nunc et pro tempore confraternitatis seu societatis huiusmodi existenti protectori, omnes et singulas causas, quaestiones, lites et controversias inter dictam confraternitatem seu societatem sive eiusdem dilectos filios priores, custodes, officiales et ministros et quascumque alias personas, cuiuscumque gradus, ordinis, dignitatis, conditionis et praeeminentiae existentes, etiam cardinalatus dignitate fulgentes, universitates, societates, congregationes, monasteria aut alia loca pia huiusmodi, etiam si coram S. R. E. camerario, clericis et praesidentibus Camerae Apostolicae, et eiusdem Camerae causarum auditore generali, necnon vicario, gubernatore ac senatore Urbis praedictae, illorumque locatenentibus, collateralibus et iudicibus, ac dictae Urbis causarum appellationum capitaneo, et sacri Palatii etiam causarum auditoribus, et eiusdem S. R. E. cardinalibus, aliisque iudicibus ordinariis seu delegatis hucusque motas, pendentes et quomodolibet movendas, de et super quibuscumque locationibus, venditionibus, legatis, fideicommissis, testamentis, haereditatibus ac illarum discussionibus, atque quorumcumque iurium et actionum cessionibus, aliisque inter vivos contractibus, etiam vigore obligationis in forma Camerae executionibus, revocationibus, bonis rebusque, iuribus et actionibus ad confraternitatem seu societatem praefatam eiusque priores, custodes, gubernatores, administratores, officiales et deputatos, ministros, eorumque litis consortes, tam coniunctim quam divisim ac tam passive quam active, concernentibus, spectantibus et pertinentibus ad confraternitatem seu societatem ipsam, in quacumque instantia, quorum omnium et singulorum statum et merita, necnon iudicum et collitigantium nomina et cognomina ac qualitates ceteraque etiam de necessitate exprimenda pro expressis habentes, in statu et terminis, in quibus nunc reperiuntur, harum serie ad nos advocantes, illasque omnes et singulas, motas et pendentes, ac quam et quas confraternitas seu societas, priores, gubernatores, officiales, administratores et deputati, necnon pauperes puellae ac pupilli et viduae ibi degentes, ac illae quae nuptui traditae sunt et pro tempore fuerint, habere volent contra easdem personas, universitates, monasteria et alia huiusmodi pia loca, pro rebus, bonis, haereditatibus, iuribus, actionibus et dotibus huiusmodi, nunc et pro tempore confraternitatis seu societatis praedictorum existenti protectori, una cum illarum emergentibus, dependentibus, incidentibus, annexis et connexis, summarie, simpliciter et de plano et sola facti veritate inspecta ac sine strepitu et figura iudicii, per seipsum seu alios a se deputandos in quacumque instantia, usque ad finem audiendi, cognoscendi et fine debito terminandi, auctoritate apostolica, tenore praesentium, committimus et mandamus. Ipsumque protectorem nunc et pro tempore existentem, in dictis causis motis

pendentibus ac in futurum movendis in iudicem ordinarium, cum facultate easdem causas in quacumque instantia, usque ad finem, per seipsum seu alium vel alios eius auditores, illas cognoscendi, decidendi et terminandi, et aliis facultatibus praedictis facimus, constituimus et deputamus.

In Curia et extra citandi et inhibendi;

§ 3. Necnon cum potestate citandi et inhibendi quos, quibus et quoties opus fuerit, in Curia et extra eam, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie de non tuto accessu, eisdemque ac quibusvis aliis eiusdem Urbis iudicibus ac personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quibus et quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis et pecuniariis, quibus sibi seu ab eo pro tempore deputando auditori videbitur, inhibendi.

Inobedientes coercendi;

§ 4. Et, in eventum non paritionis, contra inobedientes, contumaces et rebelles, ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi illarumque aggravationes et reaggravationes ac alias iuxta morem et stylum curiarum Urbis in similibus servari solitum, et prout sibi videbitur, procedendi.

Sententias suas exequendi etc.;

§ 5. Sententiasque suas debitae executioni demandandi sive demandari faciendi, auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, omniaque alia et singula, in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi et exequendi.

Singulis diebus et horis procedendi;

§ 6. Ac in omnibus et singulis causis prædictis, ad dictam confraternitatem seu societatem, ut praemittitur, spectantibus, singulis diebus et horis feriatis et non feriatis, praeterquam in honorem Dei, etiam tempore feriarum ob necessitatem hominum indictarum seu indicendarum, procedendi.

Notarium deputandi;

§ 7. Ac quemcumque notarium sibi benevisum, in causis huiusmodi deputandi.

Per quoscumque mandatarios et executores citandi et exequendi,

§ 8. Volumus etiam quod citationes, monitiones et intimationes, quae in dictis causis fieri oportuerit, etiam per Curiae Capitolii et quoscumque alios mandatarios fieri possint. Et quicumque executores Urbis possint et debeant effectualiter executioni demandare omnes et singulas sententias, decreta et mandata praefati cardinalis protectoris, sive ab eo deputatorum; quae, non obstante regula Cancellariae, sub eius parvo sigillo expediri possint.

Privative quoad alios iudices.

§ 9. Ac insuper confraternitatem seu societatem praedictam eiusque priores, administratores, gubernatores et deputatos huiusmodi ex nunc deinceps, occasione praemissorum, alibi quam coram praefato cardinali protectore conveniri, aut ad alios conveniendum constringi non posse; ac processus, sententias et decreta, per alium seu alios, tam ordinarios quam delegatos, iudices, in causis praedictis quomodolibet pro tempore formatos, latas et facta, cum inde secutis quibuscumque, nulla, irrita et inania nulliusque roboris vel momenti fore.

Clausulæ præservativae.

§ 10. Praesentemque cedulam, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus et exemptionibus, limitationibus seu revocationibus similium vel dissimilium concessionum et gratiarum, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices et Sedem praedictam vel eius legatos, etiam per regulas Cancellariae Apostolicae pro tempore factas, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis penitus et omnino exceptam, et quoties illae emanabunt, praesentem cedulam in pristinum robur restitutam esse et censeri debere, nec eidem cedulae, per quascumque litteras et quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, irritantiaque et alia decreta sub quacumque verborum expressione continentes, derogari posse, etiamsi illi, ullo umquam tempore ex aliqua, etiam quantumvis necessaria et urgenti, causa derogari contingat, nisi tenor ce-

dulae de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et huiusmodi derogatio per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, administratoribus, prioribus, gubernatoribus, deputatis et confratribus huiusmodi, omnibus et singulis, legitime intimata et insinuata fuerit, eorumque expressus ad id accesserit assensus, derogationem huiusmodi nemini suffragari et nullius esse roboris vel valoris.

Clausula subata.

§ 11. Et sic per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam praefatae Ecclesiae cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, sublata *etc.*; ac irritum *etc.*, iudicari et definiri debere.

Clausulae derogatoriae.

§ 12. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, vigore praesentium, ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac hospitalium, ecclesiarum, monasteriorum et aliorum quorumcumque piorum locorum et Ordinum, iuramento roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, conservatoriis, exemptionibus et litteris apostolicis eisdem ac dilectis filiis populo Romano, necnon iudicibus, curiis et tribunalibus, eorumque personis per quoscumque, etiam Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos ac dictam Sedem, etiam motu et scientia similibus, concessis, approbatis et innovatis, etiam disponentibus quod causae huiusmodi ad forum seu Curiam Capitolii reassumi debeant; quibus omnibus et singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; ac si praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca, curias et tribunalia, ad iudicium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis et indultis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa aut totaliter non inserta, iurisdictionis ipsius protectoris explicatio impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda sit in praesentibus litteris.

Sola signatura sufficit.

§ 13. Volumus autem praesentium solam signaturam sufficere et ubique fidem facere, in iudicio et extra, regula contraria non obstante.

Transumptorum fides.

§ 14. Et earumdem transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo protectoris seu confraternitatis seu societatis huiusmodi munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae adhiberetur praesentibus manu nostra subscriptis; ac etiam litteras ad partem expediri posse.

Placet. Motu proprio, M.

CCXVI.

Prohibitio deferendi pugiones, cultellos et aliud genus armorum brevioris mensurae trium palmorum, in Statu Ecclesiastico.

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

Cum vices Eius, licet immeriti, geramus in terris, qui, de coelo ad ima descendens, pro salute humani generis, seipsum ad

crucis patibulum obtulit, omni, quo possumus, studio invigilare debemus, ut omnis prorsus occasio homicidia, tamquam in eiusdem humani generis perniciem tendentia, committendi, quantum in nobis est, submoveatur.

Pius IV prohibuit delationem et retentionem archibusettorum brevioris mensurae duorum palmorum 1.

§ 1. Et quia experientia cognovimus quamplura ex armis brevioribus, quae occulto deferri possint, et ad necem inferendam aptiora et fere inevitabilia esse videntur, in dies committi et perpetrari, inhaerentes vestigiis felicis memoriae Pii Papae IV, praedecessoris nostri, qui volens proditorium et abominabile et detestandum armorum genus huiusmodi penitus et omnino destruere et ab alma Urbe aliisque terris Status nostri Ecclesiastici in totum eliminare, motu suo proprio et in perpetuum valitura constitutione sancivit: nemini, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, conditionis aut praeeminentiae, licere tormenta ignea, archibusetta vulgariter nuncupata, brevioris mensurae duorum palmorum, modo et forma, et sub gravissimis poenis, etiam quae pro crimine laesae maiestatis a iure inflictae sunt, et prout latius in dicta constitutione edita pridie nonas martii, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo primo 2, quam et eius totum tenorem hic pro insertis haberi volumus, continetur.

Hic Pontifex extendit eamdem constitutionem ad pugion., cultellos etc. brevioris mensorae trium palmorum, et easdem poenas imponit;

§ 2. Nos propterea attendentes quod eadem ratio militat etiam in aliis armis, veluti pugionibus et aliis armorum generibus quae occulte deferri possunt, cupientes quod metu eiusdem poenae, a similibus armorum delatione et eorum usu quilibet abstineat, motu nostro proprio et ex certa nostra scientia et potestatis plenitudine, dictae constitutioni felicis memoriae Pii Papae IV, praedecessoris nostri, addentes, hac nostra in perpetuum valitura constitutione sancimus: nemini, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, conditionis, aut praeeminentiae existat, licere pugiones, cultellos, nec aliud quodvis genus armorum brevioris mensurae trium palmorum (exceptis tamen cultellis aptis ad incidendum panem, qui tamen esse non possint maioris longitudinis unius palmi et sine cuspide et, ut vulgo dicitur, *spuntati*) in Urbe nostra, civitatibus et locis Status nostri Ecclesiastici et suburbiis, quovis modo, aut etiam quovis militiae aut executionis iustitiae praetextu, deferre. Qui vero contrafecerint dictumque genus armorum detulerint, poenas in constitutione praedicta expressas incurrant.

Inhibetque officialibus ne desuper licentias concedant;

§ 3. Inhibentes, prout tenore praesentium inhibemus, omnibus et singulis, etiam de latere nostro legatis, ne, sub indignationis nostrae; et quibuscumque vicelegatis, gubernatoribus, rectoribus, praesidentibus ac aliis ministris et Sedis Apostolicae seu civitatum et terrarum praefatarum officialibus, ne, sub suspensionis a divinis, excommunicationis latae sententiae aliisque arbitrio nostro poenis, cuiquam tale genus armorum, sub quovis colore, deferendi licentiam et facultatem, ad quodcumque etiam brevissimum tempus, concedere audeant vel praesumant.

Licentias autem dandas annullat.

§ 4. Decernentes nihilominus licentias ac facultates sic concedendas nullas penitus et invalidas existere, ac, illis non obstantibus, eos qui sub illarum clypeo dictum genus armorum detulerint, poenam praefatam omnino incursuros, illosque irremissibiliter puniendos fore, et contra omnes et singulos huic nostrae constitutioni contravenientes, ad fisci nostri instantiam et etiam ex officio, procedi et inquiri posse, ac ad poenarum praefatarum executionem deveniri omnino debere.

Iussio publicandi.

§ 5. Ut autem praemissa ad omnium notitiam deducantur, nec aliquis, prae-

1 Vide eius, constitutionem LVIII *Cum vices*, pag. 171 huius tomi. 2 Legendum *millesimo quingentesimo sexagesimo secundo* (R. T.)

textu ignorantiae excusari possit, volumus quod praesentes nostrae per aliquos nostros Curiae nostrae cursores ad basilicae Principis apostolorum de Urbe et ecclesiae Lateranensis necnon Cancellariae Apostolicae valvas, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur.

Fides transumptorum.

§ 6. Quodque earum transumptis, manu notarii publici et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, certa et indubitata fides adhibeatur, prout ipsis litteris originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae; et transumpta huiusmodi legati, vicelegati, rectores vel praesidentes aut gubernatores seu alii superiores provinciarum, civitatum, terrarum, oppidorum, locorum praedictorum per publicum praeconem publicari, et valvis cathedralis seu matricis ecclesiae loci ac palatii eorum residentiae affigi faciant, publicationemque et affixionem praefatas, lapsis viginti diebus, perinde omnes arctent ac si personaliter intimatae forent.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque et indultis quibuscumque personis forsan concessis et innovatis, assertis consuetudinibus, quas, si quae forent, per praesentes improbamus, nullasque et invalidas esse declaramus; et quae omnia, illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, revocamus et annullamus, nullaque et irrita esse decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Placet. Motu proprio, M.

Datum Romae apud S. Petrum, pridie idus februarii, anno VII.

Dat. die 12 febr. 1572, pontif. anno VII.

CCXVII.

Indulgentiae et gratiae pro adiuvantibus bellum contra Turcas [1].

Pius Papa V, universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Hic Pontifex fœdus contraxit cum rege Hispaniarum et Venetis contra Turcas et victoriam reportavit;

Cum nos, pro pastoralis officii divinitus nobis iniuncti cura ac sollicitudine, divino auxilio adiuti, pro universae christianae reipublicae bono ac tutela, cum carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico ac dilectis filiis nobili viro duce et senatu Venetorum, adversus perfidissimum importunissimumque Turcarum tyrannum, efferata rabie cuncta christianae ditionis regna, provincias et alia loca incendiis, ferro, caedibus expugnantem atque vastantem, non minus salutare quam necessarium foedus iniverimus, iamque, admirabili Dei clementia et beneficio, navalem gloriosissimamque victoriam felicissime consecuti fuerimus, modoque a nobis principibus foederatis copiae tam maritimae quam terrestres, ut coeptam contra teterrimum hostem expeditionem, monstrante Deo, persequamur, summis viribus, summo studio, summa diligentia comparentur atque instruantur.

Et modo, pro feliciori prosecutione, adhortatur omnes ut hoc bellum personis vel facultatibus adiuvent.

§ 1. Attamen, considerantes immanem Turcarum potentiam infinitamque multitudinem, qua potissimum res christianorum omni tempore miserabiliter perculisse atque afflixisse non ignoramus, magnopere idoneum et opportunum esse censemus, si christiani, maiori quo fieri poterit militum numero bellicoque ap-

1 Similes indulgentiarum et gratiarum concessiones adiuvantibus eiusmodi bellum pro recuperatione Terrae Sanctae dedit Innocent. III, constit. CVII, *Ad liberandam*, tom. III, pag. 300. Et de hoc bello habes etiam in constit. LXXVII, *Cum nuper*, huius tomi pag. 658.

paratu, contra hostilem ferociam insurgere conabuntur: sic enim facilius sperandum est felicia nostra coepta, adiuvante Domino, fore in dies feliciora atque optatum exitum, gravi cum hostium formidine ac pernicie, habitura. Itaque decrevimus omnes et singulos fideles ad piissimum iustissimumque bellum, ubi de Iesu Christi Domini et Salvatoris nostri causa et gloria, christianique nominis salute, sicut omnes aperte vident, in primis agitur, monere, requirere et enixe hortari, prout monemus, requirimus et hortamur per praesentes, ut unusquisque sanctissimum hoc bellum vel personis vel facultatibus adiuvare velit. Negabit enim servus Domino opes temporales largiter exhibere, cum Dominus servum vivere faciat et habere, ipsique demum divitias largiatur aeternas? et si Deus subiit mortem pro homine, dubitabit homo mortem subire pro Deo? Quod ut eo libentius et alacrius cuncti facere studeant, quo ex hoc spiritualibus muneribus et temporalibus quoque gratiis a nobis se refectos pariter et munitos esse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis Deus, licet indignis, ligandi et solvendi contulit, potestate, omnibus qui ad subveniendum huic sacro bello in personis propriis et expensis se se contulerint, necnon eis qui non in personis propriis illuc accesserint, sed suis tantum expensis, iuxta facultatem et qualitatem suam, viros idoneos destinaverint, donec milites nostri ibi fuerint, commoraturos; et illis similiter, qui, licet alienis expensis, propriis tamen personis belli laborem et pericula sustinuerint, ac demum eis, qui de bonis sibi a Deo collatis congruam ad id portionem benigne erogaverint, plenissimam et amplissimam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, et eamdemmet quam Romani Pontifices praedecessores nostri crucesignatis proficiscentibus ad subsidium Terrae Sanctae concedere soliti fuerunt, veniam, remissionem et absolutionem, tenore praesentium, indulgemus et elargimur. Bona insuper proficiscentium ad bellum huiusmodi, ex quo profecti fuerint, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, necnon ut talia sub archiepiscoporum et omnium praelatorum ecclesiae Dei tutela consistant; nullam de iis, quae, dum fuerint in dicto bello, quiete possident, sustineant quaestionem, sed integra maneant et quieta.

Plenissimamque peccatorum indulgentiam eis concedit etc. 1.

§ 2. Quinimmo in quibusvis eorum causis et litibus a iudicibus, coram quibus vertuntur, omnino supersederi debere, donec de eorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, statuimus et mandamus.

Supersessoriamque etiam concedit in eorum causis;

§ 3. Ad usuras quoque, si iuramento teneantur alicui, non cogantur, verum absoluti maneant et quieti. Quod si quisquam contra attentare praesumpserit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatur. Si quis autem creditorum, contra tenorem praesentium, ipsos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad illarum restitutionem, appellatione etiam remota, simili censura compelli volumus. Iudaeos vero ad remittendas ipsis, ut praefertur, usuras etiam per principes et saecularem compelli praecipimus potestatem, et donec eis remiserint, tam in mercimoniis quam aliis rebus et commerciis, sub excommunicationis sententia per ordinarios promulganda, universis christifidelibus iubemus communionem omnimodam ipsis hebraeis denegari.

Et ab usurarum solutione liberat.

§ 4. Mandantes quibuscumque locorum ordinariis, in virtute sanctae obedien-

Iussio publicandi hanc bullam.

1 Tu vide indulta crucesignatorum in bulla Innocentii III, cit. in nota ad rubricam.

tiae, ut statim praesentes litteras vel earum transumpta per suas quisque dioeceses publicari, et etiam per praedicatores ad populi notitiam absque ullo quaestu devenire quamprimum curent et faciant.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 6. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDLXXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 12 mart. 1572, pontif. anno VII.

CCXVIII.

Contra scribentes, dictantes, retinentes, transmittentes et non lacerantes libellos famosos atque litteras nuncupatas d'avvisi, *continentes alicuius famae laesionem futurorumque successuum et eorum quae pro regimine Status Ecclesiastici secreto tractantur revelationem.*

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea sollicitudinis suae partes potissimum convertit, per quae inter singulos gregis eiusdem fideles, praesertim vero nobis et Romanae Ecclesiae subditos, pax et concordia confoventur, seditiones evitantur, scandalis obviatur et animarum salus procuratur.

Imperatores in l. 1, C. *De libel. fam.*, imposuerunt poenam capitis componentibus libellos famosos, et sacri canones eosdem flagellari et excommunicari decreverunt, ut in causa V, q. 1, por tot.

§ 1. Cum itaque iracundia sit perturbatio immanis, affectio dura, violenta potentia, caedium causa, calamitatis socia, iacturam concilians et dedecus, pecuniarum pernicies atque perditionis origo, eaque potissimum ex iniuriis, verbo vel scriptis vel facto illatis nascatur. Nos qui non sine maxima mentis nostrae perturbatione saepe numero accepimus quod, licet tam per sacras leges quam canonicas sanctiones, sub certis etiam gravissimis poenis, prohibitum fuerit ne quis famosum libellum componere audeat, et repertum, sive domi sive in pubblico vel in quocumque loco, aut corrumpere vel igne consumere teneatur prius quam alter inveniat, et nulli fateatur inventum; et qui secus fecerit, quasi auctor huiusmodi delicti, eisdem poenis subiaceat; nihilominus considerantes quod in dies, crescente malitia, quamplures iniquitatis filii, perditionis alumni et poenas prædictas parvipendentes easque variis fraudibus evitare satagentes, ausu temerario non erubescunt variis modis nonnullos principes, praelatos, nobiles, publicas et privatas personas variis iniuriis et conviciis afficere, eorumque famae et honori detrahere, sub quodam ficto colore quarumdam litterarum incerto auctore scriptarum, nedum ab urbe nostra, sed etiam ex diversis provinciis, in quibus nedum ea, quae in unaquaque regione successerunt, narrantur, sed ea etiam quae in futurum quodam eorum temerario iudicio fore opinantur, adeo ut plerumque odia, inimicitiae, seditiones, rixae et homicidia permulta oriantur, in divinae Maiestatis offensam, animarum periculum et perniciosum quoque exemplum et scandalum plurimorum.

Et hic Pontifex easdem poenas confirmat et extendit ad scribentes etc. litteras nuncupatas d'avvisi, aliasque poenas hic expressas imponit.

§ 2. Volentes praemissis, quantum possumus, obviare, considerantes attentius quod plures poenarum gravitas quam Dei timor arcere solet a voluntate delinquendi, et propterea tanto periculo occurrere volentes, ac tam nefarios praesumptores et facinorosos homines atrocibus poenis torpescere, ut metus poenae meta huiusmodi praesumptionis existat; huius perpetuae et irrefragabilis constitutionis edicto, poenas omnes, tam temporales quam ecclesiasticas, in talia prae-

sumentes per sacras leges et canonicas sanctiones latas et promulgatas, auctoritate apostolica approbantes et innovantes, ac ad omnes et singulos praedictos; qui forsan sub illis comprehensi non essent, extendentes et ampliantes; statuimus et ordinamus quod deinceps perpetuis futuris temporibus nemo, cuiusvis qualitatis, dignitatis, etiam ecclesiasticae, status, gradus, ordinis et præeminentiae fuerit, audeat nec praesumat libellos famosos, nec litteras monitorum, vulgo appellatas *Lettere d' avvisi*, continentes convicia, iniurias vel famae et honoris alicuius laesionem, nec aliquam scripturam, in qua de futuris successibus disseratur, vel ea quae coram nobis vel aliis ad universalis Ecclesiae Status regimen deputatis secreto tractantur, revelentur, componere, dictare, scribere, exemplari, retinere, nec ad aliquem transmittere, etiam si aliunde ab aliis provinciis, civitatibus, terris et locis ad eorum manus pervenerint; sed statim quod aliqui similes libelli, litterae sive scripturae alicui delatae fuerint, statim quod illos seu illas habuerit, antequam vim earum manifestaverit, corrumpere seu igni tradere, vel dilecto filio nostro cardinali Rusticucio consignare teneatur, sub poenis praedictis, quas hic pro expressis haberi volumus, ac aliis etiam gravioribus, etiam ultimi supplicii et confiscationis bonorum, secundum qualitatem facti et personarum, arbitrio nostro irremissibiliter infligendis; quibus poenis etiam eos ligari volumus, qui in huiusmodi libellis, litteris seu scripturis de aliquo oblocuti fuerint, alicuiusque famae et honori, vera etiam exprimendo, detraxerint, ac ea quae coram nobis vel aliis, ut supra, secreto tractantur, revelaverint; ex hoc equidem animus deprehenditur pravus iniuriandi et nocendi, atque ideo eos eadem poena teneri convenit.

§ 3. Necnon praesentes et desuper conficiendas forsan litteras perpetuis futuris temporibus durare, ac omnes et singulos a data praesentium irremissibiliter ligari volumus, illasque nullo umquam tempore de subreptionis vel obretionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, aut sub quibusvis revocationibus et derogationibus comprehendi nullatenus posse. Clausulae preservativae.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices *etc.*, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata *etc.*, iudicari debere *etc.*; irritum quoque *etc.* decernimus. Decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac quibusvis, etiam almae Urbis et illarum civitatum, oppidorum, terrarum et locorum, etiam iuramento *etc.* roboratis, ac provincialibus, municipalibus, ac particularibus statutis ac legibus, etiam imperialibus et in corpore iuris scriptis; privilegiis quoque *etc.*, etiam motu simili *etc.*, etiam consistorialiter *etc.*, quibus omnibus, illorum tenores *etc.*, hac vice latissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Clausulae derogatoriae.

§ 6. Ut autem praesentium tenor omnibus innotescat, nullusque eorum ignorantiam allegare queat, in valvis Principis apostolorum ac S. Ioannis Lateranensis, et in acie Campi Florae de Urbe publicari mandamus, ipsasque sic publicatas omnes et singulos, quos illae concernunt, ita afficere volumus ac si essent omnibus personaliter intimatae. Decernentes quoque praesentium earumdem solam signaturam sufficere et ubique fidem facere, in iudicio et extra, regula quacumque contraria non obstante. Ac illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo almae Urbis gubernatoris aut alterius iudicis sigillatis, eamdem prorsus fidem adhi- Forma et effectus publicationis.

beri, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Placet. Motu proprio, M.

Datum Romae apud S. Petrum, XVI kalendas aprilis, anno VII.

Dat. die 17 martii 1572, pontif. anno VII.

CCXIX.

Exemptio monasteriorum omniumque locorum piorum ab onere hospitandi milites [1].

Pius Papa V, motu proprio, etc.

Causa huius constitutionis.

Cum, sicut non sine gravi dolore nobis innotuit, omnia et singula seu quamplurima huius almae Urbis ac etiam Status nostri Ecclesiastici conventus et monasteria et alia ecclesiastica et pia loca, tam saecularia quam regularia, et a personis religiosis quomodolibet inhabitata, eo tempore quo equites et milites eiusdem almae Urbis ac Status Ecclesiastici praefati, pro defensione ipsius Urbis et Status, adversus infestissimum Turcarum tyrannum, vel ob alias, quae pro tempore se se offerunt causas expediri et ad diversa eiusdem Status loca transmitti contingit, ab eisdem equitibus et militibus perturbentur et molestentur; ipsique conventus, monasteria et alia ecclesiastica et pia loca, in eorumdem equitum seu militum distributione, nonnullos eorumdem equitum et militum intra eorum domos et monasteria hospitio excipere et recipere cogantur, in maximum eorum detrimentum, divini cultus perturbationem, gravissimum religionis dedecus, Dei optimi offensam, et non solum praeter omnem nostram intentionem, verum etiam intolerabilem animi nostri amaritudinem.

1 Hanc exemptionem pro Ordinibus Mendicantium habes etiam in constitutione XIX, *Dum ad uberes*, pag. 468 huius tomi.

Impositio poenarum contra assignantes milites in monasteriis et piis locis;

§ 1. Quapropter nos in praemissis, quantum cum Deo possumus, de optimo remedio celeri manu providere, ac monasteriorum et aliorum ecclesiasticorum et piorum locorum huiusmodi personarum, Deo altissimo die noctuque famulantium, quieti, integritati et decori consulere volentes, motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, universis et singulis tam dictae almae Urbis quam totius Status praefati gubernatoribus, potestatibus, ducibus et capitaneis communitatibusque et universitatibus et aliis, ad quos spectat et pertinet et spectabit et pertinebit quomodolibet in futurum, ne deinceps perpetuis futuris temporibus, in eorumdem militum et equitum distributione, tam in transeundo quam inibi commorando, communitatibus et universitatibus videlicet, ne dictos equites ac milites in eisdem monasteriis, coenobiis, domibus et aliis ecclesiasticis et piis locis, sub duorum milliuum ducatorum auri, Camerae Apostolicae ipso facto applicandis, et aliis arbitrii nostri poenis, quovis quaesito colore, causa, ingenio sive praetextu, distribuere sive assignare, vel ad illos recipiendum et hospitio excipiendum cogere.

Et contra capitaneos et alios distribuentes ibi milites;

§ 2. Ipsis vero capitaneis et ducibus, ne eosdem suos equites et milites, sub indignationis nostrae ac privationis officiorum suorum aliisque etiam arbitrii nostri poenis, in dictis monasteriis, coenobiis, domibus et aliis ecclesiasticis et piis locis, etsi communitates et universitates ipsae eadem loca eisdem assignassent, distribuant.

Et gubernatores locorum et alios officiales haec fieri permittentes.

§ 3. Gubernatoribus vero et ipsarum civitatum et locorum praetoribus ac aliis officialibus quibuscumque, quominus praemissa ab ipsis communitatibus et universitatibus ac capitaneis et ducibus fieri, sub eiusdem indignationis nostrae ac etiam privationis officiorum suorum praefatorum

respective poenis, auctoritate apostolica, sinant vel permittant, inhibemus, praecipimus, committimus et mandamus.

Exemptio de qua in rubrica.

§ 4. Et insuper, tam illis quam equitibus et militibus praefatis, ne monasteria, coenobia et loca pia huiusmodi in personis, rebus et bonis aut alias desuper quomodolibet molestare, perturbare, impedire et inquietare, seu molestari, perturbari vel alias inquietari facere audeant seu praesumant, in virtute sanctae obedientiae et sub iam dictis poenis, eadem auctoritate inhibemus, praecipimus, committimus et mandamus, ipsa monasteria, coenobia, domos et alia ecclesiastica et pia loca ex nunc ab eisdem militibus et equitibus, ab onere illos hospitio excipiendi, motu et auctoritate similibus eximendo et totaliter liberando, ac libera et immunia faciendo.

Deputatio executorum.

§ 5. Necnon dilectis filiis nostris Vitellotio, cardinali Vitellio nuncupato, et pro tempore existenti S. R. E. camerario, ac praesidentibus et clericis Camerae Apostolicae, ut, eisdem monasteriis et piis locis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittant illa seu eorum personas a praedictis militibus et equitibus illorumque hospitio gravari contra praesentium tenorem, sed litteras et exemptionem huiusmodi eis desuper concedant ac favorabiliter defendant, etiam praecipimus et mandamus. Et sic per quoscumque iudices, sublata *etc.*, iudicari *etc.* debere; irritum quoque *etc.* decernimus.

Clausulae derogatoriae

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis, etiam iuramento *etc.* roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis, etiam praedictis ac aliis quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus ac alias in contrarium quomodolibet concessis et concedendis. Quibus omnibus, illorum tenores *etc.*, latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Repetitio clausularum.

§ 7. Et cum absolutione, ad effectum *etc.*; et de commissione, mandato, inhibitione, praecepto, exemptione, liberatione, decreto, derogatione aliisque praemissis, extendendis perpetuo in forma gratiosa, et si videbitur cum opportuna executorum deputatione, qui assistant, ac sub censuris et poenis, etiam pecuniariis *etc.*, cum facultate gravandi *etc.*, invocato *etc.*, saecularis; cum opportuna dictarum derogatione latissime extendenda; et quod praemissorum omnium et singulorum etiam maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris etiam ad partem, pro quolibet monasterio et pio loco, si videbitur, per breve nostrum expediendis, seu, si videbitur, praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio extraque, regula contraria non obstante.

Placet, motu proprio, et ita mandamus. M.

CCXX.

Quod christiani apud Turcas sclavi reperti in bello contra eos parato, liberi cum suis bonis dimittantur ab officialibus classis christianae [1].

Pius Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Causae declarationis.

Licet omnibus notissimum sit bellum hoc, quod cum impio Turcarum tyranno geritur, non ea tantum de causa geri ut imminens ab illius viribus nobis periculum dimoveamus, sed ut etiam plurima christianorum millia, quae sub dira illius tyrannide servilem ac miserabilem

1 Adiuvantibus hoc bellum, hic pontifex indulgentias concessit ut sup. in constitutione CCXVII, *Cum nos*, pag. 967.

vitam ducunt, in libertatem ac ad Christi nomen libere confitendum ac excolendum vindicemus; non defuerunt tamen qui, christianae fraternitatis obliti, loca Turcarum hostium nostrorum invadentes, christianos ibidem repertos in servitutem redegerunt, bonis ac fortunis spoliarunt, triremibus alligarunt, ac talleam imposuerunt, quo fit ut Christi sanguine redempti, qui cumulatis votis christianorum adventum et victoriam exoptaverunt, ea a victoribus fratribus suis patiantur, quibus paulo peiora a Turcis expectare potuissent.

Declaratio de qua in rubrica.

§ 1. Nos igitur Eius locum, licet immeriti, tenentes in terris, qui de coelo ad liberandum nos venit, ut, de manu inimicorum nostrorum liberati, deinceps sine timore serviamus Illi, verentes ne, si iniunctae nobis ab eo erga filios nostros caritatis et dilectionis immemores simus, omnipotentis Dei contra nos classemque nostram iram provocemus, malis huiusmodi obviare cupientes, tenore praesentium, decernimus et mandamus ut nullus deinceps sive sacri foederis miles sive alius christianos capiat, aut praeter eorum voluntatem, etiam data mercede, remigare cogat, talleam imponat, aut eius bona diripiat, quinimmo fraterne et amicabiliter, ut christianam pietatem decet, tractet, ac libere cum liberis suis, coniugibus et bonis abire permittat.

Iussio eam servandi.

§ 2. Illos autem omnes et singulos, qui huic constitutioni contraire praesumpserint, declaramus ipso facto in poenam excommunicationis latae sententiae incidisse, a qua non possint, nisi a nobis et successoribus nostris, praeterquam in mortis articulo, absolvi; et ulterius volumus eos a superioribus suis, ad quos spectabit, severe et graviter, iuxta contraventionis qualitatem, puniri.

Iussio eam publicandi.

§ 3. Mandantes omnibus et singulis, tam ipsius classis quam locorum ipsorum superioribus, quibus spectat et in futurum spectabit, ut pro quanto student divinam gratiam nostramque benevolentiam promereri, hoc nostrum, immo vero potius dominicum praeceptum et mandatum, in locis suae iurisdictionis sive iis ad quae christianorum principum foederatorum praefectos, tam generales quam particulares, appellere contigerit, ea lingua cuius eius loci habitatores intelligentes fuerint, et in ipsa etiam classe, publice edi, affigi, et sub poenis sibi bene visis faciant ab omnibus inviolabiliter observari, ut a Deo Opt. Max. praemia aeterna et a nobis de re diligenter gesta laudem reportare mereantur.

Sola signatura sufficit.

§ 4. Volumus autem ut praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula seu constitutione apostolica contraria non obstante.

Fides exemplorum.

§ 5. Quodque illius exempla, etiam impressa, edantur, eaque notarii publici manu et cuiuscumque curiae ecclesiasticae aut praelati sigillo obsignata, eamdem prorsus fidem ubique faciant, quam ipse praesens motus proprius faceret, si esset exhibitus vel ostensus; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Fiat. Motu proprio, M.

FINIS TOMI SEPTIMI

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM

NUMERUS PAGINAM INDICAT. — *a* PRIMAM COLUMNAM — *b* SECUNDAM DESIGNANT.

A

Ædificantes in Urbe multis privilegiis a Sixto IV, Leone X et Pio IV donati, 386 *b* et 911 *a*. Eisdem praefinitur tempus ad aedificia inchoanda et perficienda, 387 *a*. Domorum, locorum, *etc.* venditiones vicinis semper indicendae sunt, *ibid. b*. Tempus quo vicini emptores solvere et aedificare debent, *ibid.* In huiusmodi contractibus vicini inquilinis praeferendi sunt, 388 *a*. Simulatae venditiones cassantur, et contrahentibus poenae imponuntur, *ibid.* Dubia super praemissis in Urbis ornatum interpretanda, *ibid. b*. Quando vicini vicinis domos et casalena vendere teneantur, 389 *a* et *b*. Domini domorum dirutarum vel diruendarum, pro construendis viis et plateis domos instaurent, 390 *a*. Inquilini non solvant pensiones restaurationem negligentibus, sed eas reficiendis domibus impendant, *ibid. b*. Qui domos possident ex alicuius earum partis demolitione incommodas effectas, si easdem reædificare velint, conterminos cogere queunt ad sibi vendendas domos, *ibid.* Dominus loci vacui, ibi fabricet infra sex menses, alioquin huiusmodi loca a magistris viarum locentur aut vendantur, 391 *a*. Angiportus existentes inter domos is potest occupare, qui prius ibi fabricaverit, *ibid. b*. Cloacae in vias aquam evomentes obstruantur, 392 *a*. Fideicommissa non impediunt praemissorum executionem, *ibid.* Tollantur canneta detrimentum Urbi afferentia, *ibid. b*. Prata prope viam Angelicam ad canneta vel hortos non reducantur, *ibid.* Horti prope Urbem, cardorum exceptis, in prata et vineas convertantur, 393 *a*. Scalae vias impedientes tollantur, *ibid.* et *seq.* Praedicta statuta ad vineas et casalia per duodecim milliaria ab Urbe extenduntur, 393 *b*. Porticus demoliantur

aut muris claudantur, 394 *b;* horti pariter et alia praedia inter Urbis aedificia existentia, *ibid.* et 396 *a.* Amoveantur pontes lignei viis publicis transversi, 394 *b.* Fulcimenta e domibus ruinosis tollantur, 395 *a.* Pius V, ad dirimendas lites ex aedificantium privilegiis ortas, praedecessorum constitutiones ad iuris communis terminos reducit, non tamen quoad sacra et publica aedificia, 911 *b* et *seq.;* praemissa declarat, 912 *b* et *seq.*

Agricultura commendatur, 481 *a.* Statuta eamdem concernentia confirmantur, *ibid. b.* Iurisdictio consulum artis agriculturae, *ibid.* Poenae in eos qui impediunt frumenta vel segetes importantes in Urbem, vel eadem emunt praeter quantitatem sibi suisque familiis necessariam, 485 *a.* Commeatus afferentes eximuntur a solutione vectigalium et aliorum onerum, 486 *a;* nec molestia possunt affici pro debitis, etiam cameralibus, dum ad Urbem se conferunt, ibi morantur et ab ea recedunt, *ibid.* Agricolæ molestiam nullam patiantur pro debitis, dum colunt, seminant vel colligunt frumenta, *ibid. b.* Boves aratorii omniaque instrumenta ad agriculturam necessaria capi nequeunt pro debitis, nec in tacitis hypothecis comprehendi, quae gaudeant privilegiis bonorum dotalium, *ibid.*

Alienationes. *V.* Bona ecclesiastica, Camera Apostolica.

Alphonsus cardinalis Neapolitanus. *V.* Auditoratus.

Amadei fratres. *V.* Francisci (S.) de Assisio fratres.

Antonii (S.) Viennensis Ordini confirmantur privilegia quaerendi eleemosynas, quatenus concilio Tridentino non adversentur, 380 *a.*

Apostatae religiosi vel male translati vel extra claustra vagantes a Paulo IV corriguntur, 16 *a.* In eius ordinationum executione multa orinntur incommoda, *ibid.* Pius IV praedecessoris mandata ad formam iuris reducit, *ibid. b;* caussas contra monachos ad se advocat, et decidendas committit Urbis vicario, locorum ordinariis respective necnon superioribus monasteriorum, 17 *a;* facultatem summarie procedendi iudicibus concedit, *ibid. b;* absolutis agere poenitentiam a confessoribus iniungendam praecipit, 18 *a;* dispensationes et indulta ostendere, necnon caussam infra sex menses expedire, *ibid. b.*

Archivium Vaticanum instituit Pius IV, eique praeficit cardinalem Amulium, 373 *b.* Ipsius facultas ubique conquirendi libros, codices aliaque id genus monumenta, *ibid.* Omnes hortatur Pontifex ut dicto cardinali libros, *etc.* tradant, 374 *b;* eidem praecipit ut singulis vicibus unum tantum librum e Vaticana bibliotheca extrahat, *ibid.*

Artis lanae in Urbe privilegia et statuta confirmata a Pio V, 612 *b.* Consulum artis facultates in caussis eamdem concernentibus, *ibid.* Inhibitio ne Urbis iudices consules molestent in praemissis, 613 *a.*

Auditoratus Camerae Apostolicae supprimitur a Paulo IV, regentisque officium instituitur, cui facultates et emolumenta tribuuntur, quae antea ad S. R. Ecclesiae camerarium spectabant, 123 *a.* Regens Camerae quinque notariatus Curiae caussarum conferre valet, 124 *a.* Regentis officium Alphonso cardinali Neapolitano conceditur, *ibid.* Hic dictum officium resignat in manibus Pii IV, qui, attentis discordiis ex illius institutione exortis, illud supprimit, et auditoratum restituit, *ibid. b;* camerario eiusque officialibus antiqua iura reddit, 125 *a.* Auditoratus officium confert Pius IV Flavio Ursino, cum facultatibus praesertim caussas ob-

ligationum in forma Camerae privative quoad alios cognoscendi, 129 *b* et *seq.;* easdem caussas alteri specialiter non commissas reassumendi, 130 *b;* censuras promulgandi, *ibid.;* caussas praelatorum, mercatorum *etc.*, necnon appellationes decidendi, 131 *a;* summarie procedendi contra quoscumque in caussis cc ducatos non excedentibus, contra mercatores autem et notarios in omnibus caussis, *ibid. b;* caussas criminales Urbis et exemptorum definiendi, *ibid.;* litteras apostolicas, sententias a iudicibus specialiter non exceptis latas, necnon processus die Coenae Domini fieri solitos exequendi, 132 *a;* caussas contractuum in Curia initorum, caussasque curialium decernendi, *ibid. b;* remissorias et compulsoriales dandi, *ibid ;* in vim Eugenianae et Leoninae curiales tuendi, *ibid.;* monitoria et citationes ad partes praecipiendi, *ibid.;* censuras promulgandi et absolutiones dandi, 133 *a;* obligationes contra haeredes exequendi et alia omnia consueta faciendi, *ibid.* Idem Pontifex confirmat facultates et privilegia a praedecessoribus Pontificibus auditori concessa, *ibid. b.* Huius potestas in cessionibus bonorum et discussionibus, *ibid.* Eiusdem locus in cappella Papae, 134 *a.*

Auditor generalis caussarum Curiae Camerae Apostolicae exclusive facultatem habet procedendi contra praelatos in propriis dioecesibus non residentes, 464 *a;* Pontifici Maximo ea refert, quae ad depositionis sententiam eum inducant, *ibid. b;* in reliquos, curam animarum habentes, usque ad definitivam sententiam procedit, *ibid.* Auditoris tribunal reformatur, 865 *a.* Ipsi non licet condemnare vel excommunicare aliquem, qui debitor constet ex confessione tantum procuratoris, *ibid.* Huius constitutio aut censurarum consensus quando apponenda in obligatione, *ibid. b.* Declarationes circa citationes, dilationes ad solvendum concedendas et excommunicationis pronunciationem in obligatos non solventes, 866 *a.* Caussas obligationis cameralis auditor tantum cognoscat, nisi eaedem contra Romanos laicos in Capitolio, vel contra clericos in curia vicarii agantur, *ibid. b.* Appellationes a sententiis extra Curiam latis quando et quomodo ab auditore recipiendae, *ibid.* Litteras apostolicas quando et quomodo exequi auditor possit, *ibid.;* non det monitoria generalia, 867 *a;* neminem impediat in concilii Tridentini executione, *ibid.;* ad poenas contumaciales numquam deveniat in caussis civilibus, *ibid.;* non det mandata de manutenendo, nisi in ius vocata parte, *ibid. b;* extra Italiam degentes ad comparendum coram se non voceat, inscio Papa, *ibid.;* expeditiones extra Curiam mittendas subscribat, *ibid.* Reformatio circa expensas expeditionum, *ibid.* et *seq.* *V.* Camera Apostolica.

B

Banniti. *V.* Homicidae.

Bello in Turcas inito, Pius V victoriam consequitur, 967 *b;* pro feliciori continuatione hortatur omnes ut illud personis vel opibus adiuvent, quibus plenissimam peccatorum indulgentiam concedit, *ibid.;* item supersessoriam in eorum caussis et exemptionem ab usurarum solutione, 968 *b;* Turcas captivos, durante bello, relaxare vetat, 958 *a.* Contravenientium poenae, *ibid.* Christiani apud Turcas in servitute degentes, liberi cum suis bonis dimittantur a ducibus classis christianae, 973 *a.* *V.* Cartusiensis.

Beneficia, de quibus lis pendet, a caussarum beneficialium iudicibus vel eorum affinibus impetrari nequeunt, 64 *a*. Beneficia suspectae collationis a iudicibus, lite pendente, sequestro dari possint, 78 *a*. Temere litigantium poenae, *ibid.* Beneficia in confidentia recepta, a die receptionis vacant, 306 *b* et *seq*. Reditus applicantur Camerae Apostolicae, 307 *b*. Beneficiales confidentiae de cetero fieri sub severis poenis vetatur, *ibid.* Huiusmodi beneficiorum provisiones iam factae cassantur, et eorum collatio Sedi Apostolicae reservatur, 308 *a*. Provisiones ex beneficiis ac dignitatibus ortae a nemine tangi possunt, qui prius fidei catholicae professionem non emiserit, 327 *b*. Huiusmodi forma professionis, *ibid.* et *seq*. Pius V statuit ut beneficia curata in Urbe et eius districtu idoneis personis conferantur, ab eius vicario examinatis et approbatis, 423 *b;* collationes aliter factas abrogat, *ibid.* In quibusvis collationibus, provisionibus et commendis beneficiorum per Sedem Apostolicam collatorum, speciali vel generali concilii Tridentini derogatione minime opus est, 507 *a*. Beneficiorum confidentia damnata a Pio IV et a Pio V, 509 *b* et *seq*. Fructus beneficiorum Sedi Apostolicae reservatorum, in regno Neapolitano vacantium, Camerae Apostolicae applicantur, 511 *b* et *seq*. Reservatio beneficiorum propter crimen haeresis vacantium, 534 *a*. In eorumdem impetrationibus non comprehenduntur beneficia praedicta, *ibid.* Beneficia, sede episcopali vacante, titularibus orbata, Summi Pontificis dispositioni reservantur, 659 *a*. Beneficiorum fructus de quibus lis pendet, ea durante, deponi debent penes idoneam personam a iudice eligendam, 664 *a*. Quibus in casibus episcopi beneficiorum resignationes admittere queant, 665 *a*. Resignanda beneficia conferri nequeunt consanguineis collatorum vel resignantium, *ibid. b*. Res et bona in pios et sacros usus destinata laici occupant, 709 *b;* quapropter Pontifex revocat indulta retinendi, obtinendi vel in alios transferendi pensiones super bonis ecclesiasticis, iam antea concessa laicis militiarum Sancti Petri, S. Pauli, S. Georgii aliorumque collegiorum et officiorum Romanae Curiae, 710 *a;* idem definit pro quavis alia militia et quovis alio nosocomio, *ibid. b*. Soli milites caelibes alias pensiones obtinere possunt per privatas dispensationes, 711 *a*. Revocantur militiarum facultates concedendi expectativas et reservationes ad beneficia, necnon eadem uniendi, incorporandi vel supprimendi, *ibid.;* item expectativae, uniones et suppressiones, quae plenarium effectum sortitae non sunt, *ibid. b;* item facultates testandi de bonis ecclesiasticis ac testamenta, quae nondum habuerunt effectum, *ibid.* Extinctio beneficiorum in insula Sardiniae aliis unitorum, quae habent parochiales uti praebendas, 720 *a*. Parochialium ad primaevum statum reductio, *ibid.* Vicariorum deputatio in parochialibus, quae dignitatibus sunt annexae, *ibid. b*. Confidentiae beneficiales iterum prohibentur, 754 *b*. Pius V multas fraudes in hac re detegit, quae in iudicio minime probari queunt, ideirco quando confidentiae praesumendae sint declarat, 755 *a*. Testes et singulares praesumptiones quid probent, 756 *b*. Testes in huiusmodi caussis esse possunt omnes qui in casu simoniae, *ibid.* Confidentiarum prohibitio cardinales etiam ligat, 758 *a*. Pius V declarat et ampliat concilii Tridentini prohibitionem aliquid exigendi vel petendi in beneficiorum collatione aliave provisione, vel in admissione ad illorum possessionem, 827 *b* et *seq*. Revocantur

facultates disponendi de bonis ecclesiasticis, vel inde profectis, favore illegitimorum, 880 *a* et *seq.*: item legatorum et nunciorum *etc.* facultates huiusmodi gratias concedendi, 881 *b*. Successores in beneficiis bona, de quibus contra praemissa dispositum sit, recuperent, 882 *a*. Praedictorum negligentiae in id exequendo suppleant episcopi pro Sede Apostolica, *ibid.* Bona ecclesiastica feudalia, deficientibus haeredibus legitimis, ad ecclesiam redeunt a qua feuda depedent, *ibid. b*. Declaratio circa beneficiatorum bona patrimonialia, 883 *b*. Pius V beneficia per crimen haeresis vacantia Sedis Apostolicae collationi reservat, 933 *a;* collationes aliter factas irritat, *ibid. b*. Revocatio regressuum et coadiutoriarum ad beneficia, super quibus litterae apostolicae integraliter expeditae non fuerunt, 939 *b* et *seq.* Leo X decrevit beneficiatos non recitantes horas canonicas fructus beneficiorum amittere pro rata, 942 *a;* quam declarat Pius V, 943 *a*. *V. insuper* Ius praesentandi, Camera Apostolica, Spolia clericorum.

Blasphemi. *V.* Homicidae.

Boloniensis cathedralis origo, 550 *b*. Eius dioecesis, dignitates ac dos, 551 *b*. Collationes dignitatum et beneficiorum a quo sint faciendae, 552 *a*.

Bona ecclesiastica alienandi et locandi modus decretus a Paulo IV, cum gigneret multas lites et querelas, Pius IV ordinationem ad terminos iuris communis reducit quoad caussas pendentes et futuras, 59 *a* et 419 *a;* quo vero ad definitas condemnatos absolvit a censuris, et caussas revideri mandat iuxta iuris communis dispositionem, 59 *b*. Alienationes bonorum Ecclesiae Romanae, Sedis et Camerae Apostolicae, sine evidenti earum utilitate factas, abrogat, 419 *a;* easque nullius valoris fuisse declarat, 420 *a;* vectigales nullum ius servitutis debere occupatoribus dictorum bonorum, *ibid. b;* bona et fructus restituere tenentur, *ibid.*

Bona naufragantium ab incolis et officialibus locorum, in quibus naufragia eveniunt, saepe diripiuntur, 440 *a*. Pius V poenas minatur vexantibus naufragos, unaque commissarium et consulem deputat pro dictorum bonorum recuperatione, 441 *a;* eadem servantibus aut recuperantibus ne de illis disponant, inscio commissario et consule, praecipit, 442 *a;* item dynastis, gubernatoribus et aliis, ut in praemissis consuli assistant, 443 *a;* auxilium dantibus indulgentias concedit, *ibid. b*. Commorantes prope loca naufragiorum, auxilio vocati, praesto sint, *ibid.* Communia dominique locorum dictorum, in huiusmodi bonorum praedatores manus iniiciant, 444 *a*. Consul eiusque deputati arma gestare queunt, *ibid.*

Bononiense Studium commendatur, 254 *a*. Rectoris Studii iurisdictio et privilegium, 255 *a*. Privilegiorum et ordinationum Studii confirmatio, *ibid. b*.

Borrhomaeus Carolus cardinalis synodum Mediolanensem celebrat, 459 *a*. Cuius statuta confirmat Pius V et ab omnibus, ad quos spectat, executioni mandari praecipit, *ibid.* et *seq.* *V.* Humiliatorum Ordo, Minores Conventuales.

Breviarum Romanum. *V.* Divini officii forma.

C

Camera Apostolica, tempore infirmitatis Romanorum Pontificum vel Sedis vacantis, multa damna patitur in suis bonis ob impiorum rapinas, 19 *a*. Pius IV

omnes poenas in huiusmodi malefactores statutas confirmat aliasque addit, *ibid.* et *seq.* Quibus solemnitatibus Camera uti debeat in suorum bonorum alienationibus et locationibus, 62 *a*. Contractus aliter facti irritantur, *ibid. b*. Fraudulentae pactiones damnantur, *ibid.* Spolia clericorum, ex illicita negotiatione vel contra canones acquisita, Camerae Apostolicae sunt, 79 *a*. Ordinatio applicatur spoliis Andreae Iapiri de S. Ioanne Rotundo, *ibid.* Declaratio quorumdam dubiorum, 80 *a* et *seq.* Camerae Apostolicae applicantur fructus beneficiorum Sanctae Sedi reservatorum in Italia a die vacationis ad diem provisionis, 127 *a*. Facultates collectoris C. Ap. et inhibitio ne quis de hac re se immisceat, *ibid. b* et *seq.* Fructibus onera beneficiorum supportanda sunt, 128 *b*. Paulus III ad se advocat omnes caussas fiscum suum concernentes, easque in Camera Apostolica cognosci mandat, 136 *b*. Quam constitutionem cum nonnulli iudices aliique non ad omnes casus extendant, Pius IV declarat in eadem comprehensas omnes caussas fiscum concernentes, alibi non commissas, 137 *a* et *seq.* Mulctae pro delictis impositae, quae communitatibus applicabantur, Camerae Apostolicae a Pio IV adiudicantur, iis exceptis quae damna possessionibus allata respiciunt, 151 *b* et *seq.* Applicationes aliter factae irritantur, 152 *a*. Dubia super praedictis exorta explicantur, 153 *a*. Pii IV studium reformandi Cameram Apostolicam, 303 *b*. Caussa reformationis, *ibid.* Camerarius et clerici caussas fisci lucra concernentes et non alias cognoscant, 204 *a;* abstineant a commissionibus caussarum, alienationumque bonorum ecclesiasticorum, *ibid. a* et *b;* ab absolutionibus et remissionibus delictorum, *ibid. b;* non concedant moratorias ultra mensem, et pro debitoribus tantum qui aliam dilationem non obtinuerint, *ibid.;* hebraeis non concedant tolerantias christianorum privilegia praeiudicantes, *ibid.;* nemini facultatem extrahendi annonas a terris Ecclesiae, *ibid.;* clarigationes non concedant, nisi expresse mandante Pontifice Max., *ibid.;* caveant a concessione litterarum pro adipiscendis beneficiis, et ab impositione vectigalium, *ibid.* et *seq.;* spolia clericorum aut credita fiscalia non remittant, 205 *a*. Clerici Camerae Apostolicae nulla iurisdictione peculiari, sed tantum collegiali fruuntur, *ibid.* Tabellionum munus, *ibid.* Provisiones circa concessionem immunitatum spiritualium, expeditiones litterarum apostolicarum, tabellionum extorsiones, camerarii et clericorum officium tempore Sedis vacantis, *ibid. a* et *b*. Contravenientium poenae, 206 *a*. Irritatio aliter gestorum, *ibid.* Auditor caussarum Curiae Camerae Apostolicae quibus in casibus monitoria specialia concedere possit et appellationes admittere, 207 *b;* in monitoriis generalibus reservet loci ordinario facultatem absolvendi incurrentes censuras in eis contentas, 208 *a;* non permittat affigi amplas schedas, vulgo *cedulones*, daemonum simulacra referentes, *ibid.* Qua ratione auditor decernere possit sequestra, *ibid.;* qua monitoria contra episcopos et eorum superiores, *ibid.;* quomodo disponere de expensis contumacialibus, remissorias concedere in caussis criminalibus nec non litteras pro capiendis indiciis, *ibid.* Quid agendum sit auditori in reorum et testium examine, *ibid.;* reorum in carcere retentione, *ibid. b*. Quomodo se gerere debeat in dilationibus fisci, in caussis fisci contra privatos, in caussis usuræ contra mercatores, in fisci appellationibus, in inventariis de bonis reorum, *ibid.;* sportulas ipse non recipiat, nec aliquid notarius in caussis ordinariis, sed tantum

in commissariis et declaratoriis contumacialibus, *ibid.* Caveat auditor ne sui tabelliones sint procuratores caussarum sui tribunalis, nec faciant ex se decreta, *ibid.* et *seq.;* iis imponat ut contrahentes cognoscere curent saltem per depositionem unius testis, nec officia arrendent, 209 *a;* qua ratione terminos ad referendum curare debeat auditor, qua mandata de manutenendo in possessione et de capiendo ratione suspicionis fugae, nec non copias ante tormentum concedere *ibid.;* caveat ne tabelliones regestra omittant in caussis valorem ducentorum florenorum non excedentibus, et taxas servent, *ibid. b.* Aliae circa auditoris iurisdictionem declarationes, *ibid.* Secunda Camerae Apostolicae reformatio a Pio IV decernitur, 310 *a.* Omnia eius privilegia huic reformationi non contraria confirmantur, *ibid. b.* Clericorum Camerae qualitates designantur, 311 *b.* Camerales participes non sint contractuum Camerae, *ibid.;* eam non ingrediantur quando agitur de contractibus inter Cameram illorumque affines, 312 *a;* propinquorum caussas non cognoscant, nec dum aguntur adsint, *ibid.* Suspicionis caussa contra camerales in Camera approbanda est, *ibid. b.* Contractus camerales ineundi forma, *ibid.* Proventus Camerae sub hasta licitentur, 313 *a.* Clerici in Camera diebus statutis summo mane conveniant, *ibid.* Cursores cameram pridie intiment, *ibid.* Camerales non absint absque camerarii vel decani licentia, *ibid. b;* quibus ipsi vestibus indui teneantur, *ibid.;* missae sacrificio adsint antequam Cameram ingrediantur, *ibid.;* ante caussarum propositiones, imperato silentio, procuratores audiant, 314 *a.* Notarii Camerae a procuratoris officio abstineant, *ibid.* Pauperum caussae, audito advocato, ab eorum procuratore gratis tractentur, *ibid.* Clericus mensarius occurrentes propositiones scribat antequam fiat camera, *ibid. b.* Oratio B. Isidori per clericum novissimum legatur ante audientiam caussarum, *ibid.* Camera postea claudatur, et nemo amplius admittatur per cursores custodes, nisi speciali licentia; nullaeque novae propositiones audiantur aut describantur, nisi pro fisco vel Camerae commissario vel pauperum procuratore, *ibid.* Per duas horas ad minus camera habeatur, 315 *a.* Mensarius caussarum propositiones legat, et decanus eas per turnum distribuat, non tamen concernentes officia vel gubernia clericorum, *ibid.* Hi dein caussas proponant, praevia citatione ad informandum, transmissa cedula propositionis, ceterisque servatis servandis, *ibid.* Caussae propositae ordinatim discutiantur, et iuxta maiorem partem votorum decidantur, 316 *a.* Votis autem paribus, ea pars praevaleat cui camerarius adhaeserit vel, eo absente, maior pars aliorum cameralium habentium vota consultiva, *ibid. b.* Decanus ad Pontificem remittat caussas gratiam sapientes; gubernatori autem, auditori Camerae et thesaurario illas ad eos spectantes, *ibid.* Poenae impositae aliorum vota revelantibus, *ibid.* In reliquis delinquentes coerceantur in plena Camera et Pontifici denuncientur, 317 *a.* Proponentes caussas, secum scripturas habeant, *ibid.* Illarum decisiones adnotentur a proponentibus in libris decisionum Camerae, *ibid.* Litterae patentes mandataque cameralia, quae, nisi prius verbo facto in Camera, expediri prohibentur, ab omnibus clericis praesentibus subscribantur, exceptis litteris, *etc.* officia clericorum concernentibus, *ibid. b.* Forma qua administratores rationes reddere debent, *ibid.* Tabellio easdem ad calculatores deferat, 318 *a.* Clericus eas solidet, praesente commissario, *ibid.* Quemnam librum tenere debeant admini-

stratores. *ibid.* Rationum redditio ubi describenda sit, *ibid. b.* Clerici, in solidatione, videant scripturas originales, 319 *a.* Quaenam continere debeant libri rationum, *ibid.;* in archivio custodiantur, *ibid.* Contravenientium pœnæ, *ibid.* Rationes quomodo videndae a clericis iudicibus, *ibid. b.* Administratores anno quolibet rationem reddant, *ibid.* Thesaurarius et alii Papæ ministri quando rationem reddere debeant, 320 *a.* Commissarii, calculatorum aliorumque Cameræ officialium munera, iuramentum, pœnaeque quibus criminosi subiiciuntur, *ibid.* et *seq.* Libros scripturasque Cameræ illicite detinentes excommunicantur, 322 *a.* Clerici mercedem sibi ipsis non statuant, *ibid.* Pius IV declarat quomodo de iis, quæ Cameram concernunt et ante eiusdem reformationem acta sunt, reddenda sit ratio, 371 *b.* Impetrantes privilegia interesse Cameræ concernentia debent infra tres menses illa in Camera praesentare ut registrentur, sub nullitatis poena, 375 *b.* Pius V declarat monasteria, quorum fructus in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur, et beneficia eisdem perpetuo unita, de cetero non vacantia, quindennia et alia iura eidem Camerae solvere teneri, 599 *b* et *seq.* Commissarii ad vectigalia exigenda multas inferunt subditis molestias, 601 *b.* Pius eosdem revocat, nec alios de cetero deputari iubet, nisi per litteras patentes Camerae a Summo Pontifice confirmatas, 602 *a.* Donationes in fraudem Camerae prohibentur Hispaniarum ecclesiasticis, sed permittuntur donationes pro servitute, dummodo servitiorum valorem non excedant, 641 *a.* Generalis collector Camerae omnes ecclesiarum fructus percipit a die obitus pastorum earumdem usque ad novam provisionem, 642 *b;* ipsarum temporalia administrat, in quibus capitula nihil se immiscere debent, *ibid.* Nonnulli, ut bona Camerae Apostolicae subrepta retineant, inhibitiones a iudicibus versute extorquent, 646 *a.* Pontifex iudicibus prohibet, ne in praemissis inhibitiones decernant, non vocato in ius commissario Camerae, *ibid. b.* Abrogatio huiusmodi inhibitionum, *ibid.* Fructus, census aliæque res per ecclesiasticos regni Neapolitani, tempore eorum obitus nondum exactae, ad Cameram Ap. pertinent, 648 *b.* Idem de bonis defunctorum, quorum beneficia reditum annuum triginta ducatorum excedunt, *ibid.* Revocatio facultatum camerarii, clericorum et aliorum officialium reverendae Camerae concedendi commissiones in forma *Si in evidentem* super alienationibus bonorum ecclesiasticorum, 690 *a.* Pius V annotandas esse decernit omnes scripturas ad reverendam Cameram spectantes, 697 *b;* subtractas recuperandas, *ibid.;* earumdem detentores ad restitutionem, scientes autem ad revelationem teneri, 698 *a.* Contravenientium poenae, *ibid. b.* Ob militiae S. Georgii erectionem a Paulo III peractam, clericorum Camerae Apostolicae numerus a duodecim ad septem reducitur, 894 *a.* Pius V duodenarium numerum restituit, 895 *a;* antiqua privilegia eisdem confirmat, *ibid.;* emolumenta assignat, *ibid. b. V. insuper* Camerarius, Cancellariae criminales.

Camerarius S. R. Ecclesiae nonnullis privilegiis et facultatibus a Paulo IV privatus, a Pio IV eisdem iterum donatur, 82 *b* et *seq.* Camerarius et quinque deputati omnes caussas Camerae lucra concernentes debent cognoscere, 99 *a;* computationes ministrorum et aliorum, etiam solidatas, revidere, *ibid. b;* eiusdem bonorum detentores ad restituendum cogere, 100 *a;* manu regia et appellatione remota procedere possunt, *ibid.;* ab officialibus Status Ecclesiastici obedientiam

velle, 101 *a*. Camerarius suos secretarios, notarios aliosque officiales nominat, *ibid. b*. Ipse et viarum magistri statuant artium divisionem et loca in nonnulis viis, 395 *a;* candelarum, chordarum et coriorum opifices prope flumen collocent, *ibid. b;* vias non amplius silicibus, sed coctis lateribus sterni curent, *ibid.;* dubia et controversias super praemissis solvant, 396 *b*. Quibusnam in caussis a dictis iudicibus appellari non liceat, *ibid.* Ab eisdem decidantur etiam caussae artis muratoriae, *ibid.*

Cancellaria Ap. reformatur, quoad correctoris officium, super expeditionibus in caussis in quibus PP. vel eius Signatura rescripsit, 200 *b;* super indulgentiis, testamentis, *etc.*, *ibid.;* sententiis, laudis, compromissis, *ibid.;* unionibus beneficiorum, *ibid.;* alienationibus bonorum ecclesiasticorum, *ibid.;* professionibus regularium, eorumdemque licentia standi extra claustra, 201 *a;* absolutione a iramento, *ibid.;* facultatibus testandi, *ibid.;* beneficiorum titulis vel possessionibus, *ibid. b;* declaratoriis circa homicidia et irregularitatem, *ibid.;* decimarum confirmatione, *ibid.;* rebus litigiosis, *ibid.;* immunitatum confirmatione, *ibid.;* rebus dubiis, *ibid.* Litterarum contradictarum procuratores facti veritatem immutantes quibus poenis subiiciantur, 202 *a*. Nonnulla officia a Poenitentiaria ad Cancellariam Apost. transferuntur, 752 *b*. Litterarum expeditionis forma statuitur, *ibid.* Emolumenta officialibus assignantur, 753 *a*. Sigillatoris officium, *ibid. b*. Officiales nihil praeter taxationes accipere possunt, *ibid.* Corrector et procuratores litterarum minoris iustitiae a caussarum commissionibus abstineant, 785 *b*. Corrector concedat confirmationes contractuum et sententiarum, 786 *a;* regulas Cancellariae nulli det, neque beneficiales materias expediat, *ibid.;* testandi licentias quasnam concedere valeat, *ibid.;* statuta et privilegia non confirmet, nec bona ecclesiastica alienandi licentias concedat, *ibid.;* litteras non expediat, nisi praevia censura vicecancellarii vel regentis, *etc.*, *ibid.;* regularium materias non tangat, *ibid.* Procuratores archivium habeant in quo omnes litteras fuse referant. *ibid. b*. Commissionum supplicationes quomodo expediendae, 787 *a*. Taxatio non augeatur, *ibid.* Praemissorum declaratio, *ibid. b*.

Cancellariae criminales, ex caussa onerosa non concessae, Rev. Camerae Apostolicae applicantur, 286 *b* et *seq.* Thesaurario facultas eas alienandi conceditur, 287 *b*. Cancellarii statim publici tabelliones efficiuntur, *ibid.* Thesaurarii facultas vendendi cancellarias etiam originariis locorum in quibus illae existunt, *ibid.;* Camerae pro venditionibus huiusmodi obligandi, aliaque omnia necessaria faciendi, 288 *a;* commissarios deputandi cum simili aut minori potestate, *ibid.;* super praemissis dubia interpretandi, et lites summarie decidendi, *ibid.* Ceteris omnibus de cancellariis disponere vetatur, *ibid.* Cancellariae primo triennio vacantes, per thesaurarium concedantur cum facultate quaecumque instrumenta et acta rogandi, 289 *a*. Originarii et exteri eas consequi possint, *ibid. b*. Cancellarii statuta Pauli et Pii IV servent, *ibid.;* acta in libris manualibus scribant, et taxationes observent, *ibid.;* immunitatibus et exemptionibus a Paulo IV concessis perfruantur, 290 *a;* contributiones nemini dare teneantur, *ibid.* Camerae Apostolicae caussarum auditor et thesaurarius, quilibet in solidum, curent officiorum emptores pacifica possessione frui, *ibid.* Ceteris officialibus desuper se intromittendi ius adimitur, *ibid. b*. Cancellariarum concessiones rescindantur, si Camera Apostolica

ultra dimidium laedatur, 291 *a*. Cancellarii suas scripturas ad archivia deferre non tenentur, sed successoribus consignare, *ibid.* Officiales, ad cancellariorum instantiam, in alios tabelliones inquirere, et inhabiles repellere tenentur, *ibid. b.* Tabellionum decedentium scripturas cancellarii custodiunt ubi desunt archivia, *ibid.* Caussae inter cancellarios vicissim a mensario distribuuntur, 292 *b*. Mensarii extractio et officium, 293 *a*. Cancellarii non se immiscerant in scripturis tabellionum, ubi adsunt archivia, *ibid. b;* arrham dantes pro scripturis ad earum solutionem cogere possunt, *ibid.;* collegium in Romana Curia erigere tenentur, 294 *a*. Taxatio solvenda in cancellariorum admissionibus, *ibid.* Eorumdem officia non confiscantur, *ibid.* Super officiis societates fieri licet, *ibid. b.* Taxatio solvenda pro officiorum concessionibus, *ibid.* Facultas officia resignandi, *ibid.* Quibus privilegiis gaudeat cancellariorum collegium, *ibid.* Ipsi per substitutos officia exercere queunt, *ibid.;* instrumenta ubique rogare, 295 *a*. Collegium habeat sigillum et nemini subiaceat, *ibid.* Cancellarii sunt executores Romanae Curiae, etiam privative quoad alios, *ibid.* Gubernatores non avocent caussas in illorum praeiudicium, *ibid. b.* Thesaurarius potest etiam cancellarias locare, 296 *b*. Dispositio ne cancellarii et episcoporum tabelliones invicem se impediant, 297 *b*.

Capranicense collegium a cardinali de Capranica, et Nardinum a cardinali Nardino Romae instituta, 504 *a*. Eorum gubernium custodibus S. Salvatoris datum, *ibid. b.* Quorum iurisdictionem cum scholares evitare studerent, Paulus III custodes iudices competentes esse declaravit, *ibid. b.* Scholares non sustinentes conclusiones iuxta statuta collegiorum, inde expelli decrevit, 505 *a*. Paulus IV praedicta confirmavit, quod etiam praestat Pius V, qui armorum omnium usum et retentionem scholaribus prohibet, non tamen ensis in camera, *ibid.;* ludum alearum vetat, 506 *a;* habitum longum cum capucio eosdem gestare praecipit, *ibid.;* logicae, philosophiae et iuri civili operam dare posse concedit, *ibid.;* facultates a Pio IV concessas revocat, *ibid. b.;* constitutiones collegiorum circa promotiones ad sacros ordines declarat, *ibid.*

Cardinales eorumque agentes, qui in exaltatione aut obitu debita emolumenta magistris caerimoniarum non solverunt, Pius IV solvere iubet, summamque praefinit, 251 *a*. Mortuo Paulo IV, cardinales nonnullas pactiones conficiunt et subscribunt, 427 *a*. Inter ceteras nemini dandam facultatem nominandi ad beneficia, ecclesias cathedrales et monasteria consistorialia, nisi de consensu duarum partium cardinalium, *ibid.* Easdem firmat Pius V, *ibid.* Cardinalium familiares nihil, praeter salaria, postulare possunt ab eis, vel eorum haeredibus, 479 *a*. Ordo satisfaciendi creditoribus defunctorum cardinalium, 480 *a* et *seq.* Revocatio privilegiorum S. R. E. cardinalium circa beneficiorum collationem, 571 *b*. Declaratio circa collationes olim eis concedendas, 572 *b*. Bonifacius VIII offendentibus cardinales illorumque fautoribus varias poenas imposuit, 792 *b*. Pius V easdem extendit ad scientes et non revelantes, 793 *a*. *V.* Inquisitionis (S.) Officium, Pontificis Maximi electio.

Carmelitae. *V.* Fratres.

Cartusiensis, Cassinensis, Lateranensis et aliae congregationes census imponere bonaque stabilia alienare possunt ad summam usque triginta millium scutorum favore regis Galliarum pro bello in Turcas, 639 *a*. Quae proinde, ne dupliciter

graventur, absolvuntur ab aliis subsidiis ob eamdem caussam impositis vel imponendis, *ibid. b. V.* Regulares.

Cassinensis congregationis praelati monachos a quibuscumque reatibus, censuris et poenis absolvere, et cum eisdem dispensare queunt, 919 *b* et *seq.* Concessionis declaratio, 920 *b. V.* Lateranenses canonici, Regulares.

Catharinae (S.) de Rosa monasterium et congregatio in Urbe instituta ad pauperes virgines, periculo amittendae pudicitiae expositas, alendas et educandas, 655 *a.* Protectoris et deputatorum facultas id genus puellas recipiendi, contradictoresque puniendi, *ibid.* Protectoris et iudicis facultas caussas civiles et criminales monasterii, congregationis, monialium, puellarum, etiam nuptui traditarum, in quacumque instantia, summarie *etc.* cognoscendi, *ibid. b*; alios inhibendi in Curia et extra, necnon singulis horis et diebus procedendi, 656 *a.* Congregatio, moniales, *etc.* coram protectore dumtaxat conveniunt et conveniuntur, *ibid. b.*

Caupones. *V.* Diversores.

Census creetur supra certa re immobili et fructifera, numerata pecunia, 737 *a.* Solutiones praeceptae prohibentur necnon onera contra naturam contractus et pactiones auferentes facultatem alienandi, *ibid.* In re vendenda praefertur dominus census, *ibid.* Pactiones contra morosos quae licitae et quae non, *ibid.* Censum augeri vel creari de fructibus nefas, *ibid.* Pactiones etiam vetantur continentes onerum solutiones ei ad quem de iure non spectant, *ibid.* Census perit pro rata rei censae perempate, *ibid. b;* redimi quando possit, *ibid.* repeti ab invito non licet, *ibid.* Contractus aliter initi foeneratitii iudicantur, et poena fisco solvitur, *ibid.* Quinam census in praemissis non comprehendantur, *ibid.* Pretium constitutum non immutandum, 738 *a.* Hortatio ut census aliter facti subiiciantur censurae religiosorum, *ibid. a.* Dubia super praedictis orta declarantur, *ibid. b* et *seq.*

Charitatis archisodalitium a Leone X in Urbe erigitur, 29 *b.* Pius IV eidem applicat mulctas maleficiorum non excedentes decem ducatos, *ibid.;* taxationem insuper barisellis aliisque executoribus imponendam, 30 *a.*

Cisterciensium monachorum Ordo, iamdiu vitae sanctitate florescens, paulatim ab ea descivit, 260 *a;* ad pristinam puritatem revocandus, atque exemptiones, quae labantis disciplinae caussa fuerunt, expungendae, *ibid. b.* Pius IV illas ab abbate, capitulo et aliis, adversus Ordinis statuta concessas, revocat, 261 *a;* abbatem et alios superiores omnia loca visitare et personas corrigere iubet, *ibid. b;* facultatem visitationis, episcopis et aliis concessam, irritat quatenus praedictos superiores impediat, *ibid.;* monasteriis praecipit ut visitatores benigne recipiant, 2 2 *a;* gratias, facultates et statuta Ordinis confirmat, *ibid.;* mandat ut in monasteriis, quae personis Ordini extraneis commendantur, mensa conventualis instituatur ab abbatiali distincta et sufficiens monachis, 263 *a;* ut religiosi alterius Ordinis intrusi eiiciantur, nisi eiusdem Ordinis professionem emittant, *ibid.;* monasteriorum et prioratuum uniones, annexiones suppressionesque prohibet, *ibid. b;* monachos monasteriorum aliis piis locis unitorum subiicit correctioni superiorum Ordinis, *ibid.;* moniales alterius Ordinis, quando recipi possint in huius Ordinis abbatissas declarat, *ibid.;* monasteria quaecumque teneri ad contributiones solvendas abbati et capitulo statuit, 264 *a.* Cisterciensium monachorum spolia non spectant ad monasteriorum commendatarios vel ad Ap. Cameram, sed ad loca

in quibus professionem illi emiserunt, 623 *a*. Eorum coenobia, in utraque Sicilia praesertim, ad interitum properant, 813 *a*. Pius igitur V decernit monasteria omnia, etiam commendata et unita et de iurepatronatu laicorum, refici et ad debitam clausuram reduci, 814 *a*; numerum congruum monachorum in eis restitui, *ibid.;* ad divinum cultum et monasticum usum necessariis instrui, *ibid.;* divina quotidie celebrari, *ibid.;* mensam conventualem et eleemosynas restitui, *ibid.*; libros sacros haberi, *ibid.;* novitiatus constitui, *ibid. b;* conventuum aedificia, *etc.* ad certam formam reduci, *ibid.;* mulieribus ingressum denegari, *ibid.;* carcerem construi ad monachorum coercitionem, *ibid.;* inventaria bonorum et scripturarum confici, *ibid.;* monasteria non tuta ad urbes trasferri, 815 *a;* visitationes sollicite et prudenter fieri, visitatoribus autem necessaria subministrari, *ibid.*; commendatarios nihil de rebus ad monachorum victum necessariis detrahere posse, vel eorum numerum minuere, vel eosdem eiicere, *ibid. b;* tertiam aut quartam partem redditnum cuiusque monasterii, in eius refectionem, eaque perfecta, reliquum iuxta concilium Tridentinum exponi, *ibid.;* archivium in conventu Cistercii constitui, et ibi index bonorum cuiuscumque conventus poni, *ibid.;* privilegia quoad proprietatem irrita remanere, 816 *a*. *V.* Regulares.

Civitates et loca S. R. Ecclesiae, tam lege vectigali ad tributa alienata et devoluta quam alienanda et devolvenda, censeantur ipso iure Sedi Apostolicae incorporata, 560 *b*. Prohibitio de cetero ne illa locum habeant, 561 *a*. Revocatio privilegiorum de illis meliorandis et retinendis usque ad expensarum refectionem, *ibid. b*. Iusiurandum praestandum a cardinalibus et a Pontifice electo de observandis praemissis, 562 *b*.

Clareni fratres. *V.* Francisci (S.) de Assisio fratres.

Clerici coniugati in habitu clericali et tonsura incedere tenentur in principatu Cataloniae aliisque adiacentibus provinciis, 620 *a;* quibus conditionibus gaudeant privilegio fori, *ibid. b*. Clerici ea laborantes incontinentia, quae contra naturam est, quomodo coercendi, 703 *a*. Clerici saeculares quomodo ad sacros ordines promovendi statuit concilium Tridentinum, 723 *b*. Pius V decretum extendit ad regulares et saeculares, more religiosorum in communi viventes, *ibid.*; promotiones aliter factas cassat, 724 *a*. Clerici in congregatione viventes, solemni Religionis voto soluti, tria substantialia vota emittere tenentur sub aliqua Regula approbata, 725 *a*. Contravenientium poenae, *ibid. b*. *V.* Spolia clericorum.

Collegium deputatorum fabricae S. Petri de Urbe facultatem obtinet a Pio IV exequendi pia legata, tabelliones cogendi ad porrigendum exemplar testamentorum, post annum a die obitus testatoris, soluta eis debita mercede, 241 *b;* cum ministri ecclesiae S. Mariae Lauretanae legata exigere neglexissent, in debitores rite procedit, 659 *b* et *seq*. Tabelliones legata denuncient officialibus ecclesiae, 660 *a*. Qui ea accurate descripta, singulis mensibus, gubernatori communicent, *ibid. b*. Collegium nihil fabricae de huiusmodi legatis adiudicet, nisi probet ministrorum ecclesiae Lauretanae negligentiam, 661 *a;* omnes contractus de bonis ecclesiarum examinare possit, ecclesiasque in sua iura restituat, addicta fabricae tertia huiusmodi bonorum parte, quam alienare valeat, 733 *b* et *seq*. Duae sententiae pro fabrica rem iudicatam constituunt, et appellationum commissiones censentur signatae cum clausula *sine praeiudicio executionum dua-*

rum conformium, 796 *a*. Pius V collegio dat facultatem caussas circa bonorum ecclesiasticorum alienationes, coram diversis iudicibus, ob iudicum vel actorum negligentiam, admodum non expeditas cognoscendi, 851 *b* et *seq.;* omnes pariter caussas ecclesiarum et locorum exemptorum ab ordinariorum iurisdictione, 853 *a;* plures alias huius generis concedit facultates, et speciatim tabelliones rogatos et alios de bonorum ecclesiasticorum scripturis conscios cogendi ad notificandum, *ibid. b* et *seq.*

Comites, barones, *etc.* Status Ecclesiastici, sub mutuationis, aliove praetextu, vectigales inducunt ad solvenda debita ab ipsis dominis facta, 65 *a*. Pius IV damnat illos restitutioni pecuniarum a vectigalibus solutarum, *ibid. b;* huiusmodi contractus futuros irritat, 66 *a*.

Communia et locorum domini custodire tenentur sua territoria, ne venientes ad Urbem vel ab ea recedentes bonis spolientur, 461 *a* et *seq.* Non custodientes, damna rependant, 463 *b*.

Compostellanus archiepiscopus, eius suffraganei eorumque capitula concordiam ineunt nuncii Hispaniarum opera, 778 *a*. Tenor capitulorum concordiae, *ibid.* et *seq.* Pius V omnia confirmat, adiectis declarationibus, 779 *b*.

Concilium Tridentinum. *V.* Tridentinum concilium.

Conclave et conclavistae. *V.* Pontificis Maximi electio.

Concordata cum Sede Apostolica. *V.* Franciscus I.

Consules artium. *V.* Tribunalia.

Contradictarum officiales. *V.* Cancellaria Ap., Poenitentiaria.

Conventuales fratres S. Francisci in diversis Portugalliae et Algarbiorum provinciis sub Regula fratrum de Observantia rediguntur, 625 *b*. Eorum et Tertii Ordinis conventus fratribus et monialibus de Observantia traduntur, *ibid.* Plura monasteria in unum reduci queunt, ut fratres facilius victum habeant, 626 *a*. Qui tria vota substantialia non emiserint, ad ea emittenda non cogantur, sed maneant sub correctione fratrum de Observantia, *ibid.* De eorum bonis mobilibus et immobilibus quid agendum, *ibid. b*. Facultas reformatorum, *ibid.* Reformandis licentia conceditur ad alium Ordinem transeundi, dummodo observantiam teneant, 627 *a*.

Conventualia monasteria in Hispania tollere decernit Pius V, 566 *a;* fratres conventuales S. Francisci sub forma vivendi fratrum Minorum de Observantia et sub obedientia ministri generalis redigit, *ibid.;* canonicos regulares S. Benedicti, Cistercienses, Praedicatores, Eremitas S. Augustini aliosque Conventuales ad Observantes eorum Ordinum transferre decernit, *ibid. b*. Poena in renitentes, 567 *a*. Permissio Conventualibus aliisque fratribus concessa se transferendi ad alium Ordinem Observantiae, *ibid. b*. Bona dictorum fratrum quomodo eroganda, et de residuis quid imposterum agendum, *ibid. b*. Poena in contradictores, *ibid.* Mandatum de reformandis monasteriis monialium, 568 *a*. Facultas subdelegandi executores pro reformatione monialium archiepiscopis et episcopis concessa, *ibid. b;* plura monasteria Conventualia uniendi, pro congrua fratrum Observantium sustentatione, 569 *a*. Reformantur pariter monasteria Tertii Ordinis S. Francisci, *ibid.* Fratres Praemonstratenses subiiciuntur Regulae Observantium S. Hieronymi, *ibid. b*. Eidem Regulae subiiciuntur Eremitae Sancti

Hieronymi, *ibid.* Carmelitae SS. Trinitatis et B. Mariae de Mercede ad suorum Ordinum observantiam revocantur, 570 *a*. Praedicta omnia extenduntur ad monasteria monialium, *ibid.* Quinque monasteria Ordinis S. Francisci in regno Navarrae uniuntur provinciae eiusdem Ordinis de Observantia in regno Castellae existenti, *ibid.* Professos Conventuales ad Observantiam transeuntes professionem iterum emittere non tenentur, 571 *a*.

Conversarum monasterii caussae. *V.* Mulierum *etc.*

Cordubensis et alii episcopi et capitula provinciae Toletanae concordiam ineunt nuncii Hispaniarum opera, 781 *a*. Tenor capitulorum concordiae, *ibid.* et *seq.* Omnia confirmat Pius V, adiectis declarationibus, 782 *a*.

Corrector Cancellariae Apostolicae. *V.* Cancellaria Ap.

Cosmus Medices, reipublicae Florentinae dux, gratissima obsequia Romanis Pontificibus praestat, 764 *a;* militiam S. Stephani instituit, *ibid. b;* statum suum optime regit, et praeclara multa operatur, *ibid.;* nullum habet superiorem in suo dominio, 765 *a;* ipse eiusque successores magni Etruriae duces creantur, quibus regali corona uti conceditur, *ibid.* et *seq.* Creatio huiusmodi iurisdictionem S. R. Ecclesiae, imperatoris, regum, *etc.* non offendit, 767 *a*. *V.* Stephani (S.) militia.

Creditores indigentes, in caussis discussionum, ceteris praeferantur usque ad summam scutorum L, 513 *b* et *seq.*

Cruce Signatorum societas in inquisitorum praesidium instituta et privilegiis donata, 860 *b*.

Cruciferorum Ordo ab observantia graviter delapsus, 667 *a*. Innocentius VIII perpetuitatem officiorum ad triennium reduxit, iuxta antiquum institutum, *ibid. b*. Officiorum perpetuitas denuo revixit, *ibid.* Clemens VII formam praebuit eligendi officiales, *ibid.;* prioratus et nosocomia a priore et capitulo conferri iussit, 668 *a*. Clemens praedictus et Paulus III multa alia pro dicti Ordinis restitutione decreverunt, quae minime observata sunt, *ibid.* Pius V revocat provisiones et collationes beneficiorum et locorum Ordinis hactenus factas, *ibid. b;* provisos declarat possessione privatos ac inde amotos, 669 *a;* non dimittentibus poenas imponit, *ibid.;* dimittentibus permittit titulum, nomen et insignia retinere, electionisque tam activae quam passivae votum, *ibid. b;* prioris generalis officium triennio concludi, et in capitulo generali eum eligi iubet, *ibid.;* alios priores eligendi formam et tempus designat, 670 *a;* administratorum cuiusque prioratus munia, *ibid. b*. Priores vitam communem cum suis fratribus ducere debent, *ibid.* Proprietas omnibus interdicta, 671 *a*. Vestes sint uniformes et honestae, *ibid.;* hospitalitas et Studium in locis aptis, *ibid.;* Mulierum ingressus intra septa monasteriorum vetitus, *ibid.* Numerus fratrum in quolibet conventu, *ibid. b*. De prioratibus quomodo disponendum, *ibid.* *V.* Regulares.

Crucifixi (SS.) sodalitium, ad pauperes virgines maritandum aliaque pia opera exercendum in Urbe institutum, ex eo quod in litibus agendis ad diversa tribunalia recurrere debeat, damna haud modica patitur, 117 *b*. Pius IV omnes caussas civiles sodalitii ad se advocat, *ibid.;* illarum iudicem ordinarium eligit societatis protectorem vel ab eo deputandum, 118 *b*. Iudicis facultas summarie procedendi, *ibid.;* sententias exequendi, 119 *a;* contradictores coer-

cendi, reiectis nullitatibus praeterquam ex defectu iurisdictionis, dicae et mandati, *ibid.;* cogendi debitores ad solvendum, etiamsi adhuc lis pendeat, data tamen cautione a sodalitate, *ibid.;* singulis diebus procedendi, *ibid. b;* tabelliones deputandi, *ibid.;* dicas per mandatarium Capitolii exequendi, *ibid.* Executores tribunalium Urbis huiusmodi iudicis mandatis parere tenentur, *ibid.* Aliorum iudicum processus abolentur, *ibid.* Idem Pontifex facultatem liberandi unum ex condemnatis sodalitati confirmat, 121 *a;* quam in archisodalitatem erigit, *ibid. b;* eius statuta roborat, eidemque ius illa condendi concedit, *ibid.*

Crucis (S.) Fontis Avellanae congregatio, Ordinis S. Benedicti, a primaeva disciplina valde deflexit, 788 *b.* Regularem observantiam incassum restituere conatur Pius V, *ibid.;* omnes igitur prioratuum, commendarum, *etc.* provisiones, huiusmodi monachorum favore factas, nullas declarat, 789 *a;* fundationes, erectiones, iura patronatus ac privilegia irritat, beneficia vacare decernit, *ibid. b;* congregationem eiusque nomen abolet, *ibid.;* monasterium Fontis Avellanae, ecclesiam eiusque bona congregationi Camaldulensium unit, 790 *a;* antiquos monachos uti desertores puniri praecipit, nisi infra mensem alicui Ordini religioso nomen dederint, *ibid. b;* obedientes absolvit ab apostasia, excommunicatione, *etc.,* 791 *a;* regularem abbatiam extinctae congregationis saecularem efficit, *ibid. b;* beneficiorum collationem a dicta congregatione dependentium Romano Pontifici reservat, *ibid.*

Cultus divinus. *V.* Divini cultus observantia.

D

Debitores petentes alternativas vel dilationes teneri gestare galerum viride etiam coram Urbis iudicibus et carcerum visitatoribus; qui vero eas obtinuerint, semper illud publice et secrete deferre statuit Paulus IV, 145 *b* et 863 *a.* Creditores tamen haud raro a debitoribus fraudulenter deludebantur, *ibid.* Idcirco Pius V decrevit fraudulentos decoctores ultimo supplicio damnandos esse, *ibid.* et *seq.*

Decanatus collegii auditorum Rotae Romanae spectat ad auditorem antiquiorem in Curia tempore vacationis praesentem, vel extra eamdem Curiam per Romanum Pontificem destinatum, 227 *b.*

Dertusense collegium ad erudiendos in fide catholica neoconversos erectum, 714 *a* et *seq.* Eiusdem statuta, 715 *a* et *seq.* A Pontifice confirmantur, 718 *b.*

Dignitas, qualiscumque sit, in peccatis nemini excusationem praebere debet, 19 *b.*

Dignitates conventuales. *V.* Electiones.

Diversores et caupones Urbis saepe divexantur ab advenis praetextu furti in ipsorum damnum commissi in hospitiis; 265 *a.* Pius IV statuit praedictos hospites non posse molestia affici, nisi agatur de iis rebus quae advenae diversoribus consignarunt, *ibid. b;* privilegia et ordinationes societatis hospitum confirmat, 266 *a;* eidemque facultatem elargitur statuta condendi sacris canonibus non contraria, *ibid. b.*

Divini cultus observantia, adiectis poenis, praecipitur, 435 *b.* Pauperes in templis eleemosynam petere nequeunt, dum officia celebrantur, 436 *a.* Cadaverum con-

ditoria super templi pavimentum existentia amoveantur, et defunctorum corpora in sepulcris profundis collocentur, *ibid.* Simoniacorum, blasphemantium, sodomitarum et concubinariorum poenae, *ibid. b* et *seq.* Contra quos procedi debet etiam per secretam denunciationem; denunciatores autem calumniosi poena talionis mulctentur, 437 *b*.

Divini officii forma a Gelasio I et Gregorio I instituta, et a Gregorio VII renovata multipliciter postea immutata fuit, 685 *a*. Hunc precandi et psallendi modum, qui in Breviario Romano continetur, Paulus IV emendare aggressus est sed morte praeventus non perfecit, *ibid. b*. Pius IV absolutionem operis commisit patribus concilii Tridentini, *ibid.* Concilium remisit Pontifici, qui, similiter morte praeventus, incompletum opus reliquit, 686 *a*. Pius V Breviarium perficit, et aliud a cardinali Francisco Quignonio editum prohibet, *ibid.*; item omnia Breviaria non approbata in primaeva ecclesiarum institutione, vel usu cc annos excedente, *ibid.*; quascumque facultates orandi iuxta antiqua Breviaria revocat, *ibid. b*; novum Breviarium recipi iubet, *ibid.*; indulgentias concedit dicentibus Psalmos Poenitentiales vel Graduales, vel officium B. Mariae vel Defunctorum diebus in rubricis praescriptis, 687 *a*. Breviarium Romae tantum, et non alibi, sine Pontificis licentia, imprimi posse decernit, *ibid. b*.

Doctores cuiuscumque facultatis, tam electi quam eligendi, illam exercere nequeunt nisi prius catholicam fidem profiteantur, 323 *b*. Nec rectores Studiorum nec alii superiores eligantur, nisi eamdem impleant conditionem, 324 *a*. Idem dicendum de scholaribus ad gradus promovendis, *ibid.* Poenae aliter aliquem promoventium, *ibid. b*. Quorum promotiones delentur, *ibid.* Forma professionis fidei a supradictis emittendae, 325 *b* et *seq.* Doctores, magistros, *etc.* creandi gratiam quibuscumque concessam revocat Pius V, 673 *b*.

Doctrinae christianae praecepta propagantes commendantur, 945 *b*. Locorum ordinariis praecipitur doctrinae christianae sodalitia in suis dioecesibus instituere, 946 *a*. Indulgentiarum concessio pro sodalibus et instruendis, *ibid.*

Dominici (S.) Ordo quampluribus gratiis ditatus, speciatim quoad praedicandi facultatem, quartae funeralium solutionem ac ius sepeliendi, 587 *a*; quoad exemptionem ab oneribus et ab ordinariorum iurisdictione, *ibid. b*. Nonnulli tamen episcopi et alii molestia afficiebant fratres et moniales huius Ordinis circa praemissa, 588 *a*. Pius V, ad tollendum controversias, eas omnes ad se advocat, 589 *a*; confirmat, privilegia *ibid. b*; declarat gratiam circa praedicationes, ius sepulturae, quartam funeralium, contributiones, monasteriorum aedificationem et exemptionem ab ordinariorum iurisdictione, 590 *a* et *seq.*; facultatem concedit eligendi quascumque personas, quacumque dignitate ecclesiastica fulgentes, in eorum conservatores et iudices, qui hoc munus recusare non possint, 591 *b*; declarat personas Ordinis nullibi quam coram eorum conservatoribus convenire aut conveniri posse, 592 *a*. Conservatorum facultates, *ibid. b* et *seq.* Ordo S. Dominici, ante alios Mendicantium Ordines approbatus, super ceteros praecedentiam habere debet, 700 *a*. Diversae lites desuper ortas Pontifex ad se revocat, *ibid. b*; primum locum fratribus Praedicatoribus concedit, *ibid.* In Aragonia fratres non promoveantur ad baccalaureatum, nisi philosophiam vel theologiam quatuor annos docuerint, 760 *b*. Promotiones aliter factae irritan-

tur, 761 *a*. Pius V confirmat omnes beneficiorum uniones, Ordinis favore peractas, defectus supplendo, caducitates validando, *etc.*, 802 *b*; item privilegia et exemptiones, aliaque concedit, 803 *b*. et *seq.*; roborat antiqua Praedicatorum privilegia, quoad immunitatem a decimis et aliis oneribus, 834 *a*. Huius Ordinis moniales, in articulo mortis constitutae, professionem emittere possunt ante annum probationis expletum, dummodo legitimae sint aetatis, 850 *a*. Magistri generalis et praelatorum facultas fratres deputandi in Ordinis tabelliones pro executione mandatorum apostolicorum, 905 *a*. Eorumdem facultas absolvendi suos fratres et moniales et cum eis dispensandi sicut episcopi cum clericis, interdicto eisdem usu cruciatae vel alterius privilegii ad eligendos confessores et obtinendas huiusmodi absolutiones et dispensationes, 931 *b* et *seq*. Bona monasteriorum huiusce Ordinis, monialibus destitutorum, spectant ad fratres eiusdem Ordinis, quorum curae commissa erant, 936 *b* et *seq*. *V. insuper* Fratres, Maioricenses, Hibernia, Regulares.

Dominicus (S.) SS. Rosarii inventor et per suos fratres propagator, 774 *b*.

Duodecim Apostolorum (Ss.) sodalitas in Urbe instituitur, pro decentiori Eucharistiae Sacramenti veneratione, regimine monasterii Domus Piae necnon subventione egenorum mendicare erubescentium aut aliter miserabilium, 329 *b*. Sodales eligunt in societatis protectorem cardinalem Vitellium, 330 *a*; atque a Pio IV obtinent confirmationem institutionis, electionis, sodalitii statutorum, necnon facultatem alia condendi statuta, *ibid a* et *b*. Indulgentiae quas sodales consequi possunt, 331 *a*.

E

Ecclesia Romana omnes ad se venientes benigne amplectitur, 441 *a*.

Ecclesiarum Urbis fructus et emolumenta, ad capitulum et mensam spectanctia et distributiones pro defunctorum anniversariis, applicantur distributionibus quotidianis divino officio praesentibus, 147 *b* et *seq*.

Ecclesiastica immunitas improbis delinquendi materiam praebere solet, 618 *a*.

Electiones ad regimina monasteriorum, praepositurarum et aliarum dignitatum conventualium, absque Sedis Apostolicae provisione vel confirmatione factae, infirmantur a Pio IV, 309 *a*. Forma desuper in futurum servanda, *ibid. b*. Poenae aliter electorum vel electiones confirmantium, *ibid.*

Eleemosynae. *V.* Visitatores.

Elisabeth, Angliae regina, eique adhaerentes haeretici declarantur a Pio V, 810 *b* et *seq*.

Episcopi absentes ad suas ecclesias redire iubentur, 55 *b*. Inobedientium poenae, *ibid.* In propriis ecclesiis residentes nequeunt in ius vocari in Romana Curia, nisi Papa iubente, 56 *a*; a decimarum solutione liberantur, *ibid.*; iurisdictionem habent in clericos seculares et in regulares extra claustra vagantes, 57 *a*; qui, ubi agitur de correctione, ab illorum sententiis appellare nequeunt, aeque ac in aliis caussis ab illorum decretis ante definitivam, *ibid.* Episcopi titulares nuncupati pontificalia exercere in aliena dioecesi nequeunt, nisi de or-

dinarii licentia, 198 *a*. Poenae contra inobedientes, *ibid. b*. Ordinariorum facultas contra eosdem procedendi, 199 *a*. Novae contumacium poenae, *ibid. b*. Episcoporum facultas visitandi parochiales ecclesias fratrum militum S. Ioannis Hierosolymitani, quoad animarum curam et sacramentorum administrationem, 944 *a*. *V*. Indiarum episcopi.

Eremitae S. Augustini. *V*. Fratres.

Eucharistiae Sacramentum ut decentius honore afficiatur sodalitium instituitur. *V*. Duodecim Apostolorum (Ss.) sodalitas.

F

Florentinae nationis sodalitium, *De Misericordia* nuncupatum, Romae instituitur sub invocatione S. Ioannis Baptistae Decollati, ad hortandos in via iustitiae morti damnatos, 768 *b*; facultatem habet propria statuta sibi condendi, 779 *a*. Sodales privilegiis distinctum confessarium sibi eligere queunt, *ibid.*; iudicem habent auditorem Camerae Apostolicae, *ibid.*; haereditates a condemnatis recipere possunt, *ibid.*; indulgentias obtinent pro se ipsis et pro visitantibus eorum ecclesiam, *ibid.* Nemo, generatim, inter sodales admittitur, nisi Florentinus sit, *ibid. b*. Sodalitii cappellanus, condemnatis praesentibus, missam ante diem celebrat, *ibid.* Sodales carceri mancipatum, die xv augusti, e carceribus liberare possunt annuatim, 770 *b*; alias sodalitates sibi aggregare, *ibid.*; propriis domibus, dum aegrotant, missam celebrare facere singulis diebus, 771 *a*. Cappellani facultates, *ibid.*

Fontis Avellanae congregatio. *V*. Crucis (S.) Fontis Avellanae congregatio.

Francisci (S.) de Assisio fratres ad Ordinem Minimorum S. Francisci de Paula et e contra transire nequeunt, 617 *a*. Contravenientium poenae, *ibid. b*. Fratres Minores de Observantia Pio V supplicant pro licentia celebrandi qualibet v feria officium Corporis Christi, 647 *a*. Concedit Pontifex, exceptis qualibet v feria quadragesimae et adventus necnon festis et octavis totius anni in dicta feria occurrentibus, *ibid. b*. S. Franciscus in humanis existens multos fratres sub unica Regula collegit, 650 *a*. Quae in plures postea congregationes divisa, *ibid. b*. Pius V omnes illas, sive Amadeorum, sive Clarenorum, sive aliter nuncupatas interdicens, in uno Ordine Minorum de Observantia unit, 651 *a*; iuramenta, vota, *etc.*, quae eas impedire possunt, remittit, *ibid. b*; mandato obedire recusantes, tamquam apostatas, punit, 652 *a*; fratres sic aggregatos alio quam de Observantia nomine appellari prohibet, eosque antiqua privilegia, Regulae de Observantia non contraria, retinere posse decernit, *ibid.*; omnium privilegia et ordinem in capitulis sedendi declarat, *ibid.*; loca regularia non deseri, sine Pontificis permissione, praecipit, *ibid. b*. Monialium gubernatio aggregatis fratribus antea subiectarum ad quos spectet, 653 *a*. Ministri generalis facultas in fratribus deputandis usque ad capituli celebrationem, *ibid.* Loca unita eius provinciae sunt intra cuius fines existunt, *ibid. b*. Fratres Minores Conventuales nihil proprium habere posse decernit idem Pius, 676 *a*; bona quaecumque in communes usus converti, *ibid. b*; officiales comedere cum aliis fratribus, 677 *a*; res dono

habitas superioribus consignari, *ibid.*; infirmos diligenter curari, *ibid.*; bonorum administrationis et dispensationis rationis reddendae formam praebet, *ibid. b*; officiorum ambitus prohibet, *ibid.*; contravenientium poenae, 678 *a*. Extinctio officii visitatoris, ministri et vicarii generalis fratrum et sororum Tertii Ordinis de Poenitentia, 680 *a*. Ordo recipiat in superiores fratres de Observantia, *ibid. b*. Fratres et sorores de Poenitentia eumdem habeant protectorem ac fratres de Observantia, *ibid.* Electio visitatorum provincialium fiat per vota secreta, *ibid.* Eorum officia quantum durent, *ibid.* Eorumdem facultates, 681 *a*. Fratres et sorores nihil privatim habeant, *ibid. b*; in communi et in clausura vivant, *ibid.* Ipsarum confessarii et concionatores a generali vel provinciali ministro approbentur, *ibid.* Decreta Rodulphi cardinalis protectoris observentur, *ibid.* Dubia desuper oritura a generali et provinciali declarentur, 682 *a*. Privilegia Minorum de Observantia Tertio Ordini conceduntur, *ibid. b*. Nullum praeiudicium per hasce dispositiones ferri declaratur reformationi Tertiariorum in Hispania degentium, 683 *b*. Pius V Minores Conventuales reformat, 691 *a*. Cuius reformationi fratres in capitulo generali congregati nonnulla addunt, *ibid. b*. Quae approbat Pontifex, *ibid.* AEtas in novitiis, etiam oblatis, necnon in laicis requisita, 692 *b*. Provinciales eligantur ex aliena provincia, *ibid.* Guardianatus officium quantum duret, *ibid.* Paternitatis titulo qui donandi, 693 *a*. Fratres biennio tantum morentur in eodem conventu, *ibid.* Eorum numerus pro quolibet conventu, *ibid.* Studiorum regentes quot lectiones interpretari debeant, *ibid.* Fratrum exercitium quotidianum, *ibid.* Iidem proprium nihil habeant, *ibid.*; in communi vivant, *ibid. b*. Infirmis et aegrotis praesertim consulendum, *ibid.* Bonorum custodia quomodo curanda, *ibid.* Quisque unica cella, humili lecto et mensa sit contentus, *ibid.* Dormitoria communia habeantur, *ibid.* Horti sint communes, exceptis hortis novitiorum et infirmorum, 694 *a*. Bona fratrum decedentium quibus monasteriis danda, *ibid.* Pro officialium deputatione vel confirmatione nihil recipiatur, *ibid.* Subventiones praelatis dandae, *ibid.* Alexandrinae constitutiones serventur, *ibid.* Quae vestes induendae, *ibid. b*. In singulis Ordinis provinciis duae saltem domus assignentur fratribus strictioris Observantiae, a quibus, absque praelatorum licentia, nullatenus ad alia loca se transferre possint, 742 *b*. Qui et quomodo eligendi in huius Ordinis superiores, 917 *b*. Quando electi vocem in capitulo habere nequeant, *ibid.* Provincialium electio fiat per vota secreta, *ibid.* Subornantes et subornati in electionibus excommunicantur, *ibid.* Favorem quaerentes extra Religionem ad officium obtinendum, excommunicantur et carcere mancipantur, 918 *a*. Praelatorum officium quando expletur, *ibid.* Discretorum officium et numerus, *ibid.* Theologiae lectores quando vocem habeant in capitulo, *ibid. b*. Paupertas ab officialibus servanda, *ibid.* Novitios recipiendi forma, *ibid.* Quales recipi possint ex descendentibus ab haereticis, *ibid.* *V.* Conventuales, Fratres, Minores, Regulares.

Francisci (S.) de Paula Minimorum Ordo, inter Ordines Mendicantes recensendus, eorum privilegiis gaudet, 634 *a* et *seq.*

Franciscus I, Francorum rex, eiusque praedecessores de Romana Ecclesia benemeriti, 4 *a*. A Romanis Pontificibus ius nominandi, iuxta pacta, ad cathedrales et metropolitanas ecclesias necnon ad monasteria ei et Henrico II conceditur, *ibid. b*

et *seq.* Franciscus II eamdem facultatem obtinet a Pio IV, 9 *a* et *seq.* Tenor litterarum Henrici II super observantia pactionum cum Leone X, 11 *a* et *seq.*

Fratres S. Dominici, S. Francisci, Eremitae S. Agustini, Carmelitae ac Servi B. Mariae a Pio V declarantur vere et proprie Mendicantes, 614 *b*. Ordinariis indicitur ne eos vexent, et si quid ab eis exegerint, restituant, 615 *b*. *V.* Regulares.

Fridericus imperator Ordini S. Lazari Hierosolymitano plura bona in Sicilia, Calabria, Apulia, *etc.* donat, 338 *a*.

Frumenta, legumina, *etc.* e Statu Ecclesiatico extraendi licentiae, praeterquam ex caussa onerosa concessae, revocantur, 377 *a*. Innovatio prohibitionum contra extrahentes promulgutarum, *ibid. b*. Contravenientium poenae, 378 *a*. Licentias ex caussa onerosa habere praetendentes, declarent coram camerario, alioquin eis uti non possint, *ibid. b*. Extrahendi licentiae, a camerario non approbatae non valent, 379 *a*. Praedictae prohibitiones extenduntur ad carnes, olea et id genus alia, 849 *a*.

G

Georgii (S.) in Alga Venetiarum canonici saeculares regularem professionem emittunt sub Regula S. Augustini, 772 *b*. Pius V antiqua eorum privilegia confirmat, eisque communicat concessa et concedenda cuicumque aliae Religioni, *ibid.* Idem Pontifex declarat primum locum canonicis Lateranensibus concessum non nocere istis canonicis S. Georgii, sed ipsos semper in processionibus et actionibus publicis praecedere omnes canonicos regulares Ordinis S. Augustini, 915 *b* et *seq.* *V.* Regulares.

Gladiatorum, vulgo duellantium, poenae, 84 *a*. Earum extensio ad illorum fautores, *ibid. b*. Revocatio licentiarum super huiusmodi pugnis, 85 *a*. Monitio ad omnes principes christianos ut singularia certamina prohibeant, *ibid.*

Graecae Ecclesiae tam clerici quam laici permulti ab ordinariorum iurisdictione se exemptos esse praetendunt, ut liberius indulgeant erroribus, 271 *b*. Hos Pius IV ordinariorum iurisdictioni subiicit in his quae Dei cultum spectant, ritus Graecos approbatos permittendo, 272 *a*.

Grassatores. *V.* Homicidae.

Gubernator almae Urbis, quum aliquid de mandato Papae se dicere vel facere asseruerit, plenam fidem obtineat, 847 *b*.

H

Haereticorum libri, Lutheranorum praesertim, a nemine legendi vel retinendi, nisi ab haereticae pravitatis inquisitoribus, 280 *a*. Huiusmodi scripta nedum simplices, sed etiam doctos viros corrumpunt, 281 *a*. Ideo concilium Tridentinum delegit praelatos ad conflandum indicem librorum, quorum noxia lectio, qui proinde

libri prohibiti appellantur, *ibid.* Perfectum indicem approbat Pius IV, librosque in eo descriptos legi vel teneri prohibet, *ibid b.*

Henricus VIII, Angliae rex, haeresim in suum regnum introduxit, 810 *a.*

Hibernia provincia fratrum Ordinis Praedicatorum, variis ornatur privilegiis, 547 *b* et *seq.*

Hieronymi (S.) Eremitae, congregationis B. Petri de Pisis, confirmantur in omnibus privilegiis concilio Tridentino non obstantibus, 908 *a*; indulgentiam plenariam in forma Iubilaei, qualibet quarta die dominica quadragesimae, in memoriam professionis trium votorum, consequuntur, necnon privilegia Ordinum Mendicantium, 909 *a.* *V.* Regulares.

Hieronymi (S.) Iesuatorum congregatio privilegia Mendicantium obtinet, 636 *b* et *seq.* *V.* Regulares.

Hieronymi (S.) nosocomium et societas, sub titulo Illyricorum de Urbe, charitatis et misericordiae operibus in pauperes splendet, 257 *a.* Cardinali protectori eiusdem societatis ampla iurisdictio conceditur, *ibid.* et *seq.*

Hierosolymitanum nosocomium S. Lazari, illiusque personae et bona ab Innocentio III et Honorio III sub Sedis Apostolicae protectione suscipiuntur, 337 *a.* Gregorius IX indulgentiam concessit dantibus eleemosynam nosocomio vel eius nunciis, *ibid.*; fratribus licentiam profitendi Regulam approbatam, *ibid. b.* Innocentius IV eisdem facultatem dedit eligendi militem sanum in magnum magistrum, *ibid.*; medietatem molendini in Nympha, *ibid.* Alexander IV prioribus dedit absolvere fratres in se violentas manus invicem ponentes, omnibus autem fratribus Regulam S. Augustini profiteri, *ibid.* et *seq.*; donationem diversarum possessionum in Sicilia, Calabria, Vallegratis, Apulia et Campania Felice, a Friderico imperatore Ordini factam, approbat, 338 *a*; ecclesiam de Galbis eidem concessit, *ibid.*; facultatem componendi de usuris et male acquisitis, *ibid. b*; dioecesanis prohibet rectores in domibus hospitalis ponere, *ibid.*; Nicolaus III leprosarias a decimarum solutione eximit, 339 *a.* Clemens IV Ordini leprosos atque eleemosynas undique colligere permittit, *ibid.*; ordinariis ut militiam a molestiis defendant mandat, *ibid. b*; eamdem a decimis eximit, *ibid.*; archiepiscopis et episcopis iubet oratoria et coemeteria pro usu fratrum benedicere, nec non dimittentes habitum coercere, *ibid.*; indulgentias concedit nosocomio subvenientibus, 340 *a*; harum vota commutandi potestatem tribuit ordinariis, illosque ab irregularitate absolvendi, *ibid.*; Ordini permittit mortuos ad eum pertinentes undique deferri ad proprias ecclesias ut ibi sepeliantur, dummodo hi nominatim excommunicati non sint, *ibid. b*; oblationes pro his qui in eius coemeteriis requiescunt recipere, *ibid.*; eleemosynas ubique colligere, etiam tempore interdicti, semel in anno, *ibid.*; archiepiscopis et episcopis vetat impedire suarum ecclesiarum clericos per annum vel biennium Hierosolymitanis fratribus deservire volentes, 341 *a.* Ioannes XXII militiam liberat ab ordinariorum iurisdictione, *ibid.*; Gregorius X et Alexander IV, a vectigalibus, *ibid. b.* Paulus II leprosariam Capuanam sub Sedis Apostolicae protectione suscipit, eamdemque ab omni onere subleval, *ibid.* Plures Romani Pontifices indulgentias visitantibus leprosariam Perusinam eidemque eleemosynam dantibus elargiti sunt, 342 *a.* Nicolaus IV illas confirmat et auget *ibid.*; nosocomium de

Valloncellis a procurationibus legatorum et a quibuscumque collectis subtrahit, *ibid.* Leo X nosocomio Capuano restituit Panormitanum S. Ioannis leprosorum et Messanense S. Agathae, Capuanum vero redintegrat, non obstante suppressione per Innocentium VIII peracta, *ibid. b.* Alexander VI ac alii Romani Pontifices quamplures favores et gratias Hierosolymitano nosocomio eiusque personis concedunt, 343 *a.* Pius IV concessiones, praesertim circa iurisdictionem M. magistri, ratas habet, quatenus illae concilio Tridentino non obstent, *ibid.* et *seq.;* easdem Capuano nosocomio communicat, 344 *a;* omnes suppressiones revocat, *ibid. b;* illudque constituit caput militiae S. Lazari, *ibid.*; electionem M. magistri ad conventum et milites spectare decernit, 345 *a;* eisdem sedis principalis translationem permittit, necnon habitus et statutorum reformationem, *ibid.* M. magistri et conventus facultas erigendi in commendas et praeceptorias beneficia de iure laicorum qualitercumque qualificata, etiam dignitates aut monasteria, non tamen consistorialia, *ibid. b;* praeservandi ius patronatus et praesentandi personas et instituendi praesentatas ac aliter dicta beneficia conferendi, *ibid.* Nosocomia, leprosariae et alia loca ad leprosorum hospitalitatem destinata pertinent ad militiam S. Lazari, salvis tamen legitimis titulis et praescriptionibus necnon ordinariorum iurisdictione, quae de iure communi vel ex decretis concilii Tridentini eis competit, 346 *a.* Fratrum facultas pensiones D ducatorum retinendi, easque transferendi, etiamsi post illarum assecutionem uxorem duxerint et bigami effecti fuerint, *ibid.* M. magistri et universae militiae susceptio sub Sedis Apostolicae protectione, 347 *a;* exemptio a iurisdictione omnium dominorum temporalium et spiritualium, necnon a decimis, *ibid.* et *seq.* Ordinis personae coram solo M. magistro et conventu vel delegatis respondere tenentur, 348 *a.* Immunitas a canonica portione vel caritativo subsidio, etiam regi Hispaniarum concesso et a quarta in Franciae regnis imposita, *ibid.* Facultas extrahendi, sine vectigali, fructus et pecunias ex militiae locis, *ibid. b* et 522 *a.* Exemptio etiam pro bonis fratrum patrimonialibus post emissam professionem, 348 *b.* Iurisdictio M. magistri et conventus in personis Religionis, 349 *a.* Decreta quorum vi milites et aliae personae Ordinis in ius vocatae, comparere tenentur coram M. magistro et conventu seu eorum delegatis, atque ad alios iudices recurrere prohibentur, *ibid.* Potestas et iurisdictio M. magistri et conventus super personis et rebus iuxta ordinationes, *ibid. b.* Facultas M. magistri procedendi contra inobedientes, etiam per edictum publicum, ad privationem quorumcumque beneficiorum, *ibid.* Avocatio caussarum Ordinis, quae aguntur tam in Romana Curia quam extra eam, illarumque commissio M. magistro et conventui, 350 *a.* Prioris potestas exequendi sententias et rem iudicatam, *ibid.* Devolutio appellationum a sententiis delegatorum ad M. magistrum et conventum, et ab eis ad capitulum generale, *ibid. b.* Mandatum de expeditionibus et executorialibus M. magistri et conventus executioni dandis, nullius quaesita licentia, *ibid.* Eorumdem facultas procedendi in personas detinentes bona Religionis, et non solventes debita communi aerario, *ibid.* Fratres eligere queunt in conservatorem quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam, 351 *a;* poenae non solventium iura mortuariorum et vacantium, *ibid.* Clerici ordines a quovis

antistite recipiunt etiam extra tempora, et in quibusvis ecclesiis celebrant, *ibid. b* et 525 *a*. Concessio iuris ordinariorum M. magistro, conventui, prioribus, *etc.* intra limites suarum administrationum, 351 *b*. M. magistri et conventus potestas quoscumque delinquentes ubique carceri mancipandi et puniendi, *ibid.* Irritatio reservationum, unionum ac aliarum gratiarum praeventivarum super locis Religionis, et commissio M. magistro desuper providendi, 352 *a*. Cassatio quarumcumque expectativarum, etiam ex caussa onerosa, sine consensu M. magistri et conventus concessarum, *ibid. b*. Cassatio quarumcumque collationum, provisionum, *etc.*, factarum et fiendarum sine praedictorum consensu, etiamsi illae vere sortitae sint effectum, *ibid.* M. magistri et conventus potestas disponendi de bonis vacantibus per privationem, et apprehendendi possessionem bonorum per alios occupatorum, 353 *a;* privative etiam disponendi de locis Religionis quandocumque et quomodocumque vacantibus, *ibid. b;* quae tamen personis Ordinis conferri debent, *ibid.* Abolitio exemptionum prioribus et militibus concessarum ab obedientia M. magistri et conventus, necnon a debitis communi aerario, *ibid.* Modi et formae quibus tantum derogari potest praedictis statutis, 354 *a*. Rescissio contractuum in Religionis damnum factorum, *ibid.* Cassatio accessuum, ingressuum et regressuum ad beneficia, praeterquam ex caussa onerosa et de consensu M. magistri, *ibid. b*. Censurae et poenae in usurpatores bonorum et iurium nosocomii, ac prohibitio huius bona alienandi, *ibid.* Omnia nosocomia et loca sub invocatione S. Lazari a M. magistro et conventu dependent, 355 *a;* subsidium annuum, a concilio Ordinis generali imponendum, eisdem M. magistro et conventui, sub poena excommunicationis et etiam demolitionis locorum, solvere tenentur, *ibid.* Fratres dumtaxat obtinere queunt Ordinis beneficia, *ibid. b*. Presbyteri saeculares, qui huiusmodi beneficia obtinuerunt, dimittant favore fratrum nisi Religionis habitum infra sex menses suscipiant, et professionem emittant, *ibid.* et 356 *b*. Cessiones et provisiones de beneficiis sine clausula *de consensu M. magistri*, nullius sint roboris, 356 *a*. Revocatio iuris patronatus, nisi ex fundatione vel dotatione, *ibid.* Prohibitio reservandi pensiones super beneficiis Ordinis, nisi favore fratrum, *ibid.* Ad parochiales et alias ecclesias Ordinis deputari possint fratres cappellani, non obstante contrario usu, *ibid.* Fratres cappellani, habitu a saecularibus presbyteris non differunt, nisi cruce ad pectus deferenda, 357 *a* et 528 *a*. Presbyteri milites curatum beneficium, etiam parochiale, retinere possint, 357 *a*. Res iudicata non praeiudicet M. magistro et conventui, super eorum iurisdictione et civili possessione, nisi specialiter ipsi ad caussam vocati fuerint, *ibid.* Milites et aliae Ordinis personae, circa eius religiosorum caussas, in testes recipi possint, aliis deficientibus, *ibid. b*. Fratrum cappellanorum facultas ecclesiis Ordinis deserviendi ampliatur, saecularibus presbyteris pene exclusis, *ibid.* et 528 *a*. Dictis privilegiis gaudeant dumtaxat qui professionem emiserint, aut infra certum tempus emittere spoponderint, *ibid.* et 528 *b*. Vagabundi privilegiis non fruantur, 357 *b*. Non iniiciantur manus violentae in confugientes ad ecclesias Ordinis, 358 *a* et 528 *b*. M. magistri et conventus facultas vicarium in prioratibus deputandi, qui beneficia conferat, antianitates concedat, responsiones exigat, super aetate defectuque natalium dispenset, 358 *a;* valide expediendi lit-

teras, nullius requisita confirmatione, circa professionis emissionem, habitus susceptionem, debitorum et obsequiorum praestationem, antianitates et provisiones, *ibid.;* privative, etiam quoad Sedem Apostolicam, disponendi de beneficiis per cessationem solutionis vel inobedientiam vacantibus, *ibid. b;* procuratorem cum generali aut speciali potestate in Romana Curia deputandi, *ibid.*; beneficia, etiam iam antea Sedi Apostolicae reservata, conferendi, iis exceptis quae Pontifici Maximo resignantur, beneficia uniendi et separandi inque illis antianitates concedendi, *ibid.;* resignationes admittendi cum reservatione tituli et etiam fructuum, *ibid.;* sepeliendi in Religionis parochialibus quorumcumque christifidelium cadavera, etiam interdictorum, dummodo ipsi interdicto caussam non dederint, 359 *a;* donata et legata exigendi, *ibid.* Prioribus, praeceptoribus, militibus et aliis Ordinis personis quaecumque ecclesiastica sacramenta ac omnes, etiam sacros, ordines a quocumque catholico antistite recipere, necnon arma deferre licet, *ibid.* Cappellanis pariter datum, et tempore interdicti, confessiones audire, sacramenta ministrare officiaque divina celebrare, *ibid.;* omnibus christifidelibus praeceptorias et alia loca Ordinis erigendi absque ordinariorum licentia, *ibid. b.* M. magister quibusvis Ordinis personis et locis indulgentias aliasque gratias communicare potest, *ibid.*; sodalitates, nosocomia et alia loca erigere cum annui census reservatione, *ibid.* Fratres omnes more militari testantur, etiam de bonis acquisitis ex fructibus beneficiorum, favore quorumcumque, etiam inhabilium, 360 *a.* Prior ecclesiae conventus habitu pontificali divina officia celebrat, vel nullo antistite praesente, vel eo annuente, *ibid.* Milites non incurrunt mortale peccatum quavis Regulae transgressione, sed inobedientia et contumacia pluries commissa et rebellione a Religione, *ibid. b* et 530 *b.* Cartusianis exceptis, omnes religiosi Ordinem Hierosolymitanum ingredi possunt, habito superiorum consensu, 360 *b.* Indulgentia plenaria pro militibus contra infideles vel haereticos expeditis et omnibus visitantibus ecclesias S. Lazari, in eius festivitate, *ibid.* Item indulgentia plenaria, adinstar benefactorum nosocomii S. Spiritus, istius Religionis benefactoribus, 361 *a.* Taxatio eleemosynae ad quintam partem unius ducati de Camera pro ingredientibus sodalitatem, *ibid. b.* Concessio confessionalis in variis casibus pluriumque aliarum gratiarum, *ibid.* et *seq.* Nosocomium et militia in antiquis privilegiis confirmantur a Pio IV et a Pio V, 516 *b* et *seq.* Qui illa reformare statuit, 517 *a;* firmis remanentibus redintegrationibus, translationibus et restitutionibus dictae militiae et hospitii, *ibid.*; concessiones ante Pium IV factas confirmat quatenus tunc essent in usu et nemini praeiudicarent, *ibid. b*; nonnullas Pii IV revocat, nonnullas limitat, *ibid.* Haec militia obsequiis S. R. E. semper parata esse debet contra eius hostes, 518 *a.* Electio M. magistri ad Religionem spectat, sed confirmatio a Sede Apostolica obtineatur infra tres menses, alias ad eam devoluta sit, *ibid.* Pius V M. magistro et conventui facultatem confirmat transferendi principalem militiae sedem, ac habitum, Regulam et statuta reformandi, *ibid. b.* M. magister instituere potest qualiacumque beneficia simplicia de iurepatronatu laicorum in commendas, eaque ipsi hospitio et militiae incorporare, ac personis idoneis concedere, *ibid.* Nosocomia et cetera loca sub invocatione S. Lazari, eiusdem hospitio sint subiecta et per ipsos

fratres regantur, servata ordinariorum iurisdictione et contributione pro seminariis, 519 *b* et *seq*. Religiosorum facultas percipiendi pensiones annuas usque ad summam D ducatorum auri, necnon fructuum reservatio pro coniugatis, qui cum una tantum virgine matrimonium contraxerint, 520 *a*. Religio, eiusque et vectigalium bona, exceptis patrimonialibus, sub Sedis Apostolicae protectione recipiuntur, *ibid. b*. Exemptiones quamplures, *ibid.* et *seq*. In puniendis delictis atrocioribus, iurisdictio sit M. magistri vel ordinariorum, prout ad illum vel ad istos delictum primo pervenerint, 521 *b*. Bona patrimonialia religiosorum, post professionem, ab oneribus immunia declarantur aeque ac Religionis bona, 522 *b*. Iurisdictio M. magistri et conventus inter personas Religionis et militiae confirmatur, *ibid.* Appellationes a sententiis delegatorum ad M. magistrum, et ab eo ad capitulum generale, declarantur, 524 *a*. Sententiae executioni demandentur, nullius petita licentia, *ibid.* Facultas procedendi contra indebite occupantes bona Religionis, eiusque debitores, *ibid.* Quaelibet persona ecclesiastica in conservatorem eligi potest, *ibid. b*. Nosocomii beneficia obtinentes, eidem iura mortuariorum, vacantium, *etc.* solvant, 525 *a*. Magister, conventus, *etc.*, intra suarum iurisdictionum limites, veri ordinarii sunt, *ibid. b*. Iidem capere queunt ubique delinquentes et ad locum destinatum trasmittere, *ibid.* Officiales omnes auxilium praestare tenentur pro capiendis et transmittendis delinquentibus, *ibid.* Cassatio quarumcumque expectativarum, reservationum, *etc.*, *ibid.* M. magistri facultas propria auctoritate apprehendendi possessionem bonorum, quae indebite fuerunt occupata, 526 *b*. Loca Religionis non comprehenduntur sub reservationibus apostolicis, sed sunt manualia, et conferri debent personis Religionis, *ibid.* Exemptiones concessae prioribus, *etc.* non suffragantur adversus debita communi aerario et obedientiam superioribus, 527 *a*. Alienationes bonorum prohibentur, *ibid.* M. magistri facultas revocandi iura patronatus sub datis conditionibus, *ibid. b*. Prohibitio reservandi pensiones super beneficiis hospitii praeterquam favore fratrum, *ibid.* Fratres beneficia, quoad vixerint, retinere possunt, 528 *b*. M. magistri facultas deputandi tam vicarium cum facultate conferendi beneficia, quam procuratorem generalem in Romana Curia cum simili et maiore potestate, *ibid.* et *seq*. Facultas sepeliendi in eorum parochiis quoscumque interdictos, dummodo interdicto caussam non dederint, 529 *b*. Facultas iteratur exigendi donata et legata, *ibid.*; recipiendi ecclesiastica sacramenta a quocumque catholico antistite, *ibid.*; arma quaecumque ubique deferendi, *ibid.* Fratres cappellani divina officia celebrant etiam tempore interdicti, *ibid.* Quilibet christifideles praeceptorias, *etc.* erigere queunt, nulla petita licentia, 530 *a*. Amplissima fratrum testandi facultas, *ibid.* Prior celebrat in habitu pontificali, dummodo non sit praesens antistes, et tunc de eius licentia, *ibid. b*. Personae Religionis, cum habitum sumunt vel profitentur atque in articulo mortis, confessorem eligunt a quo indulgentiam plenariam recipiunt, *ibid.* Tabellionis, sub excommunicationis poena notificent legata hospitio facta, 531 *a*. Priores et praeceptores, dominica Palmarum et eius octava, confessiones audiunt, et confitentibus indulgentias impartiuntur, *ibid.* Facultas appendendi campanas animalibus S. Lazaro oblatis, illaque subsignandi, *ibid.* Durante temporali indulgentiarum suspensione, Sancti Lazari indulgentiae non in-

telliguntur suspensae, *ibid. b.* Communicatio privilegiorum hospitiis et militiis S. Ioannis Hierosolymitani, S. Iacobi de Spatha, S. Antonii Viennensis, S. Spiritus de Urbe et S. Stephani in Tuscia concessorum, *ibid.* et *seq.* Publicatio et affixio litterarum apostolicarum et mandatorum magistri et conventus arctent ac si personaliter indictae forent, 532 *b.* Magister et conventus quemcumque inobedientem omni honore et officio privare queunt, *ibid. V.* Regulares.

Hierosolymitanus Ordo S. Ioannis pluribus favoribus decoratur, 31 *a.* Martinus V M. magistro et conventui eiusdem omnes caussas personarum ad Ordinem pertinentium cognoscendas committit, *ibid.* et *seq.* Sixtus IV quascumque beneficiorum provisiones ad M. magistrum solum spectare decernit, 32 *a.* Innocentius VIII Ordinem S. Sepulcri supprimit, eiusque militiam et bona Hierosolymitano adiicit, *ibid. b*; nullam exemptionem admittit ab obedientia M. magistri, nec a solutionibus communi erario debitis, 33 *a*; beneficiorum collationem solo magistro et conventui concedit, *ibid. b* et *seq.* Iulius II expectativas aliasque gratias, sine eorumdem consensu factas, cassat, 34 *b*; coadiutorias personis Religioni extraneis concessas revocat, 35 *a*; M. magistro concedit totalem iurisdictionem, *ibid. b* et *seq.*; indulgentiarum publicationem, 36 *a.* Leo X praedecessorum concessiones confirmat, *ibid. b.* Idem Pontifex decernit M. magistrum et conventum vicarios in prioratibus deputare posse cum potestate praeceptorias et alias dignitates conferendi, 37 *a*; M. magistri litteris fidem adhibendam, quoad professionis emissionem, habitus susceptionem et debitorum praestationem, *ibid.*; antianitatis litteras et beneficiorum provisiones ab eo concessas ipso facto approbatas censeri debere, *ibid.*; beneficia vacantia Summo Pontifici non devolvi, *ibid.*; alienationes fieri non posse, *ibid. b.* Quando clausula *cum derogatione privilegiorum* uti liceat, *ibid.*; gratiae expectativae concessae et concedendae irritantur, *ibid.* et *seq.* Clemens VII supradicta privilegia et gratias ratas habens, ad conventus familiares famulosque extendit, 39 *a*; iurisdictionem meri et mixti imperii in personas et bona Ordinis dat M. magistro, *ibid. b*; item facultatem deputandi procuratorem in Romana Curia ad beneficia conferenda, 40 *a*; ubique etiam indulgentias publicandi et eleemosynas quaerendi, mortuosque in ecclesiis Ordinis sepeliendi, *ibid. b*; legata acceptandi, 41 *a*; fratribus sacros ordines recipiendi a quocumque episcopo, *ibid.*; ipsis et eorum familiaribus arma gestandi, *ibid.*; cappellanis confessiones audiendi et sacramenta ministrandi, *ibid.*; interdicti tempore divina officia celebrandi, *ibid.*; quibusvis christifidelibus praeceptorias, domos, *etc.*, ab Ordine dependentia, non autem ab ordinariis, erigendi, *ibid.*; M. magistro et conventui donationes et alios damnosos contractus revocandi, *ibid.* Omnes accessus, ingressus, regressus ac coadiutorias ad baiulivias, prioratus, *etc.*, praeterquam ex caussa onerosa concessos, Summus idem Pontifex cassat, *ibid.*; litium in Romana Curia vertentium M. magistro et conventui cognitionem reservat, 42 *a*; Religionem ab ordinariorum superioritate eximit, nec non a quorumcumque onerum solutione, *ibid.* et *seq.* Iuspatronatus ex fundatione vel ad tertiam partem dotatione creari concedit, necnon Ordini facultatem eos redimendi pretio restituto, 43 *b*; pensiones constituere aliis quam personis Ordinis prohibet, nisi accedat consensus M. magistri, *ibid.*; beneficia et pensiones habentes, infra sex menses, profes-

sionem regularem emittere et habitum suscipere iubet, *ibid.*; quicumque per fratres in conservatores eligentur, tales ab omnibus censeri vult, 44 *a*; per cappellanos tantum Ordinis deserviri parochialibus eiusdem, et ab ordinariis gratis ad hoc recipi debere decernit, *ibid.*; habitum suscipientes, et non alios, privilegiis Ordinis gaudere statuit, *ibid. b*; manus violentas imponere in confugientes ad Ordinis ecclesias prohibet, *ibid.*; item litteris suis nonnisi forma ab ipso Pontifice tradita derogari, *ibid.*; praedecessorum constitutiones favore Ordinis confirmat et ampliat, 45 *a*; lites omnes inter fratres M. magistro cognoscendas tradit, exceptis casibus denegatae iustitiae aut perperam observatarum ordinationum, *ibid.*; omnes bonorum Ordinis concessiones aliis quam fratribus factas revocat, illorumque dispositionem M. magistro et conventui reservat, *ibid. b* et *seq.* Paulus III praedecessorum gratias confirmat, praesertim quoad Ordinis facultatem percipiendi antiquas decimas, eiusdemque exemptionem a decimis erga alias personas, communitates, *etc.*, 46 *a* et *seq.* Pius IV etiam omnia praedicta confirmat, 48 *a* et *seq.*; statuta capituli generalis anni MDLVIII approbat, 49 *a*; ad Ordinis nosocomium in Melitensem insulam translatum extendit, *ibid. b.*; a iudicibus nosocomii ad M. magistrum, ab his vero ad capitulum generale tantum appellari permittit, 50 *a*; sententias et mandata M. magistri nullo pretextu impediri posse decernit, *ibid.*; eidem facultatem concedit procedendi contra omnes aliquid Ordini debentes, *ibid. b*; omnia iura nosocomii exigi mandat, 51 *a*; fratres cappellanos a quocumque antistite, etiam extra tempora ordinari, *ibid.*; privilegia extrahendi frumenta, pecunias, *etc.* ab omnibus Religionis locis, sine vectigali, concedit, *ibid. b*; priores et praeceptores, infra limites suae iurisdictionis, ordinarios declarat, 52 *a*; beneficia Ordinis, non in titulum perpetuum, sed ad nutum M. magistri concedi vult, *ibid. b*; rem iudicatam, M. magistro et conventu non citatis, non praeiudicare, 53 *a*; personas Religionis, in caussis ipsius, testes recipi posse, deficientibus aliis, *ibid.*; priores et quoscumque fratres delinquentes a M. magistro capi posse, *ibid.*; habitum extra conventum suscipientes, aut beneficia *etc.* possidentes, eisdem privari posse, si infra annum in conventu non compareant, *ibid. b.* Nosocomium S. Ioannis haeres a Pio IV declaratur omnium bonorum a fratribus hospitii relictorum, ubicumque ipsi decesserint, et quoquomodo illa acquisiverint, ab haereditate penitus exclusa Camera Apostolica, 114 *b* et *seq.* Complures Romani Pontifices a decimis et aliis oneribus xenodochium exemerunt, 727 *a*. Ordinariis tamen illud molestia pro hac re afficientibus, Pius V exemptiones confirmat, *ibid. V.* Episcopi, Regulares.

Hispaniarum coenobia reformari mandat Pius V, 494 *b*. Caussae reformationis dispositionesque ad rem, *ibid.* et *seq.*

Hispaniarum praesules privilegia varia quae concedi non poterant, pecuniae vi, suis subditis concesserunt, 735 *b*. Huiusmodi concessiones irritat Pius V, poenis in contradictores adiectis, 736 *a*.

Homicidae, banniti *etc.* variis poenis subiiciuntur a Pio IV, praedecessorum constitutionibus confirmatis iisque ampliatis, 102 *b* et *seq.*; eorum receptatoribus quae poenae inflictae, 103 *b*; terrarum dominis et communitatibus praecipitur ut propria territoria a scelestis expurgent, 104 *a*; facultates gratiandi homicidas re-

vocantur, *ibid. b.* Praedictorum declaratio, 105 *b* et *seq.* Homicidae aliique rei quibus poenis a pluribus Pontificibus Max. coerciti, 186 *b.* Pius IV statuit insuper ob homicidium bannitos remitti nequire in loco ubi occisorum haeredes morantur, nisi ab ipsis habita pace, 188 *b.* Nonnulla dubia super praedictis exorta declarantur, 189 *b.* De deposito fiendo a condemnatis favore fisci et Camerae Apostolicae, 190 *a.* De commissionibus non signandis, nisi fisco et thesaurario citatis, *ibid. b.* De poena fractae pacis et treguae, et cautione de non offendendo, 191 *a.* De allegationibus novae caussae, *ibid. b.* De promissionibus de non offendendo, *ibid.* De sententia contumaciali, 192 *a.* De legitima solvenda a parentibus damnatorum, *ibid.* De tempore quo contumaces admittuntur ad defensionem, *ibid.* De homicidarum minoritate, *ibid. b.* De absolvendorum liberatione, *ibid.* De privativa et praeventione inter iudices ecclesiasticos et saeculares, *ibid.* Contravenientum poenae, 193 *a.* Privilegium sodalitatibus et aliis concessum liberandi, feria VI in parasceve, homicidam carceribus detentum Pius IV revocat, 335 *b;* huiusmodi gratiam concedere, consulto PP., suis officialibus reservat, 336 *a.* Scelesti e regno Neapolitano aufugientes in Statum Ecclesiasticum, et vicissim, capiantur, et puniendi tradantur auctoritatibus relativi Status, 428 *b* et *seq.* Pius V praedecessorum constitutiones innovat in homicidas, vindictam transversalem sumentes, hominum collectam facientes aliosque scelestos, 454 *a;* communibus praecipit ut facinorosos capiant, atque damna lata ab ipsis reficiant, *ibid. b;* poenas aggravat in auxiliatores scelestorum, 456 *b;* nonnulla declarat circa eorumdem receptatores praeteritos, 457 *a;* litteras huiusmodi quotannis publicari mandat, 458 *a.* Fractae pacis vel treguae novam caussam allegare quibus in casibus liceat, 465 *a.* Quando contumaces ad defensiones admitti debeant, *ibid. b.* In caussis mixti fori qua ratione praeventio locum habeat inter iudicem ecclesiasticum et laicum, 466 *a.* Capite in contumaciam damnati, capti infra annum a die condemnationis, non audiantur absque iussu Papae, sed sententiae, legitimis praecedentibus inditiis, in eos latae, executioni demandentur, 467 *b.* Quicumque receptaverit homicidas, rebelles, grassatores aliosque huius furfuris homines, poenis confiscationis bonorum, domorum demolitionis et perpetui exilii cum familiis subdatur, 472 *b* et *seq.* Super praedicta procedi potest per accusationem, delationem et inquisitionem, *ibid.* Appellationem in caussis criminalibus concedit Pius V, absque deposito poenae, sed data tantum cautione, dummodo appellans non sit dives, 503 *b*; confessis appellationem denegat, 504 *a.* Homicidae, blasphemi, sacrarum imaginum contemtores, in principatu Cataloniae, Aragonum regno, comitatibus Rosilionis et Ceritaniae, possunt, requisito iudice ecclesiastico, comprehendi etiam in locis immunibus, 618 *a* et *seq.* Qui debent custodiri in carcere ecclesiastico, donec ecclesiasticus iudex de delicto cognoverit, 619 *a.* Quando rei in contumaciam condemnati, et infra annum capti, admittendi vel non admittendi sint ad defensionem, 941 *b.* Appellationum caussae, in criminalibus, infra sex menses a die interpositae appellationis expediantur, 947 *a.* Iudices tradi faciant acta appellantibus, *ibid. b.*

Humiliatorum Ordo, regulari disciplina derelicta, incassum a Pio V amanter corripitur, 885 *b.* Cardinalis Borrhomaeus, Ordinis protector et Ap. Sedis delegatus,

deinde ipse Pontifex dicti Ordinis fratres reformare student, sed irrito, *ibid.* et *seq.* Nonnulli in haeresim usque delabuntur; alii, cum quodam Lignana S. Christofori Vercellensis praeposito, cardinalis Borrhomaei necem machinantur, 886 *b*. Ideo Pontifex Ordinem extinguit, fratresque officiis et bonis privat, 887 *a;* professos, in locis eis assignandis, regularem vitam ducere, aut ad pares vel strictiores Ordines transire praecipit, *ibid. b;* non professos expelli, *ibid.;* quemquam in Ordinem admitti, et alia loca acquiri prohibet, *ibid.;* Sedi Ap. reservat beneficia saecularia ob huiusmodi privationem vacantia necnon Ordinis bona, *ibid.;* praepositurarum uniones dissolvit, quarum aliquas aliis applicat, reliquas applicandas committit cardinali Borrhomaeo, 888 *b* et *seq.;* fratrum distributionem eorumque alimenta statuit, 890 *b*. Fabrica ecclesiae Terdonensis, extincti Ordinis, facultatem obtinet nonnulla bona redimendi, 892 *b*. Omnia Ordinis beneficia vacantia et vacatura Sedi Apostolicae reservantur, 893 *a*. *V.* Regulares.

I

Iacobi (S.) archihospitale in Augusta de Urbe ad pauperes incurabiles sublevandos destinatum, 12 *b*. Omnes caussae illud eiusque officiales concernentes cardinali protectori decidendae committuntur, 13 *a* et *seq.* Processus aliorum iudicum infirmantur, 14 *a*.

Immunitates (vulgo *franchigie*) pro malefactoribus vel aere alieno adstrictis prohibet Iulius III, 166 *a*. Quod confirmat Pius IV, *ibid. b*. Contravenientium poenae, 167 *a*. Iussio cardinalibus et oratoribus ut familiares admoneant ne contraveniant, *ibid.*

Impunita scelera peccandi augent licentiam, 620 *a*.

Incurabiles. *V.* Iacobi (S.) archihospitale.

Indiarum episcopi Pontifici Maximo exponunt balsamum in Indiis non reperiri, sed quemdam succum balsamo simillimum, 934 *b;* petunt et obtinent facultatem hoc succo, loco balsami, utendi in chrismatis confectione, 935 *a;* item ab irregularitate absolvendi, *ibid. b*. Absoluti poenitentiam a confessario impositam adimplere tenentur, sub poena abrogationis dispensationis, 936 *a*.

Indulgentiae circa clausulam porrectionis manuum adiutricum ab omnibus officialibus gratis expediantur, excepta solutione registraturae, 239 *b*. Indulgentiae continentes facultatem quaestuandi revocantur, 536 *a*.

Inquisitionis (S.) Officium a Paulo III institutum maiorem auctoritatem acquirit sub Pio IV, 237 *a*. Cardinales super huiusmodi Officio inquisitores supremi ac generales deputati in quoscumque et ubique procedere possunt, *ibid. b* et 250 *a;* cum vero de actis agitur in episcopos, archiepiscopos et cardinales, sententiam definitivam Pontifici Maximo reservare debent, 237 *b;* in inferiores licite sententiant, *ibid.;* procuratorem fiscalem ceterosque tribunalis officiales instituere, corrigere et amovere queunt et ad omnia praemissa brachium saeculare invocare, 238 *a;* abiurationes recipere, *ibid.;* haereticos atque apostatas absolvere, *ibid. b;* commissarios, intra et extra Italiam delegare et omnia agere ad

haeresum extirpationem opportuna, *ibid;* quod maior pars eorum decernit, ob omnibus valide statutum censendum est, 299 *a*. Haereticos libros vel aliter prohibitos habere et legere eisdem conceditur, 302 *a;* ceteris vetatur, nisi a praedictis cardinalibus licentiam obtinuerint, *ibid. b*. Omnes officiales obediant inquisitoribus generalibus, 422 *b*. Reges et principes eisdem faveant, 423 *a*. Carceribus mancipati pro aliis caussis, si ad Officium S. Inquisitionis tamquam haeretici accusati sint, ad illud transmittantur, *ibid.* Fratres de Pucciis palatium in suburbio S. Petri pro Inquisitionis Officio vendunt, 445 *b*. Pius V venditionem approbat, *ibid.;* palatiumque Officio Inquisitionis donat, 446 *a;* quod alienari prohibet, *ibid.*; cardinalibus inquisitoribus generalibus facultatem concedit caussas recognoscendi, non obstantibus sententiis a Sede Apostolica confirmatis, 500 *b*; Pauli IV constitutionem contra haereticos approbat, 501 *a;* cardinalium inquisitorum deputationem ab ipso factam confirmat, 502 *b;* quod maior pars vel etiam duo ipsorum fecerint, validum esse decernit, *ibid.*

Inquisitores haereticae pravitatis procedere possunt in sacerdotes qui actu confessionis mulieres ad actus inhonestos provocant, 126 *a;* creare tabelliones in caussis inquisitionis quoscumque clericos, etiam saeculares, 138 *b* et *seq.;* publicare non tenentur testium depositiones contra schismaticos vel haereticos, 146 *b;* syndicari nequeunt nisi a Romano Pontifice vel supremis inquisitoribus Urbis, 147 *a;* procedere possunt in omnes religiosos, etiam exemptos, Pio IV mandante, dummodo eorum superiores non praevenerint, quod statutis derogat plurium Roman. Pontificum, qui variis Ordinibus indulserunt ne molestia ab aliorum Ordinum inquisitoribus afficerentur, 176 *b*. Poenae in eos qui inquisitorum personas offendunt, bona diripiunt, carceres frangunt, *etc.*, 745 *a*. Delinquentes claras tantummodo probationes ad defensionem adducere queunt, *ibid. b*. Si delinquentes fuerint episcopi, eorum condemnatio Romano Pontifici reservatur, *ibid.* Delinquentium intercessores haeresis poenas incurrunt, 746 *a*. Revelantes huiusmodi delicta impunitatem consequuntur, *ibid.* Absolutionis forma, *ibid.*

Instigator. *V.* Tribunalia.

Ioannis Dei fratrum congregatio, ad nosocomiorum regimen pro curandis pauperibus infirmis instituta, approbatur, 959 *a*. Fratres obstacula nacti in eleemosynarum collectione pro dictis nosocomiis, provisionem obtinent a Summo Pontifice, *ibid.* et *seq.;* ordinariorum iurisdictioni et correctioni subiiciuntur, 960 *b;* habitum dimittere prohibentur, 961 *a*; ordinariis tantum de nosocomiorum regimine rationem reddere tenentur, *ibid.*

Ioannottus, M. magister Religionis S. Lazari. *V.* Hierosolymitanum nosocomium.

Iubilaeum indicit Pius V pro divino auxilio impetrando in Turcarum copias, 432 *a*. Indulgentiae poenitentibus, et facultates confessariis hac occasione concessae, *ibid.* et *seq.*

Iudaei in itinere galerum nigrum deferre possunt, 167 *b;* stabilia usque ad MD ducatos habere, et mercaturam quarumcumque rerum exercere, 168 *a;* cum christianis honeste conversari, *ibid. b;* pignora, elapsis XVIII mensibus, vendere, *ibid.;* statuta Urbis servare tenentur, nisi obstent privilegia, *ibid.* Domini domorum in hebraicis septis sitarum, eas locare debent. pro aequa pensione, 169 *a*. Qui stabilia ab

hebraeis emunt, pretium absque cautione solvant; aut illa cum fructibus restituant, *ibid.* Delicta, paucis exceptis, a iudaeis patrata remittuntur, *ibid.* Querelans contra eos, occasione exactionis lucri, potest integro anno prosequi querelam respectu poenae, *ibid. b.* Praescriptio iuris communis contra iudaeos opponi potest, *ibid.* Officinas extra proprium septum iudaei habere possunt, *ibid.* Libri tamen eorum nil probant contra christianos, nisi scripti italico sermone, 170 *a.* Signum ab eisdem deferendum, 439 *a.* Iudaei bona stabilia vendere tenentur sub poena perduellionis, 514 *b;* cui sane iussioni cum illudere variis fictionibus studeant, Pontifex iubet nondum revera vendita ab eorum iure distrahi et domui catechumenorum de Urbe applicari, 515 *a.* Caussae omnes super hoc motae et movendae dictae domus cardinali protectori decidendae committuntur, *ibid. b.* Iudaei omnes expelluntur a locis dominii S. R. Ecclesiae, Roma et Ancona exceptis, 741 *a.* Renitentium poenae, *ibid.*

Ius praesentandi seu nominandi ad beneficia ecclesiastica, principibus et quibusvis aliis concessum, ad foeminas non extenditur, 76 *b. V.* Franciscus I, Hierosolymitanum nosocomium, Hierosolymitanus Ordo.

Iustinae (S.) congregatio. *V.* Lateranenses.

L

Lancianensis ecclesia. *V.* Theatinus archiepiscopus.

Lateranenses sive SS. Salvatoris canonici regulares a Summis Pontificibus complures gratias obtinuerunt, 184 *a.* Declarationes circa praedicta, *ibid. b.* Constitutiones nonnullae ab eorum congregatione editae, *ibid.* Quae omnia confirmat Pius IV, 185 *a.* Canonici praedicti certant de praecedentia cum congregatione Cassinensi, alias S. Iustinae de Padua, Ordinis S. Benedicti, 273 *a.* Litem Pius IV audiendam tribus cardinalibus committit, sibique referendam, *ibid. b.* Qui referunt praecedentiam canonicis dandam, *ibid.* Pontifex iccirco pronunciat Lateranenses praecedere Cassinenses; abbates vero utriusque Ordinis, seorsim incedere, habita ratione antiquitatis promotionis, 274 *a.* Tenor sententiae, 276 *a* et *seq.* Pius V canonicis prohibet, sub poenis excommunicationis, privationis dignitatum aliisque, ne quis eorum tractare audeat de officiis generalatus, visitatorum et praelaturarum, nisi in capitulo generali, 812 *a.* Congregatio licentiam obtinet celebrandi die dominica festum S. Augustini vel eius octavam, si dicta die occurrerint, et quorumdam aliorum sanctorum festa celebrandi secundum antiquum ritum, 875 *b.* Canonici nequeunt in capitulis vocem activam aut passivam habere, nisi in sacris sint constituti, 953 *b.* Quae servari debeant in electionibus generalis aliorumque officialium, *ibid.* et *seq.* Capitulum generale quolibet triennio celebrandum, 955 *b;* diacta quolibet anno, 956 *a.* Officia generalis, visitatorum et procuratoris triennio explentur, aliorum vero officialium biennio, *ibid.* Qua ratione providendum officiis, praedicto triennio vel biennio nondum elapso, vacantibus, *ibid. b.* Bonorum temporalium administratio praefinitur, *ibid. V.* Regulares.

Lateranensis ecclesia omnium orbis ecclesiarum caput declarata fuit a Gregorio XI, 794 *b*. Rota etiam, cui Pius V hanc controversiam decidendam commisit, idem pronunciavit, *ibid.* Hic Pontifex praemissa confirmat, defectus supplet, omni contradictorum appellatione remota, 795 *a*.

Leges circa dotes, munera et ornamenta mulierum. *V.* Populus Romanus.

Legitimationes factae naturalium spuriorum, in praeiudicium vocatorum ex testamento vel alia valida dispositione, abrogantur, si nondum sint sortitae effectum, 93 *b* et *seq.* Extinctio litium pendentium circa dictas legitimationes, 94 *a*. Inhibitio contra comites palatinos et alios facultatem legitimandi habentes, ne contra formam huius ordinationis legitiment, *ibid.* Statutum hoc ligat omnes, quoad legitimationes factas auctoritate apostolica; quoad vero factas imperiali concessione, ligat tantum in terris Romanae Ecclesiae, 95 *a*.

Leprosariae favoribus ab Pontificibus M. cumulantur. *V.* Hierosolymitanum nosocomium.

Libellos, uti dicunt, famosos et litteras *d'avvisi* scribentes, dictantes, retinentes, transmittentes, *etc.*, quibus poenis afficiantur, 969 *b* et *seq.*

Librorum prohibitorum index. *V.* Haereticorum libri.

Litterae apostolicae provisionum super gratiis resignationum beneficiorum, qua forma expediendae sint, 552 *b* et *seq.* Cum agitur de excommunicandis his qui bona deperdita vel subtracta restituere aut revelare recusant, litterae dentur ad instantiam quorum civiliter interest, adiecta bonorum designatione, 836 *b;* episcopis aut eorum vicariis committantur sub forma a concilio Tridentino praescripta, 837 *a*. *V.* Summator.

Loca pia instituta sive dependentia a nosocomio S. Spiritus in Saxia de Urbe necnon alia quaedam contendunt se exempta esse ab ordinariorum iurisdictione, 211 *a*. Lites hinc exortas ad se advocat Pius IV, 212 *a;* revocat praedictorum facultates erigendi ecclesias et societates sive illas in eorum membra recipiendi, ecclesiasque et societates huiusmodi subiicit iurisdictioni ordinariorum et rectorum parochialium, *ibid.* Contravenientium poenae, 213 *a*. Idem Pontifex generaliter revocat omnia locorum piorum privilegia dispensandi super irregularitatibus, impedimentis matrimonialibus, *etc.*, quibusdam exceptis privilegiis quoad fabricam S. Petri, 229 *a*. *V.* Monasteria.

Locationes. *V.* Bona ecclesiastica, Camera Apostolica.

M

Magister sacri Palatii creatur canonicus theologalis basilicae S. Petri de Urbe, ut S. Thomae doctrinam doceat, 842 *a*. Primus canonicus theologalis Thomas Manrique, *ibid. b*. Interdictio archipresbytero et canonicis eum impediendi, *ibid.*

Maioli (S.) regularium congregatio. *V.* Somascha.

Maioricenses fratres, Ordinis Praedicatorum, pactionem faciunt cum parochialium ecclesiarum rectoribus et duobus episcopis insulae de modo sepeliendi sine parochi interventu, 544 *b* et *seq.*

Mancipia baptizata, ad Urbis conservatores pro libertate confugientia, eamdem consequantur, civesque Romani sint, 482 *b*.

Manrique Thomas. *V.* Magister.

Maria (B.) Virgo utrum in conceptione ab originalis peccati macula praeservata fuerit disceptantes, vel male sentientes de Sixti IV constitutione super hoc argumento, variis poenis coercentur, 846 *a*. Interdictio de hac re disputandi in popularibus concionibus, vel vulgari sermone scribendi; disserendi vero facultas, cessante occasione scandali, omnibus facta, 873 *b* et *seq*.

Mariae (B.) Annunciationis sodalitas Romae instituta ad dotandum puellas pauperes et sublevandum pupillos et egenos, 962 *b*. Cardinalis protector sodalitatis potest cognoscere caussas quae illam respiciunt, 963 *a;* in Curia et extra in ius vocare, 964 *a;* singulis diebus et horis procedere, *ibid.;* per quoscumque mandatarios et executores in ius vocare et sententias suas exequi, *ibid. b*. Sodales coram alio iudice conveniri vel ad alios conveniendum compelli nequeunt, *ibid.*

Mariae (B.) de Pietate sodalitas et nosoconium in Urbe eriguntur ad egenos mentisque inopes alendos atque curandos, 139 *b* et *seq*. Sodales obtinent a Pio IV confirmationem huiusce institutionis et facultatem statuta condendi, 140 *b* et *seq.*; missam domibus propriis, dum aegrotant, celebrari faciendi, 141 *b;* eleemosynas, oblationes et legata recipiendi, *ibid.;* indulgentias pro eleemosynas porrigentibus, *ibid.;* facultatem alio transferendi sodalitium et nosocomium in quo sacramenta administrant, *ibid.* Hospitium haeres instituitur decedentium in eo ab intestato, 142 *a*. Indulgentia, prima cuiusque mensis dominica, sumentibus Eucharistiam et recitantibus quinquies Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, *ibid.* Sodales obtinent privilegium confessionalis, *ibid.;* facultatem erigendi sibique aggregandi alias sodalitates cum indulgentiarum participatione, *ibid.*

Mariae (B.) Lauretanae ecclesia. *V.* Collegium.

Mariae (B.) Maioris archipresbyter, iudex caussarum canonicorum et capituli eiusdem ecclesiae, confirmatur in privilegiis cum declaratione quoad caussas criminales, 67 *a* et *seq*.

Mariae (B.) Maioris basilica a Leone X stationum indulgentiis privatur, qui eas ad S. Mariam in Dominica transfert, 743 *b*. Pius V eas ad utrasque ecclesias extendit, 744 *a*.

Mariae (B.) Officium reformat Pius V, illudque observari praecipit, cetera Officia abolendo, nisi a primaeva eorum institutione vel consuetudine cc annos excedente fuerint approbata, et non sint vulgari sermone composita, 897 *b* et *seq.*; hortatur omnes officii recitationi non obligatos ut Officio reformato utantur, 898 *b*.

Mariae (B.) Servorum Ordo primitus ab uno priore generali regebatur, 817 *b*. Tabescente paulatim disciplina, nonnulli fratres, regularis observantiae amore, se ab Ordine segregarunt et peculiarem congregationem instituerunt, quae pariter, successu temporis, a regularitate prolapsa est, *ibid.* Ideirco Pius V congregationem Ordini denuo aggregavit sub eisdem Regulis unicoque priore generali, 818 *a*; privilegia revocat aliquid privatim retinendi, 821 *b* et *seq.;* aediculas in

commune dormitorium redigi mandat, 822 *b*; ambitus et munera ad officia vel alia obtinenda prohibet, *ibid.*; superioribus facultatem concedit dispensandi cum praedicatoribus, lectoribus et officialibus super recitatione divini officii in communi, *ibid.*; compluria alia statuta edit circa fratrum disciplinam et regimen monasteriorum, 823 *a* et *seq.* *V.* Fratres, Regulares.

Mariae (B.) Virginis Annunciatae monasterium in Urbe virginibus neophytis conceditur, 490 *a*. Moniales collocantur in praeceptoria S. Basilii Magni, Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, in regione Montium, *ibid.* *b*. Praeceptoria extincta, eius bona sanctimonialibus addicuntur, 491 *a*. M. magistro et Urbis priori indicitur ne molestia afficiant moniales, *ibid.* *b*.

Matrimoniales dispensationes, in diversis consanguinitatis vel affinitatis gradibus impetrari queunt, expresso tantum gradu remotiori, 475 *a*. Declarationes complures circa impedimenta cognationis spiritualis et affinitatis ex fornicatione, quoad matrimonia post concilii Tridentini confirmationem contracta vel contrahenda, 476 *a* et *seq.* Procuratores S. Poenitentiariae veritatem immutantes in impetrandis dispensationibus, poenae falsi subiiciuntur, 498 *a*. Declaratio concilii Tridentini super impedimento publicae honestatis circa sponsalia et matrimonia, 678 *b* et *seq.*

Medici, ex constitutione Innocentii III, aegros monere tenentur ut accersant medicos animarum, 430 *a*. Pius V praeceptum innovat, et medicis prohibet ne ultra tres dies infirmos non confessos curent, *ibid.*; consanguinei, domestici et parochi infirmis confessionem suadeant, *ibid.* *b*. Contravenientium poenae, *ibid.* Nemo ad doctoratus gradum admittatur, nisi iuret praemissa observare, *ibid.* Ordinarii idem iuramentum exigant a promotis, *ibid.*

Mediolanensi archiepiscopo eiusque suffraganeis mandatur ut decreta in synodo Mediolanensi edita, iuxta Summi Pontificis emendationem et explicationem, observari faciant, 819 *b*. Nonnulla huiusmodi decreta referuntur, *ibid.* et *seq.*

Mendicantium Ordines a vectigalibus ceterisque contributionibus necnon ab onere hospitandi milites eximuntur, 469 *a* et *seq.* Eorum redditus per ipsos Mendicantes suosque procuratores tantum exigi, et pro eorumdem sustentatione expendi possunt, 470 *a*. Sal Mendicantibus, pro eorum usu, detur gratis a ministris Camerae Apostolicae, *ibid.* *b*. Iidem Ordines molestiis afficiuntur ab episcopis, quarum plures enumerantur, 574 *a* et *seq.* Singulis molestiis speciali dispositione a Pio V providetur, 576 *b* et *seq.* Qui idcirco nonnulla privilegia Mendicantibus concedit quae et ad alios Ordines extendit, 584 *a* et *seq.* Declaratio circa praemissa, 586 *b* et *seq.* Mendicantium privilegia, aliis Ordinibus communicata, non suffragantur in iis quae temporalitatem respiciunt, 838 *a*. *V.* Regulares, Vicarii.

Mercatores almae Urbis cambia sicca et illicita contrahunt, 1 *b* et *seq.* Pius IV eisdem poenas contra usurarios statutas aliasque peculiares applicari mandat, 2 *b*. *V.* Mercium minutarum venditorum universitas.

Mercaturae pannorum consules ampliorem iurisdictionem obtinent, 110 *a*.

Mercium minutarum venditorum universitas ab Urbis conservatoribus locum obtinet in foro Capitolino, ubi consules ius dicunt de rebus ad artem spectantibus, 267 *b*. Senator Urbis, tempore Bonifacii IX, eidem universitati dederat vendere quas-

cumque res, etiam concernentes alias artes, et collegium erigere, 268 *a*. Collegium voluit consules cognoscere caussas de rebus ad artem spectantibus pro quavis summa inter personas artis; inter extraneos vero, usque ad ducatos xxx, *ibid.*; libris mercatorum debite scriptis fidem adhibendam esse, *ibid. b;* poenas contra dolos in suis libris committentes decernit, *ibid.*; appellari non posse a consulum sententiis a decem scutis infra, 269 *a*. Dicta statuta ab Urbis conservatoribus approbantur, *ibid.* Pius IV praedicta omnia habet rata, *ibid.*; iubetque iudicibus Urbis ut consules desuper non impediant, 270 *a;* eorum iurisdictionem ampliat quando partes consentiunt, eisdemque facultatem in ius vocandi intra districtum concedit, *ibid.* 271 *a*.

Minores Conventuales Ordinis S. Francisci reformantur a cardinalibus Borrhomaeo et Symoneta, 400 *a*. Reformatorum constitutiones confirmantur a Pio IV, *ibid.* Declaratio super Evangelii professione, obedientia et proprietate, 401 *a*; castitate, licentia recipiendi novitios, eorumdem educatione et aetate, *ibid. b;* cura professorum non promotorum ad ordines, subventione danda a conventibus nativis, occupatione fratrum non litteratorum, destinatione servientium, aetate emittentium professionem et promovendorum ad ordines, 402 *a*; numero fratrum cuiusque conventus, fratrum alterius Ordinis receptione, habitus delatione, *ibid. b;* egressu e claustro et ex provincia, mansione fratrum in conventibus nativis, 403 *a;* colore vestium, delatione cothurnorum, pilei, chirothecarum, mantellorum, vestium, quae subtus deferuntur, et chordarum, *ibid. b;* cellarum supellectili, officii recitatione, *ibid.;* processione per claustra, missa pro benefactoribus, poena omittentium divinum officium, discursu per ecclesiam, celebratione missarum, confessione, communione, ecclesiae supellectilibus, sacrarii munditia, 404 *a;* executione piorum legatorum, ieiuniis, disciplina facienda qualibet sexta feria, *ibid. b;* communi mensa et cibo, fratre destinato ad victui necessaria emenda, licentiis itinerandi, itinerantium hospitio, accessu ad principes vel ad forum, munere procuratoris Curiae, 405 *b;* bonorum asportatione, equitandi licentia, proprietate et usu pecuniae necnon aliorum bonorum, 406 *a;* otio sollicite fugiendo, 407 *a;* exercitio fratrum laicorum, examine recipiendorum ad studia, studentium exercitio, gymnasiorum dispositione, *ibid. b;* promotione ad doctoratum, 408 *a;* proprietate, concessione usus vel administrationis bonorum stabilium vel mobilium, *ibid. b;* super cura senum et infirmorum, resignatione bonorum per infirmos fienda, proventuum dispositione, servandis in dispositione bonorum de bonis Ordinis, 409 *a*; syndicorum et procuratorum munere, *ibid. b;* custodia clavium bonorum conventus, divulgatione secretorum aut scandalorum Ordinis, recursu a sententia provincialis, 410 *a;* recursu ad brachium saeculare, fratrum accusatione, eorumdem offensione, delinquentium punitione, *ibid. b* et *seq.;* officialium electione, 411 *a* et *seq.* Procurator in Urbe unus sit, non plures, et habitet apud S. Salvatorem in Unda, 412 *a*. Capitula a magistro generali convocentur, *ibid. b*. Declaratio super observantia concilii Tridentini circa praedicationem, confessionem, praedicatorum qualitates, *ibid.;* dispensationem eorumdem, necnon punitionem exercentium munus praedicatoris vel confessoris absque licentia, 413 *a;* evitanda a praedicatoribus, *ibid.* Fratres non edant in lucem libros non approbatos a superio-

ribus Ordinis, *ibid. b.* Declaratio super provincialium munere in visitationibus, in fratrum promotionibus et cooptatione in coetum patrum, *ibid.* et *seq.;* obedientia superioribus praestanda, 414 *a;* colloquio et commercio cum inhonestis mulieribus, poena admittentium mulieres intra claustra, custodia ostii conventus, hospitio saecularium in conventu, accessu fratrum ad monialium monasteria, *ibid. b;* qualitate medici monialium, eiusdemque receptione intra claustra, 415 *a;* admissione puellarum inter moniales, *ibid.;* aetate ad habitum suscipiendum et emittenda vota, necnon conservatione bonorum dictarum puellarum, *ibid. b;* novitiarum magistra et monialium exercitatione in culto divino, *ibid.;* qualitatibus confessarii monialium, 416 *a.* Modus eligendi abbatissam, *ibid.* Eius officium triennio desinit, *ibid.* Eligi nequeunt Ordinem diffamantes, *ibid. b.* Moniales, absque licentia, ad crates vel rotas non accedant, *ibid.;* litteras et munuscula non mittant, nec e claustro exeant, *ibid.;* indumenta simplicia et communia deferant, *ibid.* Tela nigra crates cooperiantur, 417 *a.* Habitus velique collatio ad solum Ordinis superiorem vel eius commissarium pertinet, *ibid.* Modus eligendi factores monialium, *ibid.* Earum numerus statuatur in singulis conventibus. *ibid.* Ipsae transferri possint ad alios conventus pro reformatione, *ibid.* Confessores curent observantiam praedictorum *ibid.* Declaratio circa fratres mittendos ad loca infidelium, vel se conferentes ad haereticorum confinia, necnon circa protectoris auctoritatem, *ibid. b.* Quando generalis et provinciales dispensare possint circa Regulam, 418 *a.* Quando generalis visitare teneatur Hispaniarum et Portugalliae provincias, *ibid.* Poenae ministrorum hanc reformationem exequi negligentium, *ibid. b.* Revocatio constitutionum huic reformationi et concilio Tridentino adversantium, *ibid.* Fratres Pio IV supplicant pro reformationis executione in omnibus locis, *ibid.* *V.* Regulares.

Missale Romanum reformat Pius V, ac ubique recipi et iuxta illud celebrari iubet, nisi alia institutio a Sede Apostolica approbata vel consuetudo cc annos excedens observata sit, 839 *b;* illud immutari vel absque licentia imprimi vetat, 840 *a* et *seq.*

Missarum celebratio vespertino tempore vetita, 433 *a* et *seq.*

Missas et divina officia Latino ritu celebrandi facultas, Graecis concessa, et vicissim, revocatur, 474 *a.*

Monasteria et pia loca ab hospitandis militibus eximuntur, 508 *a* et 971 *a.* Poenae in contrafacientes et in gubernatores aliosque officiales hoc fieri permittentes, *ibid.* *V.* Electiones, Camera Apostolica.

Moniales et sorores regulares cuiuscumque Ordinis a decimis aliisque oneribus eximuntur, 22 *a.* Commissarii prohibentur aliquid a praedictis exigere, *ibid.* Moniales tacite vel expresse Religionem professae clausuram servent, 448 *a.* Inobedientes coerceantur per ordinarios, *ibid.* Tertiariae, si solemne votum emiserint, clausurae subiiciantur, sin autem per ordinarios ad clausuram suadeantur, *ibid. b.* Quae vero clausuram et professionem recusant, in Ordine aut congregatione non admittantur, *ibid.* Eleemosynae pro monialibus colligantur per conversas vel per professas quadraginta annos natas, prope monasteria habitantes, *ibid.* Conversae professae nullae amplius recipiantur, *ibid.* Monialium numerus monasteriorum reditibus accomodatus sit, 449 *a.* Ordinarii nihil ultra praemissa

audeant in locis exemptis, 450 *a*. Monialium absque licentia e clausura exeuntium poenae, *ibid. b* et 808 *b*. Casus in quibus licentia concedi potest, 450 *b*. Monialium cura, iam antea fratribus Ordinis Minorum Conventualium credita, in locorum ordinarios transfertur a Pio V, 674 *b* et *seq.*; item, quoad commissam fratribus Humiliatis, 695 *a*. Monialibus egrediendi licentiam indebite concedentium, illas comitantium vel receptantium poenae, 809 *a*.

Moniales Ordinis S. Francisci. *V.* Minores Conventuales.

Monomachia. *V.* Gladiatorum, vulgo duellantium, poenae.

Montis Oliveti B. Mariae congregationis praelati absolvere et dispensare possunt suos monachos ab irregularitate, paucis exceptis casibus, 26 *b*. *V.* Regulares.

Mulieres ingredi nequeunt religiosorum monasteria, 487 *b*. Poenae in contravenientes, 488 *a*. Declaratio circa praemissa, *ibid. b* et *seq.*

Mulierum ad meliorem frugem conversarum (vulgo *Convertitae*) in Urbe caussas omnes non instructas ad se advocat Pius IV, 173 *a*; quas decidendas committit cardinali protectori, cum facultate inhibendi quibuscumque iudicibus Urbis, *ibid. b* et *seq.*; sententias exequendi, inobedientes coercendi, ceteraque necessaria faciendi, 174 *b*.

N

Nardinum collegium. *V.* Capranicense collegium.

Naufragium passi. *V.* Bona naufragantium.

Neapolitani regni ordinariis, sub severissimis poenis, vetatur ne se immisceant beneficiis Sedi Apostolicae reservatis, 649 *b*.

Negotiatores. *V.* Mercium minutarum venditorum universitas.

Nominis (SS.) Dei sodalitas in Hispaniis instituitur ad praepediendum blasphemias, periuria illicitaque iuramenta, 282 *b*. Pius IV eamdem approbat necnon quascumque alias id genus sodalitates ubique terrarum institutas et instituendas, 283 *a*; indulgentiam plenariam concedit utriusque sexus earumdem sodalitatum personis, quae Circumcisionis die, vere poenitentes et confessae, Eucharistiae sacramentum devote susceperint, *ibid.*; item prima cuiusque mensis dominica missam audientibus, *ibid.*; admonentibus temere iurantes et blasphemantes, pro qualibet vice, centum dies de iniunctis poenitentiis relaxat, *ibid.*; praedicatoribus, qui christifideles ut a iuramentorum abusu se abstineant, et dictae sodalitatis Regulam amplectantur hortati fuerint, decem annos, *ibid.*; omnibus sodalibus facultatem concedit confessorem privilegiatum sibi eligendi die Circumcisionis, *ibid. b*; ordinariis mandat ut faveant diffusioni huiusce sodalitii *ibid.*; die Circumcisionis, non obstante interdicto, in locis sodalitatum celebrari posse et sodalium corpora sepeliri concedit, 284 *a*. Sodales indulgentiis ditantur, 777 *a*. Sodalitium ab Ordine S. Dominici originem ducit, 921 *b*. Decernit ergo Pius V ut in locis ubi fratrum Praedicatorum ecclesiae reperiuntur, in eis tantum huiusmodi sodalitia erigantur, 922 *a*; secus indulgentias sodales non adipisci, sed poenis obviam ire, *ibid.*

Notarii. *V.* Tabelliones.

Nummorum, tam ex auro quam ex argento confectorum, tonsores in Urbe aliisque S. R. Ecclesiae locis ultimo supplicio plectuntur, 861 *b*. Dynastae non impediant iudices in hoc, *ibid.*

Nunciis ceterisque, sub pluribus poenis, inhibetur ne a principibus ad quos mittuntur, favores procurent ad obtinendas dignitates, 370 *a*. Principum litterae analogae vel eorum oratorum preces Sedi Apostolicae porrectae sufficiunt ad condemnandos praefatos inobedientes, *ibid. b*.

O

Odettus a Castillione, cardinalis, Hugonotorum haeresim sequitur, 247 *b*. Praevaricationis probatio a Pio IV cardinalibus inquisitoribus committitur, 248 *a*. Qua habita, idem Pontifex in Odettum procedi, et ad audiendam sententiam citari mandat, *ibid.;* cardinalium voto, illum excommunicatum omnibusque dignitatibus et bonis privatum declarat, *ibid. b*.

Officia ambientes iurisdictionis administrationem habentia pluribus poenis subiicit Pius V, 950 *a* et *seq*. Declaratio et extensio praecedentis dispositionis, 952 *a*.

Officiales Status Ecclesiastici et maleficorum accusatores quasnam partes mulctarum habeant, et a quanam persona eas accipiant, 154 *a*.

Orationis et Mortis sodalitium quidam christifideles in Urbe instituunt quadraginta horarum singulo quoque mense orationi peragendae, gratis decenterque pauperum defunctorum corporibus sepeliendis aliisque piis operibus exercendis, 86 *b*; ordinationes pro eius regimine constituunt, 87 *a*. Pius IV easdem approbat, accedente consensu sodalitatis Caritatis, *ibid.* Idem Pontifex sodalitati concedit facultatem quoscumque in sodales recipiendi, *ibid. b;* statuta, cum venia protectoris, condendi et reformandi, 88 *a;* crucem ligneam et habitum nigrum deferendi, *ibid.;* eleemosynas et legata recipiendi, atque in dictos pios usus exponendi, *ibid.;* sodalitii sedem ad quamcumque Urbis ecclesiam transferendi, et cappellanum habendi ad sacramenta sodalibus ministranda *ibid.;* pauperum decedentium cadavera in parochiali ecclesia, sub qua decedunt, sepeliendi, requisitis parochis, *ibid. b;* indulgentias et confessionale sodalibus, sororibus et aliis, *ibid.* et *seq.;* guardianis, officialibus et deputatis facultatem aggregandi alias sodalitates, 89 *a*.

P

Parochiales ecclesiae collatae, non servata forma concilii Tridentini, incassum collatae declarantur, 556 *b* et *seq*. Parochiali ecclesia vacante, episcopus debet in ea vicarium constituere, 606 *a*. A collatore nominandi sunt clerici idonei ad examen subeundum, *ibid.* Qualitates examinatorum, *ibid. b*. Magis idoneo et

approbato conferenda ecclesia, 607 *a*. Nominatus a patrono, ab episcopo debet institui, *ibid.* Casus praesentationis et institutionis, *ibid.* Qui se laesos in collatione putant, appellent ad superiores, etiam ad Sedem Apostolicam, *ibid.* Casu appellationis quid agendum, *ibid.* Collatoribus terminus praefinitur nominandi, instituendi, *etc.*, 608 *a*. Parochialium ecclesiarum rectores in eisdem residere tenentur, non obstantibus quibuscumque privilegiis, 684 *a*.

Pauperes convalescentes. *V.* Trinitatis (SS.) sodalitium.

Permutationes, vulgo cambia sicca, damnantur, 1 *b* et *seq.* Declaratio circa alias permutationes illicitas, 884 *b*. *V.* Mercatores.

Petri (B.) de Pisis Eremitae. *V.* Hieronymi (S.) Eremitae.

Petri (S.) fabrica. *V.* Collegium.

Petri (S.) suburbium valde ornavit Leo X, illudque *Civitas Leonina* appellari voluit, 381 *b*.

Pia seu Piana Civitas prope suburbium S. Petri aedificatur a Pio IV, 382 *a*. Conventus et ecclesia B. Mariae Transpontinae in novam civitatem transfertur, *ibid.* Eius fratribus privilegia habitantium in civitate Piana conceduntur, *ibid. b*. Eamdem ecclesiam visitantibus indulgentiae, *ibid.* Situs pro ecclesia et conventu designatur, 383 *a*. Civitas fonte et ludo litterario ornatur, *ibid.* Privilegia inibi aedificantium, *ibid. b* et *seq.* Ædificia constructa fisco adiudicari nequeunt, 384 *b*. Conditiones sub quibus domini praediorum ibi existentium aut aedificare tenentur, aut aedificare volentibus vendere, *ibid.* Praediorum conductores, aucta decima parte census, ea liberare servitute possunt, *ibid.* Aliud privilegium aedificantium, 385 *a*. Civitas Piana gaudet privilegiis civitatis Leoninae, *ibid.*

Pius IV, Papa CCXXVI, VII calendas ianuarii MDLIX electus, VIII idus ianuarii MDLX coronatus, obit IV idus decembris MDLXV, 1 *a*.

Pius V, Papa CCXXVII, VII idus ianuarii creatus, XVI calendas februarii MDLXVI coronatus, obit calendis maii MDLXXII, 422 *b*.

Poenitentiaria Apostolica reformatur super commutationibus ultimarum voluntatum, 194 *a;* unionibus, suppressionibus et translationibus beneficiorum, *ibid. b;* licentiis standi extra claustra et abrogatione professionum, *ibid.*; licentiis pro religiosis infirmis, *ibid.;* absolutione apostatarum, *ibid.;* eisdem non admittendis ad beneficia, *ibid.;* commissionibus permutandi vel alienandi bona ecclesiastica, 195 *a;* absolutione a criminibus, praesertim simoniae et homicidii, *ibid.;* litteris de promovendo ad sacros ordines, *ibid. b;* absolutione a iuramentis, *ibid.;* dispensationibus matrimonialibus, *ibid.;* licentiis doctorandi, *ibid.;* absolutione ab indebita fructuum perceptione, 196 *a;* usurpata iurisdictione ecclesiastica, *ibid.;* facultate testandi, *ibid.;* confirmatione gestorum ab ordinario, *ibid.;* dispensatione circa aetatem promovendorum ad sacros ordines, *ibid.* Declaratio circa facultatem maioris poenitentiarii, *ibid.;* Sede Ap. vacante, eius officium vacat in his quae ad forum fori spectant, *ibid. b*. Poenitentiariorum numerus in basilica S. Mariae Maioris ad duodecim reducitur a Pio IV, 703 *b*. Pius V omnes poenitentiarios suspendit, *ibid.;* sex tantum deinceps esse decernit, eosque ex Ordine Praedicatorum provinciae Romanae, 704 *a;* omnia antiqua privilegia eis tribuit sub regimine prioris conventus Romani, *ibid.* Eius facultas poeni-

tentiarios eligendi et removendi, *ibid. b;* super eorum moribus inquirendi, *ibid.* Ædes praedictis concessae, *ibid.* Provisio pro eorumdem sustentatione super pecuniis quae in officio Datariatus reperiuntur, 705 *a.* Ad sublevandam Cameram Apostolicam, pro dote eis assignatur monasterium S. Mariae Macularum oppidi S. Genesii, 706 *b* et *seq.* Poenitentiariae et Contradictarum officiales, qui in dispensationibus matrimonialibus veritatem non exprimunt, poena falsi puniuntur, 732 *b.* Revocatio facultatum Poenitentiariae, 747 *b.* Quorumdam officialium amotio, atque aliorum deputatio, quorum officia vendibilia sint, *ibid.* et *seq.* Qualitates in maiori poenitentiario eiusque officialibus requirendae, 748 *a.* Procuratores et scriptores non admittantur, nisi examini subiiciantur, *ibid. b.* Officiales per se ipsos exerceant, *ibid.* Regentis officium, *ibid.* Materiae dividantur inter procuratores et scriptores, 749 *a.* Correctoris et sigillatoris officium, *ibid.* Pro litterarum expeditione nihil solvatur, *ibid.* Officiales quotannis iuramentum praestent, *ibid. b.* Inobedientium poenae, *ibid.* Nonnullae maioris poenitentiarii eiusque ministrorum facultates limitantur, 750 *a.* Maior poenitentiarius omnes absolvere potest in foro conscientiae, *ibid. b*; quibus in casibus Romanum Pontificem debeat consulere, 751 *a* et *b*; ad dignitates et beneficia habilem reddere potest in foro concientiae, *ibid.;* quoad contracta matrimonia a nonnullis impedimentis dispensare, *ibid.;* absolvere ab excommunicatione et suspensione, *ibid. b;* vota commutare, *ibid.;* dubia ad forum poenitentiale pertinentia solvere, *ibid.;* de male ablatis vel dubie retentis absolvere, *ibid.*

Pontificis Maximi electio ad cardinales non ad concilium spectat, etiamsi tempore concilii PP. obire contingat, 143 *a;* quam mature fieri debeat, 230 *b.* Plures Pontifices providas hac de re constitutiones ediderunt, 231 *a.* Pius IV statuit cardinales absentes decem diebus expectari debere, et interim novem diebus defuncto Pontifici exequias fieri, *ibid.;* elapsis decem diebus, cardinales praesentes, celebrata missa Spiritus Sancti, conclave ingredi et electioni incumbere, *ibid. b;* ingredi nolentes vel absque iusta caussa recedentes poenam a Greg. X statutam incurrere, *ibid.;* cardinales praesentes, in conclavi vel extra, Pontificem eligere posse, lapsis dictis decem diebus, 232 *a.* Collegii cardinalium facultas, Sede vacante, *ibid.* Tres cardinales et camerarius, tempore vacationis, occurrentes necessitates collegio proponunt et conclavis negotia curant, *ibid. b.* Quorum officium quolibet terno die cessat, illudque alii tres alio triduo exercent, 233 *a.* Camerarii, poenitentiarii eorumque officialium, Sede vacante, potestas, *ibid.* Officia datarii, cardinalium et praelatorum Signaturae gratiae et iustitiae, morte Pontificis conquiescunt, *ibid. b.* Conclavis cellae sorte distribuuntur, *ibid.* In eo morari nemini licet, *ibid.* Conclave a cardinalibus deputatis visitatur, 234 *a.* Cardinales non infirmi duos servientes habere possunt; infirmi, tres ad summum, *ibid.* Conclavistae a cardinalibus approbantur, *ibid.* Quot et quales communi congregatorum cardinalium utilitati servientes, *ibid. b.* Clauso conclavi, colloquia prohibentur, necnon epistolarum vel signorum transmissio, *ibid.* Sponsiones super electione Pontificis damnantur, 235 *a.* Cardinales unico ferculo et in propria cella vescantur, *ibid.* Conclavistae discedentes iterum non ingrediantur, *ibid.* Cardinales non diaconi ad eligendum non admittantur, *ibid. b.* Quae servare debeant eligentes, *ibid.* Custodes conclavis de praemissorum observantia

respondere tenentur, *ibid.* Cardinales non excluduntur a votatione, quarumcumque censurarum praetextu, 236 *a*.

Populus Romanus, Pio V hortante, statutum condidit pro dote, muneribus et ornamentis mulierum, 596 *a*. Quod a Pontifice confirmatur, *ibid.* Dotem ∞ıככר scuta excedere non posse decernitur, *ibid. b*. Notariorum in contrarium instrumenta conficientium poenae, necnon mediatorum aliorumque scripturis huiuscemodi intervenientium, 597 *b*. Sponsa non potest ad pompam paraphernalia ostendere, *ibid.* Moderatio munerum inter coniuges et affines, 598 *a*.

Praedicatorum Ordo. *V.* Dominici (S.) Ordo.

Praemonstratenses fratres secundum regularem observantiam S. Augustini, non secundum observantiam fratrum S. Hieronymi, reformandos esse declarat Pius V, 662 *b*. Fratres S. Hieronymi nullimode in iis quae ad Praemonstratenses pertinent immiscere se debent, *ibid. V.* Regulares.

Procuratores litterarum contradictarum. *V.* Cancellaria Apostolica.

Procuratores S. Poenitentiariae. *V.* Matrimoniales dispensationes, Poenitentiaria Apostolica.

Procurator fiscalis. *V.* Tribunalia.

Proxenetae Ripae almae Urbis tenentur solvere nautis et mercatoribus pretium vini eis mediantibus venditi, quod non solverunt emptores, 148 *b* et *seq.*

Pucciis (de) cardinalis. *V.* Inquisitionis (S.) Officium.

Pugiones aliaque id genus arma breviora tribus palmis in Statu Ecclesiastico deferre prohibetur, 966 *a*. Officialibus inhibetur ne desuper licentias concedant. *ibid. b*.

Q

Quignonius cardinalis Franciscus. *V.* Divini officii forma.

R

Rebelles. *V.* Homicidae.

Rectores Studiorum. *V.* Doctores.

Referendarii Signaturae iustitiae Romani Pontificis quae observare teneantur circa commissiones in ipsa Signatura reiectas, avocatorias et alias praeindiciales nec non praeinsertarum reformatorias, 225 *a;* circa commissiones appellationum, nullitatum, attentatorum et prorogationis fatalium, *ibid. b;* circa caussas criminales, matrimoniales, restitutionis in integrum, *ibid.;* circa terminorum reiterationem, *ibid.;* circa expensarum taxationem et caussas discussionum, 226 *a;* circa haereditatis additionem, inventarii confectionem et discussionum caussas, *ibid.* Declaratio circa praedicta, *ibid. b*.

Regens Camerae. *V.* Auditoratus.

Regulares licite parochi officium exercent in Novis Indiis, ob presbyterorum defectum, 558 *b*. Eorum privilegia, praeter iuris communis dispositionem concessa,

recipiendi vel retinendi religiosos aliorum Ordinum revocantur, 783 *b* et *seq.* Nullibi audiant saecularium confessiones, nisi ab ordinariis sint approbati, 938 *b*. *V.* Servi.

Rei. *V.* Homicidae.

Religiosorum reformatio. *V.* Hispaniarum coenobia.

Ripae et Ripettae in Urbe mercatores a pluribus Summis Pontificibus praerogativas obtinent, 95 *b*. Quas Pius IV confirmat, *ibid.;* camerariique Ripae et Ripettae iurisdictionem ampliat in caussis civilibus et criminalibus, 96 *a* et *seq.*

Ripae Transonae oppidum, in provincia Picena, munimentis, populi frequentia opibusque conspicuum, 926 *a*. Eius universitas Pio V supplicat ut ecclesiam parochialem in cathedralem erigat, *ibid. b*. Annuit Pontifex, *ibid.* et *seq.* Episcopi et canonicorum facultas edendi statuta pro felici successu novae cathedralis, 928 *b*. Constitutio quatuor ecclesiarum parochialium, *ibid.* Earumdem rectores habent vicarios perpetuos, 929 *a*. Constitutio archipresbyteratus, archidiaconatus et duodecim canonicatuum eorumque praecedentiae, *ibid.* Unio beneficii S. Angeli ad cathedralem ecclesiam, *ibid. b*. Plura loca et personae, ad alias dioeceses vel ecclesias pertinentia, Ripanae ecclesiae assignantur, *ibid.*

Rochi (S.) sodalitium in Urbe confirmationem obtinet ab Alexandro VI, facultates insuper propria statuta condendi, suos officiales nominandi, ecclesiam aedificandi, pias oblationes recipiendi, mortuos in ecclesia sepeliendi, confessarium pro ducentis confratribus eligendi, indulgentiasque pro sodalitii ecclesiam visitantibus, 69 *b* et *seq.* Leo X, praedicta confirmans, concedit facultatem ministrandi sacramenta sodalibus infirmis, etiam in illorum domibus, per sodalitii cappellanos, 71 *a* et *b;* confessionale omnibus sodalibus *ibid. b;* indulgentiam plenariam visitantibus ecclesiam, *ibid.;* privilegium fori societati et sodalibus, *ibid.* Pius IV praedecessorum concessiones ratas habens, gratias et indulgentias aliorum piorum locorum Urbis eisdem concedit, 72 *a* et *seq.;* publicandi indulgentias licentiam impartitur, 73 *b;* privilegium fori ad ministros et servitores societatis extendit, 74 *a*. Bona, etiam feudalia et ecclesiastica, acceptandi, aliasque gratias elargitur, *ibid.* et *seq.*

Romanae Curiae scriptores creantur tabelliones caussarum civilium cuiuscumque iudicis commissarii, 762 *b*. Eorum qui a secretis sunt privilegia confirmantur a Pio V, 914 *b*. Eadem tolli nequeunt, nisi restituta pecunia, qua singuli a secretis officia emisse constiterit, *ibid.*

Romani et incolae Urbis gaudent privilegio Curiae Capitolinae etiam in obligationibus cameralibus, ubi auditor Camerae non praevenit, 134 *a*. Derogatio facultatum aliorum iudicum in hisce caussis, *ibid. b*. Curiae vel gubernatori chirurgi referunt crimina, *ibid. b*. In eadem nullitates non attenduntur, et servantur tantum feriae in antiquis statutis descriptae, 135 *a*. Assettamenti votum quando peti possit, *ibid.* Assettamentum quomodo fiat, aliquo ex iudicibus absente, infirmo vel recusato, *ibid.* Limitatio privilegii fori tribus in casibus, 136 *a*. Praeservatio iurisdictionis gubernatoris, *ibid. V.* Populus.

Rosarii (SS.) cappellae ab Ordinis Praedicatorum magistro generali et ab eo deputatis unice eriguntur, 759 *a*. Rosarii (SS.) sodalitium ingredientes nihil solvant, *ibid. b*. Sodales ad processiones accedant, et ad mortuos sepeliendos insignia

deferant, *ibid.* Poenae in molestatores, *ibid.* Indulgentiarum confirmatio, *ibid.* Pius V indulgentias sodalibus concessas confirmat, 775 *a;* sodalitati nomen dantibus plenariam indulgentiam concedit, aliasque pro diversis anni diebus, 776 *a. V.* Dominicus (S.)

Rota Romana commendatur, reformanda ea nihilominus est, 155 *a.* Auditorum facultas circa caussas eis commissas, *ibid. b.* Prorogationes fatalium concedantur eius arbitrio, *ibid.* Sententiae non proferantur, nisi caussa in Rota proposita et habitis votis, quae et publicentur, *ibid.* Tabellionum munus accipientium decreta ad referendum, 156 *a.* Sententiae non proferantur ante perfectum regestrum, *ibid.* Earumdem copia petentibus danda, *ibid.* Caussae auditorum eorumque familiarium et consanguineorum non cognoscantur in Rota, *ibid.* Auditorum domestici vel notarii se non intromittant in caussis Rotae, *ibid.* Auditores non inducant partes ad assumendum certum advocatum vel procuratorem, *ibid. b;* nihil disponant contra ius vel contra Rotae stylum, *ibid.* Nullitates non attendantur, nisi defectu iurisdictionis, citationis vel mandati, *ibid.* A liquidatione fructuum et expensarum semel appelletur, *ibid.* Quando auditores ad Cancellariam caussas remittere possint, *ibid.;* caussas criminales ad iudices ordinarios remittant, *ibid.* Qua ratione sportulae ab auditoribus recipiendae, 157 *a.* Eædem penes tabellionem deponantur post latam sententiam, *ibid b.* Tabelliones idonei eligantur, qui officia non arrendent et pro substitutorum facto teneantur, *ibid. V.* Decanatus.

S

Salvatoris (SS.) canonici regulares. *V.* Lateranenses.

Scelesti. *V.* Homicidae.

Scholares. *V.* Doctores.

Sclopetos brevioris modi *(vulgo pistòle)*, qui duos palmos non attingunt, retinere vetitum, 171 *b.* Contravenientium poenae, 172 *a.* Nullus officialium licentias desuper audeat concedere, *ibid.* Quae si dentur, nullius sint roboris, *ibid.*

Sedes Apostolica aequa semper in omnibus distributrix, 229 *a.*

Senatoris Urbis alterutro collaterali iudice infirmo vel absente, quinam absentis vel infirmi vice fungatur, 372 *b.*

Sepulcri (S.) Ordo supprimitur ab Innocentio VIII. *V.* Hierosolymitanus Ordo.

Servi dominii et poenae nequeunt inter fratres Ordinum religiosorum recipi, 707 *b;* iam recepti habitu exuantur, et legitimis dominis consignentur, 768 *a.* Locorum ordinariis opportunae ad id facultates conceduntur, *ibid.*

Servitarum Ordo. *V.* Mariae (B.) Servorum Ordo.

Societas Iesu ad Mendicantes Ordines vere pertinet eorumque privilegiis omnibus gaudet, 923 *b* et *seq.*

Somascha (de) sive S. Maioli clericorum regularium congregatio facultatem obtinet a Paulo III quamlibet ex suis ecclesiis in aliarum caput eligendi, 729 *b;* S. Maioli Papiensis ecclesia, a cardinali Borrhomaeo congregationi concessa, hunc honorem adipiscitur, *ibid.;* orphanos erudire et clericorum seminaria studiose

dirigere curat, 730 *a;* tria vota emittere cupiens, Pius V normam professionis emittendae sub Regula S. Augustini praescribit, *ibid.;* bona stabilia in communi possidendi facultatem elargitur, 731 *a;* congregationi nomen ponit, *ibid.;* legata simpliciter relicta applicari permittit ecclesiae S. Maioli, *ibid.*

Spiritus (S.) in Saxia de Urbe nosocomium tabellionem et quandoque etiam secretarium tenere solet, qui omnia instrumenta illius lucrum concernentia rogant, 144 *a.* Ipsi vel eorum haeredes notas instrumentorum per eos rogatorum in nosocomii cancellaria dimittere debent, ut per successores in publicam formam redigantur, *ibid. b.* Nosocomium instaurationem obtinet a Pio IV facultatis quaerendi eleemosynas, necnon aliarum indulgentiarum et privilegiorum concilio Tridentino non obstantium, 304 *b.* Forma eleemosynas colligendi praefinitur, 305 *a. V.* Loca pia.

Spolia clericorum, de suis bonis testantium absque Sedis Apostolicae licentia, ad Cameram Apostolicam devolvuntur, 28 *a;* item clericorum apud suas ecclesias non residentium extraque residentiam defunctorum, 333 *a.* Testandi licentia non residentibus sublata, *ibid. b.* Aliae ordinationes de hac re firmae remanent, 334 *a.* Ornamenta, paramenta, missalia, gradualia, res sacrae et alia ad cultum divinum spectantia non veniunt nomine spoliorum ad Cameram Apostolicam pertinentium, sed spectant ad ecclesias obtentas a beneficiariis defunctis, 609 *b;* qui propria auctoritate illa apprehendere possunt, 610 *a.* De illis disponi aliter non potest, ne pro caussa quidem pia, *ibid. b.* Bonorum prædictorum detentores omnibus iuris et facti remediis ad restitutionem compellantur, *ibid.* Beneficiariorum supellex non venit nomine spoliorum, *ibid.* Spolium praetendi non potest per obitum obtinentis beneficia vel pensiones non excedentes xxx ducatos, 611 *a.* Divisio ornamentorum, *etc.*, quomodo facienda cum beneficiarius plura obtinet beneficia, 612 *a. V.* Beneficia.

Stephani (S.) militia sub Regula S. Benedicti a Cosmo Medices, Florentiae et Senarum duce, erigitur, eidemque condecentes proventus assignantur, 159 *a.* Caritatem, coniugalem castitatem necnon obedientiam milites profiteri debent, *ibid. b.* Alia statuta, *ibid.* Pius IV praedicta confirmat, 160 *a;* Cosmum eiusque successores magnos magistros militiae creat, pluraque privilegia concedit, *ibid.* Milites eximuntur a iurisdictione ordinariorum, 162 *a;* praerogativa gaudent retinendi et transferendi pensiones usque ad summam ducentorum ducatorum, *ibid. b;* disponendi de quoquo modo acquisitis, 163 *a.* Milites presbyteri beneficium habere possunt, *ibid. b.* Quando milites peccent ob inobservantiam Regulae, *ibid.* Eorumdem exemptio a solutione decimarum et aliorum onerum, *ibid.* Pensiones super beneficiis militiae imponi nequeunt, nisi pro personis eiusdem, 164 *a.* Indulgentia plenaria pro militibus qui obeunt in expeditione contra infideles vel haereticos, *ibid.;* item pro visitantibus ecclesiam conventus die II augusti cuiuslibet anni, *ibid. b.* Aliae indulgentiae pro aliquid militiae donantibus, *ibid.*

Summator litterarum apostolicarum obtinet ab Alexandro VI officium perpetuum et vacabile, 829 *b;* scriptorum earumdem litterarum privilegia aliaque complura, *ibid.* Pius V officium insignius reddit instituendo praesidem unum, recognitores quatuor aliaque officia valoris septuaginta millium scutorum, 830 *b;*

recognitorum dotem constituit, 831 *a;* summatoris antiqua privilegia, facultates et emolumenta confirmat, *ibid.;* formam examinandi litteras apostolicas, dubiaque desuper occurrentia decidendi praescribit, *ibid. b.* Summatori per substitutos officium exercere concedit, et emolumenta percipere, 832 *a;* statuta pro officialibus condere, iurisdictionemque amplissimam in eis corrigendis habere, *ibid b;* camerarii exemptionibus perfrui, *ibid.;* praesidis et recognitorum litteras gratis expediri, *ibid.;* officium resignare *ibid.*

Symoneta cardinalis Ludovicus. *V.* Minores Conventuales.

T

Tabelliones, vulgo notarii, tribunalium Urbis tabellam taxarum affixam tenere debent loco publico, 177 *b* et 180 *a.* Taxae servandae a notariis caussarum civilium gubernatoris, vicarii, iudicis Burgi et magistrorum viarum Urbis et etiam Capitolii in casibus de quibus per statuta non est provisum, 177 *b* et *seq.* Taxae servandae a notariis caussarum criminalium gubernatoris, auditoris Camerae, vicarii, senatoris Urbis ac iudicis Burgi, 180 *b* et *seq.* Tabelliones, patefacientes reorum depositiones, ceterique nuncium mittentes vel deferentes reis carceribus arctioribus detentis, quibus poenis afficiendi, 696 *a. V.* Tribunalia.

Taurorum et ferarum pugnae vetantur, 630 *b.* Moriens in conflictu ecclesiastica caret sepultura, *ibid.* Clerici, sub excommunicationis poena, spectaculis huiusmodi interesse neqeunt, 631 *a.* Contractus circa huiusmodi pugnas irritantur, *ibid.* Principes et praelati, hi sub censuris ecclesiasticis, hanc sanctionem servari faciant, *ibid.*

Taxationes servandae a tabellionibus tribunalium Urbis. *V.* Tabelliones.

Theatinorum congregatio commendatur, 538 *a.* Maior pars vocalium totum capitulum ubique representat cum omnimoda potestate, *ibid.;* in casu paritatis, antiquior vocalium capitulum efficit, *ibid. b.* Superiorum officium anno expletur, *ibid.* Praepositi et locatenentes pari gaudent auctoritate, *ibid.* Qui ut superior administrat, potest in praepositum eligi, et per triennium confirmari, *ibid.* Forma adhibenda a capitulo, cum administratoribus scribit, tempore vacationum praeposituarum, *ibid.* Vocalis antiquior succedit ipso iure in praepositura vacante, donec per capitulum aliter provideatur, 539 *a.* Religionem professi, etiamsi eiusdem habitum non sumpserint, omnibus congregationis privilegiis gaudent, *ibid.* Iulius III praedicta omnia confirmavit, *ibid.* Paulus IV communicavit insuper privilegia congregationis de Somascha et eidem unitarum, *ibid. b.* Religiosi idonei in ecclesiis sacramenta administrant, 540 *a.* Privilegia Societatis Iesu Theatinis conceduntur, *ibid.* Pius V praedicta confirmat, *ibid b;* praeposito facultatem elargitur absolvendi venientes ad Religionem ab omni casu in Bulla Coenae Domini non reservato, *ibid.;* clericis administrandi sacramenta omnibus intra habitationes congregationis existentibus, extra autem caussa necessitatis, 541 *b;* ad processiones cogi non posse, aliosque favores concedit, *ibid.* et *seq. V.* Regulares.

Theatinus archiepiscopus quaedam iura habere contendit super ecclesia episcopali

et communitate Lancianensi, unde plures et diuturnae exortae lites, 107 *a*. Ad quas sedandas, Pius IV eas ad se advocat, et partibus perpetuum silentium imponit, *ibid.*; ecclesiam et populum Lancianensem ab archiepiscopi Theatini iure solvit, *ibid. b*; dictam ecclesiam in archiepiscopatum et metropolim erigit, 108 *a*; Leonardum episcopum, archiepiscopum creat, *ibid.*; caussas provinciae Lancianensis ad eum referri iubet, *ibid. b*.

Thomae (S.) de Aquino festum de praecepto S. R. Ecclesiae celebrandum esse statuit Pius V in regno Neapolis, alibi vero uti festum quatuor catholicae Ecclesiae doctorum, 564 *b*; indulgentias eius altaria visitantibus festumque celebrantibus concedit, 565 *a*.

Thomas Manrique. *V.* Magister sacri Palatii.

Toletanae provinciae episcopi et capitula. *V.* Cordubensis.

Tribunalia et officia varia reformare decernit Pius IV, 214 *b*. Reformatio super sportulis iudicum ordinariorum in caussis civilibus et criminalibus, 215 *a*; super eorum mercede pro decretis in contractibus, *ibid. b*; sportulis capitanei appellationum, *ibid.*; tempore receptionis sportularum et taxa pro sigillo iudicum, *ibid.*; prohibitione aliquid a barigello et aliis executoribus recipiendi, et observantia bullae Pauli III circa eorumdem captivorum expeditionem, 216 *a*; super declaratione termini pro servato, nullitatibus attendendis, expeditione caussarum a duobus scutis infra, carcerum visitatione, *ibid.*; super medicorum pro carceribus detentis, necnon confessariorum electione, fisco citando in caussis criminalibus, advocatis vel procuratoribus vel tabellionibus a iudicibus domi non retinendis, iudicis de Sabello deputatione, *ibid. b*; super tabellionum Curiae Romanae numero, Curiaeque custodum electione, 217 *a*; iudicum dictae Curiae, Burgi Turris Nonae, Ripae et Ripettae syndicatu, *ibid.*; permanentia in officio camerarii Ripae, *ibid.*; iurisdictione iudicis Burgi, *ibid.*; residentia et iurisdictione conservatorum Urbis, *ibid.*; extraordinariorum populi Romani cautione et fide, *ibid. b*; super fide eis danda, eorumdem officio et mandatorum executione, 218 *a*; magistrorum viarum taxatione in vendendis locis ad exponenda venalia, *ibid.*; super eorumdem officio, submagistrorum relationibus, magistrorum edictis, advocati pauperum officio, *ibid. b*; super officio procuratoris pauperum, advocati fiscalis et procuratoris fiscalis, 219 *a* et *b*. Procurator fiscalis a reis nihil, ab instigatoribus moderate accipiat, *ibid. b*; de expensis contumacialibus impensum vel debitum solvat instigatoribus et tabellioni, et residuum sibi retineat, *ibid.* et *seq.*; citationes expediat, 220 *a*; capturam non committat nisi metuenda sit fuga inquisiti, *ibid.*; appellare ei licet, sed Signatura de appellationis admissione vel reiectone iudicat, *ibid.*; supersessorias caussarum civilium non procuret, *ibid. b*. Eidem et instigatori denegandae semper sunt remissoriae, nisi in casibus de iure concessae, *ibid.* Litterae pro capiendis indiciis quando dentur, *ibid.* Quae dilationes reis concedendae, *ibid.* Compositiones cum quibus tractandae, *ibid.* Absolutorum cautiones non requirendae, *ibid.* Fiscus, quando appellat, prosequatur, si adest instigator, *ibid.*; in caussis inter privatos interveniens sub praetextu proprii interesse, de eo statim docere teneatur, 221 *a*; in caussis criminalibus semper citandus, *ibid.*; substitutos deputare potest, sed aliquid ab eis recipere prohibetur, *ibid.* Quid

observare debeat procurator fiscalis Curiae Capitolinae, *ibid.* Contravenientium poenae, *ibid.* Notarii curiarum praedictarum taxationem servent et officia non arrendent, *ibid. b;* substitutos non recipiant, nisi a iudicibus approbatos, *ibid.*; nihil scribant in caussis a duobus scutis infra, sine iudicum licentia speciali, *ibid.;* regestra conficiant iuxta formam ab ipso Pio IV statutam, *ibid.;* pro copia indiciorum, quam revera reo non dederint, nihil recipiant, nisi loco arrhae, 222 *a.* Tabellionum Capitolii numerus, electio, reductio et taxatio, *ibid.* Protonotarii et notarii criminalis Capitolii taxatio, *ibid.* Eiusdem Curiae tabellionum decedentium scripturae, cui denunciandae, *ibid. b.* Rogitus ad referendum necnon plurium notariatuum retentio prohibentur, *ibid.* Nullus notarius in eadem curia notariatum et procurationem exercere potest, *ibid.* Consulum artium obligationes et iurisdictio, *ibid.* Eorumdem assessorum ac notariorum taxatio, *ibid.* et *seq.* Iudicis Turris Nonae ipsiusque notariorum taxa, 223 *a.* Cursorum Papae taxatio pro citationibus aliisque actibus, *ibid.* Mandatariorum taxatio, *ibid. b.* Barigelli et executorum taxatio necnon potestas contra fraudes artificum, *ibid.* et *seq.* Poenarum inflictio in notarios, consules illorumque assessores praemissis contravenientes, 224 *a.* Praedicti quidquam a pauperibus exigere prohibentur, *ibid.*

Tridentinum concilium prosequi mandat Pius IV ad diem Resurrectionis MDLXI, 90 *b* et *seq.;* hortatur praelatos ut personaliter ad illud accedant, principes autem christianos ut per se ipsos vel per oratores, 91 *a.* Ordo quo concilio interessentes locum habere debent in actibus publicis, 92 *b* et *seq.* Praelati concilio assistentes disponere possunt de beneficiis Sedi Ap. non reservatis, in eorum dioecesibus vacantibus, 111 *a;* a decimarum solutione eximuntur, *ibid.;* eorum caussae suspenduntur, si ipsi velint, 112 *b.* Idem Pontifex caussas cogendi concilium indicat, 113 *b;* legatos ad praesidendum deputat, quibus facultates necessarias concedit, 114 *a;* eosque hortatur ut muneri satisfaciant, *ibid. b;* concilii statuta confirmat ad instantiam congregatorum, 245 *a;* praelatos cogit ut illa observent, *ibid.;* imperatorem vero, reges et principes ad hoc ipsum hortatur, *ibid. b*; commentaria vel interpretationes in concilii decretis prohibet, *ibid.;* quae sibi reservat, 246 *a.* Concilium multa statuit ad morum reformationem, non obstantibus privilegiis, 278 *a.* Pius IV privilegia revocat, *ibid. b;* eorum vigore acta et agenda, a die qua concilium ligare coepit, nulla esse decernit, *ibid.;* ligare autem coepisse declarat calendis maii MDLXIV, 299 *b.* S. R. Ecclesiae cardinalium congregatio instituitur pro executione et observantia sacri concilii Tridentini et diversarum reformationum a Pio IV decretarum, 300 *b.* Inobedientium poenae, 301 *a.*

Trinitatem Divinarum Personarum, Iesu Christi divinitatem, Eius conceptionem de Spiritu Sancto, Eius mortem ut nos redimeret et B. Mariae virginitatem negantes pluribus poenis afficiuntur a Paulo IV, 722 *a.* Praemissa confirmat Pius V, *ibid. b;* toparchas hortatur ut eadem observent, *ibid.*; praelatos ut publicent, *ibid.*

Trinitatis (SS.) sodalitium et nosocomium in Urbe eriguntur ad recipiendum peregrinos et pauperes convalescentes, utrosque in religione instruendum, 23 *b* et *seq.;* a Pio IV approbantur, 24 *b.* Nosocomium et ecclesiam sodalitii visitantes, tempore indicendo orantes, benefactores et sodalitium ingredientes consequuntur indul-

gentias et confessionale, *ibid.* et *seq.* Sodalitii protector et iudex facultatem habet quascumque caussas eiusdem lucrum concernentes cognoscendi et ab aliis iudicibus reassumendi, 901 *b;* in Curia et extra inhibendi, necnon summarie procedendi singulis diebus et horis, praeterquam in honorem Dei feriatis, 902 *b* et *seq.;* tabelliones deputandi, ab omnibus mandatariis et executoribus obedientiam exigendi, 903 *a.* Aliorum iudicum sententiae cassantur, *ibid.*

U

Urbinatensis ecclesia in metropolitanam erigitur a Pio IV, 253 *a*; et ei suffraganeæ assignantur, *ibid. b.* Dos capituli, *ibid.*

Ursina familia bene de Apostolica Sede merita, 63 *a.* Pius IV Brachianum in ducatum erigit favore Pauli Iordani Ursini eiusque successorum, *ibid. b.*

Ursinus Flavius. *V.* Auditoratus.

Valentina synodus provincialis in Congregatione Concilii expenditur et emendatur, 631 *b* et *seq.* Provincialis synodus non debet *sancta* appellari, 632 *a.* Professio fidei in ea emittenda iuxta Pii IV praescriptionem, *ibid.* Poena medicis iniungenda, qui aegrotos non monent ut parochum accersant, *ibid. b.* Matrimonium libere contrahendum, *ibid.* Nonnulla alia dictae synodi decreta, *ibid.* et *seq.*

Vectigalia Urbis valde imminuta, cum magno Camerae Apostolicae detrimento, ob innumeras exemptiones a pluribus Pontificibus concessas, 242 *a;* quarum complures revocantur a Pio IV, *ibid. b.* Declaratio super praemissis, 243 *a.*

Venayssinus comitatus multa patitur a Calvini sectatoribus, vulgo *Huguenots*, 424 *a;* alimenta ceteraque necessaria suppeditat exercitui pontificio, *ibid. b.* Hinc Pius IV declarat comitatum eiusque terras et castra nulli posse lege vectigali adtribui, locari vel alio modo a S. R. Ecclesia alienari, sed litteras apostolicas desuper non expedit, *ibid.* et *seq.* Pius V hunc defectum supplet, 426 *b.*

Venetiarum nuncio mandatur ut in omnibus cathedralibus eiusdem dominii praebendam theologalem erigat, 658 *a.* Eiusdem facultas in contradictores, *ibid b.*

Viarum magistri. *V.* Camerarius.

Vicariarum undecim perpetuarum institutio in almae Urbis basilicis et ecclesiis, 948 *a.* Portionum assignatio pro vicariis, *ibid. b.*

Vicarii perpetui parochialium ecclesiarum, quae monasteriis vel aliis piis locis unitae sunt, quid de redditibus percipiant, 628 *b* et *seq.* Mendicantium facultas quoad vicarias eorum locis unitas, 629 *b.*

Vicarius Papae confirmatur in antiqua iurisdictione circa obligationes et contractus initos in forma Camerae Apostolicae, Ripae et Ripettae, quoad loca pia et personas ecclesiasticas, 484 *a*.

Visitatores carcerum almae Urbis dilationes ad solvendum concedere possunt aere alieno gravatis obque id carceri mancipatis, 788 *a;* relaxare debitores infirmos, *ibid. b;* pauperes non habentes alimenta a creditoribus, mulieresque honestas pro debito civili detentas, *ibid.*; debitores, qui, ob naturam debiti, de iure non tenentur ultra id quod facere possunt, *ibid.*; debitores suspectos de fuga, vel cedentes bonis, vel nulliter carceri mancipatos, 689 *a*. Visitatorum arbitrium in quibusdam casibus, *ibid. b*. Iudices non obediant visitatoribus aliquid contra praemissa decernentibus, *ibid.* Eleemosynae pro carcere mancipatis in Urbe quomodo expendendae, 801 *b*. Hortatio Pontificis ut nosocomium in Turris Nonae carceribus erigatur, *ibid.* Prohibitio aliquem carceri mancipandi pro minori summa septem aureorum, *ibid.*

Vitellius cardinalis. *V.* Duodecim Apostolorum (Ss.) sodalitium.

INDEX ALPHABETICUS PONTIFICUM

Pius IV habet Constitutiones CXXII. | Pius V habet Constitutiones CCXX.

IDEM CHRONOLOGICE DISPOSITUS

Pius IV Anno 1559 *pag.* 1 | Pius V Anno 1566 *pag.* 422

INDEX INITIALIS

A

Accepimus multos, 513.
Accepimus quod, 504.
Ad caritatis, 12.
Ad Ecclesiae regimen, 90.
Ad exequendum, 628.
Ad eximiae devotionis affectum, 128.
Ad extirpandos, 676.
Ad hoc nos Deus militanti, 910.
Ad hoc nos Deus praetulit, 586.
Ad immarcescibilem, 538.
Admonet, 560.
Ad Romani Pontificis spectat officium, 659.
Ad Romanum Pontificem, 478.
Ad Romanum spectat Pontificem..... ut ea, quae ab eo emanata, 883.
Ad Romanum spectat Pontificem..... ut ea, quae ab eo sancita, 153.
Ad Romanum spectat Pontificem .... ut sacrorum, 678.
Æquum, 424.
Alias emanarunt ..... a tergo, 642.
Alias emanarunt ..... videlicet, 641.
Alias nos, 300.
Altitudo, 161.
Apostolatus, 605.
Apostolicae Sedis benignitas, 633.
Apostolicae Sedis poscit, 598.
Apostolicae servitutis officium, 418.
Attendentes quam frequenter, 646.

B

Beatus, 650.
Benedictus, 244.

C

Circa, 447.
Circumspecta ..... praedecessorum, 31.
Circumspecta ..... singulorum, 110.
Circumspecta ..... vias, 760.
Cogit, 552.
Considerantes, 483.
Consueverunt, 774.
Continua, 296.
Cordi nobis est, 663.
Cum ab ipso, 214.
Cum alias nos, 915.
Cum alias per fel. rec. Pium IV, 464.
Cum Apostolica Sedes, 847.
Cum de litteris, 697.

Cum domus, 63.
Cum, ex apostolatus officio, 533.
Cum ex Ordinum universitate, 877.
Cum felicis recordationis Pius IV, 502.
Cum gravissima, 431.
Cum, gravissimis, 496.
Cum illius vicem, 477.
Cum in alienationibus, 62.
Cum inter ceteras animi curas, 310.
Cum inter crimina, 301.
Cum inter gravissimas curas, 373.
Cum Magistrum, 303.
Cum nil, 861.
Cum nobis, 440.
Cum nos dudum, 187.
Cum nos nuper constitutionem, 514.
Cum nos nuper, pro, 458.
Cum nos per, 298.
Cum nos pro, 967.
Cum nuper ..... in causis civilibus, 177.
Cum nuper ..... in causis criminalibus, 180.
Cum nuper, ne ordo, 952.
Cum nuper nos, 224.
Cum nuper nostris, 226.
Cum nuper, postquam, 638.
Cum, ob celebrationem, 112.
Cum, ob innumeras, 465.
Cum onus, 786.
Cum pastorali, 267.
Cum plerumque contingat, 507.
Cum primum, 434.
Cum pro munere, 279.
Cum, sicut accepimus a dilecto, 503.
Cum, sicut accepimus, archiconfraternitas, 901.
Cum, sicut accepimus, confraternitas, 962.
Cum, sicut accepimus, dilectus, 67.
Cum, sicut accepimus, diversa .... Ordinis Humiliatorum, 695.
Cum, sicut accepimus, diversa .... Ordinis Minorum, 674.
Cum, sicut accepimus, felicis, 60.
Cum, sicut accepimus, hospitale, 257.
Cum, sicut accepimus, in hac alma Urbe, 147.
Cum, sicut accepimus, inter ceteros, 372.
Cum, sicut accepimus, licet Romani, 136.
Cum, sicut accepimus, nonnulli episcopi, 198.
Cum, sicut accepimus, nonnulli suae conscientiae, 498.
Cum, sicut accepimus, non sine animi nostri displicentia, 172.
Cum, sicut accepimus, non sine maxima animi nostri displicentia, 1.
Cum, sicut accepimus, postquam, 768.
Cum, sicut accepimus, pro tempore existens, 144.
Cum, sicut accepimus, venerabilis confraternitas, 117.
Cum, sicut accepimus, visitatores, 689.
Cum, sicut nobis innotuit, in, 121.
Cum, sicut nobis innotuit, tam, 601.
Cum, sicut non sine animi nostri displicentia, 265.
Cum, sicut non sine gravi dolore, 507.
Cum, sicut non sine magna animi nostri molestia, 146.
Cum sicut nuper, 126.
Cum venerabilis archiconfraternitas, 29.
Cum vices ..... ex armis, 965.
Cum vices ..... ex illis, 171.
Cunctorum, 777.
Cupientes litium, 479.
Cupientes malitiis nonnullorum, qui fructus, 511.
Cupientes malitiis nonnullorum, qui in possessione, 127.
Cupientes mercatoribus, 145.
Cupientes, pro commisso, 484.
Cupientes, pro communi, 95.
Cupientes, pro iniunctae, 154.
Cupientes, pro nostri pastoralis officii cura, 658.
Cupientes, pro nostri pastoralis officii munere, 683.
Cupientes unicuique, 63.
Cupientes ut beneficia, 423.
Cupientes ut monasterium, 655.

D

Debitum, 904.
Decens esse arbitramur, 421.
Decens esse censentes, 78.
Decens et debitum arbitramur, 935.
Decet nos, 797.
Decet Romanum Pontificem, aequi et boni supremum assertorem, 921.
Decet Romanum Pontificem .... in litteris, 488.
Decet Romanum Pontificem .... in Romanorum, 936.
Decet Romanum Pontificem ea, 933.
Decet Romanum Pontificem ex debito, 148.
Decet Romanum Pontificem id maxime, 151.
Decet Romanum Pontificem iustitiae supremum assertorem, 622.
Decet Romanum Pontificem, pro sui pastoralis officii debito, 767.
Decet Romanum Pontificem, quem Dominus, 239.
De commisso, 228.
Decori, 808.
De salute gregis dominici nobis, 55.
De salute gregis dominici, nostrae, 630.
De statu, 21.
Digna, 934.
Dignum, 482.
Dilectos, 134.
Divina disponente clementia ad summi, 86.
Divina disponente clementia, omnium, 699.
Divinae Maiestatis, 550.
Dominici gregis, 281.
Dudum a fel. rec. Paulo Papa IV, 167.
Dudum postquam felicis recordationis Pius Papa IV, 940.
Dudum siquidem a fel. rec. Paulo IV, 227.
Dum ad congregationem, 919.
Dum ad solitam, 334.
Dum ad uberes, 468.
Dum indefessae, 923.
Durum, 827.

E

Ea est officii nostri ratio, 679.
Ea, quae a praedecessoribus nostris, 83.
Ea, quae concordia, 544.
Etsi Apostolica Sedes, 738.
Etsi cuncta ..... in favorem, 726.
Etsi cuncta ..... processerunt, 186.
Etsi de singulis, 733.
Etsi dominici gregis, 535.
Etsi Mendicantium, 573.
Etsi omnibus, 947.
Etsi omnium, 795.
Etsi per diversos, 241.
Etsi Romani, 949.
Etsi Romanum, 369.
Ex debito pastoralis officii, cui, 857.
Ex debito ..... divina, 379.
Ex debito ..... ex alto, 945.
Exigit apostolicae servitutis, 461.
Exigit incumbentis nobis .... ut fabricae nostrae, 799.
Exigit incumbentis nobis .... ut fabricam basilicae, 851.
Ex incumbenti nobis, 772.
Ex innumeris curis, 813.
Exponi nobis nuper fecistis, 647.
Exponi nobis nuper fecit charissimus, 617.
Exponi nobis nuper fecit tua maiestas, 558.
Exposcit, 943.
Exposito, 619.
Ex proximo, 942.
Ex solita ..... archiepiscopi Compostellani, 777.
Ex solita ..... episcopi Cordubensis, 780.
Ex supernae dispositionis arbitrio gregis dominici curae, 452.
Ex supernae dispositionis arbitrio gregi dominico, 584.
Ex tam multis, 571.

G

Grave nobis et molestum, 27.

H

Hebraeorum gens, 740.
His quae, 158.
Hodie, 758.
Horrendum, 702.

I

Illa nos cura, 691.
Illius fulciti praesidio, 926.
Illius qui .... non abhorruit, 139.
Illius qui .... non abnuit, 23.
Illius qui, pro dominici, 139.
In apostolicae dignitatis culmine, 329.
In apostolicae dignitatis specula, 714.
In conferendis, 555.
Indefessa, 472.
In eam, 884.
In earum, 752.
In eligendis, 230.
In eminenti dignitatis apostolicae .... antiquo, 624.
In eminenti dignitatis apostolicae .... non solum, 260.
In eminenti militantis Ecclesiae, 841.
In eminenti Sedis Apostolicae specula, 102.
Infelicis saeculi, 792.
Infirma aevi conditio, 794.
Ingens humeris nostris, 375.
Iniunctum nobis apostolicae servitutis officium nos admonet ut animarum, 282.
Iniunctum nobis apostolicae servitutis officium requirit, 327.
Iniunctum nobis desuper apostolicae servitutis officium crebro, 742.
Iniunctum nobis desuper apostolicae servitutis officium digne, 729.
Iniunctum nobis, meritis, 801.
In omnibus rebus humanis, 746.
In Principis apostolorum Sede, 277.
In sacrosancta, 323.
In sublimi, 193.
In suprema, 332.
Inter assiduas, 336.
Inter ceteras pastoralis, 953.
Inter ceteras, quibus, 166.
Inter desiderabilia, 758.
Inter illa, 865.
Inter multiplices curas, quae animum, 499.
Inter multiplices curas, quae mentem nostram, 386.
Inter multiplices curas, quibus assidue premimur, 376.
Inter multiplices pastoralis officii nostri curas, 207.
Inter omnes, 458.
In throno, 155.
Intolerabilis, 754.

L

Licet alias, 604.
Licet contra notarios, 696.
Licet dudum, 189.
Licet Ecclesia Dei sponsa, 875.
Licet ex debito summi pontificatus, 959.
Licet fel. rec. Paulus Papa III, 242.
Licet fel. rec. Pius Papa IV, 509.
Licet iuri, 946.
Licet omnibus, 972.
Licet, sicut nobis constat, 251.
Lubricum, 725.

M

Maxime cuperemus, 494.
Militanti Ecclesiae, 833.
Mirabilis Deus, 564.
Muneris nostri est, 893.

N

Ne per praeinsertum, 136.
Nihil in Ecclesia Dei, 666.

Nuper, certis rationabilibus, 787.
Nuper cum accepissemus, 661.
Nuper per alias nostras, 649.
Nuper siquidem, 105.

O

Onerosum, 247.

P

Pastoralis officii auctoritas, 18.
Pastoralis officii cura, meritis, 138.
Pastoralis officii cura nobis, 184.
Pastoralis officii munus, 237.
Pastoralis officii nobis divinitus iniuncti, 917.
Pastoralis officii nobis, meritis, 811.
Pastoris aeterni vices, 176.
Pia devotio, 481.
Pontifice dignum, 829.
Postquam eousque, 862.
Postquam nos, 821.
Postquam nuper, 957.
Pridem nos, 762.
Pro debito institiae, 427.
Pro nostri muneris officio curae, 703.
Pro nostri muneris officio et charitate, 817.
Pro suscepti a nobis, 546.
Provida, 58.
Providentia Romani Pontificis .... ad notitiam, 473.
Providentia R. Pontificis .... dilectus, 82.
Provinciale concilium, 631.
Prudentis patrisfamilias, 143.

Q

Quaecumque, 783.
Quae in vestra synodo, 819.
Quae ordini ecclesiastico, 880.
Quamvis a Sede Apostolica .... curis continuo, 93.
Quamvis a Sede Apostolica... curis omnino, 673.
Quam plenum sit, 735.
Quanta Ecclesiae Dei, 664.
Quantum animarum cura, 719.
Quantum animus, 788.
Quemadmodum sollicitus pater, 885.
Quia non solum, 65.
Quia sicut accepimus, 480.
Quod a nobis, 685.
Quoniam nos, 596.
Quoniam, per extinctionem, 888.
Quo primum, 839.

R

Regimini et curae, 113.
Regimini universalis Eccl., divina, 211.
Regimini universalis Ecclesiae, meritis, 69.
Regnans in excelsis, 810.
Regularium personarum, 487.
Religionis zelus, 908.
Rem fluxam, 706.
Reverendi DD. visitatores, 688.
Romani interest Pontificis, 114.
Romani Pontificis aequa, 837.
Romani Pontificis circumspecta benignitas, 931.
Romani Pontificis circumspecta providentia, 785.
Romani Pontificis cura, 648.
Romani Pontificis, in quo, 914.
Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea .... per quae inter singulos, 969.
Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea... per quae singulis, 609.
Romani Pontificis providentia circumspecta nonnunquam gesta per eum, 938.
Romani Pontificis providentia circumspecta nonnunquam gesta per praedecessores, 939.
Romani Pontificis providentia circumspecta praedecessorum, 848.
Romanum decet Pontificem almam Urbem, 381.

Romanum decet Pont., ex iniuncto, 97.
Romanum decet Pontificem sua sollicitudine, 75.
Romanum Pontificem, 305.
Romanus Pontifex, Christi vicarius ac Beati Petri, 249.
Romanus Pont., Christi vicarius in terris, nonnumquam ea quae pro unitate, 722.
Romanus Pontifex, Christi vicarius in terris, nonnunquam ea quae pro zelo, 438.
Romanus Pontifex, Christi vicarius, uti prudens paterfamilias, 203.
Romanus Pontifex, ex sua circumspecta providentia, 80.
Romanus Pontifex, in excelso, 763.
Romanus Pontifex in supremo iustitiae throno constitutus, 123.
Romanus Pontifex in supremo iustitiae throno, divina, 428.
Romanus Pontifex, praecipuus, 271.
Romanus Pontifex privilegia, 636.
Romanus Pontifex, sacrorum, 723.
Romanus Pontifex, tamquam providus paterfamilias, 894.
Romanus Pontifex tam universalis, 614.

S

Sacri apostolatus ministerio, 254.
Sacrosanctae catholicae Ecclesiae, 489.
Sacrosanctae Romanae et universali Ecclesiae, 860.
Sacrosanctum, 709.
Salvatoris, 743.
Sanctissimus .... accepto, 479.
Sanctissimus .... ad cuius notitiam, pervenit quod, cum in decretis, 476.
Sanctissimus .... ad cuius notitiam pervenit quod nonnulli, 433.
Sanctissimus .... ad cuius pervenit notitiam, 308.
Sanctissimus ..... attendens, 475.
Sanctissimus ... cupiens pauperibus, 659.
Sanctissimus .... cupiens prout, 77.
Sanctissimus .... ex tam multis, 571.
Sanctissimus .... quod, 308.
Sanctissimus .... statuit, 422.
Sanctissimus .... volens, 836.
Sedis apostolicae circumspecta benignitas, 374.
Sedis apostolicae copiosa benignitas, 399.
Sedis apostolicae providentia, 273.
Sedis Apostolicae solertia .... Dudum, 15.
Sedis Apostolicae solertia .... Sane, 617.
Sicut ad sacrorum conciliorum decreta, 299.
Sicut ea, 92.
Sicuti bonus agricola, 516.
Si de protegendis, 744.
Sinceritas fidei, 4.
Si scandala vitare, 845.
Sollicitae nostrae considerationis, 445.
Summi sacerdotii cura, 849.
Superioribus mensibus, 565.
Superna providentia, 285.
Superni omnipotentis Dei, 897.
Super speculam, 872.
Super universas orbis ecclesias ... cuique universa, 106.
Super universas orbis ecclesias .... et cui omnia, 252.
Supra gregem dominicum, 430.

T

Tanta, 912.

U

Universi, 200.
Ut ad artis lanae, 612.
Ut bonus paterfamilias, 750.

V

Volentes dilectos, 109.
Volentes indemnitati, 690.
Volentes opportune, 371.
Volumus ut omnes, 801.
Votis vestris, 26.

INDEX RUBRICARUM

PIUS IV.

I. Iurisdictio gubernatoris almae Urbis procedendi contra mercatores cambia sicca et illicita contrahentes, *pag.* 1.

II. Francisco II, regi Francorum, confirmat et concedit ad vitam ius nominandi ad ecclesias, monasteria et prioratus nonnullos regni, Delphinatus, comitatus Viennensis, Valentinensis etc., iuxta tamen statuta in concordatis inter Franciscum I regem et Leonem X Papam, 4.

III. Iurisdictio cardinalis protectoris et iudicis causarum archihospitalis pauperum infirmorum incurabilium de Urbe, 12.

IV. Moderatio constitutionis Pauli IV, editae contra religiosos apostatas, aut male translatos, vel extra claustra vagantes, 15.

V. Contra detinentes iocalia et alia quaecumque bona ad Sedem Apostolicam spectantia, ac scientes et non revelantes, 18.

VI. Exemptio monialium et sororum cuiuscumque Ordinis regularium a decimis, subsidiis aliisque oneribus, 21.

VII. Approbatio confraternitatis sub invocatione SS. Trinitatis, nuper in Urbe institutae ad hospitandum peregrinos ad Urbem devotionis caussa accedentes; ac reficiendum pauperes convalescentes ex aliis hospitalibus dimissos, et tam illos quam istos salubriter in mandatis Domini erudiendos, 23.

VIII. Facultas praelatorum congregationis monachorum B. Mariae Montis Oliveti, Ordinis S. Benedicti, circa absolutionem et dispensationem monachorum ab irregularitate, quibuscumque casibus, quatuor exceptis, incursa, 26.

IX. Spolia personarum ecclesiasticarum, de eorum bonis, etiam ad favorem locorum piorum, absque Sedis Apostolicae licentia, disponentium, spectant ad reverendam Cameram Apostolicam, 27.

X. Applicatio poenarum maleficiorum summam decem ducatorum non excedentium, alias fisco debitorum, archiconfraternitati Charitatis de Urbe, 29.

XI. Confirmatio quamplurium gratiarum et immunitatum exemptionumque et privilegiorum fratrum militum conventus et hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, eiusque magni magistri, priorum et aliarum personarum, a Pontificibus praedecessoribus concessorum, cum eorumdem extensione, et aliorum concessione, 31.

XII. De residentia episcopali residentiumque privilegiis, et non residentium poenis, 55.

XIII. Reductio ad terminos iuris communis bullae Pauli IV, editae super alienationibus et locationibus bonorum ecclesiasticorum, quoad caussas pendentes et futuras; et licentia revidendi iam decisas, 58.

XIV. Forma contrahendi in Statu Eccl. societates officii nuncupatas, 60.

XV. De solemnitatibus observandis in venditionibus et locationibus bonorum et iurium Camerae Ap., 62.

XVI. Erectio ducatus Brachiani, pro Paulo Iordano Ursino et successoribus, 63.

XVII. Iudices caussarum beneficialium vel criminalium, privationem beneficiorum concernentium, eorumque affines et familiares beneficia illa impetrare non possint, 63.

XVIII. Vassallorum obligationes de cetero fiendae pro eorum dominis Sedi Apostolicae subiectis, nullae erunt; et domini eorum vassallos ab obligationibus iam factis indemnes relevare, et pecunias solutas infra sex menses restituere cogentur, 65.

XIX. Approbatio et declaratio iurisdictionis et indultorum archipresbyteri et iudicis caussarum canonicorum et capituli B. Mariae Maioris de Urbe, 67.

XX. Confirmatio confraternitatis Sancti Rochi, a morbo epidemiae liberatoris, in Urbe hactenus institutae, et ab Alexandro VI et Leone X nonnullis privilegiis decoratae, cum aliarum indulgentiarum et gratiarum concessione, et iudicis ad suarum caussarum cognitionem deputatione, 69.

XXI. Declarat quod ultra praesentandi seu nominandi ad beneficia ecclesiastica, quibusvis principibus et personis a se concessum, ad fœminas nullatenus extendatur, 75.

XXII. Facultas iudicum, lite pendente, decernendi super fructibus beneficiorum Sedi Apostolicae reservatorum sive affectorum, et ordinaria vel alia auctoritate nulliter collatorum; et poenae desuper temere litigantium, 77.

XXIII. De spoliis clericorum ob illicitam negociationem; et de indultis curialium et incolarum almae Urbis super dictis spoliis, 78.

Sequitur declaratio dictae constitutionis, 80.

XXIV. Confirmatio et nova concessio omnium facultatum et privilegiorum S. R. E. camerario hactenus a Summis Pontificibus concessorum, 82.

XXV. Contra pugnantes in duello et illud ubique gentium permittentes, spectantes, complicesque, 83.

XXVI. Approbatio archiconfraternitatis Orationis et Mortis, nuper in Urbe institutae, ad orationem quadraginta horarum singulis mensibus publice peragendam, et pauperum defunctorum cadavera gratis et decenter sepelienda, cum indulgentiarum concessione, 86.

XXVII. Indictio prosecutionis Sacri et Œcumenici Concilii Tridentini, 90.

XXVIII. Ordo, quo praelati in Sacro Concilio Tridentino locum habere debent in actibus publicis, 92.

XXIX. Annullatio quarumcumque legitimationum de naturalibus spuriis factarum, in praeiudicium vocatorum

ex fideicommisso aut testamento aut quavis alia valida dispositione (dummodo non sint sortitae effectum); et revocatio facultatum eo modo legitimandi, 93.

XXX. Confirmatio et extensio iurisdictionis præsidentis et camerarii Riparum almæ Urbis in caussis civilibus et criminalibus, et etiam indultorum nautarum et mercatorum Ripalium, 95.

XXXI. Deputatio et facultates cardinalis camerarii cognoscendi cum voto congregationis quascumque caussas interesse Reverendæ Cameræ Apostolicae tangentes, ac revidendi computa officialium et aliorum, etiam iam solidata et decisa, et contractus læsionem eiusdem Cameræ continentes rescindendi, ac bonorum detentores coercendi, 97.

XXXII. Confirmatio constitutionum a Pio II, Paulo II, Sixto IV, Iulio II, Leone X et Clemente VII editarum contra homicidas et bannitos eorumque fautores et complices, ac dominos et communitates non custodientes eorum territoria a bannitis, furibus etc.; et revocatio quarumcumque facultatum gratiandi homicidas, aut cum eis componendi, 102.

Sequitur declaratio circa facultatem officialibus interdictam gratiandi aut componendi bannitos ex caussa homicidii, 105.

XXXIII. Erectio ecclesiæ Lancianensis in metropolitanam cum iurium et iurisdictionum metropoliticorum elargitione, 106.

XXXIV. Declaratio et ampliatio iurisdictionis consulum artis mercantiae pannorum de Urbe, 109.

XXXV. Privilegia et exemptiones praelatorum, Sacro et Œcumenico Concilio Tridentino assistentium, eorumque familiarium, 110.

Sequitur indultum quod in eorum litibus supersedeatur, 112.

XXXVI. Deputatio quinque legatorum, qui nomine Papae concilio Tridentino præsint, cum facultatibus necessariis, 113.

XXXVII. Quod bona omnia fratrum militum hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani ubique decedentium, etiam ex illicita negociatione acquisita, uti spolia, non ad Cameram Apostolicam, sed ad ipsum hospitale spectent et pertineant, 114.

XXXVIII. Confraternitatis sub invocatione Sanctissimi Crucifixi, ad pauperes virgines maritandum aliaque pia opera exercendum pridem in Urbe institutae, in archiconfraternitatem erectio: cum indulto singulis annis in festo S. Crucis, unum reum capitaliter condemnatum a carceribus liberandi; iurisdictioque cardinalis eius protectoris quascumque ipsius caussas cognoscendi, 117.

Sequitur erectio in archiconfraternitatem et indultum liberandi carceratum, 121.

XXXIX. Suppressio officii regentis Camerae Apostolicæ; sanctaeque Romanæ Ecclesiæ cardinali camerario aliisque eiusdem Cameræ officialibus restitutio facultatum, iurium et iurisdictionum, 123.

XL. Inquisitorum haereticae pravitatis facultas procedendi contra sacerdotes qui mulieres poenitentes in actu confessionis ad actus inhonestos provocare et allicere tentant, 126.

XLI. Applicatio Reverendae Camerae Apostolicae omnium fructuum beneficiorum Italiae, Sedi Apostolicae reservatorum seu affectorum, pro tempore quo aliter quam per cessum ipsa beneficia vacaverint, 127.

XLII. Iurisdictio et facultates auditoris

caussarum Curiae Reverendae Camerae Apostolicae, 128.

XLIII. Iurisdictio Senatoris, collateralium et aliorum iudicum Curiae Capitolii almae Urbis, 134.

Sequitur declaratio dictæ constitutionis respectu iurisdictionis gubernatoris Urbis, 136.

XLIV. Extensio constitutionis Pauli III circa caussas civiles interesse fisci Camerae Apostolicæ concernentes in eadem Camera cognoscendas, 136.

XLV. Inquisitorum haereticae pravitatis facultas eligendi et creandi in notarios quoscumque, etiam clericos sæculares, in caussis inquisitionis, 138.

XLVI. Approbatio confraternitatis et hospitalis sub invocatione Beatæ Mariæ de Pietate nuper in Urbe instituti ad egenos dementes charitative recipiendos et curandos; cum facultate alias eiusmodi confraternitates extra Urbem cum indulgentiarum participatione erigendi, 139.

XLVII. Pontificis electionem ad cardinales non ad concilium, si tempore concilii eum obire contigerit, spectare declarat, 143.

XLVIII. Quod instrumenta pro interesse hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe rogata, per illius pro tempore notarios et secretarios in cancellaria eiusdem hospitalis custodiri, et per alios notarios et secretarios successores gratis expleri, et in publicam formam redigi possint, illisque plena fides adhibeatur, 144.

XLIX. Quod birretum viride deferant, etiam coram iudicibus Urbis et carcerum visitatoribus, petentes alternativas vel beneficium cap. *Pervenit* et cap. *Odoardus*, 145.

L. Inquisitores haereticae pravitatis non teneantur publicare dicta testium contra schismaticos vel haereticos examinatorum, neque rationem reddere de processibus alteri, quam Romano Pontifici aut supremis inquisitoribus almae Urbis, 146.

LI. Fructus et emolumenta ad capitulum et mensam ecclesiarum Urbis communiter spectantia, et distributiones pro defunctorum anniversariis largiendae, applicantur distributionibus quotidianis pro interessentibus divinis officiis, 147.

LII. Proxenetae Ripae almae Urbis tenentur nautis et mercatoribus vini de pretio vini eis mediantibus venditi, emptoribus illud non solventibus, 148.

LIII. Poenae maleficiorum communitatum Status Ecclesiastici vel locorum subiectorum applicantur Reverendae Camerae Apostolicae, quatenus ex causa vere onerosa, aut piis vel publicis operibus non sint applicatae. Et gubernatores locorum decem pro centenario consequantur de eiusmodi poenis; accusatores autem quartam partem poenarum bannimentalium, 151.

Sequitur extensio dictae constitutionis, 153.

Sequitur declaratio circa portionem poenarum dandam officialibus et accusatoribus, 154.

LIV. Reformatio Rotae Romanae, 155.

LV. Confirmatio militiae Ordinis S. Stephani a Cosmo Medices, Florentiae et Senarum duce, de licentia huius Pontificis institutae sub Regula Sancti Benedicti, cum exemptionum et indultorum concessione, 158.

Sequitur concessio privilegiorum dicte militiae, 161.

LVI. Contra franchitias in Urbe acclamantes, aut illas pro malefactoribus vel aere alieno adstrictis tenentes, sive Curiam in eorum captura impedientes, 166.

LVII. Declaratio et limitatio constitutionis editae a Paulo IV super ordinationibus observandis per hebræos in Statu Ecclesiastico degentes, 167.

LVIII. Prohibitio deferendi, retinendi et vendendi archibusettos brevioris mensurae duorum palmorum in Statu Ecclesiastico, 171.

LIX. Iurisdictio et facultates cardinalis protectoris et iudicis caussarum monasterii et monialium (impudicarum iam mulierum) Convertitarum de Urbe nuncupatarum, 172.

LX. Iurisdictio inquisitorum haereticae pravitatis procedendi contra quoscumque regulares et religiosos quoquomodo privilegiatos et exemptos, de haeresi culpabiles, dummodo eorum superiores non praevenerint, 176.

LXI. Taxa mercedum notariorum caussarum civilium gubernatoris, vicarii, iudicis Burgi et magistrorum viarum Urbis, et etiam Capitolii, in casibus de quibus per statuta non est provisum, 177.

LXII. Taxa mercedum notariorum caussarum criminalium gubernatoris, auditoris Camerae, vicarii et senatoris Urbis ac iudicis Burgi, 180.

LXIII. Privilegia, gratias et indulta per Summos Pontifices, ab Innocentio II usque ad Iulium III inclusive, concessa congregationi Canonicorum Regularium Lateranensium approbat et confirmat, sicuti etiam pro bono congregationis regimine statuta edita ac edenda et promulganda, 184.

LXIV. De homicidis aliisque reis poenae capitalis vel sanguinis, etiam non condemnatis vel in contumaciam condemnatis, et infra sex menses non sponte se in carceribus constitutis non audiendis, appellationibusque condemnatorum in poenam fisco et Camerae Apostolicae applicatam non admittendis, nisi facto deposito. Ac de poenis fractae pacis vel treguae, et allegatione novae caussae vel minoritatis, et legitimae filiorum confiscatione, 186.

Sequitur declaratio dictae constitutionis, 187.

Sequitur plenior declaratio supradictarum constitutionum, 189.

LXV. Reformatio officii Poenitentiariae Apostolicae, 193.

LXVI. Episcopos titulares nuncupatos pontificalia exercere in aliena dioecesi, nisi de ordinarii licentia, minime posse sancit, 198.

Sequitur declaratio superius editae constitutionis, 199.

LXVII. Reformatio officii correctoris Cancellariae Apostolicae et litterarum minoris iustitiae, contradictarum nuncupatarum, 200.

LXVIII. Reformatio tribunalis Reverendae Camerae Apostolicae, 203.

LXIX. Reformatio tribunalis auditoris caussarum Curiae Reverendae Camerae Apostolicae, 207.

LXX. Loca pia et confraternitates, etiam institutae vel dependentes a capitulo sacrosanctae Lateranensis ecclesiae vel Sancti Spiritus aut Sancti Sebastiani ad Catacumbas de Urbe, subiiciuntur iurisdictioni et obedientiae ordinariorum ac rectorum parochialium. Et eisdem capitulis prohibetur de cetero erigere loca pia et ecclesias, vel in eorum membra recipere, 211.

LXXI. Reformatio tribunalium ordinariorum et aliorum iudicum Romanae Curiae, officiique tam advocati et procuratoris pauperum quam fisci Reverendae Camerae Apostolicae, 214.

LXXII. Reformatio referendariorum Signaturae iustitiae Romani Pontificis et

ordinationes a iudicibus Romanae Curiae observandae, 224.

Declaratio dictæ reformationis circa prorogationes fatalium, 226.

LXXIII. Decanatus collegii auditorum Rotae Romanae, cum omnimoda praecedentia, spectat ad auditorem tempore vacationis in Curia praesentem, aut ex caussa publica absentem, et extra Curiam a Romano Pontifice destinatum, 227.

LXXIV. Revocatio privilegiorum quibuscumque locis piis et aliis concessorum, dispensandi super irregularitatibus impedimentisque matrimonialibus, etc., 228.

LXXV. Ordinationes pro tempore Sedis Apostolicae vacantis, circa electionem Summi Pontificis et observantiam conclavis. Declarationesque iurisdictionum collegii S. R. E. cardinalium, camerarii et clericorum Camerae, maioris poenitentiarii, datarii, praefectorum et praelatorum Signaturae gratiae et iustitiae et custodum conclavis, 230.

LXXVI. Sanctae Inquisitionis officium, a Paulo Papa tertio institutum, in Italia et extra eam decernit, gratiasque, praerogativas et facultates Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus pravitatis haereticae inquisitoribus elargitas confirmat, 236.

LXXVII. Indulgentiarum gratiae ab omnibus officialibus, circa clausulam porrectionis manuum adiutricum, gratis expediantur, excepto salario registraturae, 239.

LXXVIII. Facultas collegii deputatorum fabricae Sancti Petri de Urbe cogendi, pro executione piorum legatorum, quoscumque notarios ad ei tradendum exemplar instrumentorum, post annum a die obitus testatoris, soluta eis debita mercede, 241.

LXXIX. Revocatio exemptionum a solutione dohanae Urbis, quibuscumque, praeterquam locis piis, concessarum, vel in capitulis dohanae expressarum; et declaratio quoad exemptiones ob numerum duodecim filiorum, 242.

LXXX. Confirmatio Sacri et Œcumenici Concilii Tridentini, 244.

LXXXI. Damnatio et excommunicatio Odetti a Castillione, cardinalis, in haeresim Hugonotorum prolapsi, 247.

LXXXII. Facultates cardinalium reipublicae christianae generalium inquisitorum in Urbe procedendi etiam contra praelatos haereticos vel haereticorum fautores, 249.

LXXXIII. Praefinitio emolumentorum magistri caeremoniarum a singulis S. R. E. cardinalibus, tam in eorum promotione, quam in obitu persolvendorum, 251.

LXXXIV. Erectio ecclesiae Urbinatensis in metropolitanam, 252.

LXXXV. Studii generalis Bononiensis, eiusque rectoris atque scholarium indulta, 254.

LXXXVI. Iurisdictio cardinalis protectoris et iudicis caussarum hospitalis et Societatis S. Hieronymi Illyricorum de Urbe, 257.

LXXXVII. Renovatio antiquarum ordinationum, gratiarum et privilegiorum Ordinis Cisterciensis monachorum Sancti Benedicti, iurisdictionisque et auctoritatis abbatis et aliorum praelatorum dicti Ordinis, 260.

LXXXVIII. Campones et albergatores Urbis non tenentur de furtis rerum eis non consignatarum, commissis in eorum hospitiis, si hoc ipsi hospitibus notificent in eorum ingressu, 265.

LXXXIX. Iurisdictio consulum artis merciariorum almae Urbis, 267.

XC. Graeci subiiciuntur iurisdictioni or-

dinariorum, circa ea quae Dei cultum, sacramentorum administrationem, animarumque salutem et haeresum extirpationem concernunt, 271.

XCI. Decisio in favorem congregationis Lateranensis canonicorum regularium Ordinis S. Augustini, super lite, quam de praecedentia habebant cum congregatione Cassinensi, alias S. Iustinae, monachorum Ordinis S. Benedicti, 273.

XCII. Revocatio quorumcumque indultorum, confessionalium, *Maris Magni*, aliorumque privilegiorm, quibuscumque, etiam regularibus, concessorum, in his, quae concilio Tridentino adversantur, 277.

XCIII. Revocatio licentiarum omnium, quibuscumque (exceptis commissariis et inquisitoribus haereticae pravitatis) concessarum, tenendi vel legendi libros Lutheranos aut de haeresi suspectos; et prohibitio illos de cetero habendi vel legendi, 279.

XCIV. Approbatio indicis librorum prohibitorum, cum regulis firmatis per patres a sacro concilio Tridentino deputatos; et prohibitio illos de cetero habendi et legendi, 281.

XCV. Approbatio confraternitatis sub invocatione Sanctissimi Nominis Dei, ad cavendum blasphemias, periuria illicitaque iuramenta institutae, cum indulgentiarum et aliarum gratiarum concessione, 282.

XCVI. Cancellariæ criminales Status Ecclesiastici ex caussa vere onerosa aliis non concessae, Reverendae Camerae Apostolicae iterato applicantur, et statuta pro cancellariis praefiniuntur, cum privilegiorum concessione; ac thesaurarii et auditoris Cameræ super illis et eorum caussis iurisdictione et auctoritate, 285.

Sequitur facultas thesaurarii Papae locandi et disponendi de dictis cancellariis, 296.

XCVII. Quod maior pars cardinalium sanctissimae Inquisitionis decernit, a tota congregatione valide statutum censetur, 298.

XCVIII. Declaratio quod concilii Tridentini decreta circa reformationem et ius positivum tantummodo ligare coeperunt a kalendis maii MDLXIV, 299.

XCIX. Institutio congregationis S. R. E. cardinalium super executione et observantia sacri concilii Tridentini et aliarum reformationum huius Pontificis, 300.

C. Facultas S. R. E. cardinalium congregationis super inquisitione haereticae pravitatis tenendi et legendi libros haereticos aut alias prohibitos, et concedendi aliis licentiam eos habendi ac legendi, 301.

CI. Reintegratio privilegiorum ac facultatis quaerendi eleemosynas pro archihospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, 303.

CII. Prohibitio confidentiarum beneficialium et reservatio dispositioni Sedis Apostolicae quorumcumque beneficiorum in confidentiam receptorum, cum poenarum inflictione in huiusmodi criminis reos, 305.

CIII. De electionibus ad regimina monasteriorum, praepositurarum et aliarum dignitatum conventualium, 308.

CIV. Alia et secunda reformatio tribunalis Reverendae Camerae Apostolicae et officialium eius, 310.

CV. Forma professionis fidei catholicae observanda a quibuscumque promotis et promovendis ad aliquam liberalium artium facultatem, electisque et eligendis ad cathedras, lecturas et regimen publicorum gymnasiorum, 323.

CVI. Forma professionis orthodoxae fidei observandae a provisis de beneficiis ecclesiasticis curatis, ac dignitatibus, ecclesiis, monasteriis et aliis locis Ordinum regularium et militiarum, 327.

CVII. Approbatio confraternitatis sub invocatione Duodecim Apostolorum nuper in Urbe institutae pro decentiori sanctissimi Eucharistiae sacramenti veneratione, et egenorum mendicare erubescentium, vel alias oppressorum subventione; et elargitio indulgentiarum, 329.

CVIII. De spoliis clericorum extra residentiam decedentium, 332.

CIX. Revocatio cuiuscumque privilegii communitatibus, confraternitatibus et aliis quibuscumque, etiam locis piis, concessi, homicidam in die Veneris Sancti aut alio tempore e carceribus liberandi, et reservatio eiusmodi gratiae, consulto Pontifice, ab eius officialibus de cetero concedendae, 334.

CX. Confirmatio plurimarum gratiarum et privilegiorum fratrum militum hospitalis Sancti Lazari Hierosolymitani, a Pontificibus praedecessoribus concessorum, in his quae concilio Tridentino non adversantur et concessio aliarum immunitatum et indultorum, 336.

CXI. Nuncii apostolici, et alii ad principes destinati, favores ab eis procurare aut illis uti nequeant ad obtinendas dignitates apud Sedem Apostolicam ipsis vel eorum consanguineis et necessariis conferendas, 369.

CXII. De computorum exhibitione ac redditione rationis coram officialibus Camerae Apostolicae de iis, quae reformationem praecesserunt, 371.

CXIII. De subrogando iudice in locum collateralis senatoris Urbis absentis vel infirmi, 372.

CXIV. Institutio Archivii Vaticani Sedis Apostolicae, cum deputatione ac facultate commissarii ubique libros extrahendi, 373.

CXV. Privilegium abbatum congregationis Cassinensis, alias S. Iustinae monachorum, Ordinis S. Benedicti, utendi pontificalibus, benedicendique populum et consecrandi lapides pro altarium usu, 374.

CXVI. Impetrantes aliqua privilegia et gratias interesse Reverendae Camerae Apostolicae quomodocumque concernentes, infra tres menses a die impetrationis, in Camera Apostolica illa praesentare et registrare facere debent; alioquin illis, tamquam invalidis, uti non possunt, 375.

CXVII. Revocatio omnium licentiarum et facultatum, praeterquam ex caussa vere onerosa concessarum, extrahendi frumenta, blada et legumina de locis Sedi Apostolicae mediate et immediate subiectis; et prohibitio de cetero extrahendi, 376.

CXVIII. Confirmatio gratiarum, privilegiorum et facultatis quaerendi eleemosynas, abbati, conventui et fratribus Ordinis S. Antonii Viennensis concessarum, quatenus concilio Tridentino non adversentur, 379.

CXIX. Erectio civitatis Piae prope arcem Sancti Angeli de Urbe, et privilegia in ea aedificantium, ac ad eamdem translatio conventus et ecclesiae Sanctae Mariae Transpontinae nuncupatae, 381.

CXX. Confirmatio et extensio iurisdictionis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis camerarii et magistrorum viarum almae Urbis, 386.

CXXI. Approbatio plurimarum declarationum ad Regulam fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci, in eorum generali capitulo editarum ad ipsius Ordinis reformationem, 399.

CXXII. Rescissio alienationum, infeudationum et concessionum terrarum et locorum sanctae Romanae Ecclesiae ac Sedis et Camerae Apostolicae, sine competenti recompensa aut necessitate, vel dictae Sedis utilitate id non exigente, factarum, 418.

Sequitur facultas camerarii super praedictis, 421.

PIUS V.

I. Quod cardinalibus congregationis sanctissimae Inquisitionis officiales omnes pareant; et quoscumque pro aliis delictis carceratos et ad dictum officium Inquisitionis delatos, ad eosdem cardinales remittant, aliorum criminum cognitione suspensa, 422.

II. Quod beneficia curata in alma Urbe eiusque districtu, praevio examine cardinalis vicarii Romani Pontificis, conferantur, 423.

III. Renovatio declarationis Pii PP. IV, qua cavetur ne castra et loca comitatus Venayssini locentur, infeudentur, aut alio quovis titulo a sancta Romana Ecclesia alienentur, 424.

IV. Praesentandi facultatem ad ecclesias et monasteria aliaque beneficia ecclesiastica consistorialia, nisi de consensu duarum partium sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, concedi minime posse decernit, 427.

V. Bannitos aliosque delinquentes ex regno Neapolitano ad Ecclesiae Romanae Statum confugientes, et e contra subditos Ecclesiae ad praefatum regnum declinantes, capiendos puniendosque fore declarat, 428.

VI. Medici quae servare debeant in curatione infirmorum, 430.

VII. Iubilaeum pro unione christifidelium et defensione reipublicae christianæ contra infideles, 431.

VIII. Revocatio privilegii, quibuscumque concessi, celebrandi missas vespertino tempore, 433.

IX. Ordinationes circa observantiam divini cultus in ecclesiis, et venerationem festivitatum; necnon et contra simoniacos, blasphematores, sodomitas et concubinarios, 434.

X. Confirmatio constitutionis a Paulo IV editae circa Iudaeorum vivendi modum, qui signum glauci coloris in Statu Ecclesiastico deferre debent, 438.

XI. Contra impedientes aut non subvenientes nautis et aliis naufragium patientibus in locis S. R. E. mediate et immediate subiectis, bonorumque naufragantium occupatores, et communitates ac barones et dominos eos non capientes, 440.

XII. Institutio domus in Urbe pro sanctae Inquisitionis ministerio exercendo, eiusque ministrorum et personarum commodo cooptando, 445.

XIII. De clausura et numero monialium cuiuscumque Ordinis et poenis earumdem, absque licentia superiorum (ex caussa magni incendii vel infirmitatis leprae vel epidemiae tantummodo eis concedenda), e monasteriis egredientium, concomitantiumque et receptantium; ac superiorum aliter eis licentiam concedentium; necnon de eleemosynis pro ipsarum monialium subventione colligendis, 447.

Sequitur declaratio dictae bullae, 450.

XIV. Innovatio et ampliatio constitutionum a Pontificibus praedecessoribus editarum contra homicidas, brigosos, vindictam transversalem aut hominum collectam facientes, facinorososque homines, eorumque complices et fautores, communitates quoque et alios eorum territoria a praedictis

non custodientes in Statu Ecclesiastico, 452.

Sequitur ampliatio poenarum contra fautores bannitorum, 456.

Sequitur mandatum quotannis dictam bullam publicandi, 458.

XV. Confirmatio statutorum et ordinationum in synodo provinciali Mediolanensi circa mores personarum ecclesiasticarum eiusdem provinciae, 458.

XVI. Confirmatio litterarum Iulii II et Leonis X contra dominos locorum et communitates non custodientes eorum territoria, ne venientes ad Urbem et recedentes derobentur, 461.

XVII. Caussarum Curiae Camerae Apostolicae generalis auditoris facultates procedendi contra archiepiscopos, episcopos ceterosque praelatos in suis ecclesiis et dioecesibus minime residentes, 464.

XVIII. Declarationes circa allegationem novae causae, in casu fractae pacis vel treguae; admissionemque reorum in contumaciam condemnatorum in Statu Ecclesiastico ad faciendas defensiones, infra vel post annum; necnon circa praeventionem inter iudicem ecclesiasticum et laicum in caussis mixti fori, 465.

Sequitur declaratio dictae constitutionis, 467.

XIX. Exemptiones Ordinum Mendicantium pro eorum bonis et personis a solutione gabellarum et quarumcumque contributionum, onereque hospitandi milites, 468.

XX. Poenae contra receptantes homicidas, rebelles, grassatores aliosque huius furfuris homines, 472.

XXI. Revocatio facultatis quomodolibet concessae Graecis Latino ritu, et Latinis Graeco more celebrandi missas et divina officia, 473.

XXII. Revocatio constitutionis Pii IV et innovatio alterius constitutionis Gregorii XI et Clementis VI super exprimendis gradibus propinquioribus in dispensationibus matrimonialibus impetrandis in diversis gradibus, 475.

XXIII. Declarationes concilii Tridentini, sess. XXIV, cap. II et IV, circa impedimenta cognationis spiritualis et affinitatis ex fornicatione, quoad matrimonia post confirmationem concilii contracta et de cetero contrahenda, 476.

Sequitur alia declaratio circa impedimenta cognationis spiritualis, 477.

Sequitur alia declaratio circa impedimentum affinitatis et fornicationis, 478.

XXIV. Familiares sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium et aliorum praelatorum Romanae Curiae regalia vel stipendia non conventa ab eis vel eorum haeredibus petere prohibentur; et ordo in satisfaciendis eorumdem creditoribus praefinitur, 478.

Sequitur alia in praedictis constitutio, 479.

Sequitur declaratio quoad aromatarios, 480.

XXV. Iurisdictio consulum artis agriculturae Urbis cognoscendi caussas rerum ad artem spectantium inter quascumque personas, et confirmatio statutorum eius, 481.

XXVI. Sclavi baptizati ad conservatores almae Urbis pro libertate confugientes, libertatem consequuntur, et cives Romani efficiuntur, 482.

XXVII. Iurisdictio vicarii Papae circa obligationes et contractus initos in forma Camerae Apostolicae, quoad loca pia et personas ecclesiasticas in Urbe, 483.

XXVIII. Privilegia pro exercentibus artem agriculturae in districtu almae Urbis,

et frumenta ac blada afferentium ad eam; prohibitioque eos impediendi, vel illa ultra usum necessarium suae familiae emendi, 484.

XXIX. Quod mulieres, etiam praetextu cuiusvis privilegii, facultatis aut licentiae, ingredi non possint (exceptis casibus hic expressis) monasteria et claustra cuiuscumque Ordinis regularis, 487.

Sequitur declaratio constitutionis, 488.

XXX. Concesso monasterio Ordinis Sancti Augustini in Urbe, sub invocatione Beatae Mariae Virginis Annunciatae, virginibus neophytis, moniales transferuntur ad praeceptoriam S. Basilii Magni in regione Montium cum omnibus bonis, etc., 489.

XXXI. De reformandis Hispaniarum coenobiis, 494.

Sequitur eadem super hac re, 496.

XXXII. De veritate exprimenda a procuratoribus S. Poenitentiariae, in dispensationibus matrimonalibus ceterisque gratiis apostolicis, sub poena falsi, 498.

XXXIII. Declaratio quod sententiae in favorem reorum de haeresi inquisitorum, a quibuscumq. iudicibus contra stilum vel dispositionem iurisdictionis Officii sanctissimae Inquisitionis latae et ferendae, non transierint nec transeant in rem iudicatam; et iurisdictio cardinalium ipsas caussas revidendi; et confirmatio constitutionis Pauli quarti editae contra haereticos, 499.

XXXIV. Quod fecerit maior pars cardinalium sanctissimae Inquisitionis, vel, aliquibus absentibus, etiam duo, valet ac si omnes fecissent, 502.

XXXV. Mitigatio constitutionis Pii IV quoad appellationes condemnatorum, facto deposito vel data cautione, 503.

XXXVI. Reformatio collegii Capranicensis, a cardinali de Capranica, et collegii Nardini, a cardinali Nardino, in Urbe pro scholaribus institutorum; et confirmatio iurisdictionis custodum hospitalis Sancti Salvatoris, gubernatorum utriusque collegii, 504.

XXXVII. In quibusvis collationibus, provisionibus et commendis beneficiorum per Sedem Apostolicam collatorum, speciali vel generali concilii Tridentini derogatione minime opus esse declarat, 507.

XXXVIII. Exemptio monasteriorum et aliorum locorum piorum Status Ecclesiastici ab hospitio militum, etc. 507.

XXXIX. Pius V ad se et successores suos Romanos Pontifices quascumque caussas confidentiarum, tam motas et pendentes, quam in futurum quomobolibet movendas, avocat, 509.

XL. Applicatio reverendae Camerae Apostolicae fructuum beneficiorum regni Neapolis Sedi Apostolicae reservatorum, pro tempore vacantium, a die vacationis usque ad diem quo a Romano Pontifice provisi possessionem ceperint de manu nuncii apostolici in eodem regno, 511.

XLI. Miserabiles personae, in causis discussionum, ceteris aliis creditoribus praeferuntur, pro eorum creditis, usque ad summam scutorum quinquaginta in Urbe, 513.

XLII. Prohibitio iudaeis possidendi bona stabilia, quae, nisi vendantur ab eis iuxta sancita, applicata censentur domui catechumenorum de Urbe, 514.

XLIII. Declaratio, reformatio et revocatio plurimarum gratiarum, immunitatum et privilegiorum militiae hospitalis Sancti Lazari Hierosolymitani hactenus a Summis Pontificibus concessorum, 516.

XLIV. Reservatio beneficiorum propter

crimen haeresis vacantium, et declaratio quod haec beneficia non comprehenduntur in impetrationibus, in quibus modus vacationis propter crimen haeresis non sit expressus, nisi in casibus hic nominatis, 533.

XLV. Revocatio indulgentiarum, quomodolibet concessarum, continentium facultatem quaestuandi, et pro quibus consequendis porrigendae sunt manu, adiutrices; prohibitioque de ceters quaestuandi et quaestores deputandio 535.

XLVI. Confirmatio gratiarum et indultorum congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, cum aliorum privilegiorum elargitione, 537.

XLVII. Confirmatio concordiae et consuetudinis Maioricensium fratrum Ordinis Praedicatorum super modo sepeliendi sine interventu parochi, 544.

XLVIII. Provincia Hiberniae fratrum Ordinis Praedicatorum variis ornatur privilegiis, 546.

XLIX. Erectio cathedralis Ecclesiae Boloniensis in Galliis cum gratiarum et praerogativarum elargitione, 550.

L. Forma expediendi litteras apostolicas super gratiis resignationum beneficiorum ecclesiasticorum, 552.

LI. Damnatio cuiuscumque collationis ecclesiarum parochialium, non servata forma concilii Tridentini, hactenus factae vel de cetero faciendae, 555.

LII. Quod religiosi regulares, ob defectum presbyterorum, in partibus Novarum Indiarum officio parochorum fungi valeant, 558.

LIII. Prohibitio alienandi et infeudandi civitates et loca S. R. E., vel de eorum alienationibus et infeudationibus tractandi quovis praetextu, etiam evidentis utilitatis, 560.

LIV. Quod festum sancti Thomae de Aquino, uti festum de praecepto sanctae Romanae Ecclesiae, in regno Neapolis; alibi vero uti festum quatuor catholicae Ecclesiae doctorum de cetero celebretur, 564.

LV. Confirmatio litterarum super reductione monasteriorum Conventualium nonnullorum Ordinum in regnis Hispaniarum ad suorum Ordinum observantiam, additis etiam ad id consequendum aliis ordinationibus et reformationibus, 565.

LVI. Moderatio indultorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, super collatione beneficiorum, 571.

LVII. Confirmatio et nova concessio plurimorum indultorum pro Ordinibus fratrum et monialium Mendicantium; et declaratio atque extensio concilii Tridentini circa ea, et communicatio eorumdem indultorum cum aliis Ordinibus regularibus, necnon et iurisdictio conservatorum, 573.

Sequitur extensio istorum privilegiorum Mendicantium ad alios Ordines, 584.

Sequitur declaratio praeinsertae constitutionis, 586.

LVIII. Reformatio motus proprii felicis recordationis Pii Papae IV super admissione appellationum caussarum criminalium, 595.

LIX. Moderatio dotium, munerum et ornamentorum quarumcumque mulierum, etiam tempore nuptiarum in Urbe, 596.

Sequitur tenor istius statuti, 596.

LX. Monasteria quorum fructus reperiuntur taxati in libris R. C. A. et quaecumque beneficia piis locis unita, de cetero non vacantia, quindennia et alia iura eidem Reverendae Camerae solvere tenentur; et capitula, congregationes et alia pia loca indicare debent beneficia quae possident, et titulum possessionis et annuos redditus, 598.

LXI. Revocatio quorumcumque commissariorum ad quaecumque onera cameralia aut alia Sedem et Cameram Apostolicam concernentia exigenda destinatorum (ad ius reddendum tamen exceptis); formaque in posterum servanda in huiusmodi deputandi, commissariis seu exactoribus, 601.

LXII. Extensio constitutionis Pii IV de condemnatis et bannitis non audiendis nisi in carceribus constitutis et defuncti haeredibus citatis, ut procedatur etiam contra condemnatos in contumaciam, et in quacumque instantia, pro quacumque poena corporis afflictiva, 604.

LXIII. De parochialium ecclesiarum vacatione, vicariorum earumdem deputatione, examinatorum electione, promovendorum examine et idoneitate, necnon idoneorum institutione ab ordinariis facienda, 605.

LXIV. Spoliorum nomine ad reverendam Cameram Apostolicam spectantium non veniunt ornamenta et paramenta ecclesiarum, nec supellectilia domestica, neque bona clericorum, qui beneficia aut pensiones non excedentes summam ducatorum triginta habuerunt, sed eorum ecclesiis dari debent, 609.

LXV. Iurisdictio consulum artis lanae in Urbe, cognoscendi caussas ad artem ipsam spectantes, 612.

LXVI. Declaratio quod Ordines tam S. Dominici, et S. Francisci, quam Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum, ac Servorum B. Mariae sunt vere et proprie Ordines religiosi Mendicantes, etiam si in communi bona, quamvis immobilia, possideant, eorumque gratiis omnibus perfruuntur, 614.

LXVII. Prohibitio transeundi ab Ordine fratrum Minorum Cappuccinorum S. Francisci de Assisio ad ordinem Minimorum Sancti Francisci de Paula, et contra, 617.

LXVIII. Homicidae, blasphemi, sacrarum imaginum percussores, aliaque nonnulla patrantes delicta in principatu Cataloniae, regno Aragonum, comitatibus Rosilionis et Ceritaniae, et confugientes ad ecclesias, possunt per iudices saeculares, cum interventu iudicum ecclesiasticorum, ab eisdem ecclesiis extrahi, 617.

LXIX. Litterae Pauli IV et Pii IV per quas statuitur clericos principatus Cataloniae et Comitatus Rosilionis in habitu et tonsura incedere debere, alias privilegio clericali non gaudeant, valent et intelligi debent iuxta terminos capituli VI sessionis XXIII Concilii Tridentini, 619.

LXX. Quod spolia monachorum Ordinis Cisterciensis spectent ad loca et monasteria in quibus professionem emiserunt; et commendatarii aut commissarii Reverendae Camerae Apostolicae in illis se non intromittant 622.

LXXI. Fratres Conventuales, necnon Tertii Ordinis Sancti Francisci, sub Regula eiusdem Ordinis, fratribus de Observatia submittit in regno Portugalliae, extincta omnino conventualitate, 624.

LXXII. Declaratio portionum assignandarum vicariis perpetuis ecclesiarum parochialium, monasteriis, beneficiis, ecclesiis vel locis piis perpetuo unitarum, 628.

LXXIII. Prohibitio agitationis taurorum aliarumque ferarum bestiarum, cum annullatione votorum et iuramentorum desuper adhibitorum, 630.

LXXIV. Correctiones, iuxta sententiam Sacrae Congregationis Concilii, faciendae in concilio Valentino, 631.

LXXV. Declaratio quod Ordo fratrum Minimorum S. Francisci de Paula inter

OrdinesMendicantes comprehenditur, eorumque gratiis et privilegiis perfruitur, 633.

LXXVI. Declaratio quod congregatio fratrum S. Hieronymi Iesuatorum nuncupata, vere comprehendatur inter Ordines Mendicantium, eorumque perfruatur gratiis et indultis, 636.

LXXVII. Facultas Congregationibus imponendi census et alienandi bona ob solutionem subsidii triginta millium scutorum, pro subventione regi Galliarum, et bello contra Turcas, 638.

LXXVIII. Innovatio litterarum Iulii III super donationibus non faciendis a personis ecclesiasticis Hispaniarum, in fraudem Camerae Apostolicae, et commissio collectori earum partium super illarum executione, 641.

LXXIX. Innovatio litterarum Iulii III, quibus concessit tunc collectori iurium Camerae Apostolicae in regnis Hispaniarum facultatem percipiendi fructus ecclesiarum cathedralium, a die vacationis usque ad diem provisionis colligendos, 642.

LXXX. Confirmatio concordiae initae inter episcopos provinciae Toletanae et declarationum factarum a nuncio Hispaniarum super decretis synodi eiusdem provinciae Toletanae, 643.

LXXXI. Prohibitio signandi et expediendi commissiones caussarum et inhibitiones in caussis spoliorum et illicitae negotiationis, non citato prius commissario Reverendae Camerae Apostolicae, 646.

LXXXII. Quod fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia semper possint, extra tempus quadragesimae et adventus, in feria quinta, in qua non occurrit aliquod festum aut eius octava, recitare officium Sanctissimi Corporis Christi, 647.

LXXXIII. Declaratio super fructibus et censibus ac aliis rebus non exactis per ecclesiasticos regni Neapolitani tempore eorum obitus, ut habeantur inter spolia, et similiter relicta per quoscumque clericos, beneficia ecclesiastica ultra valorem triginta ducatorum obtinentes, 648.

LXXXIV. Ut nuncius regni Neapolitani inhibeat ordinariis dicti regni, ne se ingerant in beneficiis quovis modo reservatis Sedi Apostolicae pro tempore vacantibus, 649.

LXXXV. Unio fratrum Amadeorum et Clarenorum Ordini fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, 650.

LXXXVI Iurisdictio et facultates sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis protectoris ac iudicis caussarum monasterii S. Catherinae de Rosa nuncupatae, et congregationis in Urbe institutae ad ibi recipiendas pieque educandas virgines miserabiles, in periculo amittendae pudicitiae commorantes, 655.

LXXXVII. Mandatur nuncio Venetiarum, ut in omnibus ecclesiis cathedralibus eiusdem dominii, in quibus adhuc nullum stipendium lectioni theologali deputatum est, praebenda primo vacatura ad hunc usum applicet, 658.

LXXXVIII. Reservatio beneficiorum omnium vacantium, sede episcopali vacante, 659.

LXXXIX. Facultas collegii fabricae S. Petri apostolorum principis de Urbe circa legata quae fiunt ecclesiae B. Mariae Lauretanae, si eius ministri in illis exigendis fuerint negligentes, 659.

XC. Mandatum nuncio Hispaniarum, ut Praemonstratenses secundum observantiam eorum Regulae reformandos esse declaret, non autem secundum Regulam fratrum Sancti Hieronymi, quos a directione et iurisdictione in illos penitus extraneos esse decernit, 661.

XCI. Fructus beneficiorum, lite pendente deponendi, apud idoneam personam a iudice eligendam deponi debent, non obstantibus quibuscumque statutis disponentibus quod capitula et canonici eos recipiant, 663.

XCII. Quae beneficiorum ecclesiasticorum resignationes per episcopos et alios collatores admitti possint, 664

XCIII. Reformatio fratrum Ordinis Cruciferorum, praecipue circa proprietatem, administrationem munusque officialium, 666.

XCIV. Revocatio omnium privilegiorum a Sede Apostolica officialibus et aliis quibuscumque concessorum, creandi doctores, licentiatos et magistros; et declaratio quoad beneficia et dignitates, 673.

XCV. Translatio curae monialium a fratribus Ordinis Minorum Conventualium ad ordinarios locorum, 674.

XCVI. Monasteria monialium fratribus Conventualibus subiectarum, perpetuo eximuntur ab eorum fratrum superioritate, et subiiciuntur ordinariis locorum, 676.

XCVII. Reformatio fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci, 676.

XCVIII. Declaratio concilii Tridentini, sessione vigesima quarta, capite tertio, super impedimento publicae honestatis, circa sponsalia vel matrimonia, 678.

XCIX. Reformatio fratrum et sororum Tertii Ordinis de Poenitentia S. Francisci, in communione et sub trium substantialium votorum professione viventium, 679.

C. De residentia rectorum ecclesiarum parochialium, quibuscumque indultis, etiam apostolicis, non obstantibus, 683.

CI. Breviarii Romani ad psallendum horas canonicas, ex decreto Sacri et OEcumenici Concilii Tridentini restituti, approbatio, cum prohibitione usus aliorum Breviariorum, praeterquam a primaeva institutione Ordinis a Sede Apostolica vel a consuetudine supra annos ducentum approbatorum, 685.

CII. Iurisdictio et facultates visitatorum carcerum almae Urbis, in caussis tam civilibus quam criminalibus carceratorum, 688.

Sequitur iurisdictio in caussis criminalibus, 689.

CIII. Revocatio facultatum camerarii, clericorum et aliorum officialium reverendae Camerae Apostolicae concedendi commissiones in forma *Si in evidentem* super alienationibus bonorum ecclesiasticorum aut locorum piorum cuiuscumque valoris, 690.

CIV. Approbatio reformationis fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci, in capitulo eiusdem Ordinis per eos praefinitae, 691.

CV. Exemptio omnium monialium a regimine et cura fratrum Humiliatorum in perpetuum; et subiiciuntur ordinariis locorum, 695.

CVI. Contra notarios et alios, responsiones reorum depositionesque testium quomodolibet propalantes, vel eis aut testibus in secretis carceribus Urbis detentis, aut aliis pro eis, nuncium deferentes, 696.

CVII. Contra non revelantes et non restituentes scripturas ad reverendam Cameram Apostolicam quomodolibet spectantes, 697.

CVIII. Declaratio quod fratres Praedicatores Ordinis S. Dominici ubique praecedant ceteris fratribus cuiuscumque Ordinis religiosorum Mendicantium, 699.

CIX. Contra quoscumque clericos, tam sæculares quam regulares, nefandi criminis reos, 702.

CX. Sex Ordinis Praedicatorum Romanae provinciae fratres constituuntur poenitentiarii basilicae S. Mariæ Maioris, 703.

CXI. Annuae pensionis constitutio poenitentiariis basilicae Sanctae Mariae Maioris de Urbe, 706.

CXII. Moderatio et revocatio privilegiorum officiis Romanae Curiae ac militiis concessorum, circa pensiones obtinendas et transferendas, expectativas concedendas, unionesque et suppressiones beneficiorum faciendas, ac facultatem de bonis ecclesiasticis testandi, 709.

CXIII. Confirmatio statutorum collegii Dertusensis Ordinis Praedicatorum in Hispania, 714.

CXIV. De dignitatibus et praebendis ecclesiarum insulae Sardiniae aliis ecclesiis unitarum, earumque suppressione, et parochialium ad primaevum statum reductione, ac vicariorum in parochialibus quae sunt annexae dignitatibus etc. deputatione, 719.

CXV. Innovatio constitutionis Pauli IV contra negantes Trinitatem, aut divinitatem Iesu Christi, vel Eius conceptionem de Spiritu Sancto, aut Eius mortem, ut nos redimeret, aut virginitatem Beatae Mariae Virginis, 722.

CXVI. Decretum concilii Tridentini de clericorum saecularium ad sacros ordines promotione extenditur ad clericos regulares sive saeculares, more religiosorum, in communi viventes, 723.

CXVII. De solemni trium votorum substantialium professione regulari emittenda, et una ex Regulis approbatis eligenda ab omnibus, qui, in diversis congregationibus et domibus, sub voluntaria obedientia et extra solemne votum Religionis, vivunt, et habitum a saecularibus presbyteris distinctum deferunt, 725.

CXVIII. Confirmatio exemptionum fratrum militum hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, eorumque familiarium etc. a solutione decimarum et aliorum quorumcumque onerum; et praeservatio iurisdictionis ordinariorum, quoad personas curam animarum exercentes, 726.

CXIX. Constitutio congregationis Clericorum Regularium S. Maioli, alias de Somascha, sub Regula S. Augustini, cum privilegiorum elargitione, 729.

CXX. Comminatio poenarum contra scriptores ac sollicitatores aliosque officiales sacrae Poenitentiariae et Contradictarum, qui in dispensationibus matrimonialibus veritatem non exprimunt, vel falsitatem inducunt, 732.

CXXI. Facultas collegio fabricae S. Petri examinandi quoscumque contractus de praeterito initos super bonis ecclesiarum, applicata sibi tertia parte huiusmodi bonorum, 733.

CXXII. Abolitio nonnullarum litterarum in Hispaniis publicatarum super concessione nonnullarum facultatum et indulgentiarum, cum prohibitione similes litteras vel indulgentias imposterum publicandi, 735.

CXXIII. Reformatio contractuum de annuis censibus creandis, alienandis et redimendis; et declaratio quarumdam dubitationum desuper exortarum, 736.

Sequuntur declarationes dubitationum desuper exortarum, 738.

CXXIV. Iudaeorum expulsio ab omnibus locis dominii S. R. E. eiusque subditorum, praeterquam ab urbe Roma et civitate Anconae, 740

CXXV. Quod, in singulis provinciis fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia, duae saltem domus assignentur fratribus strictioris observantiae, a quibus, absque praela-

torum licentia, nullatenus ad alia loca se transferre possint, 742.

CXXVI. Stationum indulgentias per christifideles, tam in Liberiana Sanctae Mariae Maioris basilica, quam in ecclesia Sanctae Mariae in Dominica, lucrari decernit, 743.

CXXVII. Contra offendentes statum, res et personas sanctissimi officii Inquisitionis haereticae pravitatis, eorumque filios necnon complices et fautores, 744.

CXXVIII. Reformatio Poenitentiariae Apostolicae et eius officialium, 746.

CXXIX. Limitatio nonnullarum facultatum maioris poenitentiarii eiusdemque ministrorum, 750.

CXXX. Scriptores et procuratores Poenitentiariae Apostolicae ad Cancellariam Apostolicam transferuntur, et scriptores et procuratores litterarum minoris gratiae instituuntur, 752.

CXXXI. Declaratio casuum ac praesumptionum, in caussis confidentiae beneficialis, contra quoscumque, etiam S. R. E. cardinales, cum appositione poenarum, 754.

CXXXII. Quod facultas erigendi cappellas Rosarii sit solummodo magistri generalis Ordinis S. Dominici et ab eo deputatorum, et confratres sodalitatum Rosarii ab eis institutarum oblationes et legata, in pios usus convertenda, recipere valeant; indulgentiasque hic enunciatas consequantur, 758.

Sequitur alia constitutio super praedictis, 760.

CXXXIII. De baccalaureis et magistris in Aragoniae provincia Ordinis Praedicatorum creandis, 760.

CXXXIV. Confirmatio et declaratio privilegiorum et gratiarum collegii scriptorum archivii Curiae Romanae, 762.

CXXXV. Cosmus Medices, reipublicae Florentinae dux, eiusque successores magni duces Etruriae creantur, 763.

CXXXVI. Contra eos qui, ad evitandas suorum scelerum poenas, se divino servitio dedicant, 767.

CXXXVII. Indulta, gratiae et indulgentiæ confraternitatis nationis Florentinæ, sub invocatione S. Ioannis Baptistæ Decollati, *De Misericordia* nuncupatae, nuper in Urbe institutae ad caritative confortandum via iustitiae morituros, eisque ecclesiastica sacramenta subministrandum et eorumdem corpora sepeliendum, 768.

CXXXVIII. Confirmatio et innovatio quarumcumque gratiarum, et signanter praecedentiae, hactenus congregationi canonicorum saecularium S. Georgii in Alga Venetiarum concessarum, et concessio omnium privilegiorum aliis Ordinibus, etiam Mendicantium, concessorum et concedendorum, 772.

CXXXIX. Confratres SS. Rosarii privilegiis et indulgentiis ornantur, 774.

CXL. Indulgentia confratribus Societatis Nominis Dei concessa, 777.

CXLI. Confirmatio concordiae inter archiepiscopum Compostellanum et suos suffraganeos eorumque capitula, 777.

CXLII. Confirmatio concordiae inter præsidentem, episcopos et capitula provinciae Toletanæ, 780.

CXLIII. Revocatio indultorum, praeter iuris communis dispositionem concessorum, recipiendi vel retinendi religiosos alterius Ordinis, etiam laxioris, 783.

CXLIV. Reformatio officii correctoris Cancellariae Apostolicae et litterarum minoris iustitiae, contradictarum nuncupatarum, 785.

Sequitur declaratio prædictæ reformationis, 787.

CXLV. Suppressa congregatione Ordinis S. Crucis Fontis Avellanae, ipsius monasteria et loca Camaldulensi congregationi attribuit, 788.

CXLVI. Constitutio Bonifacii VIII contra offendentes S. R. E. cardinales extenditur etiam contra scientes et non revelantes, 792.

CXLVII. Confirmatio constitutionis Gregorii XI ac sententiae latae in Rota Romana ad favorem sacrosanctae ecclesiae Lateranensis de Urbe, circa eius praeeminentiam et superioritatem et praerogativam supra omnes Urbis et orbis ecclesias ac basilicam S. Petri de Urbe, 794.

CXLVIII. Duae sententiae definitivae conformes, latae pro fabrica S. Petri de Urbe, faciunt rem iudicatam in ea parte in qua sunt conformes; et commissiones appellationum, quae simpliciter concederentur a Signatura, semper intelliguntur cum clausula *sine praeiudicio executionis duarum conformium*, 795.

CXLIX. Facultas collegii deputatorum fabricae basilicae S. Petri de Urbe exequendi omnia pia legata, infra annum a die mortis testatorum realiter non adimpleta, cum retentione quintae partis pro subventione dictae fabricae, 797.

CL. Facultas collegii et deputatorum fabricae basilicae S. Petri de Urbe exequendi quaecumque legata pia, infra triennium a die obitus testatorum non impleta, cum retentione medietatis eorum pro dicta fabrica, 799.

CLI. Prohibitio ad quaestum publicandi indulgentias et confessionalia, 800.

CLII. Eleemosynae pro carceratis in Urbe colligendae, expendantur pro solvendis debitis pauperum carceratorum; et pro debito mere civili infra septem aureos, nemo carceretur, 801.

CLIII. Ordinem fratrum Praedicatorum privilegiis ornat, eisque concessa firmat, 801.

CLIV. Moniales non exeant clausura sub poena excommunicationis et privationis; quae etiam extenditur ad dantes licentiam, comitantes et receptantes, 808.

CLV. Damnatio et excommunicatio Elisabeth, reginae Angliae, eiusque adhaerentium, cum aliarum poenarum adiectione, 810.

CLVI. Prohibet canonicis Lateranensibus ne ullus tractare possit de officiis generalatus, visitatorum et praelaturarum, nisi in capitulo generali, sub poena excommunicationis et privationis dignitatum, etc., 811.

CLVII. Reformatio totius Ordinis Cisterciensis, tam quoad statum monachorum et divinum cultum quam restaurationem monasteriorum praestationemque fructuum mensae conventualis in locis commendatis, 813.

CLVIII. Extinctio congregationis Beatae Mariae Servorum nuncupatae, eiusque unio Ordinis Servitarum sub obedientia prioris generalis Ordinis eiusdem, 817.

CLIX. Mandatur archiepiscopo Mediolanensi eiusque suffraganeis ut promulgari et observari faciant decreta in synodo provinciali eiusdem provinciae edita, iuxta emendationem et explicationem Summi Pontificis, 819.

CLX. Reformatio Ordinis fratrum Servorum B. Mariae Virginis, 821.

CLXI. Declaratio et ampliatio concilii Tridentini, cap. XIV, sess. XXIV de prohibitione aliquid exigendi vel petendi in collatione aliave provisione beneficiorum ecclesiasticorum, vel ad illorum possessionem admissione, 827.

CLXII. Innovatio officii summatoris litterarum apostolicarum, uni ex S. R. E.

cardinalibus de cetero conferendi, cum indultorum, gratiarum et iurisdictionis in suos officiales concessione, 829.

CLXIII. De decimis aliisque subsidiis non solvendis a fratribus Ordinis Praedicatorum, 833.

CLXIV. Forma expediendi litteras apostolicas monitoriales de excommunicandis his qui bona deperdita vel subtracta restituere aut revelare recusant, 836.

CLXV. Declarat privilegia et exemptiones Ordinum Mendicantium, aliis Ordinibus communicata, his non suffragare in iis quae temporalitatem respiciunt, 837.

CLXVI. Missalis Romani ad rite missas celebrandas, concilii Tridentini decreto reformati, approbatio et aliorum abolitio, 839.

CLXVII. Magister sacri Palatii creatur canonicus theologalis basilicae Sancti Petri de Urbe, ut S. Thomae doctrinam, quam ab Ecclesia catholica receptam et aliis magis tutam et securam dicit, doceat, 841.

CLXVIII. Contra disputantes seu alias quaestiones facientes aut male sentientes de constitutione Sixti IV super conceptione Beatae Mariae Virginis edita, 845.

CLXIX. Quod gubernatori almae Urbis, quicquam de mandato Papae dicere vel facere asserenti, plene credatur, 847.

CLXX. Prohibitio a Pio IV edita contra frumenta de Statu Ecclesiastico extrahentes extenditur ad extrahentes quodcumque genus grasciae, 848.

CLXXI. Moniales Ordinis S. Dominici in articulo mortis constitutae professionem emittere possunt ante annum probationis expletum, dummodo sint legitimae aetatis, 849.

CLXXII. Facultas collegio fabricae Sancti Petri cognoscendi caussas pendentes super alienationibus bonorum ecclesiasticorum, factis absque licentia Sedis Apostolicae, 851.

Sequitur facultas fabricae circa applicationem fructuum, 857.

CLXXIII. Confirmatio privilegiorum et gratiarum societatis Cruce Signatorum, pro sanctae Inquisitionis contra haereticos praesidio antiquitus institutae, 860.

CLXXIV. Tonsores monetae tam aureae quam argenteae, in Urbe aliisque locis S. R. E. mediate et immediate subiectis, ultimo supplicio plectuntur, 861.

CLXXV. Contra fraudulentos et dolosos decoctores, capitali poena plectendos, 862.

CLXXVI. Reformatio Tribunalis Curiae caussarum Camerae Apostolicae auditoris, una cum taxa expeditionum, 865.

CLXXVII. Prohibitio disputandi in publicis praedicationibus de conceptione Beatae Mariae Virginis, aut de ea vulgari sermone scribendi vel dictandi, 872.

CLXXVIII. Facultas canonicorum regularium congregationis Lateranensis, Ordinis S. Augustini, festum illius celebrandi etiam die dominica, si in ea illud vel illius octava occurrerit, et celebrandi etiam festa nonnullorum sanctorum sui Ordinis iuxta antiquum ritum, 875.

CLXXIX. Privilegium praecedentiae canonicorum regularium congregationis Lateranensis, Ordinis S. Augustini, ante alios quoscumque regulares, post clerum saecularem, 877.

CLXXX. Revocatio facultatum testandi et quovis alio modo disponendi de acquisitis ex bonis ecclesiasticis, ac de

aliis rebus etiam proprio labore partis, aut patrimonialibus, ad commodum illegitimorum etiam legitimatorum, non tamen hospitalibus expositorum et orphanorum; et abrogatio habilitationum eorumdem illegitimorum succedendi in dictis bonis aut rebus feudalibus et emphytheuticis a piis locis profectis, 880

Sequitur extensio dictae constitutionis etiam ad bona patrimonialia, 883.

CLXXXI. Cambiorum illicitorum declaratio et prohibitio, 884.

CLXXXII. Extinctio Ordinis fratrum Humiliatorum, cum reservatione Sedi Apostolicae beneficiorum et bonorum propterea vacantium, 885.

CLXXXIII. Praeposituraruum nuper extincti Ordinis fratrum Humiliatorum distributio et applicatio, ipsorumque fratrum divisio, cum locorum et alimentorum assignatione, et cum earumdem dignitatum et beneficiorum saecularium dicti Ordinis reservatione dispositioni Sedis Apostolicae, 888.

CLXXXIV. Episcopi regni Siciliae quotannis inventarium actorum criminalium conficere et custodire tenentur, 893.

CLXXXV. Clericorum Camerae Apostolicae collegium ad duodenarium numerum adaugetur, cum emolumentorum ipsis de cetero exhibendorum praefinitione, 894.

CLXXXVI. Officii B. Mariae nuper reformati approbatio, cum indulgentiarum clargitione pro illud recitantibus, et aliorum similium officiorum abolitione, 897.

CLXXXVII. Iurisdictio S. R. E. cardinalis protectoris et iudicis caussarum archiconfraternitatis Trinitatis nuncupatae, ad pauperes peregrinos atque convalescentes recipiendos pieque alendos in Urbe institutae, 901.

CLXXXVIII. Facultas magistri generalis et praelatorum Ordinis fratrum Praedicatorum S. Dominici creandi et deputandi fratres ipsius Ordinis in notarios pro executione mandatorum apostolicorum, 904.

CLXXXIX. Quod fratres Eremitae S. Hieronymi, congregationis B. Petri de Pisis, Regulam S. Augustini dudum professi, ultra gratias dictae congregationis, perfruantur privilegiis omnibus ab isto Pontifice Mendicantium Ordinibus clargitis, 908.

CXC. Reductio ad terminos iuris communis constitutionum a Sixto IV, Leone X et Pio IV ac aliis Pontificibus editarum, super iure congrui et super novis (exceptis tamen sacris aut publicis) aedificiis construendis aut ampliandis in Urbe, 910.

Sequitur extensio supradictae reductionis etiam ad inquilinos, 912.

CXCI. Confirmatio privilegiorum collegii secretariorum apostolicorum, 914.

CXCII. Declaratio quod canonici saeculares congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum praecedant etiam canonicis regularibus congregationis Lateranensis, Ordinis S. Augustini, 915.

CXCIII. De electione et officio ministri generalis et aliorum superiorum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia; et de modo recipiendi novitios, 917.

CXCIV. Facultas praelatorum congregationis Cassinensis, alias S. Iustinæ, monachorum Ordinis S. Benedicti, monachos a quibuscumque reatibus, censuris et poenis absolvendi, 919.

CXCV. Quod confraternitates Sanctissimi Nominis Dei in ecclesiis Ordinis fra-

trum S. Dominici, si extant; sin autem, de licentia prioris eiusdem Ordinis, in aliis ecclesiis instituantur, 921.

CXCVI. Declaratio quod Religio Clericorum Regularium Societatis Iesu est vere de Ordinibus Mendicantibus eorumque gratiis et privilegiis tam concessis quam concedendis perfruitur, 923.

CXCVII. Oppidi Ripae Transonae in provincia Picena in civitatem sublimatio, eiusque parochialis ecclesiae Sancti Benigni in cathedralem et episcopalem erectio, 926.

CXCVIII. Facultas praelatorum Ordinis fratrum Praedicatorum S. Dominici absolvendi suos fratres et moniales, et cum eis dispensandi, sicut episcopi cum clericis, interdicto eis usu cruciatae vel alterius privilegii ad eligendos confessores et obtinendas eiusmodi absolutiones et dispensationes, 931.

CXCIX. Declaratio quarumdam litterarum super reservatione beneficiorum per crimen haeresis vacantium, quae a solo Romano Pontifice conferri posse statuit, non obstante quocumque privilegio seu iure, 933.

CC. Facultas episcopis Indiarum utendi in confectione sacri chrismatis certo liquore seu succo in locum balsami, 934.

CCI. Alia eisdem praesulibus concessa facultas absolvendi ab irregularitate, 935.

CCII. Bona monasteriorum Ordinis Praedicatorum monialibus destitutorum spectant ad fratres eiusdem Ordinis, quorum curae commissae erant, 936.

CCIII. Regulares cuiuscumque Ordinis, etiam Mendicantes, lectores aut in theologia graduati, non possint saecularium confessiones audire, nisi fuerint ob ordinariis, praevio examine, approbati, 938.

CCIV. Revocatio regressuum, accessuum et coadiutoriarum quibuscumque ad beneficia ecclesiastica concessarum, 939.

CCV. Quomodo rei in contumaciam condemnati, et infra annum capti, admittendi vel non admittendi sint ad defensiones, 940.

CCVI. Contra habentes beneficium ecclesiasticum non recitantes horas canonicas, 942.

CCVII. Iurisdictio episcoporum visitandi parochiales ecclesias fratrum militum Sancti Ioannis Hierosolymitani, quoad animarum curam et administrationem sacramentorum, 943.

CCVIII. Iussio instituendi ab ordinariis locorum confraternitates Doctrinae Christianæ ad pueros aliosque divinæ legis expertes bonis moribus sanaque doctrina instruendum; et indulgentiarum tam pro confratribus quam per eos instruendis elargitio, 945.

CCIX. Appellationum caussae in quibus rei ad favorem fisci R. C. A. in pœnam pecuniariam condemnantur, infra sex menses expediri debent per appellantem, alioquin iudex a quo sententiam exequi tenetur, 946.

CCX. Institutio undecim vicariarum perpetuarum in totidem basilicis et ecclesiis almae Urbis, cum assignatione portionum et obventionum pro singulis earum, 947.

CCXI. Contra ambientes dignitates et officia iurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio seu promissione procurantes vel assequentes, aut assecuta manutenentes in Statu Ecclesiastico, 949.

Extenditur constitutio etiam ad recipientes pecunias et mediatores, 952.

CCXII. De electione prioris generalis et aliorum praelatorum congregationis Canonicorum Regularium SS. Salvatoris, Ordinis S. Augustini, bonorumque temporalium administratione, 953.

CCXIII. Turcae, qui in bello contra eos peracto captivi sunt effecti, durante bello non dimittantur neque distrahantur, 957.

CCXIV. Approbatio congregationis fratrum Ioannis Dei nuncupatae ad regimen hospitalium pro curandis pauperibus infirmis nuper institutae, sub ordinariorum correctione et Regula Sancti Augustini, 959.

CCXV. Iurisdictio et facultates S. R. E. cardinalis protectoris et iudicis causarum confraternitatis Annuntiationis B. Mariae Virginis, in ecclesia supra Minervam de Urbe dudum institutæ, ad miserabilibus puellis dotes elargiendas, pupillosque et egenos sublevandos, 962.

CCXVI. Prohibitio deferendi pugiones, cultellos et aliud genus armorum brevioris mensurae trium palmorum, in Statu Ecclesiastico, 965.

CCXVII. Indulgentiae et gratiae pro adiuvantibus bellum contra Turcas, 967.

CCXVIII. Contra scribentes, dictantes, retinentes, transmittentes et non lacerantes libellos famosos et litteras nuncupatas *d'avvisi*, continentes alicuius famae laesionem, futurorumque successuum et eorum quae pro regimine Status Ecclesiastici secreto tractantur revelationem, 969.

CCXIX. Exemptio monasteriorum omniumque locorum piorum ab onere hospitandi milites, 971.

CCXX. Quod christiani apud Turcas sclavi reperti in bello contra eos parato, liberi cum suis bonis dimittantur ab officialibus classis christianae, 972.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.
P. CLODOVÆUS A COSTILIOLIS Ord. Min.



PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

BX
850
A37
1857
v.7
c.1
ROBA